Biblioteka Muzeum im. Dzieduszyckich
we Lwowie.
Sz. 29. N. 7

Digitization of the scientific library of the

State Museum of Natural History of NAS

Jonstonus Joannes Historiais Naturalis. – Francofurti asd Moenum: Impendio Matthaei Meriani, 1650.

Historioriae Naturalis de Exanguibus Aquaticis. Libri IV. Cum figures aneis. – 78 p., [3] Bl.; 20 tab.

Historioriae Naturalis de Piscibus et Cetis. Libri V. Cum aeneis figures. – 228 p., [3] Bl.; 47 tab.

Historioriae Naturalis de Avibus. Libri VI. Cum aeneis figures. – 227 p., Index [1–7]; 62 tab.

Download a copy of the book from the site:

https://libsmnh.com.ua

Permanent link to the book page:

https://libsmnh.com.ua/books/jonstonus_joannes/



Nr. inventario
C - 4449



POTURZYCKA BIBLIOTEKA

ILLVSTRISSIMO AC CELSISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, DOMINO WILHELMO VI. HASSIÆ LANDGRAVIO, COMITI CATTIMELIBOCIÆ, DIEZÆ, ZIGENHAINII ET NIDDÆ, &c.

MAGNORVM IMPERII PRINCIPVM, ET LIBERTATIS GERMANIÆ VINDICVM, POSTERITATI,

MAXIMORVM REGVM FOEDERATO, LITERARVM MECOENATI, OMNIVM BONORVM DELICIO;

PRÆMISSO, DE FELICI AVSPICATISSIMI CONIVGII INITI CVM CELSISSIMA PRINCIPE BRANDEBVRGICA SVCCESSV, VOTO:

DEVM SIMVL PRECATVS, VT CELSITVDINEM SVAM IMPERIO ET ILLVSTRISSIMÆ DOMVI HASSIACÆ DIVRNARE ET PERENNARE VELIT:

HANC HISTORIÆ NATVRALIS DE PISCIBVS PARTEM

Humillimè dicat & offert, utque Sua Celsitudo qualescunque hos conatus vultu Celsissimæ Familiæ erga literas sueto, excipere, & se, suaque studia commendata habere dignetur,

Demissè orat

CELSISSIMO PRINCIPI

Devotus Cliens

JOANNES JONSTONVS M.D.

Nr. inventarza C-4449
7633
1650
BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA WE LWOWIE

EX ANGVIBUS AQVATICIS

LIBRI IV.

Cum figuris æneis.

JOANNES JONSTONUS
Med. D. concinnavit.

BIBLIOTEKA POTURZYCKA J.W.D.

FRANCOFVRTI
ad
MOENVM,
Impendio

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

ECCE Tibi Hiſtoriæ naturalis ſpecimen, ſtudioſe Lector. In piſcibus id exhibere voluit Typographus: ego non multum intereſſe arbitrabar, in quibus daretur; modò & reliqua, quod Deo volente fiet, prodirent. Suſcepti laboris tuum mihi commodum cauſa; cui fortè per diffuſa volumina hactenus incumbere moleſtum erat. Taceo jucunditatem, quâ melioribus ingeniis, dum inexhauſtam ſpecierum naturalium varietatem, & ſtupendum eorundē genium exhibet, illabitur: *Deum, eruditionem, converſationem, & naturæ imitationem*, ſi reſpexeris, ſummè eam neceſſariam comperies. *Deum* dico. Cultor quotidianus infinitæ Dei Potentiæ & bonitatis eſſe teneris. Hic Naturæ liber tibi eius poſt ſacrum codicem admiranda aperit. Machinam hic tantæ vaſticiei invenies; tantæ & eius partes molis, ut difficile ſit judicare, quid magis in ſtuporem nos agat, infinita partium à ſe invicem diſtantia, an tanta earundem in ſe magnitudo. Videbis aſpectu vilia, & tantæ ſubtilitatis corpuſcula, ut nulla planè eſſe appareant; ſed quarum virtutes maximis illis controverſiam faciant. Sol centies ſexagies, vel vt alii, centies quadragies major eſt Hiſtorico naturali terrâ: tantæ velocitatis idem, ut unâ horâ decies mille milliarium conficiat. *Proximum* etſi *terris Sydus*, Luna; ab iiſdem tamen, dum minimum diſtat, LII. terræ ſemidiametris; hoc eſt, milliarium aſtronomicorum 178698. removetur: quæ ſi in noſtra milliaria per 52. reduci deberent, quanta quæſo diſtantia non exſurget? Terra & aqua in unum globum redacta; etſi gravia corpora, ita tamen in medio aëre ſuſpenſa librantur, & ad polos mundi diſponuntur, ut ne latum quidem unguem, vel ab oriente in occidentem dimoveri; aut à ſeptentrione in Auſtrum, vel vice versâ, propelli poſſint. Piſciculus eſt Echeneis, quem Remoram dicimus. At idem, gubernaculo navis affixus, immobilem eam reddere creditur. Ferruginea gleba Magnes. At quæ non miracula eius beneficio patramus? Imbellis populus formicæ: tamen iis Reip. ratio, memoria, cura. *Semina eroſa condunt, ne rurſus in fruges exeant è terra. Madefacta imbre proferunt & ſiccant. Et quoniam ex diverſo convehunt, alterâ alterius ignarâ, certi dies ad recognitionem mutuam, velut nundinis, dantur.* Exiguum inſectum Apis, nec ullius ſi ſolo aſpectu æſtimari debet pretii. At ſi earum naturā, Remp. opera excuſſeris, exclamabis; *rerum naturā nuſquam magis quàm in minimis totam eſſe.* Infinitæ hæc potentiæ argumenta, quæ Hiſtoricus naturalis ſuggerit. *Bonitatem* ſi attendas, grande illius documentum, quod nulla re natura ad conſervationem ſui deſtituatur; quod omnes huius univerſi partes, ſingulari nexu inter

xu inter se colligentur, & sibi mutuum ad conservationem totius præstent subsidium: quòd superiora, etsi mole, loco & qualitatib. nobiliora videantur, inferioribus quasi inserviant; & denique, quòd cuncta homini tanquam regulo suo famulentur. Rem se ita habere, per universam corporum naturalium seriem, in Historia deducitur. Bona *eruditionis* nostræ pars naturalium peritia. In eo desudat intellectus noster, ut quænam sit sublimium, elementorum, subterraneorum, plantarum, animalium, hominis denique ipsius conditio, penitius cognoscat. Spinosæ illæ de materia primâ, infinito, loco, tempore, motu, generatione, &c. quæstiones huic desiderio non sufficiunt: historia, si exactè instrui velis, consulenda est. Generalia sunt quæ præcipiuntur, & isagoges primò vicem tenent: in adyta, per singularia inducimur. Ab his illa abstrahi, per eadem restringi, confirmari, refutari, nemini ignotum. Nullæ nobis metallorum, lapidum, terrarum, succorum, fluorū, plantar. &c. differentiæ essent, nisi à singularib. eorundemque inter se comparatione peterentur. Non poterat Aristoteles & ex eo Plinius scribere, *Capita piscibus proportione corporis maxima: Nulli animali cui cornua exertos dentes, sed omnibus concavos, piscium omnibus serratos præter scaro: volucrib. nullos præter vespertilionem: Quibus longa crura, iis & longa colla: Cornigera una parte dentata, & quæ in pedib. talos habent, sævo pinguescere; bisulca, scissive in digitos pedibus, adipe;* &c. nisi Historiam consuluisset. Inde ergo tibi & in hoc puncto necessaria; quod fortè accuratissimè explicatum, ut omnia solet Excellentissimus D. Sperlingius Amicus noster singularis in specialiorib. Physicę, quas adhuc premit, partibusque dabit. De *Conversatione* res clara est. Eo sæpius de naturalibus miraculis inter familiares sermones agitur, quo magis ingenia oblectant. Quantum olim apud veteres in conviviis in usu, Plutarchi sympositaca, & Athenæi Dipnosophistæ docebunt. *Naturæ imitatio* summus sapientiæ nostræ apex est. Hæc indigentiæ humanæ subvenit, opes auxit, ingenium supra sortem mortalem extulit. Deo quasi similes reddimur, dum ipsius naturæ machinamentis usi, eandem, generando, corrumpendo, transformando, provehendo, impediendo, divertendo, resolvendo, seducendo, &c. nobis quasi subinci & famulari cogimus. Ausum est hactenus ingenium humanum, cœlum perpetuo & uniformi motu æmulari; ignes perpetuos, deducta quasi astris face, accendere; ventis, pluviis, iridibus, fulguribus, tonitrubus, minari; aërem in unum coactum librare; aquas in declive ire solitas, in sublime propellere; monstra & novas species formare; lapides preciosos fundere; corpora in sua principia, plumbum in hydrargirum, ferrum in liquorem rubiginosum resolvere; arbores argenteas & aluminosas subitò producere; plantarum incrementa retardare vel accelerare; easdem in seipsas transmutare; ex cineribus resuscitare; facultate purgativa, & venenata imbuere; ex stupidis, lignis, & mineralibus, Deos, cœlites, heroas, Aquilas, columbas, muscas, mundum adeoque ipsum efformare, iisque animam inspirare; oculum syderib. inferre; exilibus stupendam molem adaptare; Musica affectis varios excitare & sopire; dæmonum denique apparitiones, spectra, & nescio quas πολυμορφίας ad instar Morganæ Rhegineæ in freto Mamertino, de qua ingeniosissimus Kircherus, Artis Magnæ Lucis & umbræ l. 10. c. 1. agit, mentiri. An hæc absque naturalium cognitione peracta? Falleris. Non potest agricola suum agrum bene proscindere, effringere, tertiare, occare, runcare, sarrire: non hortulanus suum hortum plantare, opilio ovibus prospicere; pecuarius pecori subvenire; venator feras sectari; piscator squamigero gregi insidiari; auceps aviculas allicere; &c. absque huius subsidiis si fuerit. Huius beneficio convenientia animantib. Adamus nomina imposuit: & Caini posteritas artes fabriles invenit. Non est ergò mirum, & Salomonem tantum huic studio impendisse, ut de plantis & animalibus libros, quos nos periisse dolemus, Urreta in Bibliotheca Preteganis habere nugatur, scripserit; tan-

tum & Alexandrum M. indagandi Animalium per Aristotelem natura, sumptum, ut summa ad plura talenta excreverit: tantum & præterito seculo Franciscum I. Gallorũ Regem, ut *Gyllium* & *Bellonium*, viros eruditissimos, & quorum quædam in hac materia scripta extant, in remotas Europæ partes, quin Asiam & Africam miserit. Huius etiam sine dubio admiratione factum, quòd præter Reges & Principes, præcipui Philosophi in eam inquisiverint, & posteritati commendarint. Habemus præter eos, quos in Bibliothecis, Alexandrina, Constantinopolitana, Pergamensi, & aliis periisse, dolemus; quiq; fortè adhuc cũ blattis & tineis conflictantur, inter veteres Geographos, Aristotelem, Theophrastum, Dioscoridem, Ælianum, Oppianum, Columellam, Varronem, Palladium, &c. & qui omnium instar est Plinium, cujus Solinus simia appellatur; inter recentiores, Gesnerum Germaniæ Plinium, Aldrovandum, Wottonum, Turnerum, Mouffetum, Agricolam, Boëtium, Baccium, Ruveum, Schönfeldium, Freygium, Mathiolum, Tabernomontanum, Bauhinum Ximenem, Bustamantium, Rondeletium, Bellonium, Cæsium, Thevetum, Marggravium, Pisonem, ab Horto, &c. & qui utriusque Indiæ Navigationes scripsere. Hinc fit, ut sæpè mirari soleam, quòd nullam huic Historiæ in Academiis, Bononiensem si excipias (in Wittebergensi quoque eam cæpit urgere. Cl. Sperlingius) Professionem assignatam videam: & malimus sæpè inter quæstiones de generalib. motis consenescere, nulli vitæ generi prompti, quam naturæ abdita scrutari, quæ omni inserviunt. Et tantũ de Historia naturali. De *Labore* meo hæc paucis habe. Totam me naturalem historiam pertexere constituisse, si mihi ad tantas curas Deus vitam producere voluerit, eamque ex vastis illis tam recentium quam antiquorum, Plinii inprimis, Aristotelis, Oppiani, Gesneri & Aldrovandi, voluminibus excerptam, & brevioribus gyris inclusam, ut te quasi scripta introducerem: illa præcipue quæ ad naturalium cognitionem spectant omissis alii attingere, ne te distraham: ordinem qui mihi videtur commodissimus sequi, ut memoria tua juvetur: Paralipomena ex recentioribus illis inprimis qui Indica nobis dedere, addidisse, ne quid omissum esse conqueraris: in descriptionib. authorum ipsorum plærumque verbis vti, sæpe & breviora capita inserere, ne quid secus acceptum occurrat: Authorum loca etiam ab istis neglecta adjecisse, ne te ab his abduci per compendia, imagineris: Figuras & quidem elegantes ut Chalcographus adiiceret persuasi, ut descriptiones facilius conciperes, & impressam memoriæ imaginem, specie ipse visâ depromere posses. In hoc de Piscibus volumine adjectos quosdam ex Schönfeldio, habebis: Liber verò quartus ex Marggravii, in cuius nimis matura morte, ingentem Resp. literaria jacturam fecit, Historia Brasiliæ naturali totidem verbis depromptus est. Cur ad suas classes reduci non potuerint, dixi. His interim fruere, studiose Lector, & ad sequentes nundinas, Avium, Quadrupedum, & Aquaticor. Exanguium, quæ jam parata, Historiam expecta. Benè vale, & studiis nostris fave. Dabam Lesznæ Polonorum ex Musæo, in cureotide Nativitatis Salvatoris nostri, Anno M. DC. II.

HISTO-

HISTORIÆ NATVRALIS De PISCIBVS,

LIBER PRIMVS, DE PISCIBVS MARINIS.

Titulus I. DE PELAGIIS.

CAPUT I. DE PELAGIIS SQVAMOSIS.

ARTICVLVS I. DE ASELLIS.

TAB. I. 1. TAB. II 1. PISCES, qui Latinis *Aselli* dicuntur, Græci ὄνος & ὀνίσκος, seu ab asinino colore, quod *a* Varroni placet, seuà torpore, ut *b Oppiano, vocant.*

a. *Varro l.4. de LL.* b *Oppian. l.3. Halieut.*

Genera eorum duo *c* Plinius, & *d* Dorion, faciunt, *Callariam* & *Bacchum* seu ὄνον quem *Gadon* alii dicunt, & Calleridam, ὀνίσκος, & μάξειν; tria Oppianus, nisi Oniscum pro parvo sumpserit: Nos eis *Asellum nigrum, Molvam, Morhuam,* Gobergum, adjicimus, iisdemque *Mustelam*, & *Tincam* socios quasi damus.

c. *Plin. H. N. l. 9. c. 7. item. l. 32. c. 11.* d *Athen. Dipnos. l. 7.*

Onos, qui nonnullis ὀνίσκος, Asellus, Plinio, seu quod Libero Patri sacer, seu ob tumidum ventrem BACCHVS, Dorioni Gadus, Hollandis juvenculus *Bolck*, adultus *Cabelliau*, dicitur, magnitudine est insigni, tres enim cubitos sæpe excedit; colore in tergore, nigricante, ad latera & in ventre albicante, capite amplo, ore, ante quod cirrum habet, (radiolũ & virgulam quidam vocant) grandissimo. ἀνήρρογον ὁμοίας πᾶς γαλεαῖς, *e* Aristoteles dicit, ventre non variegato (malè Epicharmus apud Athenæum ποικιλογάστορες vocat) sed tumido, ut πελογάστορες legendum sit, jecore maximo. *Degit* in alto mari, in aliquo latibulo; sub *f* Sirii maximè exortum latitat, cum alii per summum hyberni temporis frigus se abdant, sæpè se avenâ obruit, unde forte *Sandi* apud Borussos nomen.

e *Aristol. H.A. l. 9.* f *Plin. H.N. l. 9. c. 17. Aristot. H. A. Ælian. H. A.*

Vsus eius in cibis apud Romanos post Acipenserem commendatus, hodie apud Septentrionales frequẽtissimus. Carne est alba & friabili. quod si mari puro & alimento probo utatur, carnis bonitate cum saxatilibus contendit, si Galeno credimus. Difficilem tamen esse concoctu, virosumq; aliquid habere Diphilus apud Athenæum prodidit. Exsiccatus osseam duritiem contrahit, nec nisi fustibus verberatus coquitur; unde piscis fustuarii, & Germanor. Stockfisch nomen. Sale inveteratus, & salsugine abluta ex nova aqua elixus, *Laberdanus*; (Laberdan) in Germaniam superiorem devectus, Rheinfisch/seu Rheni piscis, vocatur.

Galen. de Alim. facult. l. 3. c. 30.

Callarias seu *Clarias, Galaria, Galerida* & *Galaxia*, Hollandis Schelfisch/

Mur-

TAB. I. 2. 3. TAB. II. 2. 3. Murmelio *Piſcis capitoſus*, Gallis *Merluçius*, longitudine plerunque eſt cubitali, teres, ventricoſus, ſquammas habet minutas, in lateribus & dorſo ad cineritium colorem vergentes. *Caput* maiuſculum, & in eo lapillos duos oblongos, latum, preſſum. *Oris* rictum maximum. *Oculos* maximos, *branchias* utrinque quaternas, duplices; in interiore oris parte poſt linguam oſſa parte inferna, ſuperna, aſpera, & in gula, regione cordis duo alia reliquis longiora, quæ obſtant ne piſces dum devorat, in gulæ anguſtias compulſi, aculeorum aſperitate cor vulnerent. *Ventriculus* eſt magnus, craſſus, ſuperiore parte latus, inferiore in acutum deſinens, albus. in internacapacitate tenuiſſima ac nigerrima membrana obducitur. Pinnis natat quatuor, quar. quæ in ſupina parte, ori ſunt propiores, quam quæ ad branchias. Unicam habere ſpinam ex diſſecto ſe dediciſſe Salvianus prodidit. *Interiora* ſi ſpectes, *cor*, quod inter branchias ſitum eſt, pericardio involutum, figuram oſſis dactylorum exprimit. *jecur*, cui fel committitur, eſt album, *inteſtina* rubent, *uterus* bifidus nec admodum longus conſpicitur. Ex vertebrarum extremitatibus, quæ admodum retuſa ſunt, craſſa utrinq; membrana, ſcapulæ formam diſſecta ad amuſſim repræſentans, ſuboritur; quæ capacitatem inſignem intus vacuam, extuberantemque adeò efficit, ut piſcis ipſe ventrioſus reddatur. *Degit* plærumque circa cænoſa ac herboſa littora. Gobionibus, atherinis, & marinis reiectamenris veſcitur. Carne eſt candida & friabili.

Aldrovand. l. 3. de Piſcib. c. 3. Huic ſimilis eſt quidam, quem Veneti *Piſcem mollem*, Romani vulgo *Ficum*, Galli *Merlangum* vocant. Albus eſt, argentei coloris, mollis, ſquammis tam parvis, ut viſum fugiant, tectus, oculis magnis, argenteis; ore mediocri, dentibus in maxillis, parvis, albis, acutis, ordinatis. In capite calculos oblongos habet. *Pinnas* ipſi tres intergore, duas ab ano ad caudam, in lateribus ad branchias utrinque unam, Bellonius tribuit. Spina tergoris ſexaginta vertebris conſtat. linea à branchiis ad caudam ſinuoſa ducitur. *Ventriculũ* habet magnum cum multis appendicibus. *Epar* ex candido rubeſcens, vulvam bifariam ſecundum Rondeletium, quadrifariam ſecundum Bellonium diviſam. Aſcendit ſæpè ex alto ad littora, & Aphyis, Caridibus, Gobionibuſque, quos integros devorat, paſcitur.

Galliæ tam frequens eſt, ut à carnis levitate, vulgari proverbio locum fecerit. Hominem duodenis merlangis probè paſtum, minore ab his pondere in curſu fatigari, quàm ſi ſenos tantùm Zonæ appenſos geſtaret.

Aſellus NIGER Anglis ideo **Coll-fiſch**, à carbonibus ſic dictus; ſquammis eſt latioribus, tergore nigricante, ventre candidiore. Linea à capite ad caudam atra, & ad latera aliquantulum inflexa producitur. pinnæ reliquis ſui generis piſcibus duriores & robuſtiores ſunt. Parvus carnem habet planè inſipidam, profectus habetur in pretio. *Aldrov. Geſner.* TAB. II. 3.

Aſellum vireſc. v. Tab. 46.

ARTICVLVS II.

De Molva, Morhua, Muſtela, & Tinca marina.

MOLVA, Rendeletio *Aſinus varius*, & *Molva maior*, dorſum habet cinereum multis maculis nigris conſperſum, *ventrem* candidum falcatum, *pinnas* in dorſo tres, à podice unicam, duas ad branchias, duas in ventre. *dentes* in maxillis, internas partes Aſino ſimiles. TAB. II. 6. TAB. XXXXVI.

Morhua ſeu *Molva altera*, Anglis Morchuel, plærumque eſt ſeſquicubitalis longitudinis, pedis unius. *Os* ipſi magnum, *dentes* in maxillis, *oculi* magni. Ex inferioris maxillæ extremo *appendix* carnoſa ceu pilus è barba propendet. *Pinnæ* ad branchias & in ventre binæ, parte prona tres, à podice duæ conſpiciuntur. *Dorſum* cinereis fulviſque maculis notatur. *Venter* eſt falcatus. Caro coctione propter humoris tenuis conſumptionem, glutinoſior, ut farina aqua diluta, & ſaccharum *diſſolutum* evadit, butyro immerſa adeò digitis adhæreſcit, ut vix inde avelli poſſit. *Inteſtina* & folliculi ichtyócollæ conficiendæ inſerviunt. *Aldrovand. de Piſcib. l. 3. c. 6.*

Gober-

Gobergus duorum cubitorum magnitudinem superat. *Colore* est cinereo, ventre falcato, *ore* sine dentibus mediocri partibus internis Merlucio similis. *Carne* duriore quàm Asinus.

TAB. I. 4. Quem Mustelam Genuenses vocant. Illyrici *Pegorellam* dicunt. Bellonius Aristotelis & Galeni *Callariam*, Rondeletius *Asellum* veterum esse opinatur. Trium interdum palmorum est longitudinis, cruris humani crassitiei, colore ex livido in opacum abeunte. Duas in tergo *pinnas* gerit, minimo capiti vicina est, præter has alia ad caudam usque protenditur, ad latera utrinque una rotunda, ut & cauda visitur, sub quibus postremis crassiores ac carnosi quidam cirri bifidi conspiciuntur. Maxillæ ipsi mobiles. *Dentes* confusi; in superiore labro, *maculam*, cordis figura, denticulis circumfultam, linguam albicantem & in cuspidem efformatam ostendit. *Branchias* distendit utrinque quatuor. *Interiora* si spectes, sub branchiis *cor* delitescit triquetrum, bursâ suâ involutum. *hepar* pallidum ac ferè lacteum in tres lobos divisum, diaphragmati appensum. Sinistra eius pars, cæteris maior, vesiculam fellis oblongam admittit. *Lien* prægrandis sanguineus, gracilis, oblongus, pastorum instrumentum, cui cornutæ Musæ nomen referens, à ventriculo dependet. In *pyloro*, triginta & aliquot apophyses numerantur. *Intestina* tribus revolutionibus circumflectuntur, priusquam rectum attingat. *Vesicula* quædam cæteris Asellis communis, gemino veluri folliculo tergori coniuncta, commodum nationis usum exhibere creditur.

TAB. I. 5. Tinca marina, propter corporis cum palustri similitudinem sic dicta, *Pesce fico* Italis quòd passi ficus instar mollis sit, vocatur. Salvianus *Asellum Callariam* esse sed falsò, contendit. Vix pedalem mensuram excedit. *Corpore* est toto oblongo, latiusculo, squammis minutis contecto, coloris cinericii. *Capite*, in quo duos lapillos gerit, lato & presso. *Ore* magno, & valdè denticulato. *Oculis* aureis. Ex inferiore maxilla appendix cum barba propendet. *Branchias* habet utrinque quaternas, & ad eas binas latiusculas pinnis, unam scilicet utrinque. Ex anteriore ventris parte pinnarum vice bini longi admodum atque rotundi cirri propendent. In primo dorso pinna parva erigitur; post eam alia una enascitur, per dorsum totum ad caudam usque extenditur. Inferiori ventri singularis pinna ab ano orta, ad caudam etiam usque producta, subnectitur. Cauda in unicam rotundam desinit. *Hepar* magnum & subalbidum visitur.

Caro concoctu est facilis, sed excrementitia.

ARTICVLVS III.

De Harengo, & Lipari.

PIscis, quem Germani HARENGVM fortè à Græcorum τάριχος, quod salsamentum sonat, alii Halecem vocant, qui apud antiquos sit & vocetur, ignoratur. *Chalcidi* marinæ seu Sardinæ quidam congenerem faciunt. *Thrissis* sive Alosis nonnulli. *Aldrovand. l.3.c.10.*

Dorso est quodammodo cæruleo, *ventre* albo falcato, *squammis* acutis pertinaciterque hærentibus. *Branchiarum* scissuram, quia pro corporis ratione magnam habet, citissimè aqua extractus emoritur. Jeiuno duntaxat intestino instructum Albertus author est. TAB. I. 6.

In Oceano Germanico circa Britanniam, Hiberniam, Scotiam, Norvegiam, Daniam inveniuntur, in Mediterraneo quoque capi, & Romæ, Massiliæ, Venetiis prostare falsò Bellonius prodidit, formæ similitudine, quam cum Trissis habeat deceptus. Puro aquæ elemento *Nutriri* voluerunt quidam, quod in aërē protracti in momento exspirent. Magnis simul agminibus natant, & tanta ipsorum copia, ut ad CCM. coronatorū in singulos annos capturæ precium ascendere Cardanus prodiderit: In terra sancta Oceanici maris Insula IIM. hominum vitam harengis sustentabant.

Cùm per petulantiam unam ex captis virgis cecidissent, adeò eorum numerus est imminutus, ut post illa vix centum ex eo quæstu vixerint. Lucent in aqua, ventribus versus summum æquor, obversis. imò tantum de se splendorem, squammis maximè quæ circa oculos, emittunt, ut mare fulgurare videatur. Lucem emoriente mori, credidere quidam, per aliquot post mortē superesse dies, quidam experti sunt. Semel anno teste Alberto pariunt.

o. Bartholin. l. 1. 3. c. 6. 11. 15. p. 312.

Caradenus in Brigantibus. Lansius de Principatu Europæ.

Mira de eorum natatu prodita sunt. Proavorum tempore ad Norvegiam sua quasi stativa habuerunt, nostro tempore Britanniam totam immensis exercitibus circumnatant. Circa solstitium æstivum ex alto Scotiæ littora petunt: inde Anglica littora adeunt, & ab Augusto medio ad Novembrem à castro Scarborough ad Thamesin capiuntur. Postea aliqua vehemētiore procella in Britannicum mare deferuntur, & in eo ad Christi natalitia piscantibus se offerunt. hinc Hiberniam utrinque pernatantes, in Septentrionalem Oceanum, circumnavigata quasi Britanniâ, se transferunt. & ibi ad Junium occultantur. postquam fretificavere, redeunt.

Vsus ipsorum in cibis, apud Septentrionales frequens. Recentes, muriâ conditi, & exsiccati; mensis inferuntur. Solent & saliti aqua macerari: salsugine deposita, in craticula assi eduntur. Conspecta in novo orbe volantium nubes. *Misera horum*, inquit Thuanus, *conditio, quibus nec in mari natantibus, nec in aëre volantibus, tutus unquam receptus, naturamque in utroque elemento novercam experti, cum ut se à pernicie cognatorum piscium asserant, in altum evehunt, mox ab avibus circumvolantibus rapiuntur; quarum si rostrum fugiendo evaserint, arefactis alis deficientes, rursus se in aquas præcipitant, & volando fessi, à piscibus infestis glutiuntur. Itaque mediam sortem eligentes plerunque in obvias naves involant, & præda hominum fiunt.*

Thuan. Histor. l. 117.

Liparis piscis à Plinio memoratus, à pinguedine, quasi λιπαρὸς nomen invenit. *Capite* terrestrem curriculum refert. *Os* ei parvum, sine dentibus, maxillis asperis. virga à capite ad caudam satis lata. *Squammæ* parvæ. *pinnæ* ad branchias & in ventre binæ. alia à podice ad caudam, alia à cervicis loco ad eandem continua sine aculeis.

Plin. H. N. l. 32. c. 12.

Tab. I. 7.

Cauda in duas desinit. Adeò *pinguis* est, ut sub cute pinguedinē loco carnis habeat; asservatus, totus in oleum abiverit.

Articvlvs IV.

De Apro Scolopace & Monocerote.

Aper Rondeletii, quem ille cum Apro veterum eundē, se falsò ut Aldrovandus ostendit ponit, piscis est squammosus, ferè rotundus, compressus corpore pręduro; & aspera veluti ac villosa *cute* prædito, *rostro* suis instar, oblongo & obtuso, sine dentibus. *aculeis* præacutis, duris, longis, rectis. setas inæquales esse diceres, qui mox à capite secundum dorsi longitudinem decurrunt. *Pinnas* habet ad branchias duas, in ventre duas alias, multis firmisq; aculeis & à se disiunctis constantes. à podice tres aculeos breves & acutos. Cauda in unam pinnam desinit.

Tab. I. 8. Aldrovand. l. 3. c. 12. de Piscibus.

Iconem porci supini Salviani tradit Tab. XXXI. 1.

Qui Rondeletio Scolopax, seu Ascolopax est, hunc alii *Elephantem*, sed perperam. rostrum enim rigidum est; Gesnerus *Serram* Plinii quod radium caudam versus serratū habeat, nominat. Semper ferè parvum esse, exinde coniicit Rondeletius, quod tres eiusdem magnitudinis ovis distentos viderit.

Tab. I. 9. Rondel. in Hist. Pisc. Gesnerus de Aquatil.

Corpore est rotundo, Erythrini modo rubescente. *rostro* prælongo, rigido. In dorso habet *aculeum* longū durum, præacutum, altera tantum parte serratum. denticulis serrā referentibus, utpote contiguis basibus quæ latiusculæ sunt. *Caudā* habet tenuem.

Caro ei substantia Pagro similis. boni succi & facilis concoctionis. Cum rarus sit, exsiccatus potius servatur, quam editur.

Monoceros Clusii, ob consimilem potius

Tab. I. 10.

potius cum Sclopace formam, quam ut quod inter squammosos censeri debeat; aspero enim corio est; priori subiungitur. Ex orientali India allatum Clusius ita descripsit. Ab extimo ore usq; ad caudæ pinnas, paulo longior erat tribus unciis, medio corpore paulo plus uncia latus, &c.

Clusius l. 6. Exot. c. 27.

ARTICVLVS V.

De Glauco veterum & Hippuro.

TAB. I. II.

GLAVCVS piscis à colore cæruleo seu Cyaneo ita dictus, ὑπόλευκος interdum à Græcis teste Eustachio, dicitur, & benè à *Glauciſco*, cum ille æstate lateat, si Aristoteli & Ovidio credimus; hunc æstate & hyeme Damoxenus Comicus in cibis laudet, distinguitur. Mnesitheus apud Athenæum inter ἰμητῶν, Volaterranus serratorum & carnivororũ genera, eum ponit; Aristoteles squamosum facit, & paucas appendices supernè circa ventriculum exeuntes habere adjicit. Plinius austero & irascenti mari simili colore, esse prodit.

Plin. l. 32. cap. ult.

Apud Rondeletium *tres* ipsius habemus *species*. *Prior* provincialibus *Cabrolle* dictus, tricubitalis quandoq;, corpore est longo, ventre compresso, *dorso* falcato; cæruleo; *cute* nitida, *squammis* vix apparentibus, ni cutis exsiccetur. *ventre* cãdidissimo, *maxillis* asperis potius quàm dentibus munitis. Statim à capite *aculeos* habet; quorum duo qui juxta anum sunt, velut in vagina conduntur. Aculeos *pinna* sequitur, ad caudam usq; continua, initio magna, maculâ nigrâ notata, inde brevis & tenuis, tenuibus quasi villis constans. Ad branchias pinnæ aurei sunt coloris, pro *podice* rimam potius quàm formam sortitus est. *Ventriculum* habet magnum cum uno appendice. *Vesica* fellis intestino adhæret. *Splen* parvus, caro candida & pinguis visitur. Salvianus *Amiam* veterum esse credit, Jovius centrinam quibusdam videri dicit.

Plin. H. N. l. 9. c. 36.

Alter minor, unde γλαυκίδιον apud Athenæum esse conjicit, septem aculeos in dorso, ad caudam spectantes habet; à superiore branchiarum parte ad medium corpus linea tortuosa admodum dimittitur, hinc rectà ad caudam protenditur.

Tertio quem *sinuosum* vocat, quod linea à branchiis ducta, serpentum corporis flexibus gradientium instar tortuosa sit, dentes sunt acuti, dorsum ex cæruleo nigrescit.

Locum in petris etiam & arenis pasci Oppianus scripsit. Numenius apud Athenæum κατὰ μυία σιγαλόεντα, id id, *per algas molles*, fluctibus minimè agitatas & muscum versari, tradit. Aristoteles, & Athenæus pelagium fecit. *Cibus* quidem ipsi, carnes. Sed nec algam vel muscum contemnit. Unde Tarentinus escã ad Glaucos capiendos præscribens, partem ex musco & farina, partem ex piscium carne componit. Fœtum suũ ore, ubi metuit recipere, iterũ emittere, tradidere quidam; quia spinosus est, de Glauco Galeo sumendũ id videtur: sanè solũ ex Galeis Acanthiã fœtus suos propter spinam non recipere, author est Aristoteles. Æstate circa LX. dies nõ conspicitur. Plinius alibi dictor. immemor, nunquam apparere scripsit.

Oppian. l. 3. Halieutic. Athenæus. Dipnos. l. 7.

Ælian. H. A. l. 1. c. 16. Arist. H. A. l. 6. c. 16.

Vsus ipsius expetitus in cibis, sive uterum gerat sive non. Caput tamen potissimũ, apud Anaxandridem, Sotadẽ Comicũ, inprimis si in Olyntho, & Megaris captus esset, cõmendabatur. Eustathius palmã oculis tradit, ut ut sit, difficulter si Tralliano & Mnesitheo credimus, concoquitur. Concoctus permultũ alimenti præbet. Ex jure sumptũ seu Glaucum seu Glauciscum, copiam lactis mulieribus facere, Plinius Author est.

Plin. H. N. l. 32. c. ult.

ARTICVLVS VI.

De Hippuro & Reverso Indico.

HIPPURUS seu à similitudine equinæ caudæ, seu ἀφ' ὃ ἵππου δίκην ἢ ὀρέγειν ἐξάλλεσθαι quod equi more feratur & saliat, ita dictus, aliis ἀρνεύλης ab agnis saltus urinantibus similes exercentibus, Dorioni & Epeneto κορυφαίνη, à pinna quæ à vertice incipit, in eoq; veluti crista erigitur, Hicesio *Hippurea*, Hispanis *Lãpugo*, Gazæ *Equilis* vocatur. Glauco colore internisq; partibus similis

Plin. H. N. l. 32. c. 6. TAB. I. 12.

Rondelet. in Histor. Piscium.

milis est, & facilè inter cæteros pisces ex *pinna* quæ à capite incipiẽs in prona parte ipsi unica est, & caudæ equinæ simillima, villis multis constat, cuiusmodi in nullis aliis piscibus reperitur. Vẽter in medio corpore situs est.

Aristot. H.A.l.9. c.10. *Degit* in pelago, mari Mediterraneo ignotus. Carystius ab Archestrato maximè celebratur, quod mirum, cum cæteri ibi pisces viles sint. Delectatur carnibus, & nassis inclusus tãtopere crescit, ut inde incrementum cepisse videatur. Vere *parit*. hyeme latet. in natatu celer est, & nunquam nisi certis diebus capitur.

TAB. III. 1. *Clusius Exot. l. 6. c.18.* REVERSUS Indicus duplex est, Anguilliformis alter, de quo inferius dicemus: alter, de quo hic, squammosus. Nomen inde, quod retractus venetur, accepit. Magnitudine est palmi. Squammis contegitur rugosis, spinis in dorso, & ab umbilico ad caudam maximè acutissimis. Docilis est, & facilè cicuratur. Magnam Indis in venandis piscibus præstat operam. Tenui sed valido funiculo alligatus ad mare defertur, blandis animatus verbis in piscem conspectum, etiam magnum, emittitur, eiusdemq; lateri seu ventri sese affigit. sic extrahitur. Præda blandè avellitur, ne, quia validè adhæret, descerpta intereat.

Niremberg. Nat. Exot. l.11.c.18.

REVRRSVM Indicum anguilliformem vide Tab. II.

CAPUT II.

De Pelagiis Lævibus.

ARTICVLVS I.

De Thunno.

Le Thynnorum Piscatione videat Author. Le Ville in Descr. Urbis l. 3. 18. Polia p. 39. Segg. Giannetta. Hist. Lib. 3. 4. VI. p. 140-141. Segg.

THunnus, seu à Græcorum θύνειν, quod est magno impetu moveri, seu ab Ebræorũ *a* Thannia, quo Cetaceum piscem intelligunt, sic dictus, multa apud Authores pro diversitate ætatum sortitur nomina. Thynnis seu Thynna simpliciter sive mas est sive fœmina, Pelamyde major, Thunno propriè dicto minor. *b* *Cordyla* appellatur partus, q fœtas redeuntes in mare autumno cõitatur, Byzantii ἀυξίδας, ὅθεν τὸ ἐν ὀλίγαις ἡμέραις ἀυξάνεσθαι ut testatur *c* Aristoteles, seu quod paucis diebus augescant (Gaza *Auxum* vocat) dicunt. Redux in Pontum ex magno mari Cordyla, *Pelamydis* nomen, seu ὅθεν τὸ ἐν τῷ πηλῷ μύειν, i. e. *quod in limo se abdat*, seu ὅθεν τὸ πέλειν ἅμα, *quòd gregatim degat*, ut *d* Plutarcho placet, (*Limosam, Limariam*, & *Lutariam* alii vocant) sortitur. Pelamydes cum annuum excessere tempus, *Thunni* vocãtur. hisce paulò majores *Tritones*. e *Orcynus*, *Apolectus*, *Sarda*, *Synodontis*, *Cybia seu Cybios*, *Cete*, *Melandrys*, *Triton*, *Chelidonas*, *Xanthias*, propriis suarum appellationum rationibus non carent. sed & variis eorum sale asservatis partibus, singularia nomina indita, apud Authores invenies.

b Plinius H.N.l. 9. c.15. *c. Aristotel. H.A.l.6. c.16.* *d Plutarch. de solert. Animal.* *e Aldrov. l.3.c.11.*

Lubricos eos Plinius facit. *f* Rondeletius suum Orcynum, ut & eum quem Pelamydis veræ seu Thunni Aristotelis nomine exhibet, squammis magnis ita ad amussim compactis, ut iis carere videatur, tegi, coctione easdem dehiscere, tuncque perspicuè apparere tenui membrana contectas, scribit. Pelamydem verò Sardam cute levi esse, & sine squammis, ea parte, quæ à pinnis ad branchias sitis, incipit excepta, adjicit. Sed nec vel de sexuum notis; vel de Pelamydum, & Thunnorum differentiis inter Authores convenire videtur. *f* Aristoteli *g* Plinio & *h* Athenæo mas à fœmina eo distinguitur, quod hæc sub ventre pinnulam habeat ἀφαρεῦς dictam, quâ mas caret. Rondeletius in utroque semper pinnam sub ventre deprehendi ait, indivisam in mare, divisam in fœmina, ut podicis foramen dilatari, fœtusque commodius in lucem edi possit. Ligures & Massilienses piscatores nunquam ex Pelamydibus Thunnos fieri apertè ostendisse, author est *i* Scaliger: à Pelamyde hoc unum distare Thunnũ, q hic sit lividus lateribus, illa undãtibus maculis trãsversis atq; obliquis eidẽ destinato gerat, asseret *k* Bellonius. Captus An. M.DC.LXV. circa Gaditanum fretum, pedem XXXII. longitudine, latitudine XVI. in cuius pelle integra classis delineata conspecta est.

f Rondelet. in Hist. Pisc. *f Aristot. H.A.l.5. c.9.* *g. Plin. H.N.l.9. c.15.* *h Athen. Dipnos. l.* *i Scaliger. in Exercitat.* *k Bellonius cit. Aldrov.*

Locus Thunnorum varius pro ætate esse videtur. *l* Oppianus, qui eos piscib. pelagiis annumerat, ex Oceano in mare Mediterraneum, cum vere ad sobolis propagationem instigatur, venire, ideoque tum plurimos in Tyrrheno & Iberico capi, author est; mense Majo Xiphiis cogentibus irrumpere, Jovius adjicit. Pelamydes æquora fluvio aut paludi vicina incolere, ideò in Pontum ad dulciora pabula gregatim intrare, ex Plinio *m* habemus, ibidẽ, ut & in Mœoticis paludibus nasci, * Strabo retulit. tepore gaudere ideò per summa maris natare, aliquando flumina subire, ex *n* Aristotele discimus; Visos qui Agathopoli ad pontem usque, qui aliquot millib. passuum à mari distabat, conscenderent, *o* Rondeletius prodidit. sed & in Rheno, Nilo, Pado, Platina scripsit. in algosis quibusdam locis. Gaditanis extra Herculis columnas sub solano vento eò delatis, ingenti numero, magnitudine & crassitie incredibili, occurrisse. Admiranda Aristot. *p* vẽditant. Vix credẽdũ Thynnorum multitudinẽ in Indico mari tantum, ut Magni Alexandri classis haud alio modo, quàm hostium acie obvia contrariũ agmen adversa fronte direxerit *q* apud* Pliniũ legimus. Græci scriptores enim Cete & Physiteres fuisse innuunt. De eorum circa Byzantium & captura & mora ita *q* Strabo, &c.

Cibus eis aliquando *r* alga; sæpè, circa Hispaniam inprimis, (ex anteriore * ad columnas delati pelago, esca deficiente macerantur) glandes. ex quercubus ad mare nascentibus *s* delapsæ quibus vehementer pinguescunt. & ex harum ubertate, ubertas Thynnor. colligitur: ut plurimum caro. Tepore fœturæ *t* quicquid attigerint, liguriunt. quin & partu soluto, ne propriis quidem parcunt natis, sed læti tempore veris *u* *Ova vorant subitò, & lacerant sub dentibus atris.* aliquando præ pinguedine rumpi *x* Aristoteles author est.

Vitam ad biennium duntaxat producere, quod *y* Plinio ex Aristotele placuit, vix verisimile videtur. Ad tantam enim excrescunt magnitudinem, ut xv. talenta pendeant, caudaque duo cubita seu ut apud *z* Aristotelem extat, quinque palmum latitudine, expleat, & visi capi, quos corporis magnitudine, squammarum crassitie & corporum duritie biennio multo provectiores fuisse fateri oportuerit.

De *Generatione* habemus, Thunnos coire mense * Februario post idus Junij initio parere *a* semel, & quidẽ *b* in Põto Thunnos, bis credi, quia partim tempestivus partim cordus eius fœtus est. prior soboles mense Decembri ante brumam exit, posterior vere. *Ova* edunt quasi in utriculo. Ex his fiunt, quas Scordulas vocant, Byzantij Auxiadas quod paucis diebus augescant.

Exeunt Autumno cum Thunnis simul, verno autem tempore repetunt, jam factæ Pelamydes. Quantum ad *animales functiones*, concessit & istis singularia quædam Natura. Dromades esse, seu ut Gaza reddit cursores, ex superioribus cognosci potuit. Non vagantur tamen *a* bruma; ubicunque deprehensi usque ad æquinoctium, ibi hybernant. Ex Ponto exituri lævam tenent, & Aquilonem operiuntur, ut secundo fluxu exeant. ingressuri eundem, ad dextram flectuntur, quia dextro oculo plus cernunt, utraque natura hebete. Eadem *b* debilitas in causa, quod ad saxum illud miri candoris, à vado ad summa perlucens, quod in Euripo Thracii Bosphori, quo Propontis Euxino iungitur, in ipsis Europam Asiamque separantis freti angustiis, juxta Chalcedonem in Asiæ littore visitur, exhorrescant, & sic repente territi, adversum Byzantii promontorium, ex ea causa appellatum Auri cornu, præcipiti petunt agmine. Noctu proficisci & vetustissimum Amphyliti vatis apud *c* Herodotum oraculum, & nummus à *d* Bellonio visus, in quo altera parte spica, altera Thunnus cõspiciebatur, & supra hũc Luna cũ inscriptione PHILIPPENZE, innuit. nec de nihilo est, quod Plinius, postquam *e* dixisset, capturam illorum à vergiliarum exortu ad arcturi occasum durare, reliquo tempore hyber-

l Oppian. Halieut. l.3.c. 620.
m Plin. H.N.l.9. c.15.
* Strabo. Geogr. l. 7.
n Aristotel. H.A.l.8. c.19.
o Rondelet.
p Aristotel. in admirand.
* Plin. H.N.l.9. c.3.
q Strabo Geogr. l. 7.
r Aristotel. in Admirand.
* Strabo.l.3.
s Athen.l.7. Dipn. Polybius Histor.l.34.
t Aristotel. H.A.l.6. c.17.
u Oppian. Halieut. l.4.
x Aristotel. H.A.l.6. c.17.
y Plin. H.N.l.9. c.15.
z Aristot. H.A.l.8. c.ult.
a Aristot. H.A.l.5. c.11.editi. Scalig.
b Plin. H.N.l.9. c.115. Oppian. Halieut. l.4.v. 505. Vide Oppian.& Scalig.p. 234.
a Plin. H.N.l.9. c.11.
b Plin. H.N l.c.
c Herodot. l.2.Histor.
d Aldrovand l.3. de piscib.c.18.
e Plin. H.N.l.c.

hyberno latere in gurgitibus imis, nisi tepore aliquo evocatos, aut pleniluniis, adjiciat. In natando figuram cubicam, si gregatim vagantur, *f* servant, atque sex lateribus cōprehensi, soliditatem ex semetipsis constituunt. Ad promontorium *g* Bubonicum, maximi, suum instar, soli vagantur. alii more luporum bini proficiscuntur. nonnulli more caprarum, gregatim pascuntur. Exoriente canicula, in Euxinum natare contendunt; & marinis fluctibus, & fervidè radiato sole calescentibus, inter se velut contexti, confertis turmis sese invicem opacant. *Dormire h* in imis gurgitibus, sub saxo aut littore abditos, *i* Aristoteles prodidit; & quidem tam profunde, ut ne jactâ quidem fuscinâ, moveantur. Sub Caniculæ exortum œstro exagitantur. Hæret ille ubi cutis tenuior, sub pinna, & ita miseros divexat, ut sæpè in terram ἀσπαίοντες saliant, sæpè in naves se conjiciant.

f *Plutarch. de solert. Animal.*

g *Ælian. H.A. l. 15. c. 3.*

h *Aristot. H.A. l. 4. c. 10.*

i *Oppian. Halieut. l. 2. c. 5.*

Giannettasius Halieut. Libro III. p. 72-73.

De *Sympathia* & *Antipathia* non est quod multa dicam. Dicuntur Cephos habere comites, qui carunculas pisciculorum, à Thunnis discerptorum, aquis innatantes, depascuntur. Cum gregatim præter Italiam acti elabuntur, à Sicilia prohibiti, in majores incurrunt belluas. Majo Mense à Xiphiis ex Atlantico Oceano in mare mediterraneū pelluntur. Non aliter ab iis gregatim in fugam agi, quàm ovium greges à lupis Mathiolus author est. De captura Thunnorum agere alterius loci est.

Giannettasius Halieut. Libro III. p. 65. adde quæ p. 66. de Helpsinis cum Thynnis pugnantibus.

Vsum reperere in *Cibis*. Olim membratim cæsi *k* cervice & ab domine (τὰς ἡλεκιαίας Athenæus vocat) commendabantur, atque clidio (clidia Thyum Festus, Petimen ex Nævio Petimen piscinū, quod est inter duos armos ad pectus, claviculas Medici vocant) salitis, Omotarichi nomen impositum est) recenti duntaxat, & tum quoque gravi ructu; cætera parte plenis pulpamentis asservabantur. Melandria vocabantur, cæsis quercus assulis, simillima. Vilissima ex his, quæ caudæ proxima ἀωρία dicebantur, qa pingui carenti hinc ἀπίονων nomen, probatissima, quæ faucibus, Pelamides in apolectos, particulatimque confecti, in genera Cybiorum (sic dicuntur seu salsamenti frusta quæcunque in formam κυβοειδῆ dissecta; vel quæ ex dorsi partibus cervici clidioque proximis) dispertiebantur. Alexis caput, cōmendabat, caudam Antiphanes. Falconius Hetruscus eruditioris gulæ ganeo, novum & sapidissimum obsonii genus ex iis commentus est. Athenæus ἐνμυττώτῳ (intritum hoc, ex aliis & aliis condimentis) aliis piscibus prætulit. Alii salsamenta, quæ θυννᾶια seu θύννια potius, quàm recentis piscis quamlibet partem præferunt. Sunt quippe Xenocrati apud Oribasiū stomacho inepti, mali succi, flatulenti, ad excernendum difficiles. Galeno, durâ carne præditi, & insuaves. Archestratus tamen nobilem Thunnum circa Byzantium, Carystum & Siciliam; præstantiorem circa Cephalem & Tyndaridem oram; præstantissimum circa Hipponium Italiæ, nasci, circa Samum ingentem, & deorum conviviis dignum capi, prodidit.

k *Plin. H.N. l. 9. c. 15.*

Præbent & in *Medicina usum*. Sanguis, *m* fel, & jecur, sive recentia sive servata, vim psilothri obtinent. Non pubesciturum, qui in pueritia iis illitus est, *n* Ælianus affirmat. Omotarichus *o* largius sumptus, Presteris serpentis venenum retundit. Cybiorum cinis, cum melle ad Condylomata confert.

m *Plin. H.N. l. 32. c. 10.*

n *Ælian. H.A. l. 13. c. 27.*

o *Dioscor. l. 2. c. 30.*

ARTICVLVS II.

De Pompilo & Amia.

POMPILVS seu ἀπὸ τῆς πομπῆς à transvehendo, (fabulantur enim Pompilum hominē πορθμέα *a* portitorē, vel ut *b* Athenæo placet θαλασσοδρόμον, ab Apolline * quod Ocyrhoën puellam trajecisset, in sui nominis piscem transmutatum) seu quod navigantes in alto mari ad continentem usque comitetur; aliis sacer piscis, aliis πέμφυλος dicitur, & à *c* Plinio inter Thunnos reputatur. Athenæus *d* Pelamydi similem & varium esse inquit. Rondeletius *e* pro eodem, piscem squamis carentem, in dorso varium & maculosum, in quo à branchiis ad caudam linea magna

TAB. III. 5.

a *Ælian. H.A. l. 15. c. 23.*

b *Athen. Dipn. l. 6.*

* *Apollon. Rhodius in Argon.*

c *Plin. H.N. l. 9. c. 29.*

d *Athen. l. c.*

e *Rondelet. in Hist. Piscium.*

magna curva, à qua ad ventrem lineæ multæ transversæ interpunctæ descendunt, ducitur. pars quæ supra & inter oculos est, flavescit, aurique colorem imitatur. Cauda in unicam non divisam, neque crescentis Lunæ figura, Thynnorum & Pelamydum more, desinit.

Locus ipsis ima maris sedes est. Sæpè navigia *f* velis euntia comitantes, mira aliqua dulcedine per aliquot horarum spacia, & pascuum millia à gubernaculis non separantur, ne tridente quidem sæpius in eos jacto territi. ubi terram *g* persensere, recedunt, nec longè abesse nautis colligitur. Inimicos experiuntur Delphinos *h* sed magno horum exitio. Degustatis enim illis, continuò convelluntur, furoreque incensi, pelluntur, ad littora, esca marinis avibus futuri.

Amiam *h* seu ὡς τὸ ἀμαιεύεσθαι τῆς παρεμπλησίας, quod una cum sui generis piscibus eat; sive quod ἐκ καλὰ μίαν φέρεται ἀλλὰ ἀγέλην δόν, quod non solitaria sit, sed gregatim vivat, ita dictam, Ælianus *i Troctam*, Hispani *Bizam* quasi Bizantiam, alii *Bonitam*, vocant. Jovius & Salvianus pro ea Lechiam, alii Sphyrænam, quidam illum piscem qui Hispanis Lambugo dicitur, perperam substituunt. Piscis est *k* Pelamydi, vel Thunno vel Scombro corporis specie, pinnis caudæ similis, cute lævi, ea parte quæ circa branchias est dempta, *rostro* acuto, *oculis* parvis auri æmulis. *dentibus* serratis, acutissimis, in os recurvis. *branchiis* apertis, *ventre* crasso, argenteo, rugoso, longo, ad podicem usque demisso, cuius appendices sunt innumeræ scombrorum appendicibus tenuiores. *dorso* cæruleo, & dum vivit splendente; à quo ad ventrem lineæ ductæ sunt obliquæ, nigrantes, certis intervallis à se distantes. *Caudam* habet tenuem, in figuram lunæ in cornua curvatæ, *intestina* gracilia, *epar* rubescens, *splenem* nigrantem, *fel* toti intestino * attextum, vel ad illud porrectum *l* pari cum eo longitudine, sæpe etiam replicatum.

Degere in mari, stagnis & fluviis affirmat *m* Aristoteles; & cum eo *n* Scaliger. vicinum fluviis & stagnis ob dulcem aquam & limum amare, Oppianus *o* Pontum subire, atque ibi cum suis ducibus æstatem traducere, tum quod ibi belluæ magnæ pauciores, tum quod ob dulcium *p* aquar. permistionem, pastus gratior; unde eor. incrementum *q* singulis diebus intelligitur, certum. Circa Provinciam in maris angustiis quas insulæ frequentes efficiunt, capi, Rondeletius author est.

Vescuntur r aliquando algâ, ut plurimum carne. Audaces & celeres sunt. quin Troctam saltu valere Ælianus loco supra citato scripsit.

Pugnam cũ Delphinis apud *s* Oppianum eleganter descriptam invenies. idem de Troctis apud *t* Ælianum legitur. Captæ prosiliunt, & arrosâ lineâ aufugiunt. Appetuntur à quibusdam piscibus in escam, Glauco inprimis, si Tarentino fides est.

Adhibentur *u* in *cibis* tanquam boni succi ad excernendum medii, sed parcè nutrientes. Archestratus autumni tempore post Vergiliarum occasum, Byzantiasque inprimis cõmendat. procul à mari Hellespontiaco deteriores scribit. si vicinum Ægei maris tractum pertransieris, pristinã gloriam maculare invenies.

f Plin. H.N. l.9.c.15.
g Oppian. Halieut. l.1. Ælian. H.A. l.2.c.15.
h Athen. l. 7.
h Athen. l.c.
Plutarch. mira animal.
i Ælian. H.A. l.1.c.6.
Tab. III. 6.
k Rondelet. de Piscib.
* Aristotel. de part. Animal. l.4.c.2.
l Aristotel. H.A. l.2. c.18. ex Scalig. sect.
m Aristotel. H.A. l.8. c.13.
n Scalig. ad l.2 H.A. c.18.
o Oppian. Halieut. l.1.
p Arist. H.A. l.8. c.13.
q Aristotel. H.A. l.6. c.13.
r Aristot. l.8. Hist. c.2.
s Oppian. Halieutic. l.2.
t Ælian. H.A. l.12. c.53.
u Aristot. H.A. l.4. c.8.

ARTICVLVS III.

De Xiphia seu Gladio.

PIscem qui à figura rostri XIPHIAS communiter, σκιφίας Epicharmo, ξιφίας *a* Menandro, Gladius Latinis dicitur, Homerus *b* κύνα, Hesychius & Varinus θορίωνέα, alii *Thranin*, Hermolaus *Tomum Thurinum*, ita enim apud *b* Plinium legit. fortè à Thuriis Italiæ oppido. Albertus *Militem* appellat, *Galeum* à *c* Plinio vocari; Salvianus & Massurius perperam oppinantur.

Magnitudine interdũ est insigni. Ad decẽ nonnunquã cubitos accedere, tradit *d* Rõdeletius. Delphini magnitudinẽ excedere, *e* Plinius; naviculas æquare, *f* Strabo. *Corpus* habet teres, à capite statim valdè crassũ, deinde ad caudã usq; tenuius, in extremo ante caudæ exortum eminentia quædam extube-

Tab. IV. 1. 2.
a Ælian. H.A. l.13. c.4.
b Homer. Odyss. m.
c Plin. H.N. l. 32. c.11.
* Plin. H.N. l.32. c. 11.
d Rondel. in Hist.
e Plin. H.N. l. c.
f Strabo.

extuberat. *Corium* caudam versus, ducta manu læve est, os versus asperum. *Squammæ* sub cute latent plurimæ, *adeps* in dorso suis more residet. Utraque *maxilla* rostrata est, superior magis ossea, durior, aliquando bicubitalis, (Athenæus *f* totius corporis magnitudini æqualem esse, scribit) inferior brevior & triangularis, plærumque illa habet se ad totam magnitudinem ut tria ad decem, ista ut unum. *Gladius g* est ferro acutior, sed extincto pisce corrumpitur. Gellius eius mucrone dura excavavit saxa. *Dentes* ipsi falsò *h* Ælianus tribuit, non admodum curvos, nec admodum inanes. Nullos enim habet, eorum loco ossa oblonga & aspera in palato residet, absumtâ in tantum gladium materiâ, quæ dentibus cedere debuerat. *Oculi* ipsi orbiculati prominentes, & ante eos foramina. *Branchiæ i* octonæ & duplices, *tergus* ex cinereo nigricans, & serici instar splendens. *Pellis* tenuissima, *venter* argento micans. *Fellis* vesicula intestino committitur.

f *Athen. Dipnos. l.7.*
g *Oppian. Halieut. l.2.*
h *Ælian. H.A.l.14. c.23.*
i *Aristot. H.A. l.2,c.13.*

Degunt in mari, & *k* rarò adeunt littora. Copiosius verò juxta Scillæum promontorium apud Siculos & Zophyrium quod Italiæ extremum est, hodieque Spartiventûm à nautis nuncupatur, capiuntur. Tribuuntur tamen ab Ælianoo *l* & Danubio, sed & in Dania in lacu Suerinensi notissimi dicuntur.

k *Plin. H.N. l.32.c.11.*
l *Ælian. H.A.l.14. c.23.*

Victitant * piscibus, quos rostri incursu interficiunt, ne prius comedunt, quam spiculo *m* transfixerint.

Exortu Caniculæ *n* divexantur ab oestro seu asilo (Animal est parvum, scorpionis effigie aranei magnitudine) tantoque infestantur dolore, ut in naves sæpenumero exiliant. Balænam exhorrescunt, eamque conspicati, gladium suum in terram, aut obvium quemcunq; vadi locum impingunt, sic infixo capite sese continent. Nec *o* tamen sua ignorare arma credendum. Utitur rostro tanquam gladio. Sæpe in mari Indico validissimas Lusitanorum naves, ad sesquipalmum aliquando perforant. Visus in mediterranea iuxta navim natantem, medium rostro discidisse. Græcanicum sermonem ab Italico distinguere, illum minimè reformidare, ad hunc diffugere, Joannes Marius Cætaneus, qui Locrensi in littore Xiphianum piscationi interfuit, prodidit, & Brutii testantur.

Vsus in cibo rarus. Carne enim est arida, & difficulter concoquitur. Archestratus Byzantinum commendat.

* *Ælian. l.c.*
m *Oppian. Halieut. l.2.v.509.*
n *Plin. H.N.l.*
Oppian. l.2.v.509.
o *Ælian. H.A.l.9. c.40.*

ARTICVLVS IV.

De Remora & Cetorum Duce.

DE REMORA, quæ *Echeneis, Remiligo*, & *Nauerates*, dicitur, vix quicquam certi scribere possum, adeò Authores in diversa scinduntur, tria tamen occurrunt, descriptio, facultatis naves retinendi, & causa. Variè à veteribus describitur. Quibusdam est parvus piscis, assuetus petris. Quidam *p* eum pedes ex Aristotele habere opinantur, ita positâ pinnarum multitudine. Mutianus muricem esse, latiorem purpurâ, neque aspero, neque rotundo ore, neque in angulos prodeunte rostro, sed simplice concha, utroque latere sese colligente, quibus inhærentibus, plenam ventis stetisse navem, portantem nuncium à Periandro, vt castrarentur nobiles pueri, conchasque quæ id præstiterint, apud Gnidiorum Venerem coli, prodidit. Trebius Niger pedalem esse, & crassitudine quinque digitorum credit. Tres eo nomine celebrari, haud perperam inde colligas. Nec inter recentiores de eodem convenit. *Rondeletius* inter ignotos reponit. *Gillius* nunquam se piscem, vel piscatorem qui ipsum vidisset vidisse profitetur. *Bellonio* est totus exossis, mollis, lubricus, coloris herbacei, inferiore parte planus, dorso repandus, in gibbo convexus, limacis rubri testa carentis effigiem referēs. Eidē ad spitamę longitudinē & manubrii ligonis crassitiē plerunq; excrescit, circa saxa in mari, sed lentè serpit, & iter cornibus prætendit, mucaginemque ut limax serpendo relin-

TAB. IV. 3.

p *Plin. H.N. l.9.c.25.*

relinquit. In Corcyra frequentissimè è verriculis extrahi dicitur. Quam in *Imperati Neapolitani* Exoticotamiejo Neapoli vidimus, sic describitur. Capite supino acetabula habet similitudine cirrorum sive acetabulorum Polypi, quibus naves magnosque ac cetaceos pisces apprehendens pertinaciter hæret. Cursumque eorum remoratur, & pro arbitratu suo retinet. Ad magnitudinem corporis Icon expressa est.

Remoræ Aldrovandi color toto ferè corpore ad violaceum inclinat. *Latera* candicant. medium corpus subviridis linea intersecat. *Cauda*, quæ unicam pinnam degenerat ad cæruleum vergit. *Rostrum* canino simile, nisi inferior maxilla superiorem longitudine superaret. *Pinnæ* toto corpore sex. Simillimus Embdæ in Frisia pisciculus repertus est, referente *q* Gesnero, quatuor digitorum longitudine. Cuticula sine squammis tenuissima. capite pro corporis magnitudine maximo. Oculis parvis, reliquo corpore turbinato. sub mento quiddam habebat figura acetabuli. Cavitas cum digito premeretur, ita adhærebat ut circumferri posset. Par *facultatis navigia retinendi* ratio. Ruant venti licet, & sæviant procellæ cogit stare navigia secundũ *r* Plinium (verba eius sunt. Ventum est ad summa natare, &c.) Plinio Oppianus adstipulatur. Cheremenianus Trallianus apud *s* Plutarchum impedimentum & moram navigationi inferre, & ut tardius navigia ferantur facere asserit ille puppi, hic lateri navis, Oppianus * carina adhærere scribit. Petrus Melara Cardinalis Turonensis triremem cum è Gallia Italiam mari peteret, ab eodem (nisi forte de Lampetra id accipiendum sit) in medio cursu retentum fuisse. Kircherus pro fabulosis omnia ista habet. Nunquam talem à Plinio ad tempora nostra effectum notatum, etsi totus orbis navigationibus lustratus sit. Non posse potentia majus à minore vinci. Nullum magnetis frustum, quamvis efficacissimum, exactissimeque libratum aliud majus & gravius allicere. Frequenter in freto Siculo ob contrarios æstus, unam onerariam extensis velis, secundo vento in mediis fluctibus hærere, vicinis cursum tenentibus.

De causis haud certiora occurrunt. *t* Rondeletius *u* Aristotelis responso, quo cur clavus cum sit parvus, & in extrema navi, tantum possit, ut ab exiguo temone & hominis unius viribus, magnæ naviũ moles moveantur, exponit, innixus, minus potius ad contactum Remoræ moveri, quam sisti ostendit. Idem de *x* Plutarcho dicendum, dum navim multo musco & alga obductam, aquam obtusius secare, & tardius moveri, hisce Echeneidem adhærere, sic tarditatis non causam, sed causæ accidens esse, prodit. Fracastorio *y* latentis scopuli Echeneidem indicium esse, navi ita ut avelli nequeat propter metum vacui, adhærescere, placet. Scaliger *z* Plinium secutus, ad occultas qualitates confugit. Movendi quibusdam esse potestatem, contrariam aliis. Nemini comperta in igne caloris principia. hunc *a* Lonicerus sequitur. Suarezius * influentias cœlestes addit. nec Basilius *b* & Ambrosius *c* renuunt. Peculiaris *d* Keckermanni opinio. Viscosum & frigidissimum humorem de se fundere putat Echeneidem. hoc aquam circa gubernaculum congelari, ipsum quasi immobile reddi. Vix quicquam verisimile.

Quantum ad *usum* alii è Græcis *e* lubricos partus atque procidentias contineri ad maturitatem alligato eo prodiderunt: alii sale ad servatum ad alligatumque, gravidis partus solvere, ob id alio nomine Odynolyon-TAB. IV. 4. tem appellari. Amatoriis veneficiis infamem esse, indiciorum & litium moram, inter falsa repono.

Cetos ducem habere, tum quod mole corporis oppressi tardè moveantur, & facilè in cœnum, brevia & angustias impingant: tum quod parum acutè cernant, *f* Oppianus *g* Ælianus & alii authores sunt. destitutas, ad terram delabi & perire, Plutarchus & Claudianus prodidere. ἡγεμὼν is ἡγέμων ὁδηγός; Plinio, nescio quare Musculus, quo nomine Balenæ

q Gesner. in Histor. Piscium.

r Plin. H.N. l. 32. c. 1.

s l. 2. Sympos. probl. 7.

* Kircher. l. 3. Artis Magnet. Oppian. Halieut. l. 1. v. 221.

t Rondel. de pisc. marin. l. 15. c. 18.

u Aristot. in Mechanicis quæst. 6.

x Plutarch. Symp. l. 2. probl. 7.

y Fracastor. l. de Sympath. c. 8.

z Scalig. Exer.

a Lonicer. l. de Aquatic.

* Suarez. Disput. Metaph. 18.

b Basilius 8. Hexam. homil. 7.

c Ambros. Hexam. l. 5. c. 10.

d Keckerm. in probl. nauticis.

e Plin. H.N. l. 22. c. 1.

f Oppian. Halieut. l. 3.

g Ælian. H.A. l. 10. c. 6.

partem Oppiano & Aristoteli dici falsò opinatur Bellonius, Hermolao *Iulus*, aliis *Mysticetus* dicitur. Longus est, colore albo, capite longo, angusta cauda, si Æliano credimus. Aldrovandus *i* dodrantalem, rostro acuto, capite prælongo & plano, cauda angusta & tenui, toto corpore aspero, squammis experte, sed osseo corio tecto, proponit.

i *Aldrov. de Piscib. l.3. c.23.*

Fabulosum ne id, quod Rondeletius arbitratur, an ambiguum, quod * Scaliger, natura talem dederit, an amicitiæ adscribendum sit, non disputo. *Amicitiæ exempla sunt Balæna, musculus, quando prægravi superciliorum pondere obrutis, eius oculis, infestantia magna vada, prænatans demonstrat, oculorumque vice fungitur*, apud *k* Plinium legimus. Agnitum, ore velut anchoram à Balænis recipi, in faucibus dormire; hoc quiescente, illas non moveri, hoc gubernatore, destitutas, ad terram delabi & perire, Plutarchus *l* & *m* Claudianus prodidere.

* *Scaliger. ad H. A. Aristot. l.2. c.16.*

k *Plin. H.N.l. 9. c.62.*

l *Plutarch. l. utra animal.*

m *Claudian. in Eutrop.*

ARTICVLVS V.

De Serpente Marino.

TAB. IV. 5. 6. TAB. V. 1.

SErpens marinus, *a* Plinio *Draco marinus*, Æliano *b* μύρος & *Hydrus*, *c* Aristoteli ὄφις θαλάσσιος dicitur.

Notabilis ipsorum quibusdam locis magnitudo. Eius sunt in Africa, ut boves *d* insectentur, & triremes apprehensas evertant. Circa Norvegiam ducentorum pedum longi visi, tantas aliquando supra mare spinas, erigentes, ut navis per unam transire possit, si Olao Magno credimus. Conspicitur in sinu Codano quidam flavi coloris XL. pedum, innoxius, nisi irritaveris. Apud insulas *e* quasdã ante Persidem, vicenum cubitorum, terruere classem. Tales in *f* Carmaniæ promontorium & Arabiam circa tres insulas è mari egrediuntur. Baraces sinus *g* navigantibus perniciosus, quod ad eum è pelago tendentibus prægrandes & nigri serpentes occurrant. Maximi cuiusdam descriptionem & in Virgilio *h* invenies. Is de quo hoc loco, terrestri similis est, capite & corpore congri ἀμαυρότερος duntaxat, ore acutiore, si *i* Aristotelem sequimur. Si Salvianum, habet dorsum subrubrum; latera subflava, ventrem sub albidum. Rondeletius eũ triũ cubitorũ facit, corpore fulvo, quàm Anguilla rotundiore, colore quẽ & sceleton apud Aldrovandum exhibebat, capite congri, oculis flavescentibus, ventre & rostro cinereis, maxilla superiore longiore. Dentes murænæ modo, sed rariores habere, addit: pinnulas ad branchias veluti Anguillæ duas. A Castelleto ad *k* Aldrovandum missus, colore erat congri, sed ad cæruleum inclinante. Ore intra rubido, dentibus acutissimis instructo, sub mento apophysis barbæ modo propendebat, altera ad ani orificium.

a *Plin. H.N. l.32. c.11.*

b *Ælian. H.A.l. 18. c.28.*

c *Aristot. H.A l.2. c.15.*

d *Aristot. H.A.l.8. c.ult.*

e *Plin. H.N. l.6. c.23.*

f *Solinus in Polyhist.*

g *Arrian. in Periplo maris rubri.*

h *Virgil. l.2. Æneid.*

i *Arist. H.A.l.2. c.14. & l. 9.c.37.*

k *Aldrov. de Piscib. l.3. c.24.*

Maris est incola: nec tamen ἐν τοῖς σφόδρα βαθέσιν, seu profundissimis, gurgitibus nascitur: Qui in aquis fluviatilibus reperiuntur, Hydri sunt & toto cœlo ab istis differunt. Degit tamen aliquando & in terra, ut terrestris *m* quædam species. toto ferè die in mari vivit, somni causa in terram egreditur. Vehemẽtior est congro, si σφοδρολέρον ita placet vertere. Captus *n* atque immissus in arenam, cavernam sibi rostro mira celeritate excavat.

l *Aristot. H.A.l.2. c.14. ex Scal. edit. 17.*

m *Bellon. in observat.*

n *Plin. H.N.l.9. c.37.*

Pugnavere aliquando in Turcia tẽpore Bajazetis à solis ortu ad occasum cum terrestribus; Occisorum utrinque octo millia numerata sunt. Aquatici concessere victoriam.

Comedi quidẽ potest: sed propter similem cum terrestri formam rejicitur.

ARTICVLVS VI.

De Congro & Ophidio Plinij.

TAB. IV. 7.

COngri, qui Græcis à γρῶ, quod est voro; ἀπέθικοι * γὰρ τῶν πολυπόδων τὰς πλεκτάνας, κόγγρος & γόγγρος * aliis *Gryllus*, quibusdam à corporis & coloris similitudine, *Anguilla marina*, dicitur, duo genera; *Vnum* Album & pelagium, *alterum* Nigricans, quod haud rectè vel littorale vel pelagium dixeris.

* *Rittershusius ad l. 1. Halieut. Oppian. * Athen. Dipnos. l.7.*

ris. ambigit enim ut scribit *a* Aristoteles: recentiores unum duntaxat, in quo omnes notæ congro à veteribus attributæ, reperiuntur.

Longus est & lubricus seu lævis. sæpè in quatuor aut quinque cubitorum longitudinem excrescit. Visus * à Scaligero quem utraque manu nequisses amplecti, ut non mirum multos in Sycyone quos homo vix ferat, aliquos plaustri magnitudine capi, *b* Eudoxus; circa Cartejam in exterioribus locis augeri supra minarum octoginta, *c* Strabo prodiderit. Toto dorso rubet, *ventre* & lateribus pallet. Binis natat pinnis. Linea nigra in exteriore parte membranaceæ pinnæ per dorsum extensa conspicitur. *Oculi* sunt Anguillis longè majores. In extremo *rostro* duo brevia cutacea cornicula gerit. *Dentes* habet parvos pectinatim coeuntes, *branchias* utrinque binas, *pinnæ* harum rubent, quæ verò corpus ambit fusca est, & ad cæruleum inclinat. *Interiora* si spectes, *Gula d* ipsi exigua, qua alii pisces carent. *fellis* vesica ab epate pendens.

In nullo non *degunt* mari, fluminibus inprimis *f* vicinum si sit. nam & hos juvenes subire solent: ne de paludibus dicam, quarum illustris alumnus à Matrone *g* Parodo vocatur. In terram egredi non absonum, cum idem & de serpente marino superius dixerimus, & de Anguillis ex Aristotele colligatur. *Vescuntur* pisciculis. ideò vehementiore spirante vento, quo tempore numerosiores pisciculi mare intrant, pinguescunt.

Coitus eorum Anguillar. coitui *h* comparatur, non quod ex simili spumæ sanie in arena obruta nascantur; sed quod circumplexu mutuo supinar. partium coitum peragant, quod σπόδοις & μύκροις τῶν ξώων *i* solenne est: *Ova* * longa serie inter se protensa, pinguedine ita obducuntur, ut vix appareant. Si in ignem conjeceris, abit in vaporem pingue; ova exiliunt, & elisa crepitant.

Latent hyeme, *k* nec, eadem, præterquam statis diebus paucis, & iisdem semper, capiuntur. *Gregales* ne sint, an solitarii ambigitur. Causam *l* Mnesitheus præbuit. Modò gregarios esse posse dicit; modò nec inter hos nec inter illos recenset.

Inimicitias cum Polypo, Locusta, & muræna exercet. Polypum devorat. *m* Neque enim ob lævitatem ac eodem apprehendi potest. A Locusta laceratur, licet valido sit corpore. Ipse & Muræna caudas inter *n* se prærodunt.

Vsus ipsius apud Græcos in *cibis* laudatus, inprimis si è Sicyone adferebatur, Italum tantum cæteris præcellere putabant; quantum pinguis Thynnus vilissimis coracinis. Tanti denique æstimatus, ut Nereus quidem Chius Diis eumelixasse legatur: Dorion verè opsophagus, cum puer optimor. pisciũ nomina dicere jussus, Congrum inter cæteros recensuisset, piscium se non Deorũ nomina dicere jussisse, reposuerit; Nũc in vili admodum sunt, apud omnes, *Hispanis exceptis*, precio. Angli pusillos cum aceto & sinapi comedunt. *Congener* congris est, qui in mari circa Canibales insulas capitur. Cute intensè viridi & elegantissimè variegata, rictu patenti, & dentibus acutissimis. Caro detractâ cute candidissima est; sed qualitatis adeò virulentę, ut sæpe in mortem gustantes conniciat.

Ophidion Plinii, quem Salvianus & Bellonius cum serpente marino confundunt, quemque Tragum Oppiani quidam esse opinantur; duorum est apud Rondeletium generum. *Vnum* est barbatum, quod gemina barba à maxilla inferiore propendente instructum sit; *Alterum* imberbe & flavum, de cætero superiori simile. Bellonius palmum non excedere, pelle lubrica esse, pinnas carnosas habere, integram in gyrum caudam ambire, & multa nigredine perfundi, testatur. *Linguam* habet parvam, acutam. *Cor* trigonum ruberrimum, *hepar* ad sinistrum latus exporrectum, *stomachum* oblongum, *pylorum* permultis apophysibus circumdatum, à quo tres intestinorum revolutiones ad anum pertingunt, *lienem* rubrum, & oblongum. Cætera ad ipsos Asellos accedit.

a *Aristot. H.A.l.8. c.13.*

* *Scaliger. ad Arist. H.A.l.2. c.16.*

b *Eudox. l.6. de terræmotu apud Athen.*

c *Strabo Geogr. l.3.*

d *Aristot. H.A.l.2. c.13.*

f *Oppian. Halieut. l.1.v.113.*

g *Athen. l.4.*

h *Oppian. Halieut. l.1.v.516.*

i *Aristot. H.A.l.5. c.4.*

* *Aristot. H.A.l.6. c.17.*

k *Aristot. H.A.l.8. c.13. Plin. H.N. l.9.c.16.*

l *Athen. l.8.*

m *Aristot. H.A.l.8. c.2.*

n *Plin. H.N.l.9. c.62.*

De Laet. Ind. Ovid. l.1.c.18.

TAB. V. 2.

ARTICVLVS VII.

De Murena.

TAB. V. 3. 4. MUræna, quibusdam *Draeo marinus*, quod corporis specie serpẽtes æmuletur, Græcis μύραινα, σμύραινα & ξμύραινα (multæ n. dictiones q̃ ab σμ incipiunt, olim per ξμ scribebantur) *a* παρὰ τὸ μύρειν vel μύρεσθαι, quod, *b* præ pinguedine in summa aqua fluitent, & à sole terrefactæ, qua curvare se nequeant, mergi non possunt; quod tamen de optimis quæ Latini *Flutæ*, Græcis πλωταὶ, quasi navigabiles vocantur, potissimum sumi debet, quãvis & *rhyades* pisces Flutas Gaza vertat, dicitur.

Externa si attendas, ad duorum cũbitorum longitudinem accedunt; circa Cartejam locis exterioribus minarum supra octoginta reperiri, *c* Strabo, ad decem libras augeri neque maiorem se vidisse, Salvianus, prodidit. *d* Longus est, lubricus seu lævis, & serpentis speciem referens. Cutis quæ *e* tenuissima diversi coloris, qui nec in omnibus sibi respõdet, seu quod alius vivis sit, alius in mortuis (sanè Plinius, *f* in Gallia septentrionali, Murænis omnibus, in dextra maxilla septenas maculas ad formam septentrionis aureo colore fulgere, duntaxat viventibus, pariterque cum anima extingui testatur) appareat. *Mas* paucioribus maculis distinguitur, & quibusdã veluti stellis cõspergitur, *fœmina* plurib⁹ veluti aureis guttis, quas Ovidius auratas notas dixit, variatur; *g* Bellonio; eidemque ut plurimum fulvescunt. Rondeletius colore fusco, ideò κελαινὴν ab Oppiano dici; Massurius maculis luteis & nigris; Gillius alium colore subnigro, luteis alium, albo nigris quasdam colore distinctas, prodidere. *h* Aldrov. fœmina varia est, blattariæ floribus simillimis, hinc ardens Ovidio dicitur. *Caput* habet rotundum, tenue, & acuminatum, rictum *oris* latissimum. *Dentes* acutissimos, serratos, solidos, non in maxillis solum, sed & in ima quoque faucium parte dispositos. Carnosum *palatum*, quod linguæ loco obtinuit. *Maxillam* superiorem aquilinam in cuius extremo duæ sunt breves apophyses seu verrucæ *Oculos* magnos. *Dorsum* cultellatum, ut Pytheas ait, hoc est, spino acuto, & pinnulam ferè constituente. *Pinnas* & branchias, adimit ipsis *i* Plinius. sed malè. Quaternas enim has habent. Sed *k* parvas; utpote ex quaternis minutis osculis, sive foraminibus paulum modo se exserentes; seu ut *l* ex Theophr. Aristoteles dicit, non διηρθρωμένας, id est explicatas, sed præter alior. piscium morem confusas. Illas non ad latus sitas, neque tales ut natare possint.

Quantum ad *Interiora*, carnem habet candidissimam, sub cute obliquis & transversis ductibus dispositã, variis musculis hinc & inde abeuntibus munitam, multis spinulis brevibus & recurvis conspersam. *hepar* subfulvum, oblongum, stomacho incumbens, longiusculum; *fel* Cyaneum, magnitudine avellanæ, quod Bellonius jecori; *m* Aristoteles intestinis inhærere, à jecore meatibus quibusdam dependere, scribit. Habet & lienem oblongum nigricantem, stomacho annexum. *Ventriculum* longum, à cuius medio intestinum sine spiris ad anum protensius, juxtaque eum cellulæ, instar intestini coli, habentur. *Vertebris* quæ minus frequentes, sed oblongiores quàm Anguillæ, processus insunt transversi ac sursum spectantes præter aliorum piscium morem Aristas Scaliger * vocat, quæ si corium inversum detrahatur, cum eo simul omnes educũtur. In Oesophagi qui latus, & à rictu incipit, orificio, hamuli leviter uncinati, ad gulam citra fauces spectantes, linguæ vicem supplent, ac statim à branchiis folliculus teres, spinæ incumbit, flatu turgidus, commodioris natationis usum præbens.

Vivunt quidem in mari, circa petrosa *n* loca; videntur tamen & fluviorum ostia petere. In Oceano rarissimæ sunt. *o* Tartesiæ & è Siculo freto, unde ad piscinas Romam accersebantur, antiquis in pretio fuere. minus ex Tarsensi & Carpathio mari *p* probabantur. Exeunt & in terram frequenter,

a Eustach. in Homer.
b Macrob. Saturnal.
c Strabo Geogra. l. 3.
d Aristot. H. A. l. 2. c. 13. l. 4. de partib. c. 13.
e Plin. H. N. l. 9. c. 11.
f Plin. H. N. l. 9. c. 23.
g Bellon. Hist. l. 5. c. 10.
h Aldrov. de Piscib. l. 3. c. 27.
i Plin. H. N. l. 9. c. 20.
k Athen. Dipn. l. 7.
l ex Theophr. Aristot. H. A. l. 2. c. 13.
m Aristot. l. 2. Histor. c. 15.
* Scalig. ad A. H. l. 2. c. 16. l. 108.
n Synes. Epist.
o Clem. Alex. in pædagog.
p Varro de R. R. l. 2.

quenter, in eademque *q* capiuntur. & diu, quòd parvas branchias habeant, parum aquæ admittant, nec multum refrigerii desiderent, vivunt.

Cibus ipsis caro; ideò in petris quæ Channis, & Patellis plenæ domicilium. Nec ab humana abstinent. Cuius * rei gnarus Vedius Pollio, Eques Romanus, & ex amicis Augusti, invenit in hoc animali documenta sævitiæ, vivariis earum immergens damnata servitia, non tanquam ad hoc feris terrarum non sufficientibus, sed quia in alio genere totum pariter hominem distrahi spectare non poterat. Cùm rabie agitantur, sævissimè persequuntur squammosos; ita verò morsu valent, ut partem nisi tota amputetur, ab ea liberari posse neget, Rondeletius. In Sicilia * in summa aqua præ inguedine flutantur. Unde manu capi muræas flutas Papirius apud Varronem prodidit.

De Muræna cum vipera congressu à multis *r* sparsa opinio. Muræna inquiunt libidinis, impetu plena, latibulum viperæ intrat. Vipera mas stimulis concitata ad mare accedit, & sibilo edito amatam evocat. sic ambo invicem colligantur. Falsitatem si discrepantia (alii marem cum vipera fœmina congregari, alii fœminam cum viperamare produnt) non ostendit, at certè illud, quod Nicander famæ, Plinius & Ælianus vulgo eam tribuant. Andreas *s* apud Athenæum, quod vipera nemor. secreta amet. nec à quoquam id observatum esse, vel piscatore vel littorū ubi frequentes muræne, accola, neget, ostendere potest. Coëunt autem more *t* serpentum, & *ova* parva, eaque ψαθυρὰ seu arenacea; numerosa * & quocunque tandem tempore pariunt. *u* Muræulæ recens prognatæ, celeri adolescunt incremento,

Latitant *y* hyberno tempore, quo, paucos dies si excipias, non capiuntur. Quia *z* pinnis carent, flexuoso corporis impulsu *moventur*.

Ad *Ingenium* & *Mores* pertinet, quod, è vivariis *a* egressæ piscatores adoriri, & è navibus in mare pronos dejicere; reti circumdatæ *b* maculas appetere ipsas; conscia teretis ac lubrici tergi, cum multiplici flexu laxari donec evadant; ut hæsere in hanc amplius devorare quàm hamum, admovereque dentibus lineas, atque ita erodere; infixas hamo, quod sint cultellato dorso, sese invertere; cauda ictas, celerrimè exanimari, capite ictas difficulter unde animam in cauda habere certum *c* Plinio; concentu & tintinnabulis, φ ex fabula de viperæ sibilo natum esse credo, à piscatoribus evocari; dicuntur. *Docilitatis* argumentum, L. Crassi, qui cum Cn. Domitio Censor fuit, Muræna Inauribus *d* & gemmis distincto monili ornata, tanquam eximiæ pulchritudinis puella, vocem Crassi cognoscebat, ad eum adnatabat, & porrecta cum gaudio accipiebat. in piscina mortuam, atratus tanquam filiam luxit. Idem de Antonii Drusi in villa apud Baulos, in parte Bajana, Muræna, dicitur.

Antipathiam ipsarum cum Locusta; Polypo, Ozena, Congro, Aceto, & Ferula notarunt authores. *e Vincuntur* à locustis. Ad carnes *f* Polyporum Ozænarum *g* inprimis præproperæ feruntur. Pugnas Ælianus descripsit; addidit Kiranides incredibile, evanescere Muræna, si cum Locusta coquatur. Cum Congro sæpissimè congressam Puteolis, spectavit Perottus. Aceti gustu præcipuè *h* in rabiem aguntur. Licinius Macer pinguescere iactatu, (alias lactatu) fuste non interimi, easdem ferulâ protinus, prodidit. Mirum quod ex *i* Ælianо habemus, cum plagam unam acceperit torpescentem persistere; sin plures inferas, funditus ira accendi.

Summis olim apud Romanos fuere in deliciis, seu ut gulæ irritamenta, seu quod diutissimè & magna copia in variis servari possent. vel unus C. Hirrius duodena *k* millia sestertia, ipsis alendis insumebat; & uno tempore Cæsari VIM. Muræna rum mutuo dedisse in pondus dicitur. nam permutare pretio vel aliâ merce noluit.

q Arist. H. A. l. 5. c. 10.
* Plin. H. N. l. 9. c. 23. Tertullian. de pallio. Seneca l. 1. de Clem.
* Macrob. Saturnal. l. 2. c. 11.
r Plin. H. N. l. 9. c. 23. & l. 32. c. 2. Nicand. in Theriac. Ælian. H. A. l. 1. c. 5. l. 9. c. 6. Athen. l. 7. Oppian. l. 1. de Venat. & l. 1. Halieut. Orus Appol. l. 2. c. 111. Isidor. l. 12. Orig. c. 6. Andreas de falsò creditis.
t Arist. H. A. l. 5. c. 10.
* Arist. H. A. l. 5. c. 4.
u Idem l. 3. c. 10.
y Plin. H. N. l. 8. c. 15.
z Aristot. de incessu animal.
a Nicand. in Ther.
b Plin. H. N. l. 32. c. 2.
c Plin. H. N. l. 32. c. 2.
d Ælian. H. A. l. 8. c. 4. Macrob. Satur. l. 2. c. 1. Tzetz. Chil. 8. c. 173. Plutarch. l. utra animal. Porphyr. l. 8. de abstin. ab anim.
e Ælian. H. A. l. 1. c. 32.
f Oppian. Halieut. l. 3. v. 190.
g Plin. H. N. l. 9. c. 30.
h Plin. H. N. l. 9. c. 23.
i Ælian. H. A. l. 1. c. 37.
k Varro de R. R. l. 3. c. 17. Plin. H. N. l. 9. c. 55.

Macrob. Satur. l.2. c.11. Huius villam intra quam modicam quadragies piscinæ venierant. Tripatinus summa cœnarum lautitia, ex Fenestella *l* appellatur; unaque fuit Murænarum, altera Luporum, tertia Myxonis piscis. Heliogabalus *m* earundem lactibus in locis mediterraneis rusticos pavisse creditur, ut totum Romanum imperium perderet. Piscis *n* æstimium Liciniis Murænarum nomen imposuit, ut Sergio Oratæ. Commendatas maximè prægnantes ex *o* Horatio potest colligi. sed & à lactibus summam obtinuisse carnē. Nam sive molles illas carnes statuas, sive duras, opprobrium vitare non poterunt. Illæ inflationes, hæ crudítates difficiles concoctu pariunt. Galenus *p* tamen mediocres posuit, si in puro mari versentur.

l Plin. H. N. l. 35. c. 12.
m Lamprid. in Heliogab.
n Macrob. Saturn. l.2. c.11.
o Horat. l.2. serm. Saty. 8.
p Galen. l. de cibis boni & mal. succi. l.3 de Aliment.

Reperere & in Medicina usum. Nam Marcellus pellium cinerem ex aceto fronti illitum, prodesse adversus capitis dolorem prodidit.

ARTICVLVS VIII.

De Myro, Reverso Indico Anguilliformi & Tænia.

TAB. V. 5. MYRUS, seu μυρὸς, παρὰ τὸ μύρειν sive μύρεσθαι, fluere, quod præ nimia pinguedine mari supernatet, dicitur. Volaterranus, falso Plinio & Gazæ Oculatam, Plauto Ophtalmiam vocari scripsit. Alicubi Myrinus, sed perperam, μύξινος enim legi debet, vocatur. Sitne Murænarum mas, quod *a* Plinius, Hesychius & alii prodidere, ex descriptione colligetur. Aristoteles concolorem, muræna robustiorem, colore piceo, dentibus intus & extra instructum prodidit. Athenæo λεόχρως seu colore leonis & ἰύγγος seu torquillæ, esse creditur.

a Plin. H. N. l. 9. c. 23.

Duo eius apud Dorionem *b* genera. *Nigrum*, quod Galli piscatores serpentem vocant, & *Ruffum*, quod deterius. *Ille* serpenti magis similis est quàm Murænæ, corpore nigricante, rotundo, sine maculis, sine squammis. Carne tenerrima, sine ullis *c* spinis. *Pinnulas* habet valdè exiguas cutis substantiâ, unam à cervicis loco ad anum usque, & alteram ab ano ad eandem, quarum ora nigra est: unicum utrinque branchiarum imperfectarum foramen, *puncta* in utroque latere aliquot aurea, quæ magis in viventibus quam mortuis apparent. *gulam* ventriculo præpositam, *intestina* longa, rectà ad podicem porrecta. *jecur* longum, rubescens, sine felle. *splenem* longum, tenuem.

b Athen. Dipnos. l.7.
c Athen. Dipn. l.7.

Alter serpens rubescēs Rondeletio (Dorionis Myrū ὑποπυρίζοντα, nō absurdè dixeris) piscis est rarissimus, corporibus specie serpētib. terrenis similis, colore rubro vel phæniceo, lineis obliquis & sinuosis à dorso ad ventrem ductis, eam lineam quæ à capite ad caudam protensa est, secantibus; scissura oris non admodum magna. *Dentes* habet acutos, serratos, *branchias* squammosorum piscium instar opertas. in *dorso* à capite ferè ad caudam capillamenta tenuia à sese disiuncta, in ventre similia. *Cauda* in pinnam unam desinit.

REVERSVS INDICVS Anguilliformis, inter Pelagios non squammosos. ab Aldrovando refertur, inter Galeorum genera ab Hernando. Instar Anguillæ Columbus facit, nisi grandiusculum caput haberet. Capite autem pelliculam quandam crumenæ similem gestare scribit. Si Hernandum sequimur, *d* tres spithamas est longus, Corio nigro, figura mirabili: vix possis divinare an natet supinus vel pronus, imò iudices, cum supinus est pronum jacere, & cum pronus supinum. Rostrum habet acutum, labrum inferius superiori longius, latius, & ad superiora contortum. Caput compressum, ac rostello spinifero octo uncias longo, tres lato insigne, quo tuberoni & aliis piscibus adhærere solet, pinnas circa branchias quaternas, singulas, juxta ventrem & dorsum, caudam nonnihil lunatam. Vivit in Oceano Septentrionali. & piscibus vescitur. Vsus eius in piscibus capiendis, Viso fulgore aëris statim prædam deserit. Modus piscationis à *e* Martyre descriptus est.

TAB. II. 5.
d Niremberg. Exot. Nat. l. XI. c.18. ex Hernando.
e Martyr. l.3. Decad. Ocean.

TÆNIARVM, quæ à similitudine fasciæ & vittæ ita dicuntur, Gaza vittas

TAB. VI. 1.2.3.

tas reddidit, tres apud scriptores *descriptiones* sese offerunt. *Vna* est corpore longo, tenui, stricto, flexili; tenuitatis tantæ, ut ossa vertebrarum spinæque quibus firmatur, carne non recta, appareant. Caput ei depressum, ossibus multis constans. Oculi magni, rotundi, pupilla exigula ad branchias pinna utrinque unica ad notandum data. in prona parte villos habet ad caudam usque, in quos & cauda terminatur. Flammæ modo cum natat movetur; inde nomen Flambo à Gallis accepit. *Altera* corpore est priori similis, eoque argenteo, ad tres interdum cubitos excrescit. branchiæ ei, præter quæ ad pinnas, sub maxilla inferiore duę ruffæ eius coloris dorsi villi & cauda, maculæ in parte prona purpureæ, rotundæ, certo spacio à se distantes. Ventriculus magnus & longus. *Intestina* sine ullis gyris. Cor *compressum*, hepar ex albo ruffescens. *Lien*, & *fel* adeo parva, ut fere è visum effugiant.

Tertia Falce nuncupatur, quod falcem messoream referat. Est ulnam longa, palmum lata, tota in gyrum quibusdam veluti crenis serrata, Capite deformi, ut simiam dicas oculis magnis. In lateribus linea visitur aspera. pinna in tergore unica, continua, subrubra, duæ sub branchiis totidemque sub sterno. Polypi modo mollis est. & perfrixus vel assus in quoddam veluti gluten resolvitur. Huc pertinet Piscis, quem *Iridem marinam* non absonè dixeris. Solis quodammodo aristis & cute constat, & rubro, amethistino, cæruleo & aureo colore variat. quin rectius quàm præcedens *Tenia falcata* dicetur.

CAPUT III.

De Pelagiis Cartilagineis.

ARTICVLVS I.

De Cartilagineis in genere.

CArtilaginei pisces dicuntur, qui pro dorsi spina spinea Cartilaginē habēt Græci χοῤδράκαντα olim dixere; Aristoteles σελάχη & σελάχια primus, *a* à splendore cutis, ut testatur Galenus, qua noctu lucent, vocavit. *Duo* a. taliū sunt *genera*. *Planū* unū, in quo alii aspera, alii lævi cute sunt prædiati; alii spinis carent, quidam iis armantur; *Alterum longum* & rotundum, qui Galeno γαλεοὶ & γαλεώνυμοι, Aristoteli γαλεοὶ, γαλεοειδεῖς, aliquando & γαλεώδη, ὑπὸ τῆς γαλῆς, id est, mustela terrestri, seu quod corporis similitudine eam referant, seu quòd quædam communia habeant, inter quæ *jecur* adiposum, in oleū resolubile, dicuntur. Tribuitur hoc nomen & Canicularum generi, quod *b* Ælianus secundum & varium, Oppianus *c* tertium ponit, utrumque in cœno volutari, addit. Magnitudo etiam minorum inter mares ultra cubitum. Spinam Cartilagineam *d* branchias detectas, quod cartilagine tegumenta earum constent, pinnas duplices & utrinq; quinas habere, nullo discreto adipe carni ventrive adhærescente pinguescere, ova ea specie, qua aves habere, cōmune omnibus. *Locus* illorum variat. Plana parte inferiore supinaque habent; oblongis in lateribus adhærent, & tegumēti loco quinq; habent foramina. Cor pentagonum, jecoris, & eius gemini substantia *e* adipea, fel in jecore situm, appendices supra ventriculum exeuntes, Galeis propria sunt. Vulvæ, quas qui ova pariunt, in binos sinus partitas, & sub præcordiorum septo constitutas habent, ad avium naturam vergunt. ad easdem in gravidis veluti mammæ albidæ visuntur. Os supina parte esse, non omnibus convenit, in extremo quædam rostro habent. quibus ita situm est, cibum corripere, nisi conversi resupinētur, nequeunt. sic & piscīū quos infectantur saluti, & ipsorum cōmodo cōsuluit Natura. Immodica satietate isti interirent. illi, dum moram sese convertendo nectunt, effugiunt. Sexus duplici dignoscitur nota. Maribus bina quædam circa excrementi ostium propendent: minores iidem. Fœminæ maiores, illis destituūtur. *Locus* cartilagineis mare est. sed alii in pelago, alii in profundo cœno morantur. Cum pariendi tempus instat, vada & littora petunt.

a *Plin. H. N. l. 9. c. 24.*
b *Ælian. H. A. l. 1. c. 55.*
c *Oppian. Halieut. l. 1. v. 378.*
d *Arist. H. A. l. 1. c. 5. & 2. c. 13.*
e *Aristot. H. A. l. 5. c. 5.*

Cibus

Cibus ipsis pisces, hos resupinati, ut diximus, *f* capiunt. Quantum ad *Generationem*, ore parere perperam sibi Ægyptii persuadebant. Coitus diversus, visa ex cartilagineis nonnulla, quæ *g* aversa canum terrestrium more cohærebant. Plani qui caudam habent, non solum admotis supinis, sed etiam terga fœminarum, marium supinis superpositis, modo caudæ crassities nihil impediat, coëunt. Quia semine non abundant, nec fœminæ suos conceptus, nec mares suũ semen spargere, quod generis non vivipari pisces facere solent, visuntur. *Ova h* eodem tempore & superiore parte ad præcordiorũ septum omnibus, cum maiora tum minora multa, & inferiore iam exclusi fœtus; diversitas inferius patebit. quod non omnia simul, sed sæpè numero ac diu edunt; interim quæ in ima matrice sunt, concoquũtur; eodẽ mense sæpe & parere & coire crediti sunt. Superfœtare, & senis complurimum uterum ferre mensibus, author est *i* Aristoteles. Ex alto terram repetunt, ubi pariant. Sic teporẽ captant, & proli provident. Pariunt autem vere animal. hinc partus viperino *k* similis. si quid in quibusdam differentiæ occurrit, in sequentibus dicetur. discrimen sanè ipsi pisces inter se ostendunt. senos vel octenos, undecim interdum si Rondeletio credendum, fœtus suis partibus absolutos pedali longitudine diversis temporibus parere scribit Bellonius. persæpè vivo emergente fœtu, ovis adhuc crudis, scatere uterum, superiorem eius partem, quæ ad septum est occupantibus, eorumque alia dextro alia sinistro matricis cornu concludi, adiicit. quod Galei metu insidiarum catulos devorent, his *l* evanescentibus revocent, prodidere antiqui, & ad *Ingenium* referri potest *Antipathiam* cum Pastinaca, quâ nihil venenatius ex mari, exercere, apud Plinium *m* invenies. Tanta est avidi-tas ipsius veneni.

Vsus Cartilagineorũ in *cibis* rarus. Caro est concoctu difficilis, diuturno usu, visum hebetare; proditum à Diphilo. Exenteratos quosdam absque sale insolari ex Ephippo colliges. πεμαχίτης ipsi est.

f *Plin. H.N. l.9.c.24.*
g *Aristot. H.A.l.5.c.5.*
i *Aristot. H.A.l.3.c.1.*
k *Aristot. H.A.l.3.c.1.*
l *Plutarch. libro utra animal.* *Tzetzes Cheliad l.3. c.126.*
m *Plin. H.N. l.32. c.2.*

ARTICVLVS II.

De Cartilagineis Longis.

PVNCTVM I.

De Cane Aristotelis, seu Carcharia.

PRimum inter Cartilagineos longos locum Galei seu Musteli inter hos Κύων seu Canis, vel quia hoc in genere *maximus*, sibi vendicat. *Galeus* hic simpliciter *a* Aristoteli; *Galeus Canis*; *b* Oppiano; *Canicula*; *c* Plinio; *Carcharias*, quia dentibus plurimum valet Theophrasto: *d* aliis *Scylla*. Perperam Rondeletio, ex Nicandri authoritate, *Lamia*. Nam & inter planos Cartilagineos *e* à Plinio refertur, & incredibile, est tantæ magnitudinis piscem, qui loricatos etiam homines devoret, planis ab eo accenseri posse. Potuit Nicãder Carchariam Lamiam propter aliquam naturæ similitudinem vocare, & Siculis Rana marina Lamia dicitur. Cete non esse, vel ex inde colligas, quod & branchias habeat, & ova concipiat. TAB. VI. 4.5.6.

Magnitudine Galeos omnes excedit. Visus mille librarum pondere mediocris. Captus, qui ad quatuor librarum millia accederet. Inventus in quodam loricatus homo est. alter, currui impositus, vix à duobus equis trahi potuit. Cute aspera integitur. *Os* ipsi non in rostro, quod in mucronem exporrectũ, sed supina parte est.

Caput amplissimum. *Dentes* trianguli forma, durissimi, acutissimi, utrinque serrati, seno ordine dispositi. Prioris ordinis extra prominent, & in anteriorem partem vergunt. secundi rari sunt. tertii, quarti, quinti, & sexti, in os maxima ex parte recurvi, in utraque maxilla carne molli conteguntur. quælibet maxilla duos & septuaginta comprehendit. TAB. VII. 1.2.

Oculos habet maximos rotundos; in quibus tunica cornea parte anteriore, poste-

a *Aristot. H.A.l.5.c.11.*
b *Oppian. Halieut. l.1.v 374.*
c *Plin. H.N. l.13.c.15.*
d *Theophr. Hist. Plant. l.4.c.8.*
e *Plin. H.N.l.9. c.24.*

posterioreque dura est. quæ humorem crystallinum involvit, telas arenarum tenuitate superat. *nervi optici* ex substantia cartilaginea & dura cõstant: musculi qui eos quodammodo intra trahunt, & fixos tenent, non radicem nervorum opticorum ambiũt. sed à superiore ossis regionis oculorum parte orti, in longum extenduntur; quem situm in humanis quoque videmus. Laterum & tergoris *pinnæ* longè quàm in sui generis maiores sunt. binæ earum haud procul à cauda, binæ aliæ ad branchias & podicem, aliæ in medio ferè dorso. *Cauda* duabus constans pinnis cubitalem longitudinem æquat, & eius pars superior, quæ vertebris communita, altius attollitur quàm inferior. hæc crescentis lunæ figuram exprimit; quarum inter capedinem dimidia linea explere potest. *Hepar* adipatum, in duos maximos lobos dividitur. *Degit* in alto. sed ad littora refugit. Amnes nonnunquam adire, fortè dum prædam insequitur, Wottenus author est. *Vescitur* carne, & pisces adoritur ex insidiis. benè ἀερπακλῆρα Oppianus vocavit: quia Archestrato ἀνθρωποφάγῳ, carne humana delectari, facilè crediderim. Pugnam cum Urinantibus apud Plinium *f* legimus. Cum caniculis, inquit, atrox dimicatio. Inguina & calces omnemque candorem Thunnos inprimis persequitur, & ex eorum venatione cum gregatim præter Italiam acti elabuntur, Siciliamque attingere prohibentur, pinguescit. Vidit Bellonius undecim fœtus uno *partu* edidisse, non tunicis involutos, sed umbilicali tantum in ea cum utero matris coniunctos. Caput ut in aliis animalibus primò prodibat. In *Cibis* non adeò expetuntur. Divinum quidem *g* Archestratus cibum vocat; & Mnesitheus iis qui facilè concoquuntur annumerat; *h* Galenus tamen, excrementitiæ carnis esse, asserit. Facilè in apparatu peccatur. Dentes argento inclusi, sub nomine dentium serpentis, dentitionẽ juvare, & puerorum pavores arcere, vulgo creduntur. Dentifricia optima ex iis parari Rondeletius tradit.

f *Plin. H.N. l.9. c.46.*

g *Athen. Dipnos. l.4.*

h *Galen. l.3. de Alimont.*

PVNCTVM II.

De Galeo Aristotelis, & Catulis.

QUem Oppianus γαλεὸν κύνα seu Mustelum seu Galeum Canem vocat, is Aristoteli simpliciter γαλεὸς est. Quia apud Latinos nomen non habet, poterit vel simpliciter Mustelus, aut Galeus, Musteluſve Canis vocari. Fortè est Græcorũ σκυλόψαρον. *Corpore* est oblongo & rotundo cineo, à podice ad extremam usq; caudam gracilescit. Centenas aliquando libras excedit; nec squammis, sed corio tegitur. *Oculos* habet oblongos; retrò eos bina foramina auditui inservientia, ex parte inferiore tunica enascitur, quæ, palpebræ avium modo, totum oculum operit. Os ipsi in supina parte, denticulatum, ante ipsum duo alia foramina olfactui dicata. Branchiæ utrinque quinæ detectæ, juxta quas duæ pinnæ, aliæque rursus duæ supina parte enascuntur, præter has maribus duæ appendices, ex podice pendent. *Hepati* bifido & pallido, vesicula fellis subnectitur. *Splen* subrubescit. In cœnosis maris locis *habitat*. *Ova* vitellis ovorum Gallinæ similia, ex quibus fœtus, donec foras prodeant, nutriuntur, parit. Quia Carne *vescitur* gregalem ne credas. Natantes homines adoritur. In cibis plebi inservit. Tab. VIII. 4.

CATVLI *a* Aristoteli τὰ σκύλλια, Athenæo & Oppiano σκύμνοι, aliis νεβεῖοι γαλεοὶ, Hinnulos vertunt nonnulli, quibusdam Caniculæ dicuntur. Bellonius Nissolas Massiliensium esse, quod albas maculas per dorsum dispersas habeant, putat. Galli duos pro iis, Roussettes dictos ponunt. *Maior* ad cubitalem magnitudinem excrescere solet, interdum binos superat; *Cute* est adeo asperâ & durâ, ut eâ ebur perpoliri possit. *Dorsũ* & latera subnigricant, nigerrimisq; & latissimis maculis insigniuntur. In petris & alto mari frequentius degit. hinc Saxatilis Canicula Rondeletio dicitur. Tab. VIII. 1.2.3.

a *Aristot. H.A. l.6. c.10.*

Minori cubiti aliquando magnitudo.

tudo, dorsum & latera subrubent, notisque liventibus, & multò quàm in maiore minoribus, conspergunturur. Cutis, si à cauda sursum ad caput macrum ducas, aspera; si à capite ad caudam, minimè. Oculis, ore, branchiis, pinna, caudaque similes, ab aliis parum differunt, *Generationem* si attendas, *b ova* ipsis in medio matricis circa spinam hærent, aucta circũducuntur. In binos enim partita sinus matrix cum sit, atque sub præcordiorum septo constituta, in circumstantem utramque partem abscedunt. Gerunt testacea quædam, in quibus ovi specie, humor inest; quem colore & perspicuitate cornu, figurâ pulvinaribus quæ capiti dormituri supponimus, similem, facit Rondeletius: Ova nulla contegantur secundina: à venosa umbilica parte ipsis nutrimentum est. testæ facies similis tibiarum ligulis, atque in ea sunt meatus, capillamentorum tenuitate. Testa intus rupta dilapsaque fœtus exit; & ex ovo vivum protruditur animal. Caro Maioris ferinum edit odorem. Uterque etiam à plebe reiicitur.

b *Aristot. H.A. l. 6. c.10.*

PUNCTUM III.

De Mustelo Lævi & Asteria.

TAB. VIII. 6. MUSTELVS seu Galeus LÆVIS, non à cutis Lævore, sed ut ab Acathia cui per q̃ similis est, distinguatur ita dicitur. Romæ *Pesce Columbo* vocatur. Vix ad viginti libras pervenit. Colore est albicante, *Corio* lævi, *ore* edentulo, dentium vicem asperæ maxillæ obtinent, foramina pro naribus habet; quibus minora sunt alia post oculos, rostro, branchiis, pinnis, caudâ, intereanisque cum Cane Galeo convenit. *Victitat* piscibus, etsi inter gregales habeatur. De *Generatione* sic *a* Aristoteles. Ova in medio matricum continent, ubi circumstetere in utrumque matricis sinum descendunt, & evadunt annexa per umbilicum ad matricem animalia, ita ut absumptis ovis, non alio modo quam quadrupedes fœtus habere videantur. Annexus est longus umbilicus ad matricis partem inferiorem, unusquisque tanquam appensus acceptabulo. Et ad fœtus medium qua jecur habet, quem si feces, intus alimentum quasi ex ovo deprehendas: etiam cum amplius ovum non est. Tamen secundæ membranæque sua cuique fœtui, more quadrupedũ. Fœtus p̃ initia caput in superiore parte habet; adultus autẽ atque perfectus devexum. In læva mares generantur, in dextra fœminæ, quin eâdem in parte simul tum fœmina, tũ mas. Dissecto fœtu, quot habet viscera, puta jecur, ea interius magna, & sanguine constantia, sicut in quadrupedibus. Propter duram insuavemque carnem plebi relinquitur.

a *Arist. H.A. l. 6. c.10.*

GALEUS ASTERIAS, Oppiano ποικίλος, Æliano simpliciter γαλέος, nisi Galeos omnes maculatos vocet, Bellonio *Mustelus stellaris*, qui etiam Oppiano *Pardalim* dici credit. Lævi mustelo internis & externis partibus est similis, cute tamen læviore. Dorsi maculæ aliæ stellarum speciem referunt, aliæ sunt rotundæ. Locum victum, partum, Ingenium, & Mores, communia cum cæteris habet. Ircesius Galeorum optimos & tenerrimos esse opinatur. TAB. VIII. 8. 9.

PUNCTUM IV.

De Glauco Æliani & Maltha.

GLAUCUS Æliani vel ideo inter Galeos refertur, quod sit Cartilagineus, tota corporis figura cæteros Galeos referat, & parvulos periculo instante, ore hiante excipiat, præterito, revomat. *a* Piscis est quatuor aut quinque cubitorum magnitudine. Cute lævi. Dorso cæruleo exsaturato, ventre candido. Rostro acuto. *Ore* in supina parte posito. Oculis magnis, ex quorum inferiore parte enascitur membrana candida, quæ ad oculum sursum attollitur, eisque TAB. VIII. 7.

a *Rondeletius Hist. Pisc. Aldrov. H. Pisc. l. 2. c. 37.*

eisque veluti nubes caliginem offundit. Dentium acutor. latorum, quodammodo serratorum, ad latera spectantium ordines sunt duo, in palato substantia fungosa & mollis, quæ supernam inferamq; oris partē replet. *lingua* crassa & aspera. Branchiæ detectæ; propè has *pinnæ* duæ magnæ, ad podicem totidem minores. duæ in tergore. *Cauda* ex duabus constat. superior multò longior est quàm inferior, sursumque spectat. *Interna* si attendas, videbis *ventriculum* amplissimum & longissimum; *splenem*, qui ventriculo annectitur, longum, ex multis particulis carnosis rodundisque racemi instar compactum. *Hepar* adiposum, in duos lobos dissectum, quor. alteri vesicula fellis adhæret. *Fel* viride. parte ventris infima in maribus seminis vasa in duas partes divisa, in fœminis *vulvam*, in maribus substantiam carnosam, digitali magnitudine, penis specie. *Intestina* primo sunt gracilia, dein lata, sine ullis spiris. Ex venis meseraicis rami duo oriuntur; quorum alter ad hepar, alter ad ventriculum tendit, & in multos ramos diducitur. *Cor* quoque angulatum est. Carnis humanæ avidissimus, & ad littora deambulantibus inhians. Exemplum militis cuiusdam præbuit, à quo cum calces apprehendere frustra tentasset, occisus est.

Oppian. Halieut. l.1. v. 371. MALTHAM inter belluas marinas numerat Oppianus. Suidas cum Presti aliquando eandem facit. aliquando ab eodem distinguit, δυσπλαγχνιστον belluam appellans, Rondeletius Cetaceum esse piscem, & ex Galeorum numero colligit, quod caro ipsi sit laxa, mollisque. Pinnis, cauda, internis partibus, à Cane Galeo non differt, nisi quod alba oculor. macula destituatur. Rostro est brevi, dentibus latis & acutis. *Os* habet in supina parte, non multum infra rostrum. *dentium* multos ordines.

PUNCTUM V.

De Vulpecula marina, & Galeo Acanthea.

PIscis, qui Græcis ἀλώπηξ, Oppiano ἀλωπηκίας γαλεὸς, Bellonio *Simia marina* Latinis *vulpecula marina*, vel à caudæ *a* longitudine, vel insuavi *b* ingratoque gust, vel ab *c* astu ingenioque, nomen sortitus esse videatur. Distinguatur ne ab *d* Archestrati vulpecula, quam circa Rhodum sapidissimam, & alio nomine κύνα πονα, id est canem pinguem appellari scribit; an cum eo sit eadem, ignoro. Piscis est aliquando ad centenas libras excrescens. Cum Cane Galeo, oculis, foraminibus auditui, & olfactui inservientibus, & branchiis conveniens. Crassior & brevior. Cute tectus. Dorsum habet cineraceum, ventrem candidum, *caudam* falcatam, & quodammodo ensiformem, quæ magnitudine reliquum corpus superat, & in cuius exortu pinna conspicitur, Rondeletius ita eam exprimit, ac si ex binis pinnis constaret, quarum illa, quæ sursum abit, toto corpore longior est, altera decuplo minor. Pinnas ad branchias & anum quam in dorso longiores. Ventriculum amplum. intestina lata, jecur pallidum & in duas fibras divisum. Iconem apud Aldrovandum vide. nos hic alterius cuiusdam subiicimus. *Locis*, in mari gaudet cœnosis à littoribus magis remotis. Pisces etiam grandiores pro *cibo*. In *Conceptu* & partu spinacem imitatur. Sobolem metu periculi intro recipere, præterlapso emittere, Rondeletius oculatus testis est. Cauda, longitudo ob mollitiem quæ in tenellis facillimè *e* flectitur, impedit. Hamo *e* devorato glutiunt amplius ad infima lineæ, quæ facilè prærodunt. Caro virus resipit.

TAB. VII. 3.

a Rondelet. Hist. Pisc. Bellon. l. 1. de Aquat. c. 7.
b Diphilus apud Athen. l. 8.
c Arist. H. A. l. 9. c. 37. ex Scalig. dist.
Ælian. Hist. Var. l. 1. c. 5.
d Athen. l. c.
Oppian. Halieut. l. 1. v. 381.

e Plin. H. N. l. 9. c. 43.
Oppian. Halieut. l. 3. v. 144.

GALEUS ACANTHIAS Gazæ *Mustelus Spinax*; Scaligero *Mustelus Spinus* est, TAB. VIII. 5.

est, Æliano *Centrines* nomine venit. Nunquam viginti libras implet. Corpus sensim gracilescit. Dorsum cinereum apparet, venter albicat. Rondeletius in mari argenteo *colore* esse, cum exspiravit ex cinereo rubescere, author est. *Rostrum* ipsi primò latum, mox in acutum desinens. Retro oculos, qui mediocres, bina foramina auditui dicantur. Ante os, quod in supina parte, & dentibus validissimis armatur, bina alia olfactui inserviunt. Branchiæ à lateribus utrinque quinæ & detectæ, *Pinnæ* duæ natatui destinatæ branchias sequuntur; in parte supina nullæ sunt, præter quam expodicis utraque parte, quæ in fœmina minores, in mare maiores sunt. hac nota, quia in cæteris omnibus Galeis inter podicem & caudam, imo ventri singularis commissa conspicitur, ab aliis, ut mas appendicibus parvis, quas illic obtinet, à fœmina, distinguitur. Utraque in dorso pinna, aculeum longum, triangularem magis, quàm rotundum annexum habet. *Cauda* est gemina, superiore parte longior, inferiore brevior. *Splen* in duos lobos dividitur. Cæteris partibus cum aliis convenit. *Locus* ipsi cœnosa maris receptacula, flumina nunquam subit: nec in Euripo Pyrrhæo reperitur. In septo præcordiorum supra mammas *ova* continere; ubi ovum descendit atque absolutum fuerit, in eo catulum fieri, author est *f* Aristoteles. Sex in ventre fœtus perfectos observatos, multis aliis ovis non exclusis, pendentes, qui ex ovis per venam umbilicalem excludantur. Ova nullo vinculo alligata esse, observavit Rondeletius. Ex ovis alimentum trahere, donec perfecti foras emittantur, haud malè colligi potest. *Gregalem* esse, quod multi simul capiantur, certum est. Quod fœtus suos nec recipere, nec emittere possit, *g* spinæ faciunt. Carne est dura & insipida; minus tamen quàm vulpecula virus resipit.

f *Aristot. Hist. A. l. 6. c. 8.* *I. Scaliger.*

g *Arist. H. A. l. 6. c. 10.*

PUNCTUM VI.

De Centrine.

NOmine CENTRINES, * Ælianus Mustelos aculeis præditos intelligit, cum duo Canum genera, in Galeos & Centrinas dispescit: nos eum intelligimus, quem *a* Aristoteles πυραγαλεον, γωπίδανον, esse, *b* Athenæus ab Epæneto ὑπνωπίδεα vocari, docet. Romæ & tota Italia *Pesce Porco* dicitur. Plinius nusquam eius meminit, nec apud Aristotelem quicquam invenias, quamvis scripsisse Athenæus prodiderit. Quantum *ad descriptionem* brevis est, crassus & spissus, à capite ad podicem *trianguli* figura. *Cute* integitur asperrimâ, brevibus crebrisque aculeis horrida, qui in capite & dorso robustiores sunt, colore ex cinereo nigricante. *Caput* habet exiguum & depressum. *Oculos* splendentes, post eos duo foramina auditui destinata, duo supina rostri parte pro naribus conspiciuntur. *Caput* supina parte, rotundum, magnum, semper ferè hians. *Dentes* latos, acutos, quorum insuperiori maxilla triplex, in inferiori simplex ordo est. Branchias utrinque in lateribus quinque, easdemq; detectas. *Pinna* prior à capite statim enascens, aculeo longo & ad caput sese inclinante armata, cristæ instar multum surrigitur, quæ è podicis regione minor, minore & ad caudam vergente aculeo, instructa est. In caudam & podicis pinnas, imo ventri, nulla alia pinnula subnectitur, quod ei cum Acanthia commune. Cauda in pinnam inferiore parte latam, superiore parte in acutum angulum desinentem degenerat. In *partibus internis*, ventriculus est oblongus crassus. *intestina* haud multis gyris reflexa. *Hepar* præpingue, magnum, in duos lobos ad infimam ferè usque ventris sedem extensos divisum, albicat. *Locus* ipsi in cœnosis pelagi domicilis potius q̃ littore; ideò varius capitur.

TAB. VII. 4. 5.

* *Ælian. l. 2. H. A. c. ult.*

a *Arist. H. A. l. 5. cit.* *Athen.*

b *Athen. Dipnos. l. 7.*

Ova primum in se gignit numerosissima, vitellis gallinaceorum ovorum similia. animal reliquorum cartilagineorum more ecxludit. Venenum fundere ex *c* Oppiano discimus. quos ille κέντρωσιν ἐπονύμας vocat; hoc κεντρίνας vocari, vetus scholiastes adscripsit. Vix aliquis eius *in cibis usus*. nerveâ potius quàm carneâ substantia constat. In *Medicina* oleum ex hepate frixo collectum, ad duritiem humani hepatis emolliendam conferre, & articulorum dolores lenire ex Rondeletio habeo. Cinis urinas vehementer movet.

c Oppian. Hal. l. 2. v. 640.

PUNCTUM VII.

De Simia marina, & Zygæna.

TAB. VII. 6. SIMIARUM MARINARUM duas habemus descriptiones *a* Ælianoest bellua in mari rubro, cartilaginea, terrestri tum tum colore tum facile similis; in hoc differt, quod variè distinguatur, cervicemque & branchias ruffas habeat. Tegmen corporis testudinis involucrum est. Cum natat, volare videtur. *b* Gesnerus piscem sibi ex Dania allatum scribit, coloris corpore toto viridis, dorso magis fusci, ad latera pallidi. *Os* sinum habebat. *pinnas* tanquam volans extendebat, & inter duas in dorso pinnas aculeum retrò tendebat. branchiarum foramina quina apparebant, obliquo inter os & oculos descensu. Testudineum involucrum si accessisset, Æliani simiam fecisset.

a Ælian. H.A. l. 12. c. 27.

b Gesner. de Piscib.

TAB. VII. 8. 9. ZYGÆNA piscis monstrosus, à capitis figura, qua τὸ ζυγὸν imitatur, quo transversum librile, ex quo lances dependent significatur, nomen obtinuit.

GAZA Libellam vertit. Massilienses piscem Judæum à similitudine tegumenti capitis, quo olim Judæi in provincia utebantur, dicunt. Galenus, Ælianus, Oppianus *c* eosque secutus Suidas, cetis annumerant. Galeis, quia multa cum illis communia habet, haud malè subnectitur. Corio tegitur. Ventre est albo, dorso cinereo, pro spinis cartilagines obtinet. *Cervicem* & *gulam* habere scripsit Rondeletius. *Os* ipsi non rotundum, non rostratum, nec in latera compressum; sed in ea extensum, atque transversum habet. Pars frontis anterior, quæ utroque oculo, magno, & deorsum potius quàm sursum vel ad latera vergente, clauditur, in semicirculum ferè extuberat, & sic in aciem acuitur, ut obvios pisces secare posse credatur. *Os* subtus, inferiore parte, per magnum, dentibus validis sinus planis, in latus serræ modò vergentibus, triplici vel quadruplici ordine digestis armatum, latet. *Lingua* lata, humanæ haud absimilis. *branchiæ* utrinque quinæ & detectæ. Pinnas icon ostendit. in dorso nullam esse tradit Rondeletius. *Cauda* duabus inæqualibus pinnis constat, quarum superior vertebris fulcitur, ac multo longior est; inferior vertebris caret, & brevior extat. *Versatur d* in profundo. Pisces obvios, & homines natantes frontis suæ acie subvertit, & Leoni quod ad vires, ab Oppiano *e* opponitur. Occursus eius olim, navigantibus *f* infaustus habebatur.

c Oppian. Hal. l. 1. v. 6.

d Ælian. H.A. l. 10. c. 2.

e Oppian. l. 1. v. 367.

f Ælian. l. c.

Ab ista ZYGÆNA plurimum ille differt, qui ventre candicante, ore miniacei coloris, cætera niger esse, scribitur.

PUNCTUM VIII.

De Mola Salviani, seu Orthragoriſco Rondeletij.

MOnstroso pisci monstrosiorem subjicimus, sed & istũ toto corpore cartilagineum. *Mola* quibusdam, seu quod informem molam referat, seu quod rotunditate corporis molæ molendinariæ similis sit, ut Rondeletio placet, dicitur. Apud Massilienses, *Luna*, vel quod extrema corporis parte, quæ pinnis subest, crescentis figurâ referat, vel ♀ demptis pinnis toto corpore plenæ instar sit, vel

TAB. IX. 1. 2.

vel quod corporis extremũ in cornua curvatæ respondeat, vel deniq; quod noctu splendeat, vocatur. sed cave pro *a* Ælianisumas. Porcum, quem Lacedæmonij *Orthragoriscum* vocant, quemque *b* Appion maximum piscium esse, & cum capitur grunnire, credit Rondeletius, nec abludit cõparatio. Nec *c* longus, nec planus est, sed in latera comprimitur. brevis adeò, ut solum caput potius quàm piscem repræsentare videatur Centenas sæpè libras superat. *Cute* tegitur asperâ nõ secus ac Squatina, argentei coloris, ventre est subalbido, dorso cineraceo. Os habet exiguum. *dentes* tantum geminos, utramque universam oris partem munientes, quorum inferior retusior, superior magis acutus ac secans est, latos continuosque Rondeletius facit. Oculos parvos ac orbiculares. *De branchiis ita Salvianus.* Branchiarum internum orificium utrinque, unum est parvum & semicirculare, prope quod etiam utrinque pinna una parva & rotunda sita est, quæ alia prorsus ratione quam aliorum piscium laterales pinnæ, moventur. Cum enim illæ in piscibus à cauda ad caput, in hoc nostro à dorso in imum ventrem deducuntur. In extremo præterea dorso propè caudam alia multò major pinna, non rotunda sed sublonga erigitur: è cuius regione altera eiusdem magnitudinis & figuræ imo ventri statim ab ano subest, quæ alio etiam modo quàm dorsi & ventris aliarum piscium pinnæ mobiles sunt. Non enim ut illæ à cauda ad caput eriguntur, & à capite ad caudam inclinantur, sed in utrumq; latus moventur.

a Ælian. H.A.l.15. c.4.
b Plin. H.N. l. 32. c. 2.
c Aldrov. de Piscib. l.3.c. 44.

In *caudam* carneam non degenerat: nam postrema eius æquè ac latera lata sunt: pinnata tamen cauda, non oblonga sed lata, atque omnem postremam piscis partem amplexante, in latereque mobili munitur. Crescentis lunæ figuram referre; superiore parte articulatam esse, ut tam in dextrum, quam in sinistrum moveatur, Rondeletius addidit.

Quantum ad *Interna*, quæ ob corporis rotunditatem conglobata sunt, Carne est candidissima, nerveam potius, quàm carneam substantiam præ se ferente. Cocta gluten ex tergoribus boum confectum refert. *Adipe* ut in porco, multo carni corium firmissimè adhæret, & difficillimè avellitur. *Iecur* habet pallidum, magnum, & tenerrimum, dum coquitur in densam pinguedinem facessit. Nocto ex internis partibus cæruleus è longinquo splendor, imò ignis splendidissimus enitet. Grunnire dum capitur, dicitur. Pinguedo eius est multa & candidissima; liquefacta, lucernis inservit, solo pisculento odore molesta. *Speciem aliam Gallus quidam Venetiis descripsit.* Iconem exhibeo. Forma, inquit, in orbem vergebat. Corio sine squammis, &c.

An huc Piscis Cadamusti suem referens dolium crassitudine, duo longitudine superans, formæ obrotundæ, suilla cute, Oculis parvis, edentulus, loripes, branchiis brachii mensuram excedentibus, cauda longa, & lata spectet, aliis judicandum relinquo.

ARTICVLVS III.

De Cartilagineis planis.

PUNCTUM I.

De Torpedine.

Si qui pulchrum contrectat, sicuti torpedinem tangit nec ab ea laditur. Orthgotius p. tg. 50.

ABsolutis Cartilagineis longis, ad Planos progredimur, primus occurrit *Torpedo*, quæ veteribus Græcis νάρκη & νάρκα, ad differentiam affectus, θαλάσσια; modernis τορπίνα, & Margotir, Alberto *Stupefactor*; mixo barbaris, *Torpigo*, *Terpigo*, *Stupor*, *stupefaciens* & *stupescor*, dicitur. Ex Cartilagneis planis esse, ex

TAB. IX. 3. 4. 5. 6.

ex *a* Aristotele & Plinio habemus. Lævem, apud *b* Athenæum legitur. Corruptus Aristotelis *c* locus ex quo colligitur spinosa. nec vacat errore *d* Cardanus. Duo olim ipsius genera. *Nigrum* quod ad capitis dolorē commendatur, & subruffum, seu ad rubricæ colorem accedens. In *Maculosas*, & *Non maculosas* optimè dispescuntur. Tria illarum genera. *Maculæ* in quibusdam diversarum figurarum & albicantes, huc & illuc sparguntur, in quibusdam quinæ rotundæ, nigricantes, pentagoni figurâ locatæ, oculos tam egregiè repræsentant, ut Oculatam Plinius dixerit; benè dictum Bellonius defenderit. Omnium corpus si caudam exceperis orbiculare est, senas libras vix excedunt, molli & lubrica cute teguntur. Venter est subalbidus, *dorsum* subflavum, & ad rubricæ fabrilis colorem accedens, partes quæ ad caudam mediis corpulentiores apparent. hæ *cartilaginem* quandam tabidam in seipsis habere videntur. *Ore* sunt in supina parte parvo, ante quod foramina duo odores deferunt, dentibus minutis & serratis. Oculis in superiore parte anterius exiguis, quos retrò foramina duo, ipsis grandiora, patula, & in palatum pervia. Cerebro non carent. *Linguâ* destituuntur: *Branchiæ* in medio sunt corpore (ob ipsius tenuitatem ad latera locari non poterant) utrinque quinæ & detectæ, quarum orificia parva & semicircularia, tenui quadam cuticula conteguntur: *pinnæ* juxta caudam duæ; pro reliquis latitudine utuntur, & utroque sui corporis semicirculo quasi pinnis natant, podex in caudæ exortu, ipsa brevis & latiuscula. *Intus* Carnosum habent ventriculum: *intestinum* breve & amplum. *hepar* pallidum, & in duos lobos divisum. *Fellis vesica* illaque magna hepati committitur & dextro annexa lobo; in sinistrum quoque venulas quasdam immittit. *Lien* est parvus & sub rubens. Uterus oblongus & bifidus. *Habitant* *e* in mari, locis cœnosis. reperiuntur & in *f* Nilo. ut haud male. in Marinas etiam & Fluviatiles; distinxeris Piscibus *vescuntur*, quos astu, ut post dicam, capiunt. *Pariunt* circa *g* æquinoctium, & quidem ova intra se præmollia, quæ in alium locum uteri transferunt, & excludunt. Sic animal pariunt, ova concipiunt. Octogenos fœtus habens, inventa est. Hyeme propter frigus in terra *latent*. Latitudine sua quasi eminis pinnis *feruntur*, natant sed ægrè, nam *h* νωτίς βεβαρυμένοις βαρύνοντω, *pigra tarditate gravantur*. ideò βελὴν κεφαλέον καὶ πολυμήχανον Natura concessit. Singularis ipsis torporem vel tremorem inferendi, unde nomen habent, facultas. Mersæ in *i* limo se occultant & pisces, qui securi supernatantes obtorpuere, corripiunt. Iidem *k* procul & è longinquo, vel si hasta virgave attingantur, quamvis prævalidos lacertos, torpidos, & quamlibet ad cursum veloces pedes, alligatos reddunt. Et illi qui, rete, in quo una ex iis capta fuerit, attigerint, torporem patiuntur, quod *l* Æliani fide dictum sit: & si inter mortuos pisces vivens Torpedo sese moveat, qui tacti fuerint, interno quodam motu cientur, ut videantur vivere; quòd Godignus de rebus Abyssinis prodidit. In totone corpore, quod Salviano placet, an parte, quod *m* Diphilus, *n* Oppianus & Cardanus prodidere, incertum. Exiguam plerarumque, quæque quavis corporis excitatione refellatur; nec totum corpus infestantem, Gillii & Kircheri experientiâ docemur, ut vel inde Albertum, qui hoc veneno hominem interfici prodidit, refellere liceat. Causam in cæcam facultatem, quod mortua eâdem destituitur, conjecere alii; in narceticam *o* & insensibilem qualitatem, nervis & masculis contrariam alii.

Vsus Torpedinis in *cibis* commendatus *p* à Galeno & aliis, quod carnem mollem, jucudam, & mediocriter per ventrem subeuntem habeat; à Diphilo & aliis rejectus est. Partes duntaxat quæ circa caput laudantur. Venetiis ne in foro

a Aristot. H.A.l.5. c.5.
Plin. H.N. l.9.c.24.
b Athen. Dipnos. l.7.
c Aristot. l.4.de partib.c.3.
d Cardan. l.7. de rer. varietat. c.37.
e Oppian. l.c. Hali.v. 104.
f Athen. Dipn.l.7.
g Plin.H. N.l.9. c.51. Aristot. H. A.l.5. c.12.
h Oppian. Hal.l.2. v.58.
i Plin.H. N.l.9. c.42. Oppian. Hal.l.2. v.55. Aristot. H. A.l.9. c.37.
k Plin.H. N.l.32.c.1.
l Ælian. H.A. l.9. c.14.
m Athen. Dipn.l.7.
n Oppian. Hal.l.22. v.55.
o Kirchnerus l.3. Magnet. artis p.6. l.4.
p Galen. l.3.de Alim.

foro piscario vendatur, præfecti sanitatis authoritate cautum est. Genuæ, Massiliæ, & alibi à tenuiore fortuna expetitur. In *Medicina* diuturnis capitum *q* doloribus admovetur: & sedem prociduam coërcet. idem apud Marcellum Empiricum invenies. fortè & arthriticos demuleet; eodemque modo Anteroëa Cæsaris libertum supra fidem podagram curasse, Scribonius Largus testatur. & Diaturpænos ceratum apud Æginetam ad podagram habemus. Mirum, si verum, quod ea Plinius. si capiatur cum Luna in libra fuerit, triduoque asservetur sub dio, facilis partus facere postea, quoties inferatur. fortè quòd velut induciis dolorum datis, natura ad excludendum fœtum firmatur. Corium nuper decorticatæ, si parti matricis prolapsæ involvatur, ipsam reducere, Aëtius ex aliis habuit.

q Dioscorid. l. 2. mater. medi. c. 17.

Plin. H. N. l. 32. c. 10.

PUNCTUM II.

De Pastinaca marina.

TAB. IX. 7.

QUem Græci τρυγόνα, seu ut D. Ambrosius vertit, *Turturem*, ab alarum expansarum similitudine vocant, is Latinis *Pastinaca marina*, seu à colore, seu quod radio suo ceu pastino instrumento fossorio fodiat & pungat: Gallis Raja, ob similitudinem quam cum Raiis habet, dicitur. Duas eius *species* Bellonius & Rondeletius agnovere. hic capite tantum & rostro differre ait: ille in *lævem*, cuius cutis perpolita, dorsum livet in corticis platani modum, venter albicat, plurimis veluti striis, per carnem hinc inde deductis; & *Asperam*, quæ tota aculeis horret, atque ad caudam præsertim permultis uncinis in gyrum dispositis scatet; dispescit. Magnitudine vix denas libras superant. Corpora sunt quadrilatero, ventre albicant, dorso livent. Superiore parte aliquod *capitis* vestigium anterius ce nitur, capiti palustris ranæ non absimile: in eo nonnisi *oculi* oblongi & grandiusculi, à quibus foramina bina, oculis maiora, semper patula, in palatum deducuntur, pars oculis anterior in rostrum carnosum acuitur. *Os* habet parvum & edentulum, (mendum in Dioscoride, si dentes habere innuit) solaque maxillæ asperitate illorum vice utitur. *Pinnis* carent circa caudæ exortum unam orbicularem si excipias, ideò latitudine sua * natant. *Branchias* in medio ferè ventre quinæ, in partibus flaccidis & carne vacuis, (partes circa caudam mediis partibus carnosiores habere, cartalagineis planis commune est,) sitæ sint. *Caudam* habent longissimam, spinosam, muris caudæ persimilem, Crassa primum, paulatim in magnam tenuitatem stringitur, super eam, in medio ferè aculeus, osseus, longus, acutissimus, & serratus, quincunciali magnitudine, Dioscoridi κέντρον, Horo Apollini ἄκανθα, Plinio radius eminet.

* Arist. H. A. l. 1. c. 5.

a Galen. l. 3. Alimento.

Quantum ad *interiora*, Ventriculum habet parvum, augustum, cui, quia satis ab ore dissitus est, *stomachus* præponitur: idem in ecphysin à qua breve & gracile intestinum dependet, quod aliud initio angustius, mox sensim latius, dein priusquam maximè dilatetur, angustum postremum in rectum intestinum desinens, & unde excrementa porracei coloris rejiciuntur, desinit. *Iecur* amplum, ex albo flavescens, in duos lobos, quorum dexter latior & maior, sinister brevior & minor, divisum. *Fel* hepati adnexum, ex viridi flavescens. Uterum oblongum, quo ova continentur.

Degunt in cœnosis maris locis. Carnibus vescuntur * & latrocinantur ex occulto, transeuntes radio (quod telum est eis) figentes; nec quenquam * attingunt, nisi telo suo vulneratum.

* Plin. H. N. l. 9. c. 42.

* Oppian. Halieut. l. 2. v. 472.

Ex insidiis venari, quod Mugilem velocissimum piscem assequantur, argumento esse potest. *Coëunt* b ut Rajæ, admotis invicem non solum partibus supinis, sed etiam tergo fœminarum supinis marium, superpositis. Fœtus aliorum cartilagineorum more non recipiunt. c Id enim

b Aristot. H. A. l. 5. c. 3.

c Aristot. H. A. l. 6. c. 10.

enim acuties caudæ phibet. *Volatum* *d* quoq; exercere, falsò apud Ælianum dicitur: sed *e* radii sui veneno se tueri, tam certum, quam Musicæ dicteriis & saltationibus *f* delectari; ambiguum videtur. De ejusdem *radij* venenositate non est quod dubitemus. Nullum usquam execrabilius, arbores, infixus radici, necat, arma, ut telum perforat, vi ferri & veneni malo, non tamen, ut nulli remedio, quod Ælianus *g* prodidit, succumbat; & necesse fuerit *h* Leonidam. Bysantium ictum occumbere. Benè radii cinis cum aceto vulneri admovetur, feliciter furfures in eodem cocti auxiliantur. Lauri decoctum, Theriaca Andromachi, Galeus, cum quo inimicitias gerit, haud frustra adhibita. Caudâ, quæ idem intulit, in arborem, quercum inprimis, infixa, aut de eadem suspensa, emarcidam eandem evadere, sanari ægrum, Aëtius prodidit. De *Vsu* in *cibo*, ne falsò *i* Galenus mollem & jucundam carnem eius faciat, vehementer metuo, gustus in suavem & ferinum quid resipientem, testatur. In *Medicina* mitigat *k* dentium dolores radius, quos frangit & extrahit, Torreri eum, mox conteri resinaque excipi, debere, apud Celsum legimus.

d Ælian. H.A. l. 8. c. 26.
e Ælian. H.A. l. 9. c. 40.
f Idem l. 1. c. 30. l. 17. c. 18.
g Ælian. l. 1. c. 56.
h Ælian. l. 2. c. 50.
i Galen. l. 3. Alim.
k Dioscorid. Mat. Med. l. 2. c. 22.

PUNCTUM III.

De Aquila.

QUid per Aquilam piscem, seu ἀετὸν veteres voluerint, difficulter sciri potest, planum *a* duntaxat, & cartilagineum, animalque parere, ab omnibus proditum est, radium aliquem in cauda habuerit, nec ne, reticuere. Non mirum itaque in diversa recentiores trahi, & unam à Salviano, quam Rondeletius alteram Pastinacæ speciem facit, duas ab Aldrovando, monstrosam à Bellonio & Paræo describi, *Salvianiana* magnitudine trecentas libras non superat. Lævi & molli cute tegitur, inferiore parte alba, superiore livida. *Caput* habet exertum, capiti bufonis simillimum: oculos magnos, rotundos & prominentes, post quos bina, magna, & patula foramina insculpta sunt. *Os* supina parte mediocre & denticulatum. *Latera*, quæ acuta, expansas volantis Aquilæ alas æmulantur. In caudæ exortu utrinque una parte & rotunda pinna exoritur, in *maribus* ex utroque podicis latere, una appendix pendet. Cauda pastinacæ tenuior & longior; in dorso paulo post principium pinnatam unam erigit, atque hac deinceps *aculeus* osseus, longus, acutissimus atque serratus, eminet. *Intra*, Jecur est subflavum, lien subater. Aldrovandi *prior* videtur ἀκέφαλος, latissimis alis, qua corpori hærent cæruleis, in extremitate rubris. *Altera* supra oculos & in fronte aculeata est, in cauda binos gerit radios. Cœnosa hi pisces in mari loca incolunt, resupinati piscibus aliis vescuntur, quos ex occulto figunt. Vivos fœtus cartilagineorum more pariunt. Radio lædunt, ideò publicè cum eo non divenduntur. Caro quia tetrum & gravem spirat odorem, à mensis exulat. Quæ de lapide in capite eius à Kiranide scribuntur, fabulosa sunt. Bellonii verè monstrosus est, descripsit eum Gesnerus. Piscis hic rarus (inquit) & ignotus omnibus, & Paræus volantem facit, rostro viridi.

Tab. IX. 8. 9.
a Plin. H.N. l. 9. c. 24.

Tab. XII. 2.

PUNCTUM IV.

De Raijs in genere.

RAjarum nomen fortè à radendo Latini sumsere. Græci à quadam cum rubo similitudine, sunt dorso asperæ, ut recurvas supina parte rubus, spinas gerit; βάτον marem, fœminam βαλίδα dixere. Plinius *a* Græco vocabulo utitur. Ex cartilagineis *b* & planis esse nullum dubium. Albertus in pectinum genere posuit. Tria verò illarum

Tab. X. 12.
a Plin. H.N. l. 23. c. 11.
b Aristot. H.A. l. 2. c. 13.

Plin. H. N. l. 9. c. 24. apud antiquos *genera*. βάτον unum simpliciter, λειόβατον Alterum Aristoteles & Galenus vocavere, *stellatũ* Athenæus addidit. Rondeletius postquam in *lævis* & *asperas* easdem divisisset, mox stellulis notatas, iisque carentes addidit; & ex *asperis*, alias modicè tactum vellicante lanugine, alias robustis sed raris aculeis; quasdam robustissimis & densissimis asperari dixit. Magnitudine inter se differunt, bicubitales aliquando Salvianus vidit, haud minores *c* Aegolico clypeo in India nasci, Ælianus prodidit. Cuticulari teguntur operimento, omnibus membranula, quam nebulam vocant, *oculus* obtenditur. juxta oculos foramina sunt magna ampla, ad oris usque intima patentia, quibus operculum interiore parte à natura additum est. Ore aperto dilatantur, clauso magna ex parte occluduntur. *Cauda* omnibus procera atque aspera, in eius dorso duæ pinnulæ, totidemque, sed exiguæ & orbiculares ad ejusdem exortum. Quod cartilaginei generis plana, pinnis destitui scripsit Aristoteles, illas quibus natãdo corpus impellunt, intellexit, quæ ad caudam, dirigendi itineris gratia data sunt. Si quid in contrarium apud eum occurrit, mendum in causa; βάτραχος pro βάτος legendum est. *Interiora* si lustremus, *fellis* omnibus in hepate vesica. *Splen* in verticuli plexu; intestina crassa; in ecphysi & recti intestini extremo angusta, genitale vitulæ marinæ simile. Circulatores ex exsiccatis Draconũ & Basiliscorum figuras effecerunt, sic plebeculæ imponunt.

c Ælian. H. A. l. 13. c. 4.

Tab. XII. 1.

Commoda Raiis in cœnosis maris locis, non procul à littore *habitatio*. Hyeme latent, & quia numerosæ capiuntur, gregales haud malè colligas.

Coëunt d non tantum admotis invicem partibus supinis, sed etiam tergo fœminarum supinis mariũ superpositis, nec inter suum duntaxat genus consistunt. Cum Squatina quoq; *coire* scripsit Aristoteles. Gerunt utero testacea quædam, testa tibiarum ligulis similis est. Pariunt animal, cum primum ova intra se pepererint. *Ova* quæ flava, sme testa primum in superiore vulvæ conspiciuntur, quædam magnitudinem ovorum gallinæ æquant, alia his minora, nonnulla ciceris magnitudinem nõ excedunt, plura centenis in singulis aliquando numerantur. Quæ à perfectione propius absunt, in inferiorem matricis partem dimissa, testâ, & in qua albumen & ovum continentur, operiuntur, quadrati formia hæc, demptis angulorum, quæ variæ sunt appendicibus. Unius lateris appendices longiores, sunt foliis gladioli herbæ similes; alterius, breviores, latiores, replicatæ, quibus undique summotis, laterum anguli, tibiarum repræsentant ligulas. Unũ aut ad summũ duo pariunt, quod maximus earum in mari proventus, infinita ovorum in superiore vulvæ parte series facit, ex quibus tempore perfectis, iterati fœtus excluduntur. Abditas, pinnas exertas movere specie vermiculorũ, allapsos ad eas pisciculos capere, sic tarditatem motus astu compensare *e* Plinius author est. Aristoteles radiolos vocat. Mendum tamen hisce locis subesse, suspicio est, cum nec pinnas nec radiolos habeant, vel pinnas Plinius impropriè vocavit, & radiolis ab Aristotele tributum, quod rostri acumini cõpetere videtur. Olaus quondam depingit; quæ homini in septentrionali Oceano circumvento suppetias tulerit. *Vsus* etiam in *Cibis*. Copiosioris nutrimenti & concoctu difficiles *f* Galenus facit. Rondeletius de Rajæ bonitate quæsitus; perinde ac si quis pallium elixum comedat, respondit. Archestratus scapulas & hyeme laudat. Laterum extremas partes à divitibus comedi, reliquas plebi relinqui, ex Gesnero habemus. Apud Hollandos potissimum elixantur, butyrum, acetum, & sinapi condimenti loco sunt. Caseo & Silphio veteres condiebant. In *Medicina* auribus fel est utilissimum, hepate ad pruritum feliciter Rondeletius usus est.

Tab. XII. 4.

e Plin. H. N. l. 9. c. 42.

f Galen. de victu attenuante.

Pun-

PUNCTUM V.

De Raijs Lævibus, & in specie de Lævi Raja, Vndulata, & Oculata.

TAB. X. 1.2.3. 4.5.6. RAjæ in Lęves & asperas optimè distinguūtur: Inter illas, quarū aliæ acuto, aliæ obtuso rostro sunt, prima est quæ λειόβατος simpliciter Græcis, LÆVIRAIA Latinis, *Mucosa*, & à lata fascia qua mucus seu potius coryza in laborantibus excipi solet, *Bavosa* Romanis dicitur. Omnium est sui generis piscium post bovem maxima.

Corpore quidem tenui, sed in amplissimas *alas* expanso. Cute ab aculeis nuda. Uterque oculus, media dorsi linea, & cauda tenuioribus & raris *aculeis* muniuntur, sed & in supina parte quidam in os, quod latum est, cibi sine dubio retinendi causâ, recurrescunt. *Rostrum* tenui & pellucida cartilagine, constat. Alæ utrinque expansæ tenues sunt, & prona parte nigricant. *Cauda*, quæ tribus aculeorum ordinibus, instruitur, tota supina parte alba est. Rima quæ podici, pudendum muliebre refert. Quam Aldrovandus describit, maculis supina parte nigris undique variabat. Rostri pars in obtusum angulum, figura depressa, & quasi quadrangula tendebat. Branchias quinque detectas, habebat. Inter cutem & peritonæum albida caro mucosa, panniculi carnosi vicem obtinebat. *Intra*, *hepar* erat in latitudine ventris, ex albo ruffescens, tribus lobis, linguarum figuram referentibus, quorum medius brevissimus, distinctum. Sub hepate figuræ planæ ventriculus, pars convexa ad sinistrum vergebat latus, concava in spinam. *Meseriterium* ad connexionem ventriculi & intestini medio hepatis lobo colligabatur, sub ventriculo caro cernebatur rubicunda, lienis fortè vice fungens. *Cor* thoracis sinu exiguo triangulari, exiguum, trunco unico veluti pediculo appensum continebatur.

RAIA UNDULATA à maculis flexuosis ita dicta, à colore *Cinerea* dicitur. Corpus ovi potius est, quàm Rhombi formâ, pronâ parte multis sinuosis lineis describitur. *Aculei* in linea dorsi pauci, parvi, & rari; circa oculos nonnulli; in cauda majores & densiores triplici ordine disponuntur.

RAIA OCULATA & lævis, Asterias quibusdam, sed perperam dicitur. Nam & *Galeus* à maculis, Asterias à maculis stellatim dispositis ab Aristotele nominatus est: quales in ista minimè deprehenduntur; & Asterias veterum tenerior est bonique succi; quod de hac dici non potest; & Galli hoc genus Miralet à speculorum parvorum similitudine vocare solent.

PUNCTUM VI.

De Oxyrincho majore & Raja stellari.

DUo OXYRINCHORUM genera (à rostri acumine ita dicuntur) Rondeletius facit. *Maiorem* unum, *Minorem* alterum. Bos ille Bellonii est; non quod quadrupedem repræsentet; sed quod Rajarum generis maximus, ad Bovis magnitudinem excrescat. Ligures *vaccam* vocant, in quibusdam Galliæ locis *Eleno*, quasi sùbulam, quod piscis rostrum tale sit, dicitur. Ex *a* planis cartilagineis Bovem esse dubitari nō debet. Ad duodecim ulnas latitudinis excrescere, *b* Oppiani authoritate affirmo. In descriptione non conveniunt Authores. Dorso, facie, lateribus admodum niger est. Supinæ partes albicant, si Ælianoc credendum. Bellonius toto corpore lividum facit. Eidem dentes habet truces, hami in modum inflexos, triplici ordine in maxilla dispositos, eosque mobiles. *d* Oppiano sunt obscuri & exigui. Ælianoadeò inclusi, ut in conspectum

TAB. X. 8.

a *Aristot. H.A.l.5. c.5.* *Plin. H.N. l.9.c.24.*
b *Oppian. Halieut. l.2.v.143.*
c *Ælian. H.A.l.1. c.19.*
d *Oppian. l.c.v. 145.*

ctum non veniant. Rondeletio Major Oxyrinchus minori similis est, alis amplis & extrusis, ipso corpore strictiore, acutioreque dorso longiore. *Aculeorum* in sola cauda unicum habet ordinem. Pelagii sunt *e* Ovidio boves; in cœnosis locis degunt Oppiano; Æliano in lutosis gignuntur. Piscibus *vescuntur*, sed humum maximè appetunt. *Pariunt* statim *f* animal. Corpore etsi sint magno, ideo quibusdam inter Cetaceos, imbelli tamen, mollitie conscii, sola corporis mole feruntur, sic & piscantes pondere suo opprimunt, & capti, renituntur. Carne sunt quam cæteræ molliore, & sale fumoque conditi exsiccantur, exsiccati diu incorrupti remanent.

e *Ovid. in Halieut.*

f *Aristot. H.A.l.6. c.12.*

TAB.X. 9. TAB. XII. 7. OXYRINCHUS *Minor* corpore est maximo, & maculis multis lentis specie, notatur. *Dentes* habet in os vergentes. Ad oculos quatuor aculeos; in cauda tres eorum ordines, diversos & inæquales; primus medii ordinis maior est secundo, tertius primo, quartus secundo respondet. Utrinq; per transversum recti sunt, ad latera conversi, qui per hos sequũtur in cauda extremi, in caput recurvantur. In supina parte rostri, alii sunt ad capiendos pisces recurvi, alii acutiores. Cæteris partibus cum reliquis conveniunt. Ad Oxyrinchos referri debet ille, quem Gesnerus Venetiis accepit, corpore cinereo, maculis distinguentibus fuscis, ambitu corporis subruffo, Normannis Hal, Lusitanis Huga dictus.

Iconem hic vide.

TAB. X. 7. RAIA STELLARIS lævis, Græcis Asterias, quam Gellius Rajam oculatam esse vult, capite, dorso, & cauda ab aliis distinguitur. Dorsi pars prona alæque expansæ, stellulis, elegante, depictæ conspiciuntur. *Aculei* in eodem mox à capite incipientes, in priorem caudæ pinnulam desinunt. *Caput*, quia crassius & latius, Pastinacæ quàm aliis Raiis similius est. Cauda tenuis, & quàm reliquis brevior.

PVNCTVM VII.

De Raijs Asperis: & in specie de Raja aspera Stellari, Oculata, & Clavata.

RAja aspera STELLARIS tota aculeis horret. In oculorum intervallo multi sunt, breves, frequentes, peracuti: in medii dorsi linea alii magni, in cauda tres magnorum ordines, alii plurimis & minoribus distincti, infiniti alii sine ordine per totum corpus resperguntur, pro *dentibus* ossa dura & aspera gerit. Duæ huius *generis* esse videntur. *Vna* quæ stellulas habet in medio albas, sed quas ambit circulus ex nigris punctis constans, totumque corpus aculeis horridum est. *Altera*, stellulas prorsus candidas, cum multo paucioribus aculeis obtinet.

TAB. X. 4.5.6.7. TAB. XI. 2.3.4.5.

OCULATA lævi maculis similis est. *Aculeos* in alis extensis è regione macularum utrimque habet, alios in lateribus capitis utrinque, alios in dorso, in cauda, maiores, frequentiores, & validiores visuntur.

Raja CLAVATA duplex est. *Vna* quam Massilienses Clavade, Galli alii Raje bouclier vocant. Corporis specie reliquis est similis, sed multo breviore minusque acuto, &c. Colore nigricante, alis valde expansis. *Hepar* habet flavescens in duas partes dissectum, in quo vesica, *fel* aqueum & tenue continens. Pingue est illud, & inter cibos delicatissimos, in oleum resolutum, hepatis duritiem resolvit. Carne est durum. Posset Aquilæ conferri.

Altera à superiore differt (Verba sunt Rondeletii, cui multas Rajarum species debemus,) &c. Congener hisce est & illa. Cuius icon Venetiis ad Gesnerum missa est. Maculis distinguitur fuscis, reliquum corpus obscure subluteum est, reliqua apparent.

PUN-

PUNCTUM VIII.

De Raja spinosa, Aspera, Fullonica, & Asperrima.

TAB. XI. 5. *Aldrov. de Piscib. l. 3. c. 59.*

RAJA SPINOSA Gallis *Cardaire*, quasi *Lanifica*, à spinis seu aculeis quorũ multi infixi sunt instrumentis quibus lana carminatur, figura corporis lævi rajæ similis est, si longas cutis spinas excipias. *Spinas* non in alis solum habet, ut clavata altera, sed etiam in lateribus circa caput, duo oculis præfixi sunt, & in media dorsi linea, & ad priorem usque caudæ pinnulam continuus est aculeorum ordo unicus. Carnis substantia & succo ab aliis non variat.

TAB. X. 7. *Aldrov. libro cit. cap. 60.*

ASPERA, illa à Rondeletio cognominatur, quæ à cæteris eo differt, quod *aculeis* parvis latera conspersa habet, corporis verò truncum nullis. *Rostro* est acutiore. In cauda tres sunt longorum & firmissimorum aculeorum, ad extremum usque caudæ ordines.

TAB. XI. 4. *Aldrov. lib. cit. 61.*

Rajæ FULLONICÆ ab eonomine inditum est, quod ubique in alis, corpore, capite, cauda, tota frequentissimis aculeis conspersa sit, instrumenti illius, quo fullones pannos poliunt instar, quòd totum aculeis ferreis cõfertum est. *Rostro* est satis longo & acuto. Caudæ aculei incurvi sunt, triplici ordine dispositi. Rara est, & pugnacissima esse creditur.

TAB. X. 6. *Idem c. 62.*

Raja ASPERRIMA, à præcedente eo tantum differt, quòd non solum prona, sed etiam supina tota aculeis peracutis ita horret, ut manu tolli non posset, nisi pinnulis cauda apprehensis, ideo supina in icone exhibetur; pro dentibus maxillas habet asperas & osseas.

PUNCTUM IX.

De Rana marina.

TAB. XI. 8. a *Vossius de Idol. l. 4. c. 28.*

RAna marina. Græcis βατραχὸς θαλασσιὸς, Plutarcho βατραχὸς ἁλιεὺς nomen ranæ ex eo forte meruit, *a* quòd gyrinas sive ranulas recens editas, & imperfectas, oculis quidem & cauda notabiles, sed quibus postea demum accessuri sint pedes & caudæ notabiles, sed quibus postea demum accessuri sint pedes & caudæ fissura, referat. A venandi solertia *Piscatrix*, quod & à Plutarcho factum; ob fœdam corporis monstrositatem *Diabolus marinus* Dalmatis; ob oris hiantis amplitudinem, *Lamia* Siculis; ob carnis mollitiem *Maltha* Bellonio, sed perperam dicitur. Magnitudine est ubique ferè pedali & cubitali, alicubi tricubitalem inveniri, Salvianus author est. Cute capitis, *aculeis* exceptis, lubrica & molli, infernâ parte subalbida, superna verò ex nigra flavescente tegitur. Unde molles, Ovidio tergore Ranæ. *Caput* habet toto corpore longè grandius, ut nihil in eo præter caput & caudã *b* cõspicias aculeatũ, asperũ, orbiculatũ atq; depressum. *Os* in promptu, seu anteriori parte, secus ac aliis cartilagineis, vastum, pro corporis proportione grandissimum, ac quàm maximè hians. *Dentes* permultos magnos, acutissimos, in os recurvos, utrique maxillæ, duobus palati ossibus, & linguæ radici infixos. Bellonius mobiles, albos, & confusis ordinibus dispositos facit. *Maxillæ* ipsi retusi, semicirculares, quarum superior brevior est, inferior longior & prominens. *Lingua* maxilla superiore longior. Membrana quædam gingivanum interiore parte enata, & in os complicata, quæ à maxilla separari non videtur. *Oculi* ampli in capitis vertice potius quam in temporibus siti, *aculeis* sepiuntur: Ante eos duæ propendent appendices, tenues, albæ, tetri odoris, si Oppiano credimus. In medio nasi* *pinna* oblonga prædura, & versatilis, visitur: à cuius extremo musculus quidã ceu cirrus instar fili subtilissimi deducitur, per eius cavũ humorem certum in fundum usq; cirri derivãt, ubi coacervatus ad vivi vermiculi similitudinem tumet. Omnia hamum piscatoris exactè exprimunt. Parvæ ex rostro albicãtes carunculæ, *c* eminentia sub oculis cornicula Plinio, fila capilli speciẽ referentia, postremis quibusdam præpilatis, *d* Aristoteli; gracilia quædam cornua Bellonio; pilli Gilio; geminæ rigidæ albæque setæ Salviano, dicuntur.

b *Aristot. l. 3. de generat. c. 3. Ælian. l. 13. c. 2.*

* *Kircher. l. 3. Art. Magnet. p. 6. c. 5.*

c *Oppian. Halieut. l. 2. v. 90.*

d *Aristot. H. A. l. 9. c. 37.*

cuntur. *Branchias* neque detectas, *c* neque supina parte cæterorum planorum cartilagineorum more, sed in lateribus, non spineo operimento, sed cuticulari intectas habent. *Pinnas*, contra cartilagineorum planorum morem, in medio corpore, ubi cauda capiti jungitur, membranaceas & crassiusculas duas, propter amplitudinem partis superioris: in superiore caudæ parte una non admodum lata, sed longiuscula conspicitur. A capite illicò *cauda* sequitur, rotunda, brevis, carnosa in pinnam, rotundam, crassiusculam & latam desinens. Ex huius & capitis lateribus, appendiculæ carnosæ, certis intervallis à se distantes, dependent, quæ, natante ranâ, supernatant. *Intra*, si spectes, *peritonæum* videbis nigrum; *ventrem* magnum, carnosum, appendice utrinque unica & brevi instructum; *intestina* gracilia, multis gyris circumvolata; *jecur* parvum, rubescens, in quinque lobos, ut Bellonius scribit, divisum. (Rondeletius sectum negat) eorum utrinque bini ad latera protrahuntur. *Fellis* vesica longo meatu ex hepate propendens, intestinis annectitur. *Vulva* est bifida, anfractuosa, duas ulnas longa, tribuit & vesicam, sed nescio quam verè Bellonius, & addit, totidem in Rana numerari cartilagines; quot in quovis sceleto, ossium animalium terrestrium formas referentes, quæ prorsus medullâ, præter vertebras careant; totidem item nervorum conjugamenta in eius cerebro, multò tamen liquido, numerari, quot in reliquis animalibus numerantur. *Ventriculus* & interanea, si per os eximantur, corpusque quoad eius fieri potest, distendatur, totum perlucidum, & instar carbunculi fulgens evadit, immissoq; lumine, laterna horrendo aspectu apparet. *Locus* ipsi herbosæ *d* maris partes & *e* littus. *Cibus* carnes humanæ etiam. Natantem aliquando virili mẽbro apprehẽsum in profundum detraxisse, Gesnerus *f* se audivisse refert. Contra cæterorum cartilagineorum morem, *Ova* non animal *g* pariunt. Caput corpore grandius & aculeatum in causa, quod ut aditui sic exitui, ineptum est. Ovum unum solidum, durumque ut foris servetur, cum cæterorum cute molli tegantur, Aristoteles *h* prodidit. Universa simul juxta terram edunt; ortus cum iis, quæ extra perficiuntur, & iis, quæ intus, idem. Numerosius *i* quidem fœtificant: sed quia de facili pereunt, pauciores reperiuntur. Aliquandiu extra aquam vivere, Rondeletius testatur. Visa duos in littore dies inter herbas vixisse, vulpeculæque terrenæ noctu victum queritantis pedem, dentibus arripuisse, & ad aurorã detinuisse. *Solitarias* esse ex eo, quod plures una capi non soleant, colligitur. Plana quamvis, non sola tamen latitudine natat, sed pinnulis etiam, quas in lateribus habere dictum est. Singulari in venando *k* astu utuntur. Inter saxa conditæ, aperto immani rictu, mentitum vermiculum musculo annexum, per pinnam in faucium rictum conjiciunt, eo viso pisciculi ceu ad escam accurrunt, rictum, cavitatem alicuius saxi reputantes subintrant, piscatores retracto, qui vellicatur hamo, orisque rictu clauso, totum pisciculorum gregem devorant. Macilentiores, quæ præpilatis villorũ capitibus destituuntur. *Vsus* earum in cibo ferè nullus. Insula, mucosa & ferina saporis carne præditæ sunt. Anaxandrides tamẽ eas in Cotyis Thracum Regis cõviviis reponit. Ventrem inter lautissimos cibos Antiphanis recenset. In *Medicina* fel adversus suffusiones utile est. Quod strumas utiliter pungi, piscis eius qui Rana in mari appellatur, osculo de cauda, ita ut non vulnerentur; idque fiat quotidiè donec percurentur, apud *l* Plinium occurrit; Rajarum potius aculeis convenit. Nullum enim osciculum Rana habet. Diversa est ab istis tum illa castanei coloris, ventre candicante; tum Rana MINOR dicitur. Tota tam supinè quàm ponè asperâ cute tegitur, supinè aculeata est, & albicat, pronè colore est cinereo. *Os* habet exile & planè edentulũ: *Caput* erectum & velut cornu in extremo pro-

c *Arist. H. A. l. 2. c. 13.*

d *Ovidio in Halieut.*

e *Martial. l. 10. c. 37.*

f *Gesner. de Aquatil. lib. in Ran.*

g *Arist. H.*

A. l. 2. c. 13.

h *Aristot. l. 3. de gener. c. 3.*

i *Aristot. H. A. l. 6. c. 17.*

k *Ælian. H. N. l. 9. c. 24. Plutarch. l. intr. animalia. Aristot. H. A. l. 9. c. 37. Oppian. Hal. l. 2. v. 90.*

l *Plin. H. N. l. 37. c. 8.*

procerum, sub eo cuteus nervus, quem velut ex vagina exerere, rursusque contrahere videtur. *Oculi* ad latera ubi angustum valdè caput, velut in fovea quadam latent. Foramina olfactu distincta, supra os coeunte extremitate hærent, auditui inservientia oculis sunt contigua Pinnas ex icone cognosces.

PUNCTUM X.

De Squatina.

TAB. XI. 7. TAB. XII. 6. SQuatina piscis, ῥινὴ Græcis, *Squatus*, quod sit squammis acutis, Isidoro, *Lima Vallæ, Celtes* in veteri lexico, dicitur. Media inter Mustelos & Planos à Rondeletio ponitur. Magnitudine ad centum sexaginta sæpè libras excrescit. Coloris est pnè cinerei ad fuscū vergentis, asperrima: ut * cute lignum & ebore poliantur, supinè alba & lævis. Partem corporis anteriorem habet latam, circularem, retusam, ut *rostro* prorsus careat. *Os* prima parte obvium, brevibus sed acutissimis, iisque aliter quàm in aliis piscibus dispositis *dentibus* munitum. Maxillarum ossa in angulum obtusum desinentia, in lingua extrema carneum tuberculum. Ex superioris maxillæ extremo, quod cute non integitur, apophyses duæ in alias divisæ demittuntur. Post oculos, qui in superioris capitis parte, ad latera parvi, foramina ad os usque patentia visuntur. *Pinnæ* utrinque binæ sunt, & utræque in lateribus. *Cauda* longiuscula in aliam lunatam pinnam desinit. *Mares* à fœminis appendicibus cartilagineis, quæ circa anum, distinguuntur. Intra nihil à cæteris cartilagineis differt. *Hepar* habet in duos lobos divisum, in quo *fellis* vesica *a* felle viridi plena latet. *Lienem* mediocrem ex rubro nigricantem. *Cor* angulatum, compressum, & unico sinu instructum. De dentiū situ ita Rondeletius, sunt eorū ordines, &c. Cœnosa incolere *loca b* Oppianus prodidit, in alto versari apud Rondeletium legitur. *Coit* etiam * cum Raja. Sic ῥινόβατος * nascitur, inter se mutuò partim supinarum attritu. Bis *c parit* autumno occasu vergiliarum, qui partus secundus est; primus enim verno fit tempore; sed secundus felicior. Singulis fœturis *d* septeni aut octoni prodeunt. Singularis & his in venando astus est. Obruunt se arena, sic latentes verberant oris vi radios (pinnas exerere vermiculorum specie apud Plinium extat) his pisciculi visis, quasi ad algā adnatant, sic capiuntur. Colorem mutare & piscium quidem solas, prodidit *e* Aristoteles; quod nec corpore sint pellucidæ, nec cute ita tenui, ut humorū spirituumq; perturbatione varii earum colores perluceant, negavit Rondeletius. Concedi in metu potest. Nam & tum in hiatum pinnis subiectum recipiuntur fœtus, ut apud *f* Oppianum legimus, in ventrem recipi *g* Aldrovandus credidit. Rejiciuntur à *mensis*, quod flatuum crassorum humorum proventū, quod cartilagineis omnibus commune, proferant. Unde oculorum acies obtunditur. Olim Smyrnæ secundum Dorionem, Mileti secundum Archestratum ortæ, cæteris præferebantur. In *Medicina* invenere in tertio tabis genere locum. Oleum ex hepate ad hepatis duritiem confert. Ova exsiccata sistendo alvi profluvio. Ex cute optimum fit in psora & scabie smegma. Illitæ mammas crescere non patiuntur, si *h* Plinio fides est; duriusculas reddi, utrumque experientiam cōprobasse, Rondeletius author.

* Plin. H. N. l. 9. c. 12.

a Aristot. H. A. l. 2. c. 25.

b Oppian. Hal. l. 1. v. 380.

c Aristot. H. A. l. 6. c. 11.

* Plin. H. N. l. 9. c. 51.

* Arist. H. A. l. 6. c. 11.

d Aristot. H. A. l. 5. c. 9.

e Aristot. H. A. l. 9. c. 37.

f. Oppian. Halieut. l. 1. v. 742.

g Aldrov. de Piscib. l. 3. c. 66.

h Plin. H. N. l. 27. c. 10.

PUNCTUM XI.

De Squatino raia & Lamia.

PIscis qui SQVATINO RAIA dicitur Latinis, Græcis ῥινόβατος ex Squatina & Raja procreatus creditur, Parte priore Rajæ similem facit *a* Aristoteles, posteriore Squatinæ. Absurdum id Rondeletio, quòd & Philosophus dubius pronunciet, & ex Galeno *b* fieri secundū naturam non posse, ut tantopere dissidētia corpora com-

TAB. XI. 12.

a Aristot. H. A. l. 6. c. 10.

b Galen. 3. de usu parti.

commisceantur didicerimus. Stant tamen ab Aristotele plærique, Bellonius, Gellius, Jovius, Aldrovandus, Columna præcipui. Castelletus nudum eius sceleton misit & paucis ita descripsit. Neapoli frequens est, quod miror, &c.

LAMIAM, quæ ἀπὸ τοῦ λοιμοῦ à gula quibusdam dicitur. Nicander *c Carchariam* & *Scyllam* vocari scribit, Rondeletius eandem cum Cane Carcharia facit. Pliniusinter Cartilagineos planos enumerat. Descriptionem eius nemo veterum suppeditat. Maximam evadere, cute integi scabra os in anteriore capitis parte habere, *dentibus* plus minus ducentis in utraque maxilla per quaternos versus dispositis, ad radicem latis, in acutum & pyramidem desinentibus, ad latera crematis, refertum Bellonius prodit. Verè an falso, non dixerim. Generis Galeorum certè, qui longi pisces sunt, eandem pronunciat.

c Athen. l.7.

PVNCTVM XII.

De Lumpo Anglorum & Pisce gibboso.

TAB. XIII. 1. PIscem qui Anglis Lumpus, quasi massa informis dicitur, sic describitur à Turnero. Piscis edulis est Lupus noster, &c. Dorsum rubicundum, ventrem album habere, & in magnis delicis reputari Massarias addidit. Nos eum molli & in ore diffluente carne, esse experti sumus, cum Andreapoli in Scotia studiis operam daremus.

TAB. XIII. 2. Piscem GIBBOSUM Græci νωλιδανον vocant, reperitur in mari Balthæo corii portiuncula, quam Fabricius Gesnero misit. Crassiuscula & tenax est, punctis multis seu tuberculis exasperatur. Eminent etiam Spinæ quædam ceu rubi, sed mucrone recto, pyramidis formâ, aliæ magnæ aliæ parvæ ex fusco albicantes. De sua pictura sic Gesnerus, &c.

TITULUS II.

De Piscibus Marinis Saxatilibus.

CAPUT I.

De Saxatilibus Squammosis.

ARTICVLVS I.

De Scaro.

ABsoluta Pelagiorum natura, Saxatiles sequuntur, inter hos primos *Scarus*, qui seu ἀπὸ τοῦ σκαίρειν, id est, tripudiando, seu quod Athenæo *a* placet, quòd inclusus nassis, crebris caudæ ictibus, qui σκάρθμοι seu σκάρισμοι vocantur, aversus, fores laxat, atque ita retrorsum erumpat; seu ꝓ algam, aliasq; herbas depascatur; σκαίρειν enim interdum est νέμεσθαι, ita dictus; *Meyrix* quoq; seu *Ruminax*, ut Scaliger vertit, ab Aristotele *b* ꝓ latis utriusque maxillæ dentibus solus ruminet, *Cerebrum Iovis* Ennio vocatur. Serò olim Romanis & toti Italiæ visus; ideò nec latinum piscis nomen habetur. Duo illius sunt *genera*, *unum* quod ὀνίας, benè ab Onisio distinguendus, quod asino concolor sit, dicitur. *Alterum*, cui αἰόλος, ex Nicandro Thiatyreno nomen imposuit *c* Athenæus. *d* Oppianus modò ϛίκλον, modò βάλιον cognominat. *Onias* squammis est magnis tenuibus, colore ex cæruleo nigrescente, ventre candido; Sargo, corporis forma ad rotundam accedente, aculeorum pinnarumque situ, & numero, similis, maculâ duntaxat nigrâ, in cauda, & quod lineis nigris in dorso ad ventrē careat, distinguitur. *Oculos* habet magnos, supercilia coloris Indici.

TAB. XIII. 3. 4.

a Athen. l.7.

b Aristot. H.A.l.9. c.50.

c Athen. l.7.

d Oppian. Hal.l.4.

Dentes hominis modo planos imo solus latos, superioribus dentibus carere, ꝓ Michael Ephesius prodidit, falsum, si Meryx est, & habere compertum. *Branchiæ* ipsi binæ, simplices alteræ, alteræ duplices, plura & majora in maxillis ossea tubercula.

Cauda

Cauda lata in duas pinnas non divisa. *Cor* angulatum, *hepar* album in tres labos divisum, à quo *fellis* vesicula intestinis alligata pendet. *Fel* coloris nigri. *Splen* ater, *ventriculus* cum quatuor appendicibus parvus. Ἀϊόλος seu *Varius* oculis, ventris inferiore parte, in qua podex, purpurei est coloris, cauda coloris Indici, reliquo corpore partim ex viridi, partim ex nigro cæruleo. Squammis veluti notis obscurioribus aspersis. Ore mediocri, *dentibus* latis in superiore maxilla densis, in inferiore raris & acutis. *Ventre* in medio duabus purpureis notis insigni. A dorso & cauda ferè *aculei* tenui membrana connexi, æquis intervallis dispositi, conspiciuntur. In singulorum summa parte membranula pendet vexilli instar. *pinnæ* ad branchias sitæ latæ sunt, & veluti ovi ea figura. Intus habet *ventriculum* satis capacem, *hepar* subalbum, intestina lata & multa, fellis multum, *splenem* magnum. *Quem Bellonius in Creta observavit*, corpore erat ex livido rubescente, *a* squamvis latis & translucidis. Capite utrinque compresso, *dentibus* obtusis, quorum incisorii nostris erant persimiles. gula non valdè magna. Ad caudæ latera appendices transversas atque eminentes, quales in nullo se observasse pisce ait, utrinque habebat Gigantis Scarus, dentes habebat utrinque quatuor. Latos in inferiore maxilla, in superiore serratos. *Locum* si attendas, *d* Asiæ Græciæque littoribus Sicilia tenus frequentissimus exit, nunquam in Ligusticum, nec per Gallias enatavit, in Ibericion mare. In mari Carpathio † est semper obvius, & quod miramur promontorium Troadis Lecton nunquam sponte transiit. nullibi tamen quàm in mari rubro frequentior. Bellonius in Propontide Ponto & Hellesponto, Galliæ littoribus, & in Oceano inficiatur capi, in Euripo *e* Aristoteles, Archestratus tamen maximum circa Byzantium evadere prodidit. In Creta circa eum ubi ladanum colligitur locum, tam frequens, ut nullus crebrius capiatur. *A Carpathio advectos, Claudio Tiberio Principe,* f (Octavium Macrobius vocat) *è libertis eius præfectus classis, inter Ostiensem & Campaniæ oram, sparsos disseminavit. Quinquennio ferè est cura adhibita, ut capti redderentur mari. Postea frequentes inveniebantur Italiæ in littore, non ante ibi capti, admovitq; sibi gula sapores piscibus satis, & novum incolam mari dedit, ne quis peregrinas aves Romæ parere miretur.* Saxatilem esse vix dubitandum. Si *g* Oppianus dum inter littorales recenset, contrarium innuere videtur, vitium est, & benè σπάρος pro Scaris legitur. In dulcibus quoque nutritum aquis inuere *h* Columella videtur, nisi pro Scaro Squalum legi debere velis. Sanè haud perperam ex *i* Varrone id coniicere, licebit. *Victitat k* herbis, & algæ pisis, phaseolisque plurimum inhiat Mercuriali adeò, ut ea capiatur. Pythagoras τρυγηφάγον facit, si Gyraldo fides est. Diphilus *l* tamen carnivorum esse & lepores marinos captare scribit, nisi error committitur. potius namque Mullo ista quàm Scaro conveniunt. Quod *m* solus inter pisces ruminet, superius dictum est. *Gregales* esse vel exinde quod sodales è nassis liberare conentur, colligas. *m* Caudam capitis mordendam porrigunt. apprehensa educunt. Quod noctu non capiuntur, vigilantiæ ipsorum debetur. malè Gelenius ideò solùm inter pisces dormire scripsit. Melius dices, solere

---πᾶ ὕπνον
Ἐννύχιον κοίλησιν ὑπὸ κευθμῶσιν ἴαυεν,

alicubi somnum nocturnum sub latebris capere, sic insidias vitare. Salacissimum esse Ælianus prodidit. ideò *n* fœminæ capiuntur. *Parere* bis in anno fatendum. hoc *o* Saxatilibus commune. *Vocalem* esse, quod apud Athenæum Oppianum Tzetzem proditur, dubium, cum pulmones non habeat; nisi ore aquam in pellendo sonum edere dicamus. *Vsum* si attendamus, in delicatissimis olim apud Romanos cibis erat; & iecinora eorum in Vitellii Principis patina inter lautiores primitias enumeratur. Primas inter Saxatiles tenere, & mollis

d Columella R.R. l.8. c.17.

† Plin. H. N. l.9. c.17

e Aristot. H. A. l.9. c.17.

f Plin. H. N. l.9. c.17

g Oppian. Halieut. l.1. v.109.

h Columella l.8. c.16.

i Varro de R.R. l.3. c.3.

k Aristot. H.A. l.8. c.2

Plin. H. N. l.9. c.17.

Oppian. Hal. l.2. v.109.

Ælian. H. A. l.1. c.2.

l Athen. l.8

m Ælian. H.A. l.2. c.54.

m Plutar. de solert. animal.

n Ælian. H. A. l.1. c.2.

o Aristot. H.A. l.4. c.9.

mollis ac friabilis carnis esse, nullum videtur dubium: quamvis *p* Celsus & Philotimus aliter credidisse putentur. Insipidos esse nisi cum suis fæcibus edantur, creditum apud Græcos. Jecur in cibo sumptum ictericis prodesse, apud *q* Ælianum legimus.

p *Celsus.*

q *Ælian. H.A.l.14. c.2.*

ARTICVLVS II.

De Turdo.

TAB. XIII. 5.6.7.8.9. 10.11.

TUrdus Græcis κίχλη à macularum similitudine sic dictus, πολυώνυμος olim teste Nicandro & Pancrate apud *a* Athenæum fuit. Duo ipsorum *Genera* constituit Salvianus, *Maiorem* & oblongum, qui vel viridis vel ruber est. Rondeletius duodecim species pinxit. Veteribus, apud Athenæum μελανόστικτος, seu nigris oculis varius. Eratostheni πέρκας seu nigro distinctus, Pancrati οἰνώδης quasi vini colorem referens, Numenio ἁλιειδὴς, id est purpureus dicitur. Phavorinus ποικιλόστικτον vocavit. Mutare tamen colorem dicuntur. *b* Circa ver magis exsaturatos, dilutos magis æstate videas. Branchias ipsis quaternas Aristoteles *c* tribuit omnes duplici ordine excepto novissima. Quinque sunt ab Aldrovando observati, duodecim à Rondeletio. *Primus*, qui magna ex parte aureus, amethistino, cæruleoque ac rubro variat, os intus habet ruberrimum, dentibus carens. Oculos maximos, quorum auream pupillam circulus ambit niger, nigrum rursus aureus, aureum cæruleus, hunc iterum aureus, ac tandem niger, alias omnes ambit. Habet & duas è mento dependentes apophyses cutaceas, subflavi coloris. tres præ cæteris lineas sanguineas, & denticulatas. Pinnas ad branchias omninò aureas, in pectore totas cæruleas, nervos earum aureos. Cuius coloris sunt & illæ, quæ ab ano, in dorso & cauda, qua uropygio junguntur, maculis duntaxat parvis sanguineis respersas, cæteras cæruleas conspicias. *Secundus* ad latera nonnihil albicat. in capite vermicularibus, alibi rotundis, ubique cæruleis maculis insignitur. Tergoris pinna ex aureo rubet, sicuti & cauda, quæ in extremo cærulea est. Utrinque dentatus est. *Tertio* Corpus subviret, venter albicat. Sqammarum extremitates cæruleæ sunt. *Caput* pro corporis proportione parvum, totum cærulei sed dilutioris coloris, præter branchiarum opercula, quæ candicant, maculisque oblongis & semicircularibus aureis conspergunturur. Eiusdem coloris lineæ decussatim & transversaliter per corpus ducuntur. Dentes habet maximos, acutissimos, ingentemque oris rictum. *Quartus* toto corpore sanguineo, aureoque distinguitur. dorsum & corporis maculæ ex cæruleo nigricant. *Quintus* πολύγραμμος, totus ruber saturatus. Maculæ in extremo tergore conspicuæ, orriscis non absimiles, sunt nigræ, in capite longæ, & serpentis in morem ferè contortæ, cæruleæ. Lineæ à capite ad caudam recta ductæ, rubræ sunt.

a *Athen. l.7*

b *Aristot. H.A.l.8. c.ult.*

c *Aristot. H.A. l.2. c.13.*

Turdus *Rondeletii Primus* admodum varius est. Unde αἰολος dictus. adauratæ figuram accedēs, pinnarū situ numeroque cæteris saxatilibus similis, dorso fusco, ventre ex albo livescente. Dentes habet recurvos, labra crassa, & rugosa. Oculos sub quibus pars variis coloribus est illustris, magnos & rotundos. Pinnas ad branchias aureas, ad podicem & in tergo flavas, nigris cæruleisque maculis aspersas. *Alter* colore est ex viridi cæruleo, & quia colorem colli Paræus in pinnis & in cauda refert, Pavo dicitur. *Tertius* qui Pulcher dicitur, & à quibusdam *ferculum regium*, multas colorum differentias habet. Viridis est magna ex parte, sed punctis purpureis, cæruleis, Indicis, & aliis confusis coloribus conspersus. pinnis ad branchias flavis seu ruffis, aliis omnibus partim cæruleis, partim viridibus, partim rufis. Branchiarum operculis punctis & lineis

neis rufis, sinuosis, certis spaciis dissitis. Cauda rufa punctis cæruleis, notata. Romæ & in Levino Insula frequentissimus est. *Quartus* circa Monspelium Psittacus, ab eadem colorum varietate dicitur. Dorso est nigrescente, pinna eius virescente. Ventre & lateribus flavescentibus. A branchiis ad caudam lineæ virides ducuntur. Pinnarum in ventre infimæ cæruleæ sunt. *Quintus* Gobionem flavum refert, hoc solo, quòd lineam albam ab oculis ad caudam ductam habeat, & maculis nigris, quibus Gobius aspersus est, careat, distinctus. *Sextus* quinto est similis, nisi quòd huic rostrum sit longius & aquilinum, & linea ab oculis ad caudam ducta cærulea. *Septimus* coloribus variis est insignis, dorso aureo, viridibus maculis consperso, ventre candicante, lineis rufis & tortuosis, nullo ordine dispositis notato, labris viridibus. Cauda & pinnis magna ex parte cæruleis. Branchiarum opercula purpureum quiddam habent. forte Scirrhis Wottoni. *Octavus* solis lineis in ventre sese intersecantibus ab isto distinguitur. *Nono* color est viridescens & flavus, linea ab oculis ad caudam alba, cum multis aliis auri coloris confunditur & obliquatur. *Decimus* colore est viridi. Extrema operculi branchiarum & pinnarum ventris purpura sunt. Oculi sunt rufi; os parvum, venter ex albo flavescit. A Monspeliensibus. Menestrior, hoc est Tibicen vocatur. *Vndecimus* inter Turdos maximus, ad Lupi magnitudinem accedit. Colore est rubricæ, qua pro terra Armenia utuntur. multis nigris & magnis maculis respergitur. Ventre plumbei coloris. *Duodecimo* caput est cæruleum, dorsum virescens. Linea viridis & tenuis, à branchiis ad caudam porrigitur, in extremitate macula rotunda insignis. Quem Gesnerus observavit, ita ab eodem describitur. Dorsum & laterum dimidia pars superior, fusci sunt coloris, maculis crebris, subnigris, variantibus. Lineæ: Inter Saxatiles esse Galenus & Diocles nos doçuere. Non quælibet tamen Saxa amat, sed quæ prope littora sita, musco & alga obducantur. nec longè ab hoc domicilio recedit. In Ponto cum Merula *d* desideratur. Non solis herbis vel alga *vivere*, sed interdum pisciculis, loliginibus, & aliis crustaceis pasci, Salvianus author est. Hyeme aliorum saxatilium more latere aiunt. quo tempore etiam fœtificant. A Merula specie non differre, hunc marem, illam fœminam esse, inter Oppiani errores poni potest. Singulare idem *e* in eis coniugalis amoris exemplum, notat. Mortuo marito progressæ de thalamis fœminæ, errant, communemque cum iisdem mortem oppetunt. Carnem habent mollem, tenerā ac friabilem, ut Galenus prodidit. Trallianus cibum fastidientibus eum commendat, & Ptisannam marinam vocat. Platina quovis modo coqui, sed assum sinapum requirere scribit.

d *Plin. H. N. l. 9. c. 15.*

e *Oppian. Halieut. l. 4. v. 240.*

ARTICVLVS III.

De Pavone Salviani, & Leprade.

PAvo piscis, quem Salviano debemus, cuius & *a* Ambrosius & Isidorus Hispalensis meminere, diversus est à Pavone *b* Philostrati, qui in Phaside Indiæ flumine reperitur, & cæruleas quasdam cristas, squammas versicolores, caudamque auream in quamcunque voluerit partem versatilem, habet. Romæ *Papagalo*, à Lusitanis *Budia* vocatur. Bilibris sæpè est, ad cubiti mensuram perrarò ascendit. figura corporis, lacustri Tincæ absimilis non est. Squamvis latis tegitur, & variis coloribus depictus est. Corpus enim ferè totum, inæquali varietate viret. Ventris pars posterior viret ex albo, anterior ex albo livet. dorsum & cauda, ex viridi nigricant. latera ex viridi partim flavescunt, partim livent. *Caput* quod crassum est ex cæruleo viret, maculis

TAB. XIII. 12.

a *Ambros. Hexam.*

b *Philostratus l. 3. de vita Apoll.*

quam plurimis rubentibus, nonnullisque cæruleis piscem totum nulla habita ordinis ratione pingentibus. *Rostrum* extensum, sed non acutum. *Labia* crassissima, quorum superius duplex apparet. *Oculos* magnos & aureos. *Branchias* utrinque quaternas, & juxta eas *pinnas* latas & rotundas, duasque alias minus latas in ventre. In dorso una satis longa erigitur, cuius anterior pars stricta & aculeis munita est: posterior latior & aculeorum expers. A podice, qui in medio ferè ventre una quoque, duobus aut tribus innixa aculeis, per imum ventrem ad caudam explicatur. *Cauda* in unam pinnam latam ac ferè rotundam violaceam & maculis atque lineolis plurimis cæruleos insignitam desinit. *Interiora* si spectemus, *ventriculum* habet magnum, appendices multas, *intestina* ampla, *hepar* subalbidum, cui fellis vesicula hæret. *Lienem* subatrum. *Victus* ipsi præter algam, & alia marina excrementa, pisciculi. Solitarius est, & sæpe singuli capiuntur. Verno inprimis & autumnali tempore, fortè quod æstate ab caloris, hyeme ob frigoris impatientiam lateant. Ignobilis inter cibos censetur.

TAB. XII. 13. *Aldrovand. de Piscib. l. 1. c. 5.*

LEPRAS seu *Psorus*, quod iisdem præditus sit suggillationibus quibus qui lepra & psora laborant, sic ut nonnullis, sed metuo ne perperam videtur dictus, *Lelepris* Latinis, si vera prodit Rondeletius dicitur. Ex Turdorum est genere. Vix ad dodrantem in mari Adriatico excrescere solet, cum pedem & amplius in Oceano excedat. Totum corpus habet maculis nunc cancellatis, nunc rectis, nunc in obliquum sparsis variægatum. *Squammas* ad oram rubore suffusas, latas. *Caput* non ita multis coloribus cancellatum, quod lineas hinc inde ductas, ex cæruleo, viridi, ac rubro mistas, ostendit. *Oculos* parvos, rotundes: iridem oculorum aëri similem, quam si quando in gyrum contorqueat, cyaneum, deinde aureum, tandem argenteum circulum in crystallini coloris fulgorem referre conspicias. *Os* ipsi parvum, *dentes* albi, acuti. *Maxilla* superior tubi in modũ cranio infarcitur, ut penè duo labia carnosa esse credas: *lingua* alba & penè soluta. Continuam tergoris *pinnam* gerit, sedecim aculeis munitam, atque aliam sub ventre ano vicinam. Omnes pinnæ transparentes sunt, molles, leves, rubro, cæruleo, viridi, & aliis coloribus maculatæ. Linea quæ piscibus utrinque latera dividit, nequaquam in hoc pisce recta procedit, sed à superiori branchiæ angulo arcuata, secundum tergus deducta est: mox ubi tergoris pinna desinit, illuc quidem linea reflectitur, & arcuatur, deinde rectà per mediam caudam defertur. Quantum ad *internas partes* peritoneum habet album, *hepar* ex pallido lacteum, ad sinistram magis protensum, tribus lobis, uno tantum longo duobus brevibus, constans. *Lienem* planum, oblongum, minoris digiti magnitudine, rubrum. *Intestina* eiusdem capacitatis, ut propriè stomachus in eo videri non possit, semel à stomacho ad anum revoluta, multisque omentis obducta. *Lactes* copiosas, & vulvam bicornem. Hanc ex Bellonio, qui eundem cum *Marzapani* dici credit, fortè quod æquè in deliciis ob carnis suavitatem appetatur, ac panis Martius vulgò dictus. Est tamen alius Marzapanis piscis, qui *Rosa* dicitur, & totus maximè in dorso rubet, minus in ventre. TAB. XIV. 1.

ARTICVLVS. IV.

De Merula.

MErula, Oppiani interpreti & Apicio *Merulus*, Plinio medico prodente Bellonio *Piscis Aspratilis*, Venetis *Tinca marina*, Græcis κόσσιφος & κόλτυφος dicitur. De illius colore dissertiunt authores. Numenius apud Athenæum *a Nigram* cognominat. Oppianus ἀιθώνα. Varinus μελανόσιχλον, vocant. Salviano & Rondeletio ex colore Indico & cæruleo nigricant. Hic & sexu distinguit. in mare, colorem ad violaceum magis accedere, fœminæ ex vario nigrescere, scri- TAB. XIV. 2. a *Athen. l. 7.*

scribens. idem colorem Indicum aut purpureum exsaturatum nigrum ab antiquis vocari, quod purpuram nigram. Circæam flore nigro, qui tamen purpureus est, aut Indicus, prodidit. invenitur & quoddam genus dorso nigro, ventre Indico, quibusdam partibus cæruleis. *b* Aldrovandus totum viridem exhibet. Virentẽ & Ovidius reliquit. Colorem mutare apud *c* Ælianum legimus. Omnes in eo conveniunt Tincas figura corporis referre, & squammas latiores quam Turdum, vertebras dorsi valdè erectas habere. Hoc vnum in eius Anatomia dignum occurrit, quod cum *hepar* habeat album, in duos lobos grandes divisum: fel tamen exerat tenui vasculo inclusum, & reuolutionibus duplicatum, cuius longitudo est sesquipedalis. Quam Aldrovandus describit, magis in cauda, obscurius in dorso virescit. pinnarum extremitates cæruleas, branchiarum opercula in fine rubentia habet. Oculorum pupillam circulus ruber, rubrum cæruleus ambit. Inter Saxatiles inque Petris stabulantes ab *c* Aristotele & *d* Plinio referri certum est, quibus & *e* alij accedunt. Pōtum *f* tamen non intrant. *Vescuntur* ijsdem quibus Turdi. Comestum vero *g* primo tentant & premunt, mox iacere sinunt. vbi non palpitare viderint, devorant. *Generationem* quod spectat, marium *h* quisque cum multis congreditur fœminis. Medicam aut Persicam vitam agere diceres. Zelotypia semper vehementer laborant mares, cum partus tempora instant maximè. Fœminis domi quiescentibus, incubant quasi illi foribus, ne insidiæ tendantur. sub crepusculum vespertinum (nocte fieri scribit *i* Oppianus) intermissa custodia, cibum exquirunt. solæ coniugum quæ sunt intus, algas in cavernis & circum petras ad victum reperiunt. Mortuo mare, foras egrediuntur, quæ semper antea domi manebant, fœminç. Impetuntur à Squilla. ideo piscatores, cum eos fœminas observare vident, Squillam vivam hamo affixam demittunt. Merulus, dum se de illo vlturum sperat, arripit, sic capitur, & exigui animi voluptas fit vltio.

b Aldrov. l.1.de Piscib.c.6.
c Ælian. H.A.l.12.c.28.
c Arist. H.A.l.8.c.15.
d Plin.H.N.l.9.c.15.
e Columel. de R.R.l.8.c.16.
Ælian. H.A.l.1.c.14.
f Plin. H.N.l.9.c.15.
g Ælian. H.A.l.1.c.15.
h Ælian. H.A.l.1.c.14.
i Oppian. Halieut. l.4.v.190.

ARTICVLVS V.

De Iulide.

Ιουλὶς piscis Synesio ἰσλὶς, Hermippo Smyrnæo *Hicca*, quo nomine Hermolaus Sturionem intelligi arbitrabatur, aliis *Iurella*, & *Iura*, dicitur. Quia non vna ipsorum species, ideo in descriptione variari, non mirum. Rondeletio digiti non excedit magnitudinem. Varius est, dorso violaceo. Squammis tegitur parvis pinnarum numero, situ, labiis, dentibus recurvis, cauda, aliis saxatilibus est similis. A capite ad caudam subauream lineam ductam habet, hinc inde rostri modo dentatam, cui pars quæ subest colore est cæruleo, ventre candido flavescente. Bellonius addit, corpore esse gracili & oblongo; tanto in tergore *colorum* varietate, vt in eo iridem vtrinque depictam videas. Squammis tenuissimis, multorum colorum, super quibus ductæ lineæ rectæ, cæruleæ, virides, melinæ, rubræ ac fuscæ apparent, contegi. Caudam rotundam habere. Salviani descriptio ista est. Iulis rostro est acuto, &c. Saxatilibus accenseri ex Oppiano *a* colligimus. Antipoli & in toto Ligustico sinu frequentissimum esse nec Adriatico mari infrequentem Rondeletius prodidit. *Vescuntur* minoribus pisciculis, & eorum inopia, alga. Voraces Numenius testatur. Singulares in saxis vivere prodidit cum Salviano Bellonius, gregales facit *b* Aristoteles. Cavent sibi ab hamo, haud tamen escam sæpè præripiunt. Os veneno refertum habere, & in piscatu urinatores & piscatores pertinacissimè persequi, eorumque sanguinem appetere, *c* clarè ab Oppiano & *d* Ælianio affirmatur. Lævia, quæ in adversum Aldrovandus protulit. Ægris in albo iure elixari, sanis in sartagine frigi & assari prodidit Salvianus, fortè si caput amputatum,

TAB. XIV.3.
a Oppian. Hal.l.1.v.124.
b Aristot. H.A.l.9.
c Oppian. Halieut. l.2.v.434.
d Ælian. H.A.l.2.c.44.

tum. Ius alvum emollire apud Dioscoridem; vrinas apud *e* Plinium reperio.

e Dioscor. in facile parabil.

ARTICVLVS VI.

De Phycide.

TAB. XIV. 4. PHycis, qui forte à Phycene solo sexu differt, *Fuca* Theodoro, dicitur. Nostri temporis Græci *Phycida*, vt Gellius ait, *Phocida*, vt Rondeletius, *Phyceam* vt Massarias, *Pephycatismenā* vt Hermolaus, *Lampianam* vt Bellonius, appellant. Nomen, quod in musco marino (φύκος βρύον ἐρυθρὸν θαλάσσιον Neophyto & aliis) nidificet, invenisse creditur. Idē est cum Tinca marina & pisce Ficu, Romæ vocato. (nomen huic quod passi ficus instar, carnis sit mollissimæ & succiplena) Rondeletio refragatur Salvianus, & illum ipsum esse, qui ob magnam cum Perca marina similitudinem Percia dicitur, contendit: nec abludit Aldrovandus. Sane æque repando est vterque tergore, color idem est. Rostro acuto & extento, pinnarum situ, numero, & figura conveniunt. Non credendum tamē eosdem prorsus esse. Caput crassius Phycidi os maius, maioribusque dēntibus in superiore maxilla munitum. Venter non ita prominet. Pinnæ parvis & ruffis maculis non insigniuntur. Lineis transversis nigricantibus, quibus Percę latera notantur, caret. In capite & branchiarum operculis, lineolæ & puncta quædam cærulea, conspiciuntur. Marem nigriorem & squammis amplioribus dixit *a* Aristoteles, sed nec idem perpetuo color. Verno tempore fatur, reliquis dilutior videtur. Quod ἀκανθοσεφῆ apud Athenæum dicit, de aculeis quibus dorsi vel imi ventris spinæ horrent intellexisse, dicendum est. quia nunquam palmi magnitudinem excedunt, ideo φυκίδια ab Aristotele dicuntur. Bellonius non vnum genus esse ostendit. Vidisse enim se fuscos, rubentes, virides, πολύχροας testatur. Addit, omnes pinnam tergoris continuam, duodecim aculeis, munitam, rursus ad branchiarum latera vtrinque vnam, & sub ventre duas, quarum singulæ squammis tegantur latis, firmis, sæpe vliginosis, gerere, dentes insuperiori maxilla utrinque ad latus unum vel duos videri; in inferiore plures; retro in maxillis molares multos. Omnibus lacteum est *jecur*, ad sinistrum magis extensum, fel lateri dextro, oblongo folliculo inclusum, colore subluteum, incumbit. Inter saxatiles Aristoteles, Plinius & Diocles posuere. λιμενίτιν Suidas vocat. & Ovidius inter littorales recenset. Luto, alga, & museo, quod *b* κάυλιον, vocatur, *vescuntur*; & quanquam cætera abstineant carne: squillas tamen sæpissime appetunt: Parituræ, *Nidum* † ex alga sibi construunt, in eoque pariunt. Sic fœtus contra tempestates tuentur.† Bis anno parere *c* Aristoteles author est, Eunuchos apud Oppianum dici falsum. Cynædum enim piscem illis verbis verecūdo circumscribit. Laudantur à Xenocrate in *cibis*, Diphilo etiam ἀπαλώταλα ἰχθύδια καὶ εὐφθαρτα, *tenera carnis pisciculi, ac faciles concoctu*, dicuntur. Sed & *d* Hippocrates inter raram & levem carnem habentes recenset, eūq; viri mulierosi, seu ἀνδρὸς † θηλυφρονος, ἐπωνυμίαν & cognomentum à piscatoribus ferre, innuit. Recēsentur & in Cotyis Thracum Reges convivio. hodie procerum patinas raro implent.

a Aristot. H.A.l.6.c. 13.

b Arist. H. A.l.8.c. 2.

† Arist.H. A.l.8.c.vlt

† Plutar. dololert. animal.

c Arist.H. A.l.6.c.13.

d Hippoc. 2. de vict. ratione.

ARTICVLVS VII.

De Perca marina.

PHycidi PERCAM, quæ Græcis πέρκη, Dioscoridi & Paulo Ægineræ περκὶς, licet Plinius in piscium catalogo pro diversis habuisse videatur, dicitur, & nomen à colore, quē Græci περκὸν dicunt, fortita est, propter similitudinem de qua superius subiungemus. Nota ipsi cum paucissimis piscibus communis, quod trāsversis per tergus lineis conspergatur. Propter istam varietatem Aristoteli est, γραμμαποίκιλος, vt apud Athenæum invenies, quod eadem vivida,

TAB. XIV 5.6. &c.

Aldrovand. de Piscib. l.1.c.9.

ἀνθεσι-

ἀνθέστιχρως Matroni Parodo dicitur. Duo vero ipsius sunt *genera*, *Fluviatile* nempe, de quo postea, & *Marinum*. *Marina* nunquam ad eam ad quam fluviatilis magnitudinem excrescit. Ex colore veluti sanguineo nigricat, & vnam duntaxat eandemque continuam pinnam in tergore habet. Squammis tegitur parvis. Venter livet, latera purpurant. tergus ex flavo nigricat. Aldrovandus tres proponit. *Prima* caput, pennæ, cauda ex rubro flavescunt, seu potius aureo perfunduntur. Supremum dorsum ferrugineum est, deinceps flavescit, mox per latera & ventrem albicat quidem, cæterum maculæ amethistinæ albedinem operiunt. Pinnarum tergoris nervi argenteo colore, reliquarum & caudæ aureo perfunduntur Lineæ transversales quæ à dorso per latera descendunt, ad instar labentis ex alto aquæ, argento emicant. *Os* habet intus album, labra rubicunda. *Altera*, quæ Maioris nomine venit, rostro intus & extra rubet, in ambitu flavescit. Tergus ruffescit. latera & venter albicant. Squammarum extremitates rubent. dorsi pinna tota, & tota fere in extremo crocea. qua Uropygio hæret, dorso concolor est. Branchiarum opercula flava, latis vermiculatisque lineis cineritiis conspersis suggillantur. *Tertia* insigniter dentata est. Tergus & caput ex cinereo flavescunt. Pennæ & cauda nigricant. Latera cærulea. Venter ad amethistinum inclinat. Lineæ laterales obscurè rubescunt, quæ vero à branchiis ad caudam feruntur, in dorso rufæ sunt, reliquæ virides. *Degit* *a* circa muscosa & algosa saxa. Ad littora Oceani Germanici dum, reperiri Albertus scribit, de petrosis duntaxat & asperis id intellexisse credēdus est. Saxatilem esse ex Galeno, Plinio, *b* Oppiano, & Diocle clarum est. Carnibus *vescitur*. Tam mas quam fœmina saxatilium more hyeme *conditur*, quo tempore *c* quoq; *fœtificat*, Marsilius Ficinus celerrimi cursus esse prodidit. In *cibis* salubritatis laude resplendet, hinc proverbium vetus *d* ἀνὶ πέρκης σκορπίον, cum optima post habentur: sed saporis insulsi gratia reiicitur. Plinius in *Medicina* invenisse usum testatur. Nam *e* cinerem è capite salsæ, addito melle, verendorum pustulas discutere. eundem admisto sale, cunila & oleo vulvæ mederi, & suffitione secundas extrahere prodidit.

a Oppian. Hal. l. 1. v. 121.
b Oppian. Hal. l. 1. v. 121.
c Arist. H. A. l. 8. c. 15.
d Zenob. Diogenian. & Suida.
e Plin. H. N. l. 32. c. 9.

ARTICVLVS VIII.

De Channe, & Canadella.

CHANNE Græcis χάννη si fœmina, χάννος si mas, dicitur: (χάννος & χάννη corruptū esse videtur) quibusdam *Hiatula* ab hiando nomen inditum habet, non quod moriens tantum hiet, vt Bellonius credidit, sed quod mandibulas ita constitutas habeat, & perpetuo hiare videatur. hinc Epicharmus μεγαλοχάμμονας vocavit. A Speusippo Percæ & Phycidi ob colorum varietatem confertur. Unde Aristoteles citante Athenæo, ποικιλέρυθρον μήλαιναν, & ποικιλόχραμμον appellavit. De figura nihil apud veteres occurrit. Tantam ei cum Perca similitudinem tribuit Bellonius, vt pisces pene eosdem esse credas, & pro iisdem vendantur. Salvianus rostri acumine, pinnarū situ, numero, & figura, oculis, branchiis, cauda, atque pictorato corpore, Percæ & Phycidi similem Channen prodidit mediocritate oris, paruitate dentium, tenuitate capitis, exiguitate Squammarum ouata totius corporis figura, Percæ. Colorum varietate, inferiore maxilla, & branchiarum aculeis, manifestè ab vtroque distinguitur. Tergus Channæ ex rubro minus quam illarum nigricat. *Venter* & latera violacea quodam albedine notata sunt. Pinna dorsi flavet, quæ vero in imo ventre est, & cauda, rufis maculis insignitur. Ab ore per branchiarum opercula & latera, rubræ quædam lineæ, neque æqualis latitudinis, neque æquis distinctæ intervallis vsq; fere ad caudā dedu-

Tab. XIV 10. 11. 12. Aldrov. d. Piscib. l. 1. c. 9.

deducuntur. Maxilla inferior non solũ rubet, sed superiore etiam prominentior est. ideo perpetuo hiare videntur. In posteriore branchiarum operculi parte duo sunt *aculei* albi & acutissimi, non magni tamen, quibus Phycides & Percæ destituuntur. Ventriculum & intestina ampla habet, *hepar* subalbidum. *lienem* subrubrum. *Calculos* in capite gerit, quod ex Bellonio habemus. *Locum* ipsi in pelago † Aristoteles assignavit; sed *a* Oppianus in saxosis degere docuit. nec piscatorum experientia abludit. Sola carne *b vescitur* carcinis inprimis, & dum per impetum pisces insectatur, sæpe in os ventriculus † procidit. *Sexus* discrimen *c* ambiguum in eis. Omnes enim vuluas habere traduntur. & omnes ouis capiũtur graui dæ. Rem se ita habere, ex plurimarum sectione Rondeletius didicit, inusitatumque hunc conceptum pluri-mæ horum piscium fœcunditati adscribendum retur. Mare oua perficit, & vice maris fungitur. DE CANADELLA, (sic Martegue stagni accolis vocatur) sic Bellonius. Ligustico mari cognitissima Canadella elegantem ac varium habet colorem, &c.

† *Arist. H. A. l. 8. c. 13.*
a *Oppian. Hal. l. 1. v. 124.*
† *Galen. de Natur. facult. l. 3.*
b *Aristot. H. A. l. 8. c. 2.*
c *Arist. H. A. l. 6. c. 13. & l. 4. c. 11*
Plin. H. N. l. 9. c. 16.

ARTICVLVS IX.

De Hepato.

TAB. XIV. 13. 14.

PIscem qui Græcis à colore & magnitudine hepatis Hepatus, à colore rutilo & subobscuro λεβίας vocatur, Hermolaus *jecur marinum*, Gaza *jecorinum*, Galeni interpres *jecorarium* nominat. Diuersum ab Hepato Æliani, pisce *a* breui & oculis conniuentibus, cuius pupillæ ad cyanæum colorem accedunt, sequentia ostendent, An ille, qui ἐν τοῖς μόχοις τῆς θαλάττης, *b* habitat, quia ad natandum, quãuis magnus, segnis, circa latibula sua duntaxat volutatur, idem sit, affirmari vix potest. Descriptionẽ si spectes, Phagrum *c* Erythrinum & Hepatum pro similibus posuere veteres; sed illum rostro breuiorem, serratis dentibus, colore nigro, oculis habita totius ratione maioribus, cauda macula nigra insigni, corde trigono, eodemque quod de suprema forte parte, quam αὐλῶν φλεβονευρώδα vocat Aristoteles, sumendum est, nisi de hepate potius id dici debeat, albo, felle nullo, additum: nec omissum calculos in capite gerere, solitarium esse, & paucas ventriculi *d* appendices habere. Hæ notæ an Belloniano, qui Gesnero describente. Piscis est undequaque fermè rubicundus, circa ventrem albicat, in dorso dimidia sui posteriore parte tribus maculis atris notatur, ultima caudam attingente addente Bellonio. Squammis integitur asperis. Dentes habet quã Phycidis obtusiores, qui pectinatim coeant. Calculos in capite gerit, penes lectorem sit iudicium. Aldrovãdus hunc cuius icon apponitur, ponit, & Rondeletii Hepatum, qui modernis Græcis δείπυρος, verum Hepatum esse opinatur. Et sane piscis est Pagro similis, oculis maioribus, quam pro ratione corporis vt Melanurus; colore obscuro seu ex cæruleo nigrescente, pinnarum numero, situ aculeisque Pagro similis, latiore maioreque cauda, in qua maculam Melanuri instar nigram habet. Dentes ipsi non lati sed rotundi & serrati, Branchiæ vtrique quaternæ, ventriculus cũ appendicibus quatuor magnus. Intestina tenuia, *hepar* album sine felle, *cor* angulatum, in cerebro lapides duo. Verbo, optime cum illo quem ex veteribus descripsimus cõgruit. *Moribus* videtur esse insulsis, & parum ad vindictam pronus, quod apud Athenæum facete Eubulus innuit. Carnis in medio duræ & mollis esse, apud *e* Galenum legimus. Frixi & pauco sale aspersi in cibo sunt suauissimi. Hepar tritum & emplastri modo impostum, omnem tumorem & podagram sanare mentitur Kiranides.

a *Ælian. H. A. l. 15. c. 17.*
b *Ælian. H. A. l. 9. c. 38.*
c *Athen. l. 3. & l. 7.*
d *Aristot. H. A. l. 2. c. 17.*
e *Galen. l. 3. de Alim. facit.*

* *
*

ARTI-

ARTICVLVS X.

De Melanuro, & Alpheste.

TAB. XIV. 15. 16. MELANVRVS à nigredine caudæ quasi Nigricaudam voces, ita dicitur, falso *oculatum* Gaza appellavit, quia tanquam diversi pisces à Plinio ponuntur. An Plauti Ophtamiam recte dixeris, quod Rondeletius fecit, iudicio Tuo relinquo. μελανόγραμμον & πολύγραμμον *a* Athenæus dixit, quod nigræ lineæ latera eius pingant. Hicesius Sargo similem seu corporis figuram, seu nigram caudæ notam spectes, fecit: sed hæc & in sparo, qui ὀρρωπιγόσικτος, invenitur. Palmi magnitudinem aliquando superat, nec amplius quam vnam vel sesquilibram pendit. *Squammis* tegitur, latis, nec facile decidius. Os habet parvum, dentibus parvis minutum. *Oculos* secundum corporis proportionem maximos ex cæruleo nigrescentes, pinnarum numero, situ, & figura, branchiis, & cauda cũ Aurata convenit, hæc latam ac nigerrimam notam habet, latera lineis nigricantibus à branchiis ad caudam deductis pinguntur. Ventre est subalbido: dorso ex cæruleo nigricante. Quantum ad *interranea Hepar* habet magnum, ex quo fellis folliculus pendet. Ventriculum medium. Cor angulatum, in ventre *vesicam* aere plenam, crassam, & densam. Quẽ Aldrovandus depinxit, & cuius hic Iconem damus, totus ex cæruleo amethistinoque nigricat, præter squammarum extremitates & extimum oculorum circulum, caudæq, initium, quæ auro resplendent, pinnæ nigricant. Uropygium supinum candicat, pronum intense violaceũ, & velut nigram maculam constituit, *Vescitur*, prope littora in arenosis locis *b* algæ. Ideo vix vere saxatilis dicitur. Ælianus *c* varias incolere sedes tradit. Bellonius in Oceano Gallico perrarum, in Mediterraneo frequentissimum. Iovius Romæ raro videri, sæpe Neapoli prodidere. Tempestate fervente *d* cibis quos è saxis eruunt vivunt, & abiectissima quoque, quæ alii pisces nisi vrgente fame non attingerent, sectantur; sereno mari in solo sabulo pabulum inquirunt, imo quia vagabundi pisces sunt, non vno solo pabulo contentos esse verisimile est. Sane in *e* Stabiana Campaniæ ad Herculis petram Melanuri in mare panem abiectum rapiunt. Timidissimos esse piscatores testantur, *f* hinc ἀδεγνεῖς *g* Oppiano. Neque nassa capiuntur, nec ad eum accedunt. Mari quieto, in ima eius sede ad petras & algas quiescunt, quocunque tandem tegumẽto protecti, fluctuante, cæteris ob impetum descendentibus, ad petras adnatant, & spumam ad sui tutelam tum sufficere, ac si natura edocuisset, nec tẽtari iratum à piscatoribus mare, arbitrantur. Hepate tamen caprillo, & massa ex pane & caseo facta capi, Tarentino & *h* Oppiano debemus.

a *Athen. l.* 7.

b *Columella R.R. l.* 16.

c *Ælian. H.A. l.* 2. *c.* 17.

d *Ælian. H.A. l.* 1. *c.* 41.

e *Plin. H. N. l.* 32. *c.* 2.

f *Ælian. H.A. l.* 1. *c.* 41.

g *Oppian. Hal. l.* 1. *v.* 98.

h *Oppian. Haleut. l.* 3. *v.* 459.

Laudaturin cibo à Xenocrate, cui Hicesius *i* accedit: à Matrone Parodo reijcitur, illi forte si alga viscatur, huic si cœno & sordidis maris excrementis.

i *Athen. l.* 7. *Dipn.*

ALPHESTES piscis ab inveniendo, nescio quare dictus, *Cynædus* quoque quasi præposteræ libidinis studiosus (fama est *k* semper binos capi, & alterum alteri ad caudam comitem videri) vocatur.

TAB. XV. 1. 2. 3.

k *Athen. l.* 7.

In *Descriptione* variatur ab authoribus si calorem secteris. Veteres omnino cerei coloris, purpurascentes tamen, quibusdam in partibus faciunt. *Plinius* solos piscium luteos esse testatur. Apud *Rondeletium* & *Bellonium corpore* est Pagro strictiore, *figura* Mœnis similis, pedali magnitudine, *dentibus* serratis caninis similibus, *dorso* purpureo, cæteris partibus luteis, squammis in gyrum crenatis, multa scabritie horrentibus. A cervice ad caudam spinas tenui membrana connexas, vnde μονάκανθος, habet.

Plin. H. N. l. 32. *c.* 11.

Aldrovandus Cinædum totum fere Pagri modo rubentem, & aureis, argenteisque maculis exiguis, rotundis re-

dis respersum, quam Illyrici Sebenicenses Cagnizam quasi Catullientē vocant, profert: dat tamen & *alium* tergore amethistino, lateribus ferè cæruleis, ventre candicante punctis cæruleis notato, pinnis tergoris & retro anum viridentibus, illa etiam maculis rotundis viridibus insignita. Cæteræ pinnæ & cauda ex aureo rubescunt.

Rondeletij Cinædo similis est ille qui Venetis *Brasavola*, Lusitanis *Salmoneta* vocatur. Rufus est toto corpore, cauda lutea maculis fuscis distincta, extremitate æquali non arcuata. *Maculæ* nigræ ad pinnarū, quæ luteæ sunt, iuxta branchias initia habentur. *Linea* ruffa à branchiis ad caudam tendit, punctis intercepta nigris. De natura Alphestis nihil planè occurrit, Rondeletius carne & substantia eadem cum saxatilibus esse dicit, tenera nimirum molli, & minime glutinosa.

ARTICVLVS XI.

De Coracino.

TAB. XV. 4. 5. 6. COracinus, Gazæ, *Corvulus* & *Gracculus*, Salviano *Corvinus*, Ausonio † *Corvus*, Tarentino forte κορακινὰς, seu à colore nigro, vt Oppiano *a* placet, qui apud Vitruvium Coracinus; seu quod τὰς κόρας κίνει, quod pupillas moveat, vt Athenæo *b* visum est, nomen sortitus videtur, nisi forte iliud amnico, hoc marino magis conveniat. An idem σαπέρδης, πλαταιςακὸς, Nili accolis πέλτη. Alexandrinis ἡμίνηρος, quod Rondeletius voluit, dictus sit; an vero, quod Aldrovando probatur, Saperdæ nomen Coracino amnico Platistaci eidem profectę ætatis, Peltæ & Hemineri, Nilotico duntaxat sit proprium, in dubio relinquo. μύλλον, non esse Dorionis apud Athenæum verba ostendunt.

In eo ponitur à Rondeletio censu, qui mare simul & flumina frequentant: quod & apud *e* Plinium, *f* Athenæum, & *g* Strabonem inveniri credit, sed quia saxatilem esse ab *c* Oppiano & Aristotele proditum, & excitatis authoribus Coracinum dūtaxat in Nilo esse; quin quod apud Pliniū legitur, Nilo peculiares, colligitur; nec vllum piscem ex mari in Nilum ascendere propter Crocodilorum metum, præter Mugilem, Alosam, & Delphinum Strabo affirmat, duo potius Coracini vt Percæ genera dari credendum est, quam easdem anni & mari communes. Et sane multos in Mæotide palude degere & Dorione: plurimos in lacunō procul Oceano è monte inferioris Mauritaniæ originem trahente stagnante, quam Nilidem vocant, ac Nili ortum credunt, ex Plinio discimus.

Quis *veterum* genuinus Coracinus sit, haud tuto affirmari potest. Speusippus Melanuro similem dixit. Aristophanes ob alarum nigredinē μελανπτέρυγον, Numenius ob varietatem linearum διόλην vocavit, A *recentioribus* quoque diversimode describitur. Bellonius pro eo piscem mari & fluminibus communem ex Glaucorum genere, *Pesce Scarpa* Comensibus nominatum, obtrusit. Rondeletius suum ita describit. Coracinus piscis est marinus &c. Salvianus duplicem dedit. *Prior* qui Romæ simpliciter Corvo & Corvetto dicitur, rostrum habet breve & tetusum. Os &c. *Alter*, qui Corvo de Fortiera Romæ, Niger, iure merito, vt prior albus, quia multo minus nigricat, censendus est. *Rostro*, *ore*, *Capite*, *oculis*, *pinnis*, *cauda*, totius corporis figura, & interaneis omnibus cum priore cōvenit; in eo discrepat, quod totus fere nigricet, aculeum, cui ani pinna inhæret, maiorem & validiorem habet. Pedalem magnitudinem nunquam superat, & saporis suavitate, carnisque teneritudine inferior est. *Gesnerus* Corvulum colore rubro depinxit.

Inter *h* gregales ponuntur Coracini: hyeme *i* *latent*, nec nisi statis diebus, iisque semper capiuntur, quod & Rondeletius affirmat. Nunquam messe Tritici *pariunt*, sed autumno fœtificant inter algas; longo temporis spa-

† *Auson. Epist.* 4.
a *Oppian. Halieut. l.* 1. *v.* 139.
b *Athen. Dipn. l.* 7.
c *Oppian. d. l.*
d *Arist. H. A. l.* 5. *c.* 9.
e *Plin. H. N. l.* 32. *c.* 5.
f *Athen. l.* 8.
g *Strabo. Geogr. l.* 17.
h *Aristot. H. A. l.* 9. *c.* 2.
i *Aristot. H. A. l.* 8. *c.* 15.

ris spacio vterum ferunt, & inter minora *k* genera piscium celerrimo incremento perficiuntur. Anno squallente melius valere, quia per siccitatem tepor accidit, ab † Aristot. proditum est.

k *Arist. H. A. l. 8. c. 10*
† *Arist. H. A. l. 8. c. 19.*
Pallad. R. R. l. 4. Tit. 10.

An adversus arborum formicas polleant, quod ex *Palladio Cœlius l Rhodiginus*, qui pro Coracina pice, Coracinum piscem legi debere ait, affirmat, ignoro. Rondeletium certe experimẽtum fefellit, sed & huic, vero veterum Coracino fidem non tentasse, obiicitur. Meliores sunt cũ vterũ † gerunt. Nilotici marinis, elixis assi, præferuntur. *m* Hicesius, parum alere, facile excerni, succi esse mediocriter boni, dixit.

† *Arist. H. A. l. 8. c. vlt.*
l *Rhodigin. Antiq. Lect. l. 12.*
m *Athen. l. 7. Dipnos.*

Vsum in Medicina quod spectat, lapides in capite repertos calculos cõminuere, vel pituitam ex qua calculi gignantur exsiccando vel pondere seu pellendo, idque sibi experientia cognitum, reliquit Rondeletius.

N. Corvuli iconem refert Tab. 2.

ARTICVLVS XII.

De Exocæto seu Adonide.

TAB. XV. 7. 8. EXOCAETVM, qui *Adonis* & *Cirrhis*, fortè & κίρρα, & κίρρυλος aliis, inter saxatiles esse Athenæus testatur. Squammosus sit an lævis dubium. Nomen ab eo invenit, quod in littore seu sicco dormiat. Subruffum esse, corpore tereti, littoralis & pusilli Cestrei magnitudine, cui digitorum octo longitudo maxima est, piscículo Hirco, (Mœnam marem, quo tẽpore dat operam soboli hunc putat Casaubonus) præter nigram sub alvo maculam quam Hirci barbam vocant, simillimum facit Athenæus, *a* inque eodem à branchiis in vtraque corporis parte lineam albam vno continuo tractu ad caudam vsq; duci addit. Rondeletius sequentem Iconem prò Adonide posuit. Piscis vero est semipedali magnitudine, forma tereti ὑποπυρρος secundum Athenæum, secundum Oppianum ξανθὸς, seu colore aureo, partibus quibusdam virescente, magis rubescente aliis. *Corpore* Mœnis iam fœtis aut Gobionibus similis *Branchias* habet parvas, à branchiis ad caudam lineam candidam continuam.

Athen. Dipn. l. 8.
a *Athen. Dipn. l. 1.*

Miratur eum Arcadia, tamen & in littore Monspelium stertentem, sæpissimè vidit Rondeletius. Quod vero Exocœtum circa Clitorium vocalem & sine branchiis tradit *b* Plinius, impossibile videtur, & habere ostendimus. Nec quicquam de istis *c* Pausanius de vocalibus in Arcadia creditis duntaxat agit, & diversus ab Exocæto marino fluvialis ποικιλος. Diutinæ in sicco *vitæ*; quod magna aeris copia aqua suffocari possit, ob rimæ branchiarum angustiam non trahatur, causa, *d* Rondeletio. Propter eandem & Anguillas diutissimè etiam sub terra vivere, credit: sed, quia in aqua, quæ frigidius clementum, sueti vivere pisces; & anguillæ sine ea senis diebus *e* Aquilone spirante, qui frigidior ventus est, Austro paucioribus; reliqui diutius verno quam æstivo tempore vivunt; difficulter, nimia aeris frigidi attractione extra aquas lædi posse pisces, persuadere poterit. *Vide e Scaligerum.*

b *Plin. H. N. l. 9. c. 19*
c *Pausan. in Arcad.*
d *Rondelet. l. 4. de piscibus marinis c. 9.*
Plin. H. N. e l. 9. c. 19.
e *Scalig. Ex. 273.*

ARTICVLVS XIII.

De Sciæna sive Vmbra, & Glauco Bellonii.

PIscis qui Græcis vulgò σκυάινα, Xenocrati σκίας, σκιαδὴς & σκιαδῆα. Græcis modernis σκίος, nonnullis μηλοπόωοιος, is alicubi *Ovis marina*, communiter Latinis *Vmbrina* & *Vmbra*, seu à colore nigrescente, quam vmbrosum Isidorus, luteum Ovidius vocat; seu à lineis quibusdam obliquis à dorso descendentibus aureis & obscuris, quæ aliarum apparent vmbrę; seu quod dum movetur adumbrantem quendam oculis colorem iridis in morem rutilet; seu à proverbiali ioco, quo σκίας dicebantur, qui non vocati ad convivium veniebãt, quasi multi convivas secuti essent, cum de hoc pisce edendum erat, dicitur.

TAB. XV. 9.
Aldrov. de Piscib. l. 1. c. 17.

Piſcis eſt cetaceus, LX. plærumque librarum, quatuor plus minus cubitos longus. *Squammæ* eius veluti obliquæ apparent, in Oceano nigriores & quaſi opacæ; in Mediterraneo argentei, aurei, atque interdum ab his varii coloris, iridem dum piſcis agitur imitantur, quod Bellonius prodidit. Rondeletius ei lineas obliquas quaſdam aureas, manifeſtas, alias aliarum veluti vmbras attribuit. Aldrovando fere vnicolor eſt, tota videlicet ferruginea, in dorſo, ſupremo capite, pinnis, & cauda obſcurioris coloris; in ventre, lateribus, & branchiarum oſſibus dilutioris, quia ad amethiſtinum inclinat. Salviano, dum parva eſt argentea ferè tota apparet: maior facta, ventre argenteo, dorſo verò & lateribus ſubliventibus ac veluti opacis conſpicitur. *Caput* ex deſcriptione Salviani habet magnũ: in dorſo duas *pinnas*, quarum prior octonis aculeis, nullis altera munitur, ad branchias, quas quaternas utrinque habet, vna vtrinque enaſcitur; duæque aliæ in ventre conſpiciuntur, imo ab ano vna alia hæret. Coracino tam ſimilis eſt, vt ichtyopolæ vnum pro alio ſubſtituant, magnitudine differunt. Sed & pro Glauco ſupponitur, in eo diverſus, quod *dentes* in oris ambitu raros, firmos, acutos, prominentes, terretes, caninis longiores, & graciliores, quæ habeat; (negant habere Aldrovandus & Rondeletius) quorum ſuperiores inferioribus maiores, ſic maxillæ inhærent, vt ipſius pars eſſe videantur. De *Verruca* ſub mento cõtroverſum: affirmant quidam habere, negant alii. *Caudam* in angulos veluti deſinentem gerit, vt Scari & Iulides. *Calculos* in capite habet prægrandes, quorum Ariſtoteles & Plinius meminere; *ventriculum* magnũ & carnoſum; *inteſtina* mediocria & pinguia; *jecur* pallidum, ex quo fellis veſica pendet. Lienem ſubatrum.

Ariſt. H. A. l. 8. c. 19.
Plin. H. N. l. 9. c. 16.

Marinum piſcem omnes fatentur, ſed de *loco* non conveniunt. Arenoſos gurgites melius eas paſcere, Columella prodidit. Oppianus petræã cognominat, & ſaxa herboſa incolere aſſerit, hiſce & Galenus accedit.

Columel. R.R. l. 8. c. 16.

Quia perraro plures capiuntur, *ſolivaga* potius quam gregalis eſſe creditur. *Carnivora* & agilis, & propter lapides in capite frigoris impatiens. Dum caput recondidere, latere ſe totas Struthionum & Phaſianorum inſtar, putant. Oppiani id fide aſſeritur. Cibos quod ſpectat. Inter nobiles ab Ennio, Epicharmo, & Numenio piſces numeratur. Romæ inter ſapidiſſimos, canicularum inprimis tempore cenſetur, & pari tum cum Siluris precio venundari ſoiet. Capita Triumviris rei Romanæ conſervatoribus dono dantur, de quo faceta eſt apud Iovium de Tanuſio hiſtoria. Apud Pictones ex aceto & cæpis minutim conciſis editur. Salvianus cum læucophago comeſtam, caryophillis transfixam, ac verrubus aſſatam laudat. Archeſtratus gulæ ſuo tempore procerum princeps, nobilem capitis condituram multis carminibus expreſſit. De *Carnis* ſalubritate non conveniunt Authores. Galenus Philotimum quod eas mollis carnis piſcibus adnumerarit, reprehendit. Xenocrates bonum ex eo nec admodum copioſum ſuccum generari, & ſaporis eſſe iucundi ſcribit.

Oppian. Halieut. l. 4.
Galen. l. 3. de Alim.

Invenit & in *Medicina* uſum. *Interanea & ſquammæ* combuſtæ, pannos teſte Plinio diſcutiunt. *Lapides* argento incluſi tanquam colicæ amuletum geſtantur. Non emptos, ſed dono datos geſtari debere, nugacis vulgi delirium eſt.

Plin. H. N. l. 32. c. 11.

Glaucus Bellonii pelagius eſt piſcis, ex eorum qui plures patinas implent numero, Lutetiæ inviſus, Genuenſibus frequens, apud quas *Fegarus*, vt apud Venetos Corbetus, quaſi Corvulus dicitur. Maſſilienſibus & Romanis nullo alio quam *Vmbrinæ* nomine venit. Ita de eo Bellonius.

Tab. XV. 10.

***

Arti-

ARTICULUS XIV.

De Anthiis.

TAB. XV. 1.2.4.5.6.7.

ANthiarum nomen omnibus piscibus latis imposuit Bellonius, sed malè : nec idoneum testem habet; nec omnes lati tam pulchri, ut vel Anthiæ, vel Callichtydes, vel Callionymi dici possint. Ex squammosarum esse genere, dubium; à corporis floriditate nomen apud Græcos accepisse, certum. Ἀνλωπίαν eundem ipse Aristoteles facit. Athenæo κυλλιχθυς & καλλωνυμος dicitur, ἔλλοπα vocavere quidam, quo nomine & ille cui squammæ contra aliorum pisciũ morem ad os versus tribuuntur, insignitur : *sacrum* alii seu quod magnus sit, ut morbum comitialem, qui magnus est sacrum dicimus : seu quod quo loco Anthias est, ibi nullam bestiam esse confessum sit, vocant. Hicesius λύκον dici tradit, quod malè in λόβκον Rondeletius vertit. Hesychius enim ἰχθῦν ποιὸν λύκον appellari asserit. Quatuor ipsorum genera ab Oppiano ponuntur.

Oppian. Halieut. l.1.v.254.

Ζαντοὶ ἀρχεννοίπε, τὸ δὲ τρίτον αἷμα κελαινοὶ.
Ἄλλος δ' ἐυόπτός τε, καὶ ἀυλωπὸς καλέοσιν.

Sunt flavæ & niveæ, sunt atro sanguine fuscæ
Euops atq; Auceps alios hoc nomine dicunt.

Totidem & Rondeletius posuit; quorum vix aliquis, cum omnes dentati sunt; Anthiæ verò Oppiano edentuli, probatur. *Prior* totus corpore & pinnis rubens, Pagri aut Cinædi modo, ad imberbes Mullos referri potest. *Alter* Aselli species est: quod neq; salitus, neque vento siccatus, servari potest, vel calidiori in Gallia cœlo, vel occultæ qualitati adscribendum est. *Tertium* ad Turdos pertinere stellulę, quas in pinna ad anum gerit, & corporis forma testantur. Oculos habet magnos, rotundos, purpureos, & rubros. Podicem magnum è quo *intestinum* rubro viridiq; distinctum excidit. Pro *quarto*, (huius generis Oppianus ἐυόπτος καὶ ἀυλωπὸς vocat, id est ἐυοφθάλμους & ὀξυμήκεις καὶ ὀξυόφθαλμοὺς, ut Scholiastes meus exponit, Ælianus cetacei generis & ore robusto facit,) squammosus & latus piscis, quem ex eo, quod supercilia oculos ambiant, Aulopiam esse colligas, ponitur. *Aldrovandus* quatuor quoque Anthiarum nomine è diversis locis sibi missos ponit, sed pro iis non obtrudit. *Primi* venter totus argenteis squammis resplendet : lateribus aureæ intermiscentur. In dorso, quod fuliginosum, unica tantum pinna duodecim armata aculeis visitur, ventris pinnæ ad castaneum verguni. Branchiarum opercula ex aureo & violaceo variant. Labrum inferius tum intus, tum foris ex flavo virescit, quod peculiaris notæ loco esse potest. *Alter* toto dorso pinnis duabus dorsi & quæ retro anum est, viret. Vertice capitis aterrimo, cervice & labro inferiore interna parte purpurascentibus. Ossibus branchiarum auro resplendentibus, ventre toto argenteo purpura permixto. *Tertius* tam amplis violaceis toto corpore variegatur, ut violaceus quasi totus videatur. Pinnarum numero cum superioribus convenit; quæ ad branchias, vergunt ad violaceum, & in extremo roseæ sunt. Iris oculorum & mentum roseo sanguineove colore, specificam & ob quam solam dignosci potest notam, in eo constituunt. *Quarto* inusitata est oculorum ac præsertim pupillæ magnitudo & pulchritudo : iridem ex aureo roseoque permixtam habet. In capite retro oculos, cervice, & ad branchias, amethistin, o aureo, argenteo, cæruleoque variat. Labrum superius habet viride, inferius cæruleum : *linguam* maximam candicantem. Ventrem primum viridem, dein argento & auro ad podicem usque splendentem, ad caudam usque roseum & sanguineum. *Locus* Anthiis in saxis, quæ tamen aliquando, cum ἀδηφάγος οἶστρος ἐλαύνει, deserunt. Ἀνάγκη δήπου τὸν χῶρον ἄθηρον εἶναι, † locum absque bellicis † esse ubi habitant : quod fortè inter ἀφύσεως ἀπόρρητα reputandum est. Unde sacri,

Ælian. H. A. l.13.c.17.

Aldrovand. de Piscibus l.1.c.19.

† Ælian. Hist. Animal. l.8. c.28.

sacri, ut superius dictum dicuntur. *Cum unum hamo teneri vident, lineam secare asperitate dorsi fortè, traduntur, eo qui tenetur extendente, ut secari possit.* Capti οἴκτιστον εἶσι θεάματων, καὶ ἀποθνήσκοντες ἑαυτοὺς ἐοίκασιν θρηνεῖν καὶ τρόπον τινὰ ἱκετεύειν. *miserabile præbent spectaculum & mortem suam lugere, & quodammodo supplicare videntur.*

Plin. H.N. l.9.c.59.

Ælian.H. A. l.12.c. 47.

De ipsorum capiendi modo ita Plinius. *De Anthia pisce sileri convenit, quæ plerosque adverto credidisse. Chelidonias insulas diximus Asiæ scopuli maris ante promontorium sitas, ibi frequens hic piscis & celeriter, &c;* Censentur ab Eustathio inter eos pisces, qui ἀνθρωπόφαγοι, quod ob magnitudinem sumptuum, ganeorum opes exhauriant: sed & θεοὶ Dii, quod pretiosissimi sint, vocantur. Carnis est solidiusculæ. Unde χονδρώδης apud Athenæum (malè χρυδώδης) dicitur.

Fel cum melle inunctum, exanthemata, tubera, scrophulas, & dothienas sanat. Lapides capitis ad collum ligati, *Cephalalgiam* dormant.

ARTICVLVS XV.

De Gobiis squammosis saxatilibus.

TAB. XV. II, 12.

Gobiorum historiam loci & tegumenti differentia intricatam facit. Nobis de squammosis saxatilibus hic res est, eisdemque littorales adjiciemus, ne de iis pluribus in locis agere cogamur. Græcis dicitur κωβίος, Numenio apud Athenæum κῶθος, quem per κωβίον Phavorinus explicat; Latinis *Gobius*, *Gobio*, *Govius*, ut apud Ovidium, & *Cobio* ut apud Plinium legitur. Parvi sunt tam illi, qui in mari, quam qui in aquis. Tzetzes tricubitales fama accepit, quod fortè de illis, qui in rubro mari, prout ab Ælianoproditum, sumendum est. Bellonius ex saxatilibus *album* quendam facit, quem Græci χλώρον & καυλίνην, Rondeletius flavescentem seu pallidum vocat. Est is palmi longitudine, toto corpore rotundo, non composito & spisso, *squamis* rotundis tecto, colore vario. Nigris maculis conspergitur, oculis sursum potius quam deorsum spectantibus. Ad branchias *pinnas* duas habet, in ventre non duas cæterorum more, sed unicam non divisam, quâ notâ Gobii maximè à reliquis piscibus internoscuntur; à podice aliam, in dorso non unicam velut alii saxatiles, sed duas, prior minor est, altera ad caudam usque extenditur. Dentes ei parvi, os magnum, ventriculus, cum multis appendicibus capax. Aristoteles complures supernè circa eum exire scribit. Hepar ipsi album non sine errore tribuit Hicesius. Qui Aldrovando Venetiis missus est, pinnas habebat in tergore binas coniunctas, quarum prior aculeis vigebat, altera levis erat, binas item in pectore, totidemque ab ano omnes nigras. Caudam & superiorem partem corporis nigra. Ventrem candicantem.

Athenæus Dipnos.l.7. Tzetzes Varior. Ælian. H. A. l. 17. c. 6.

Aristotel. H.A.l.2. l.2.c.ult.

Ex *littoralibus* duplices apud Authores invenio. *Albos & nigros.*

Illos Rondeletius ita vocat, non quòd tam candidi sint, ut cum aliorum piscium candore contendere possint, sed quod candore cæteros Gobios superent.

Nigros ita Bellonius describit. Eminentes ac turgentes supra caput *oculos* gerunt. Cornea tunica alba, & ut serpentibus dura obductos, adversus aquarum impetum, & ut sursum facilius ut Uranoscopus cernant. Vix excedunt duorum pollicum crassitiem aut palmi longitudinem. Rarò enim pedales & brachiales evadunt. Etsi autem lubrici sunt, tamen *squammis* integuntur hirtis, *pinnamque* habent unam in tergore continuam mollem & sine aculeis. Pinnas utrinque quatuor latas atq; obtusas, ac præter has sub ventre etiam duas; sed ea, quæ caudam constituit, rotunda est. *Dentes* exerunt parvos, tenues, & subrubros. *Corpus* teres est, paucis spinis refertum, *Color* varius. Etenim qui Gobiones circa algam versantur ad viridem inclinant, alii ad cinereum accedunt, nonnulli albicant, alii ex fulvo in nigrum degenerant. Omnes grandiores sunt capite & lata cervice. At quod

quod ad internas eius piscis partes attinet: peritonæum Gobionibus foris album est, intus nigerrimum, *Hepar* dextro lateri magis incumbit, pallidum, de quo *fel* pendet veluti janthinum. *Intestina* multis circumvolutionibus inflectuntur. *Stomachus* est oblongus, pylorus multis apophysibus præditus vulva undecunque ovis referta.

Facit & Rondeletius Nigri mentionem, quia Venetis Go, à Gallis Boulerot nuncupatur. Digiti is est magnitudine & crassitie, corpore rotundo ferè, non compresso, loco binarum pinnarum, quæ cæteris sunt in ventre, unicam habet nigram, barbam inquit diceres; & exinde Athenæi τραγὸν seu hircum, cui Exocætum confert, esse judicat. Vivit in littoribus & stagnis marinis.

Athen. Dipnos. l.8.

De *Loco* proprio ambigitur. Ovidio littorales sunt; Diocli saxatiles, cui Synesius accedit, dum circa Africæ quoddam littus, loco petroso capi scribit. Aristoteles in fluviis quoque pinguescere ait. A Theophrasto proditur in Ponto regione apprehendi in glacie Piscium maximè Gobiones, non nisi patinarum calore vitalem motum fatentes; quod fortè de lacustribus vel fluviatilibus sumendum erit. Oppiano ψαμάθοισι καὶ πέτρῃσι gaudet. Pariunt juxta littora, suaque ova latiuscula & arenida, ut Aristoteles prodidit, lapidum amplexibus mandant.

Aristot. H. A. l.8. c.19. Theophr. l. de piscib. in sicco. Oppian. l.2 Halieut. v.457.

Ab Æliano inter illos ponitur, qui ἐπιτυνόξαντες ἰὸν ἀφιᾶσι. *Venenum pungendo immittunt*, annumerantur; Oppianus quoque κέντρα πολυκέντα, *aculeos lethales* ipsis tribuit, quod nec cum Ovidio, cui, *spina nocivis non gobius ulla*; nec cum Martiale, *cui in terris Venetis, principium mensæ gobius esse solet*, congruit. Et sanè invenit, & in *cibis* usum, etsi Iuvenali vilissimus videatur Alexandrides in Cotyis Thracum Regis convivio eos nominat. Antiphanes laudat, Phalericos inprimis. Archephonti parasito, qui in Ægyptum ex Attica, à Ptolomæo Rege ad cœnam invitatus, navigavit, Gobiorum frusta tria non sine stupore convivis omnibus visa, apposita sunt. Iovius enim persuavem, & pingui teneritudine delicatum facit. Galenus ad voluptatem, digestionem, & probum succum gignendum præstantissimum, ait. Mnesitheo εὔεγκοι sunt & τρόφιμοι, Hicesio facile excernuntur, & non multum nutriunt, flavescentium substantia rarior & magis putredinis expers. Apud Hippocratem parem in alimonia cum Dracone, Callionimo & Cuculo vim obtinet. Assus & sine sale mansus, nimia egerendi desideria sedat, si Kiranidi credendum, illitum, canum rabidorum, serpentiumque morsibus prodesse Dioscorides prodidit. Dorycinii vim, crudum, tostum, elixum infringere, apud Nicandri scholiasten legimus.

Martialis in Xeniis.

Athen. l.7.

Galen. l.2. de Aliment.

Hippocr. l. de inter. affect.

ARTICVLVS XVI.

De Sphyræna sive Sudi.

TAB. XVIII. i.

SPHYRÆNA, cuius præter Ovidium nullum alium meminisse, perperam scribit Plinius; nam inter Græcos Aristoteles, ex Latinis M. Varro meminere; Atticis κέρκος, ut Athenæus affirmat; (significat hoc, ut & σφῦρα stimulum aut stylum; item teli genus bello Persico inventum) Latinis *Sudis*, ut apud Plinium videmus, Gazæ *Malleolus*, sed malè, Romanis *Lucius marinus* vocatur; sunt qui pro Oxyrincho, quia acuminato est rostro, sumunt.

Athen. Dipnos. l.7.

Plin. H.N. l.9.c.2.

Duas ipsarum posuit *species* Rondeletius ex Oppiano, sed tam dissimiles, ut an ex eodem sint genere dubitari possit. *Prior* enim squamosam à capite ad caudam lineam habet, *altera* squamis omninò destituitur. Totidem & Bellonius innuit, quarum *una* Trachurum colore refert, atque eodem modo sub ventre albicat. *Altera* senescens Mormyri laterales picturas colore assequitur. Quaternæ vix libram pondent, ut optimè Plinius magnitudine inter amplissimos rarum scripserit: visi tamen aliquando bilibres, Colore Asellum æmulatur. *Rostro* est foris cœlato, in extremo cuneato, nigro. *Ore* valdè rescis-

Plin. H.N. l.32.c.11.

rescisso. *Maxilla* superior quæ obtusa & brevior, cum inferiore, quæ acuta & longior ita coit, ut vix oris rostrive scissuram ullam diceres. *Dentes* utrinque habet, in superiore maiores, in inferiore minores. In ipso oris hiatu unus est, cæterorum longissimus & acutissimus, qui ore clauso in foramen anterioris ac membranaceæ partis ita suscipitur, ut extrinsecus etiam paululum emineat. *Lingua* scabra est, denticulisque aspera. *Linea*, quæ à branchiis ad caudam usq; per latus deducitur, & initio flavescit cum dorso, squammis parvulis & duriusculis, mira arte contecta est. De numero *pinnarum* Authores non conveniunt.

Aldrovandi Sphyræna per dorsum nigricat, cætera ad amethistinum vergunt, & eiusdem coloris maculis interstinguuntur. *Linea* flavescit, ruberrimis infra supraque punctis exiguis notata. *Caput* cæruleum. Oculi & pinnæ pallescunt. *Cor* oblongum est, sub quadam vesicula alba inclusum. *Pylorus* à stomacho consurgit tam multiplici *apophysium* seu cœcorum cæsarie intertextus, ut penitus stomachum contegant; nec à quoquam numerari possint. *Fel* ab hepatis loco dextro latere in folle oblongo dependet. *Follem* ei natura vento plenum ob longum, anteriore parte bifidum, utrinque in acutum exeuntem donavit, ne ad imum sideret. Spina dorsi raris vertebris coagmentatur.

Aldrovand. de Piscib. l.1.c.21.

De *loco* non est quod multa dicamus. Ælianus dum pelagias dicit, Smyrænas potius innuere videtur. Expressè enim ex quo ille de piscibus ferè omnia ἐν πέτρησι καὶ ἐν ψαμάθοισιν νέμοντες. Gregatim degere & Aristoteles testatur, & piscatores comprobant. Captis an ὀλιθηροῖσι μελέεσι διεξεπίπλειν *lubricis excidere membris*, quod ex Oppiano Ælianus prodidit, an competat, ex superioribus colligi potest. Non falletur, qui pro Sphyranas Smyrænas legerit.

Oppian. Halieut. l.1 v. 168.
Aristot. H. A. l.9.c.2.
Oppian. Halieut. l.3 v.120.
Ælian. H. A. l.1.c.31.

Quantum ad *usum* Romæ ceu plebeius negligitur, nec peculiarem habet condituræ modum. Hicesius apud Athenæum πεφιμοτέρας congris esse, ἀπειθεῖς δὲ τὴν γεῦσιν καὶ ἀστόμους, εὐχυλίᾳ δὲ μέσους gustui ingratos, ori insuaves, succum mediocriter laudabilem generare dicit: sed cum congri ex cartilagineorum sint genere, Philotimoque δυσκατεργάστεροι dicantur, & Rondeletius carne esse candida suavi, quodammodo friabili, & Aselli carnem referente, cui simul cum Lupo præcipuam authoritatem fuisse Cornelius Nepos, & Laberius Poeta tradiderint; quin Cestræ lumbi cum aliis lautissimis obsoniis ab Antiphane nominentur, vel librarios, vel Athenæum attactum superius errorem commisisse, verisimile est.

Athen. l.7.

ARTICVLVS. XVII.

De Acu.

PVNCTVM I.

De Acu Aristotelis.

PIscis quem Latini Acum vocant, Græcis longitudine & tenuitate Βελόνη, Ῥαφὶς, Athenæo Ἀβλεννής, quasi sine muco, dicitur, sunt qui βληδὸν ut Varinus citat, & βελὸν nuncupant. TAB. XIV. 13.

Vnam eius duntaxat *speciem* Salvianus agnoscit. Bellonius cum Rondeletio *duas*. Nos de Acu Aristotelis, Oppiani, & Bellonii agemus. Hinc autem Rondeletius illum piscem esse credit, quem Bellonius *Typhlinen & Cæciliam marinam* ob corporis figuram, Plinii *Spondylem*, Græcorum vulgo *Herophidiam*; Massilienses *Gagnolam*, quod quoties piscantur, si alios pisces præcedere viderint, lucrum portendi credant, vocant. Piscis est longus, cubiti longitudine, digiti crassitudine, totus subflavus. *Corpus* utriusque sexus angulosum, oblongum, à capite ad meatum excrementorum semper crassescens, sexangulum, sed deinceps, ut tenuius efficitur, pro sexangula quadrangulam formam induit. *Caput* habet exiguum, *Rostrum* oblongum, durum, nec acuminatum. Extrema pars latiuscula exstat, rictus in altitudinem dehi-

dehiscit, figura tubam æmulatur, in extremo tubæ veluti *foramen* conspicitur, tam pusillum, ut tum propter ipsius parvitatem, tum propter rostri magnitudinem angustiamque; ne minimus quidem pisciculus ingeri possit, eo veluti per fistulam, ex humore alimentum attrahit. *Oculi* sunt tam exigui, ut vix milii magnitudinem æquent. *Branchiæ* utrinque quaternæ, podex in medio ferè corpore. De *pinnis* disputatur. Salvianus cum Aldrovando unam parvam & tenuissimam in medio dorso ponit. Bellonius cum Rondeletio duas in lateribus juxta branchias, eam quæ in tergo tam tenuem & exiguam, iste addit, ut vix nisi cum vivit, aut in aquis movetur, conspiciatur. *Interna* si spectes, habet *gulam*, qua plurimi pisces carent, ventriculum parvum, oblongum. *Hepar* pallidum, sub quo dextra parte *fel* cæsium hordei magnitudine continetur. *Cor* vix milio maius. *Vulvam* cæterorum piscium more bicornem, ovis sesami magnitudine, rotundis, rubris, transparentibus plenam. De *intestinis* inter Bellonium & Rondeletium non convenit. Iste gracilia, recta, in spiras non contorta prodit, hic unum tantum album, recta exporrectum, multa pinguedine circumsessum scribit.

Quantum ad *Generationem*; ova se in dissectarum, rima, seu ὑπὸ τὴν γαστέρα διαφύσει, de qua superius, multa invenisse, & multos fœtus jam profectos, quorum maiores partes omnes perfectas habebant, & movebantur; Alii tam tenues & exigui erant, ut oculi duntaxat & rostrum cernerentur, testatur Rondeletius. Emittit illa eo, & quasi in altero sinu fovet donec excluserit, dilatat natura rimam, donec pepererit: à partu vel ita coit ut coaluisse videatur, vel revera coalescit, quod & in cæciliis serpentibus traditur, huicque omninò tribuendum est, quod dehiscenti propter multitudinem ovorum utero, adscripsit Plinius; ex Aristotele, malè de eodem vertit Gaza, nec melius Ælianus deprompsit. Αἱ πολλαὶ αὐτῶν περὶ τὸ πίλειν διαῤῥήγνυνται ὑπὸ τῶν ὠῶν, id est, ut Scaliger vertit. *Multæ earum parturientes disrumpuntur ab ovis.* Quid sibi sequentia verba velint, καὶ ὥσπερ τὰ φαλάγγια περιείχωντο, καὶ περὶ τὴν βελόνην. ἐπίκλει δὲ πρὸς αὐτὴν καὶ τις θίγῃ φεύγουσιν. *Fœtus circa parentem quasi phalangia circumfusi sunt. Ita enim parit, ut ei adhæreant, sed si tetigeris, fugiunt*, difficile est dicere. *De usu in cibo & Medicina* dixisse sufficiat, Carnis esse duræ ac siccæ eoque difficulter concoqui. Unde Hicesio ἀχυλῶ boni succi, & combusti cinerem in potu ad stillicidium urinæ à Galeno commendari.

Aristot. H. A. l. 6. c. 13.

Plin. H.N. l.

Ælian. H. A. l. 11. c. 13.

Scaliger ad l. 6. c. 16.

Athen. Dipnos. l. 7.

PVNCTVM II.

De Acu Oppiani.

ACVM Oppiani ab Acu Aristotelis debere distingui, tum quod hic dentatus sit, tum quod rima destituatur, ostendit. Haud in multam magnitudinem excrescit, seni vix libram pendeat. Vidit tamen & trilibrem Salvianus. *Ventre* est plano, candido & argenteo, reliquo corpore quodammodo ob lineam è squamis contextam utrinque protensam, quadrato, reliquis partibus lævibus, & sine squammis. *Dorso* cæruleo ad viride inclinante. *Rostrum* habet acutum, tenue, longum & durum, ut ait Athenæus. *Caput* triangulare viride. Interiorem *maxillam* superiore longiorem, & in mollem quandam substantiam, degenerantem. *Dentes* utrinque parvos & frequentes. *Oculos* magnos, rotundos, luteos ante quos meatus ad audiendum vel odorandum triangulari figura observavit Rondeletius. *Branchiæ* sunt quaternæ duplices. *Pinnæ* ad branchias duæ parvæ; duæ aliæ sub ventre breves, quas rursus alia sequitur, longè à podice ad caudam se extendens, è cuius regione in dorso alia. *Cauda* brevis est in duas pinnulas terminata. *Podex* non admodum conspicuus. *Rimam* illam quam Aristoteles Acui tribuit circa podicem huius Acus foris quidem conspicuam esse, sed intus minimè videri, Salvianus author est, Rondeletius diligentissimus omniū

TAB. XIV. 14. 15. 16. 17.

Aldrov. de Piscib. l. 1. c. 24.

circa Acum indagator eius non meminit. *Partes interiores*, ventriculum, hepar, inteſtina, quæ appendicibus carent, longa habet. *Hepati* veſicula fellis oblonga adhæret. *Cor* anguloſum eſt. In arenoſis, ſaxoſisque locis *degit*. Solemne ipſis ὅτε κόλπον δικτύου ἐκφύγωσι, *quando ſinum retis effugerint*, iterum reverti, & dum ira velut perciti id dentibus lacerant, in laqueos iterum impingere. Carne eſt dura & ſicca. Frixus & omphacio vel ſucco mali aurantii inroratus edi ſolet; nec ingratus palato invenitur.

Oppian. Halieut. l. 3 v. 605.

Acvs Minor Bellonii *Lacertus* eſt, ſeu *Saurus Acubus ſimilis*. Rondeletio. Piſcis eſt marinus, pedis magnitudine, Acubus brevior & craſſior. *Roſtro* acutiore ſed breviore & ſurſum recurvo. *Dentium* loco maxillas ſerratas habet. *Branchias* quaternas, ſeptem etiam, ut in ſuperiore, quem Bellonius Maiorem vocat, ſupernè ac infernè & in cauda propendentes *pinnulis*; his, *oculis*, & ante hos foraminibus, ventrisque ſquamis ac lineis, quę ventrē ferè quadratum efficiunt firmātque, Acubus eſt ſimilis; carnis ſubſtantia, & poſteriore corporis parte Scombris. *Intra* ventriculus eſt oblongus. *Inteſtina* longa gracilia, in gyrum convoluta. *Hepar* longum rubeſcens: *fel* & *ſplen* nigricantia. Cuius Aldrovandus Iconē dedit, toto corpore ſubviret, maculis ex amethiſtino & cæruleo mixtis, in dorſo intenſius, in pectore remiſſius variantibus. Rarus eſt, & in inſula nomine Liſſa, olim Phuna affatim capitur. Inde ſalitus navigiis transfertur, & maximo quæſtu divenditur.

Articvlvs XVIII.

De Fabro.

Tab. XVII. 1. 2. *Aldrovand. de Piſcib. l. 1. c. 25.*

Faber piſcis, ſeu exinde quod omnia fabrilia inſtrumenta in eo reperiantur, teſte Salviano, ſeu propter multiformes dorſi ac ventris aculeos atque varia capitis oſſa, quibus fabrilia omnia inſtrumenta repræſentātur; ſeu ab atræ fuliginis colore, quod tamen, ſi ex Oppiano deſumptum eſt, Coracino potius tribui debet, ita dictus eſt. An χαλκεὺς ſit, quod Salviano placet, dubitatur. Cum eum Gadibus principatum obtinere ſcribat Plinius; rotundum vel orbicularem, Athenæus faciat. Si eſt, utique & ζεὺς ſeu Jupiter dicetur, nam & hoc ἐξ χαλκέως nomen eſt, ſeu à χαλκεύς formatum; ſeu quod fortè, ut nunc fit, olim etiam in templi Iovis tanquam ſacer ſuſpenderetur. Quidam χειροφάξον nuncupant, an propter maculas laterales, digitorum Divi Chriſtophori ut aiunt veſtigia, vel quod eum quem juſſu Salvatoris Div. Petrus cepit (maculæ prædictæ numiſmatis illius quodammodo figuram exprimere creduntur) opinentur, neſcio. Romæ *Citula*, Liguribus *Rotula*, Hollandis *Gallus marinus* dicitur. Qui Chalciden, Acanthiam vel Citharum, vel Porcum marinum eſſe judicant, falluntur. *Primus* enim inter viles piſciculos à Columella; ab Ariſtotele inter fluviatiles reponitur. *Alter* cartilagineus & rotundus. Citharum piſcem inferius dabimus. Porcus inter magnos piſces recenſetur. Ζαῖος Heſichii idem fortè cum iſto. Cum nec inter ψηφοειδεῖς, qui una parte candicant, nigricant altera, nec inter planos, à quibus oculorum ſitu differt, referri poſſit, benè inter latos cenſebitur, quamvis maximè compreſſo ac plano ſit corpore.

Plin. H. N. l. 9. c. 18.

Coloris eſt varii. *Caput* & dorſum obſcura ſunt, pinnæ nigricant, latera partim ex cæruleo virent, partim aurea ſunt. In medio corpore macula nigra, orbicularis, vel ovata nummi minoris magnitudine, colore cœleſti, cum tribus imagunculis, figura quodammodo Hippocampi, colore aureo, viſitur. *Squammis* tam exiguis tegitur, tenuibusque ut niſi digito ſcalpas vix appareant. *Caput* ipſi compreſſum, extenſum, oſſeum, oſſibus quàm plurimis, variis, anguloſis, tenuibus, atque perlucidis conſtructum, maculis quibuſdā exiguis purpureis exornatum. *Linea* obliqua à capite ad caudam ducitur. *Os* latiſſimum, plurimum hians, edentulum, etſi

etsi quodammodo dentatum pinxerit Bellonius. *Oculi* magni, rotundi, aurei. *Branchiæ* utrinque quaternæ, quarum ossea opercula in aculeos desinunt. *Pinnæ* duæ mediocres ad branchias, duæque aliæ in anteriore ventris parte paulò longiores, ac in quinos velut longos pilos aut setas porcinas degenerantes, ab ano rursus duæ aliæ quarum prior pars quinque duntaxat aculeis constat; altera multo longior, & ad caudam ferè usque extensa, aculeis caret, in *dorso* unica tantum & magna, ut quæ paulò ante medium dorsum exorta, ad caudam usq; ferè extenditur, figura huic pisci propria, & aliorum piscium dorsi pinnæ dissimilis. Primum namque in longissimos pilos eius ferè modo, quàm in anteriori ventris parte conspici diximus terminatur; deinde plurimis robustissimis aculeis intertextis armatur; postremò aliis etiam aculeis osseis multò brevioribus, bifidis atque recurvis, secundum eius exortum in dorso præmunitur. Pars *ventris* utrinque ossibus instar acuti cultri secantibus firmatur. *Cauda* in unam pinnam desinit. *Ventriculum* habet mediocrem, gulam manifestam, intestina parva tenuiusin gyros convoluta, inter quæ ova rubra latere Rondeletius ait. *Hepar* candidum sine felle, lienem rubescentem exiguum, mesenterio hærentem. *Cordis* pars infima rubet, suprema & media ex albo rubescit, quod in paucis piscibus spectatur.

Oppian. Halieut. l. 1 v. 133. In saxis eum degere tradidit Oppianus, in Atlantico & Gaditano generosissimis piscibus adnumerari Columella. Ita carnivorus est, ut nec alia maris purgamenta spernat. An ei stridor competat, quem Chalcidi Aristoteles tribuit, ita ut pro χαλκὴς χαλκεὺς legatur, quod Aldrovando placet aliis judicandum relinquo: mihi, cum brachiarum opercula tam horrida habeat, ut dimota sonitum edant, & verò plurimi ex piscibus τὴν δοκοῦσαν φωνὴν τῇ τρίψει τῶν βραγχίων (ἀκανθώδεις γὰρ οἱ [illegible]) *hoc quod vox videtur, attritu branchiarum quippe loca spinea sunt emittunt*, verisimile videtur. Solivagus est, & erectus, non passerum more in latus conversus natat.

Reputatur inter pisces *carne* satis *tenera* & friabili, concoctu facili, & boni succi. Apud veteres in multa fuisse æstimatione ex Columella dum dicit, *Atlantico pascitur Faber: qui & in nostro Gadium municipio, generosissimis piscibus adnumeratur, eumque prisca consuetudine Zeum appellamus*, didicimus. Cum ob corporis tenuitatem, commodè assari nequeat, aut frictum & omphacio aut aurantii mali succo irroratum, aut in aqua & vino partibus æqualibus, oleo, sale, beneque olentibus herbis atq; aromatibus elixum comedi, Salvianus tradit.

Columella R.R. l. 8. c. 16. Plin. H. N. l. 9. c. 18.

CAPVT II

De Piscibus saxatilibus lævibus.

ARTICVLVS VNICVS.

De Alaudis & Pholide.

INter Saxatiles læves, Alaudæ duntaxat, cum iis qui ad eas pertinent Gutturoso nempe pisce, & Exocæto Bellonii, & Pholis reperiuntur. TAB. XVII. 3. Aldrovand. de Piscibus l. 1. c. ult.

ALAVDAM duplicem facit Rondeletius, *Cristatam* & *non Cristatam.*

Illa corporis specie Scorpioidi admodum est similis. *Colore* fusco, multis maculis partim rotundis, partim oblongis & tortuosis notato, tenui, lævi & lubrico, *ore* parvo, *dentibus* anterioribus serratis, posterioribus exertis, *oculis* parvis cæruleis, in vertice dum vivit erecta est *crista*, mollis & cærulea. *Pinnæ* ad branchias latæ sed breves; in ventre parvæ & tenues. *Podex* non procul à branchiis distat, à quo pinna ad caudam protenditur, alia in cervice ad caudam continua. *Peritoneum* ex nigro viride est. *Cor* angulatum.

tum. *Hepar* ex albo rubet, à quo *fellis* vesica pendet, perspicuitate & coloris jucunditate smaragdum referens. *Intestina* lata sunt, coloris lutei. Ob parvam branchiarum scissuram sat diu extra aquam *vivit*.

Carne est molli, sed ob parvitatem negligitur.

TAB. XVIII. 3. Ad hanc Piscis GVTTVROSVS dictus referri potest. Nigricat quidem ferè undiquaque: sed & punctis cæruleis distinguitur, & color luteus per totam superiorem dorsi pinnæ partem, circa branchias & summo ventre visitur.

Littoralis est, & foramina lapidum aut ædificiorum littoralium subire solet, vel carne vasi iniecta mox exempta capitur.

TAB. XVIII. 2. ALAVDA NON CRISTATA *capite* est parvo & rotundo, *ore* & *oculis* parvis, *dentibus* anterioribus serratis, posterioribus longiusculis, acutis, exertis. *Pinnulas* duas habet ad branchias, duas in ventre, aliam statim à capite ad caudam continuam, item aliam à podice ori satis propinquo ad caudam usque ductam.

Cauda in unicam desinit saxatilium more. *Maculæ* multæ mediæ corporis parti aspersæ sunt.

Aqua, muco, parvis Atherinis & Aphyis *vescitur*. Carnis substantia & mollitudine cristatæ par. In petrarum rimis *degit*, hinc nomen Percepiere sortitus est.

TAB. XV. 7. 8. Huc & Exocætus seu ADONIS Bellonii, qui cum Vrticis plurimum delectetur, & istæ circa littora inter cautes hæreant, mari profundius mergi recusat, in rupibus Bononiæ, in cavis cautium quiescit.

Species illarum sunt plures, quarum una *Cristata* est Massiliæ frequens, primo aspectu Gobium referens. Cute glabra obducitur. Vulgus *Glinos* vocat, colore est subruffo, ut Scorpæna multis aliis coloribus confuso. *Dentes* habet ut Scarus, firmos, continuam tergoris *pinnam*, ac nescio quid supra *oculos*, quod veluti à pellis laxitate procedit, laterum pinnas inversas, duas sub ventre duabus tantum cirrhis radiatas. *Cristati* caput ad Chamæoleonem accedit, in cuius cacumine pinnam Galli cristam referentem videas. *Dentes* habet anteriores acutissimos.

Caudæ pinnam, & laterum rotundam, sub sterno duas; alteram in tergore continuam, maximè latam. *Branchias* tectas, & parvo foramine pervias, sed & detectæ quatuor numerantur utrinque. *Cute* integitur laxa, multis coloribus ut Draco variegata. Chamas & conchylia conficit: sed & urticis interdum *pascitur*. Triduum vel quatriduũ absque aqua vivit.

Tertium Exocæti genus, piscatoribus Byzantinis *Glini*, aliis *Chelidonii* nomine venit.

Rarò sex digitorum longitudinem, & duorum pollicum crassitiem excedit. *Squammis* caret, & lituræ melinæ cyaneæ & fulvæ per tergus diffunduntur. *Pinna* tergoris continua est & mollis, caudæ & laterum latæ, varii coloris omnes. *Branchiæ* sunt contectæ Spinea exterior, ut in Dracone marino, duobus aculeis obfirmatur: sed ab eo diffidet, quòd quilibet aculeus duobus serratis denticulis repandis & aduncis fulcitur. *Caput* habet polymitum, *Os* grande, inferiorem *maxillam* latam & planam. *Dentes* Glino priore aliquantulum minores. Dum scinditur, *branchias* non ostendit integras sed rudimenta coloris paulò magis rubra quàm in Muræna. Non malè ad *Basiliscos* Oppiani referrentur.

Aristot. H. A. l. 9. c. 55. & Scalig.
Scalig. in Aristot. l. c.

PHOLIS à muco ita dicitur, quem emittit. πολιοπλάθεται πολιὸν ἰὸν, καὶ γίνεται καθάπερ θολάμη. *In circuitu eius is concrescit, ac fit quasi cubile.* Antipoli & ab Italis *Bavosa* vocatur. Alauda paulò maior est, dorso fusco, cute lævi, maculosa, ventre pallido. Pinnis aliisque partibus à superioribus non differens. TAB. XVII. 4.

Nec

Necabludit ab his SCORPIODES Rondeletij sic dictus, quod capitis forma Scorpioni marino similis sit, totidemque supra oculos apophyses licet molles habeat. Galli *Leporem marinum*, quia rostrum terreni leporis σχίζομῆ sive *scissura* admodum simile habet, nuncupant. Differt à Scorpio dentibus, quos serratos quidem habet, sed tenues & densos admodum, & in superiore maxilla duos exertos, ab eodem & Galerita pinnæ dorsi magnitudine, duabusque eiusdem pinnæ nigris maculis distinguitur. Littoralis est, muco vescitur & aqua.

****

TITULUS III.

De Piscibus Marinis Littoralibus.

CAPUT I.

De Squammosis non planis.

ARTICVLVS I.

De Mullo.

TAB. XVII. 5. 6. TAB. XVIII. 4. NOn minus benè primum *Mullo* inter littorales pisces locum dari, quam Scaro inter saxatiles datus est, inferius patebit. *Nomen* apud Latinos non tam à mulleorum colore, (calcei erant quibus priores Albanorũ Reges, postea patricij vsi sunt) quod Fenestellæ teste Plinio placet; quam à mollicie invenit. Servitutis est indignatissimus, ut Columella loquitur, & in piscinis nihil vel parum saltem crescit. Græcis τρίγλη non τείγλα, & τειγλὶς quod de fœmina sumendum est, quod ter pariat. Hinc Oppianus τειγόνοισιν ἐπωνυμίης γονῆσι dicit; vocatur. Cretensium vox Στειγληματαρπόνυ ex Græca & Veneta composita est. An γενίωλαι dicantur, quod Hesychius innuere videtur, cum Triglas Græci γενειάλιδας cognominent, in medio relinquo.

Plin. H. N. l. 9. c. 17.

Oppian. Halieut. l. 1. v. 590.

Duo ipsorum sunt genera. Alii sunt *Barbati*, quos γενειάλιδας vocant, quique sola succi bonitate, siquidem alii alga, alii carne vescuntur, differunt: Vnde *Lutarii* apud Plinium nomen: *Imberbes* alii, quos quidam ἀπογώνας, τειγόλας Sophron, & quidem, ὀμφαλοτόμης, quod vmbilicus podexve aut magis quam aliis congeneribus patet, aut minus rotundus est; ἰυδιαίης, quod in summo mari natantes tranquillitatem promittant, nuncupat. Dari tales Salvianus negat, nullum alium ex veteribus eius meminisse, perperam prætendens. Xenocrates enim saxatilem barba destitui innuere videtur, dum pelagium describit. Mullastros recte dixeris, quorum alium imberbem, alterum à squammis asperum Rondeletius facit. Figuræ est totus oblongiusculæ, magnitudinis mediocris; binas libras rarò exuperare, apud Plinium habetur, quadrilibris Seneca, sex librarum Iuvenalis meminere. Si verum est octoginta librarum in mari rubro captum, vt Lucius Mutianus apud Plinium prodidit. Alterius is generis fuerit necesse est, dorso repando, vnde κύφας gibbosas Epicharmus in nuptiis Hebes dixit, ventre plano albicante, cætera purpureo, hinc ῥοδόχροα φῦλα Mullorum apud Oppianum. Matronus Parodus μιλτοπάρηον colore miniaceo fecit. *Squammis* magnis, tenuibus, serratis, obliquo situ dispositis, facilè vt apparet deciduis, robustis tamen. (Tiberius piscatori sibi secreto agenti insignẽ adferenti Mullum, eo faciem perfricari iussit) Pallentes eædem seu ad viredinem vergentes, virgis quibusdam paralellis insignitæ. Si vivus desquametur, *colorem sanguineum* sortiri, hinc χρησώστω apud Plutarchum, & ξανθοχρόϊ apud Nausicratem nomina, Massurius author est. *Mortuum* versicolori quadam & numerosa varietate spectari, rubescentiumque squammarum multiplici mutatione pallescere, vtique si vitro inclusus spectetur, à Seneca & Plinio

Iuvenalis in Satyra. Plin. H. N. l. 9. c. 18.

Oppian. l. c.

Sueton. in Tiberio.

Seneca N. Q. l. 3. c. 17. Plin. H. N. l. 9. c. 17. proditum est. *Caput* habet repandum, multis velut cancellis aureis exornatum, in quo *spinam* Cani similem, quæ renibus apposita, miro sit remedio, Marcellus Empiricus asserit. *Os* parvum, edentulum, *oculos* mediocriter ruffos, in Aldrovandi ex Hispania misso, nigricant. Duo *cirri* cutacei albi in quibusdam, in nonnullis rubri, molles, rotundi, longi, atque barbæ similitudinem gerentes propendent. *Branchiæ* utrinque sunt quaternæ, ad quas pinnæ sunt duæ aurei coloris, in ventre totidem candidæ; à podice rursus alia; in tergore duæ, prior ex firmioribus, posterior mollioribus aculeis constat.

Cauda rubet, & in lunatam pinnã degenerat, ac propterea laterum pinnas, velut in acutum tendere Bellonius autumat. *Interiora* si spectes, gula est parva. *Ventriculus* cum innumeris appendicibus itidem, *hepar* ex albo rubescit, *Splen* exiguus est & nigricat. Scaliger, sinistro illud ventriculi lateri adiacere, dextro hunc, scribit. *Intestina* sunt mediocria; *cor* triangulare.

Scalig. Exerc. 226. l. 15.

Quæ huic adscripsimus Minori quoque Salviani Mullo conveniunt, hoc discrepat, quod purpureo pingatur, aureis lineis careat, & lituris quibusdam flavis ac liventibus notetur, & squammis modico contactu deciduis vestiatur.

Plin. H. N. l. 9. c. 17. De *Loco* ambigitur inter Authores. Septentrionali Oceano & proxima occidentis parte gigni Plinius dixit; Galeno sunt pelagii. Oppiano modo χθαμαλοῖσι παρ' αἰγιαλοῖσι νέμονται *humilia prope littora degunt*: modo inter saxatiles cum Seneca referuntur; nec abludit Ælianus, λεπρώδεις ei à loco, quem incolunt nonnulli, πέτρας λεπτὰς καὶ ἀραίας *minuta & rara tubercula*, aspera illa habere, scribit.

Ælian. H. A. l. 2. c. 41.

Per incerta maris spacia vagari, & circa littora, eorundemque saxa, vt plurimum vel quosdam duntaxat degere, verisimile videtur. Sane imberbem inter saxatiles numerat Xenocrates, & Cantharo ἀσπρῷ tribuit Ælianus; πέτρησιν ἀεὶ λεπρῇσι μέμηλε, *petris semper asperis delectatur* apud Oppianum idem: quam tamen littoralibus annumerare Aristoteles non dubitavit.

Ælian. H. A. l. 1. c. 26. Oppian. Hal. l. 3. v. 340. Arist. H. A. l. 8. c. 31.

Procreantur & in marinis lacubus, detinuit & in vivariis Hortensius ad Baulos, & maiorem sibi habebat curam, ne ipsius esurirent Mulli, quam Varro se habere profitetur, ne sui in rosea esurirent asini. *Gregalis* est & autumno viget. *Pamphagi* sunt, & præter cœnum, unde ipsi Sargus, comes, ostrea, algam, & conchas, quibus apertis inhiant, piscium & hominum cadaveribus vescuntur, & μᾶλλον τοῖς μεμιασμένοις καὶ κακόσμοις φιλήδεσι, *magis sordidissimis & male olentibus*, adde betarum folia, delectantur. De cadaveribus apud Oppianum & Ælianum legimus, & videntur id pugnæ navales & naufragia, quæ magna copia subsequi solent, Rittershusio declarare. Antiphanes tamen inter Helenæ cibos, quod homines non insectarentur posuit. Pisces insectari nullum dubium Orphum ἐπέφηνε inquit Oppianus.

Varro R. R. l. 3. c. 17. Oppian. Hal. l. 3. 435. Ælian. H. A. l. 2. c. 41. & l. 12. c. 42. Rittershus. ad Oppian. l. c. Oppian. Halieut. l. 3. v. 188.

Vescitur lepore marino unum tantum animalium ut non intereat mullus piscis, tenerascit duntaxat & ingratior viliorque fit, verba sunt Plinii. Dum itaque carnivorum Aristoteles negat, ex iis, qui vel præter carnes nihil attingunt, vel viva tantum maris animalia venantur, eximere videtur.

Aristot. H. A. l. 9. c. 37. Plin. H. N. l. 9. c. 17. & 15.

Ter *parere* anno constans est Authorum opinio, his certe toties fœtura apparet. Aristoteles ἐπὶ τῷ πηλῷ διὸ οὐδὲ τίκτειν πολὺ γὰρ χρόνον ὁ πηλὸς ψυχρός ἐστιν, *in cœno, itaque sero parere, diu enim frigidum est*, addidit, solus Ælianus apud Aldrovandum, sterilem reddi postquam ter pepererit, natis in utero vermiculis, qui semen exedunt, prodit, quod mihi nondum apud eundem invenire contigit. *Antipathiam* cum lepore marino habere ex præcedentibus cognosci potuit; addit Aphrodisæus Torpedinem, cuius viribus stupefactivis ista resistere creditur.

Arist. H. A. l. 6. c. 17.

Insignis

Insignis est prodigo veterum luxu seu precium, seu coquos seu lances consideres. Argenti pari pondere sæpius à privatis etiam Quiritibus emptum, cum pedis longitudinem superaret, Iovius prodidit. *Asinius celer Claudio Principe vnum octo millibus nummum*, id est, quadringentis plus minus Caroleis, *mercatus est*, licet magis luxuriam æstimare, quod Plinius suis temporibus neget facile Mullum repertum, qui duas libras excederet. Crispinus Ægyptius ex servili conditione ad equestrem dignitatem Domitiani indulgentia evectus,

Plin. H. N. l. 9. c. 17.

Macrob. Saturn. l. 3. c. 16.

——Mullum sex millibus emit
AEquantem sane paribus sestertia libris.

Iuvenal. Satyr. 4.

Publ. Octavius ingẽtis formæ (quatuor pondo & ad selibram esse aiebant (à Tiberio Cæsare in macellum missum, quinque millibus sestertiis mercatus est. Idem tres, triginta millibus nummum vænisse, graviter conqueritur & annonam macelli Senatus arbitratu quotannis temperandam censet. Nec satis soluta luxuria videbatur, nisi & coci maximo conducerentur pretio. *Reputatio hæc* inquit Plinius *aufert transversum animum ad contemplationem eorum, qui in conquestione luxus, coquos emi singulos pluris quam equos quiritabant. At nunc coci triumphorum pretiis parantur, & coquorum pisces. Nullusque prope iam mortalis æstimatur pluris, quam qui peritissime censum Domini mergit.* Lances quibus inferebatur, *Chrysendeta* Martialis vocat, vel crustis aureis ornabantur; vel gemmatæ fuere; gemmæ auro consertæ & contestæ tenebantur, vt Turnebus explicat. Non eadem tamen omnibus præstantia. Polluci Ionici maximè placent. Actio Syncero qui ad rupes Herculeas capiuntur. Nausicrati Æxonici: Æxonia Magnesiæ urbs est, sed Cratinus eos improbat. Archestratus laudat Tichuntinos; Tichus castellum prope Tachinam Campiæ oppidum est. Corsicæ & Taurominitanę rupes à Iuvenale celebrantur.

Seneca Epist. 96.

Sueton. in Tiberio.

Plin. H. N. l. 9. c. 17.

Martial. l. 2.

Turneb. Adv. l. 14. c. 3.

Iuvenal. Satyr. 5.

Perothus præstantissimos in mari Tyrrheno iuxta Corniculũ, & Tarquinios capi prodidit. Iovius Romæ hyeme & suburbano mari captos maximè prædicari; Ligusticis, Venetis, & Neapolitanis non eam saporis gratiam esse, quanquam multo grandiores in convivia veniant, scribit.

Sed & longius à littoribus captis sua quoque gloria. Purior enim aqua in causa, corporis rubicundus, igneus, aureusque fulgor argumento. Magnas parvis gulæ proceres præferebant, seu propter maiora capita, & iecinora; summopere ista expetita ex Galeno habemus: seu quod ita subtilioribus pabulis placeret; seu vt inexplebilem gulam preciosissimo obsonio explerent, quas Philoxenum Poetam apud Dionysium fecisse legimus. Heliogabalus non integros, sed quod præcipue stupendum Lampridius scribit, barbas eorum plenis discis, palatinis suis apposuit.

Galen. de Aliment. facult. l. 3. Achias l. 2. c. 79.

De carnis qualitate inter scriptores non convenit. Xenocrates obsoniorum præstantissimum, stomacho idoneum, oris gratum, boni succi, carne plana, difficilem ad corrumpendum, mediocrem ad excernendum pronunciavit. Celsus medium inter duras & teneras carnes habentes reponit. Diocli, Philotimo & Psello difficulter concoquitur. Durissima est & valde friabilis, boni nutrimenti, si bene concocta fuerit, Galeno. Apparatus ad Oeconomiam pertinet. *Olim parum videbatur recens Mullus, nisi qui in convivæ manu moreretur. Vitreis ollis inclusis offerebantur, & observabatur morientium color, quem in multas mutationes mors luctante spiritu vertit.* Apicius ad omne luxus ingenium mirus, in sociorum garo (nam ea quoque res cognomen invenit) necari eos præcellens putavit.

Seneca Quæst. Natur. l. 3. c. 17.

Venit & inter *Remedia*. Sanguinis & hæmorrhoidum fluxus promovet. Sæpe sumptus oculorum aciem hebetat.

hebetat. Vinum in quo suffocatus est inter virilis impotentiæ causas, numeravit Trepsiates, nec mulieres si biberint concipere; ideo Dianæ in sacris offertur. Assus torminosis peculiariter prodest, à Tralliano dysenteria hepatica laborantibus præscribitur. Carnes excapitibus decoctæ & cum melle subactæ, ani tollunt vitia. Percussis denique à Pastinaca cum lasere medetur.

Impotentia virilis.

IMBERBEM duplicem nobis descripsit Rondeletius. *Prior*, quem Occitani *Imbriago* à rubore, quo ebriosorum facies inficitur, vocant, rarus est, veteribus parum notus. Hirundini & Cuculo corporis *figura* similis, colore magis rubro, *capite* magno stellulis cælato. *Oculis* magnis, *Ore* parvo, edentulo, pars inferior Cinnabaris colore inficitur. Os branchias operiens in aculeos ad caudam spectantes terminatur, ad quas pinnæ duæ sunt rubræ cum appendicibus aliquot, in ventre duæ aliæ. *Cute* aspera & rubra in dorso & lateribus contegitur. *Ventre* est candido, ad quem è dorso lineæ multæ ducuntur. A capite ad caudam *dorso* medio acutorum osiculorum ordines, cavum efficiunt; è medio pinna rubra aculeis serratis constans erigitur, quod non nisi in Sagittario videbis; quam alia veluti è mollioribus pilis constans sequitur. *Cauda* rubra est Scorpionis caudæ similis. *Ventriculus* parvus cum multis appendicibus. *Venter* vere multis ovis distenditur.

Alter à squammarum asperitate, *Asper* nominatus, *corpore* est brevi, tereti, digiti magnitudine, *colore* minij vel valde purpureo. *Capite, branchiis, pinnis* descripto similis, *squammas* habet parvas, serratas, oblique sitas, à capite ad caudam lineam ex squammis contextam, *pinnas* ad branchias extra candidas, intra ex viridi nigrescentes. *Ventriculum* cum appendicibus paucis parvum, *hepar* candidum, & sine *felle*. *Splenem* parvum ex rubro nigricantem.

Aldrovan. Histor.

Diversus ab hoc *Aldrovandi asper Mullus est*, vtpote totus fere ruber, capite aureis cancellis ornatus, in vertice aculeatus, dorso planus & asper, ventre candicans, branchiarum cæruleis striis pictis, cætera flavescens. *Piscium l. 2. c. 2.*

ARTICVLVS II.

De Hirundine & Cuculo.

QVænam sit Græcorum Hirundo, seu vt illi vocant χελιδὼν ambigitur. Rondeletius eandem cum *Lucerna* Plinij, quod noctu luceat, facit, & in Plinij loco transpositionem arbitrantur. Aldrovandus eum piscem esse, quem pro corace sive corvo Salvianus, pro Lucerna Gesnerus posuere; iudicat, & Hirundinem Plinii ab Hirundine Græcorum distinguit, illamque Rondeletii Mugilem alatum, Bellonii & Salviani veram Hirundinem opinatur. Ut vt sit, videtur *Lucerna* dici, non quod lingua eius per os exerta tranquillis noctibus luceat, (piscibus enim explanata ista, si Aristoteli credimus; & fieri id, piscatores negant,) sed quod vel pinnæ versicolores noctu fulgorem quēdam emittāt; vel quod speciem antiquæ lucernæ gerat, vel denique quod oculi eius noctu luceant, quod verissimum esse iudico. *Caponem* Romani à capitis asperitate & magnitudine dixere.

TAB. XVII. 8. 9. *Plin. H. N. l. 9. c. 16.*

Aristot. l. 2. de partib. Animal. c. 16.

Duæ ipsius sunt species, quæ in omnibus ferè cum cuculo conveniunt. *Ore, rostro, capite* osseo, anguloso, cælato, aculeorum, pinnarum, cirrorum cartilagineorum numero & loco. Maxima in appendicibus, vtrinque ternis, similitudo: in eo distinguuntur, quod binæ *rostri eminentiæ*, quæ in cuculo longiusculæ sunt, in hoc vix conspiciantur, pinna lateribus hærens, primum sit viridis, in extremo cærulea, tergus quoque variegatur. Cuculus denique sæpe tres libras attingat, duas nunquam hirundo. *Squammis* tam exilibus teguntur, vt Gesnerus pro iis asperam habere cuticulam scripserit.

Altera Hirundo duas latas & cæruleas ad latera pinnas, Milvinis brevio-

breviores habet, has per medium fere corpus expandit. *Corpore* quoque est recurvo, & crassiore, grandiore ventre.

Ælian. H. A. c. 2. c. 3. *Solitarios* esse captura arguit, singuli & pauci capiuntur. Cum aliquid metuunt, ex mari exilire dicuntur, sed humilius volant.

TAB. XVII. 10. 11. CUCULUM Græci κόκκυγα, seu à sono, quo avis eiusdem nominis more obstrepit, ut Aristoteles & Athenæus testantur; seu quod cum retibus capitur vocem κὲ exprimat, dicunt. Psellas κοκκύγιον nominat. Typhon apud Athenæum cum τῇ τρίγλῃ sit similis, cum Trigola eundem à quibusdam haberi prodit.

Totus piscis rotundus est carnosusque, vix tres libras superat. Toto corpore præterquam in medio latere, in quo virga ex tenuibus squāmis contexta protenditur, *glaber* est, in dorso à capite ad caudam duo squammarum ordines deferuntur. *Caput* ipsi magnum, osseum, angulosum, totum cælatum, alicubi *aculeis* munitum. *Rostrum* in duas longiusculas eminentias semicirculum constituentes terminatur. Super utrumque oculum supercilii loco brevis, sed acutissimus & durissimus aculeus extat.

Utrumque branchiarum operculum alio & quidem longiori armatur. *Maxillæ* extrema sui parte asperiores dentium vice funguntur. Ante pinnas, cartilaginei cirri, utrinque terni dependent. *Ventrem* habet planum. *Caput*, dorsum, latera & pinnas rubra. *Ventriculum* cum multis appendicibus satis carnosum. *Intestina* lata, inter se convoluta, & multa pinguedine obducta, *hepar* subalbidum sine *felle*. *Splenem* rubrum & parvum.

Oppian. Hal. l. 1. v. 97. Aristot. H. A. l. 8. c. 13. Littoribus ab Oppiano accenseretur. Aristoteles & Ælianus inter illos & pelagios ambigere dixerunt. Inter Brasiliam & Portugalliam densis agminibus volant, & aliquando milleni, sæpe centeni capiuntur. Pinnarum magnitudine adiutus in nando celer est.

Carnem habet plurimam, albam, duram, & siccam. Diphilus Milvo præposuit, quia friabilis, haud temere salubrem censeas. Ab Hipocrate in pituitosis morbis conceditur. Romæ frixus & arantii mali succo irroratus, editur, quidam nec elixum aspernantur.

ARTICVLVS III.

De Milvo, Hirundine Plinii, & Lyra.

MILVUS seu *Milvago* Plinij idem est cum *Hirundine* Græcorum Rondeletii Aldrovando, Græcis ἱέραξ. Oppiano ἵρηξ id est Accipiter dicitur, quod Accipitris species inter aves Milvus sit. *Pinnis* caudaque expansis Milvum avem omninò refert, latis nimirum & maculosis. *Corpore* est rotundo, oblongo, maiori ex parte nigro rubescente, aliquando omninò rubro. Sesquipedalem mēsuram, vel maxime auctus non excedit. *Caput* habet osseum, quadratum, durum, asperum, cuius pars posterior duobus iisdemque magnis & robustissimis aculeis, ad caudam spectantibus armatur. *Branchiæ* quæ tectæ, opercula ossea in duos aculeos robustos desinentia gerunt. *Pinnæ* stellulis maculisque variis asperguntur: *Squammæ* osseæ, asperæ & triangulares serpentium more inter se committuntur. *Cauda* unica atque lata pinna terminatur. Quantum ad *interiora*, *Lingua*, & palatum splendore Sandaracum vel Cinnabarim superant, his noctu lux, ac si candentes carbones ore continerentur. *Ventriculus* mediocris multis appendicibus munitus est, *hepati* pallido vesicula fellis committitur. *Lien* est oblongus & subruber. *Vterus* bifidus, ovis rubentibus refertus. *Cor* angulatum.

TAB. XVII. 12. Aldrovan. de Piscib. l. 2. c. 5.

Qui Hirundinis nomine Aldrovando ex Hispania missus erat, sub oculis ex violaceo albicabat, cancellis quæ ad aureum colorem vergebant, exceptis. *Alas* habebat longissimas & latissimas, ex cæruleo viri-

descentes, maculis plurimis rotundis cæruleis conspersas maiores aureis punctis oculorum qui in Pavonis cauda conspiciuntur similitudine ambiebantur. *Tergus* asperum partim aureo, partim ferrugineo colore tinctum erat.

Quem hic describimus, solo in mari *degit*, & rarò, si Salviano credendum, capitur. Licet edentulus, Carnivorus tamen est. Iuxta littora ubi minor insequẽtium piscium metus est, humilem exercet *volatum*: altum, ubi maior. Ad lapidis ictum volatum protulisse, quatuor extra summam aquam cubitis eminẽs, in Gallico maris interni littore visus est. Qui ad Herculis columnas navigant, tantum aliquando ibi horum piscium volantium turbam affirmãt, ut aves aquatiles esse videantur.

A mensis propter carnis ingratitudinem reiicitur. A nautis templis offerri, ibique ob raram formam suspẽdi, Gillius author est. Rondeletius fel contra *oculorum suffusiones* efficax esse comperit.

Oculor. suffusiones. TAB. XVIII. 5.

HIRUNDINEM Plinij eum piscem Aldrovandus esse judicat, qui Romæ Pesce *Rondine*, Agathensibus *Falco marinus*, Massiliensibus *Landola* dicitur. Si alas auferas ad Mugilis Cestrei inprimis accedit figuram, hinc Mugil alatus Rondeletio. Cubiti magnitudinem attingit. *Squammis* contegitur magnis. *Caput* habet rotundiusculum, *rostrum* acutum, *os* parvum, prorsus edentulum. *Pinnæ* quibus volatum exercet, totum corpus longitudine adæquant. *Caudæ* pinna est lata, magna, lunata, & ceu in duas pinnas desinens. *Linea* quæ in cæteris piscibus à branchiis vel à capite per latera ad caudam dicitur, in hoc pisce à pinnis ventris orta per imum ventrem ad caudam fertur. *Venter* albicat, *dorsum* quod latiusculum est, ex cæruleo nigricat.

Describit & alium Aldrovandus, sub nomine *Mulli alati* seu Lyræ missum, *alis* rotundis, intus virentibus, extra nigricantibus, pinnis pectoris & cauda fuscis, ventre argenteo. Latera, *branchiarum ossa*, & Synciput auro resplendebant. Non omnibus *locis* capitur, & Romæ rarissimum ajunt. Alga & aliis maris quisquiliis victitat, sed carne abstinet. Mugilibus carne & succo similis esse creditur.

LYRA piscis, qui quibusdam *Cephalus*, *Orphus*, *Erythrinus*, imò κίθαρος falso creditur, vel à cornibus anterioribus, quibus similitudinem lyræ repræsentat, vel quod veluti lyræ sonum edat, ita vocatur. TAB. XXIV. 3.

Species eius duas Rondeletius posuit. *Prior* lyra piscis est teres, ruber, *capite* osseo, magno: *rostro* in duo cornua lata protenso, quibus lyræ antiquæ formam refert: quem veterum Lyram Salvianus esse credit: quique squammis parvis & asperis contegitur, & plus ossium quam carnis habet. *Altera*, quam superioris marem quidam esse arbitrantur, sed falso, quoniam in huius quoque ventre ova rubentia reperiuntur; palmi est magnitudine. *Corpus* habet quoad vivit rubrum extincto color evanescit. *Caput* osseum, angulosum, aculeis & eminentiis plurimis asperum, cuius anterior pars in duo longa, lata, & retusa cornua degenerat, sub quorum exortu os est satis amplum, rotundum, & edentulum. Ex inferiore maxilla *cirri* quidam breves, molles & carnosi dependent. *Oculi* & branchiarum ossea opercula aculeis muniuntur. Ex duabus in dorso pinnis prior brevior in longas & rubentes setas degenerat, posterior à medio dorso ad caudam, sed inermis decurrit. *Cauda* in unicam pinnam illamque parvam desinit. Tegitur ossearum atque grandium squammarum, quæ Media sui parte acutissimo, recurvo, atque ad caudam spectante aculeo muniuntur, octonis ordinibus; unde sicuti asper totus ita octangulus creditur. Quantum ad *internas partes*, *ventriculum* habet parvum, cum parvis & paucis appendicibus. *Hepar* pro corporis ratione magnum, album, & in eo fellis vesiculam. *Splenem* parvum & subrubrum. Carnis porum, ideo facile exsicatur & fit levissimus.

Vescitur

Aristot. H. A. l. 9. c. 9. *Vescitur* maris excrementis. Plures capi non solent. *Vocem* grunnitui similem omittit, seu attritu brachiarum, seu suis anterioribus, quas circa ventrem habent. Spiritus enim inclusus in his est, quem dum atterunt atque agitant, sonos illos elidunt.

Utraque quia dura est, damnari ferè in *cibis* solet.

ARTICVLVS IV.

De Phagro & Erythrino.

TAB. XVII. 13. Aldrov. de Piscib. l. 2. c. 8. PHAGRVS seu Pagrus, ἀπὸ τὸ φάγειν, quia vorax est Græcis; à colore fragorum, rubeo enim est, Italis ita dicitur. Cave cum Paguro confundas.

Tanta est inter ipsum & Erythrinum similitudo, ut, cum eiusdem sunt magnitudinis, etiam peritis imponant. Distinguuntur tamen eo, quod Pagrus *hyeme* à ruffo ad cæruleum magis vergat, toto corpore sit latiore & retundiore, Sargi instar recurvus, rostro spissiore, rotundiore, & ad aquilini nasi figuram accendente. Habet insuper *tergoris* pinnam crassiorem: *oculorum* pupillam crystallinum, iridem rubram, peculiaremque lituram, nigricantem, tactu asperam, in lateribus circa cervicem, ubi linea est, quæ corpora piscium intersecat, latam. *Squammas* gerit rotundas tenues & latas. Superior *maxilla* in tubi modum cervici veluti infarcta est, neque cranio inhæret. Cum oscitat exeritur, postea contrahitur. *Dentes* quoque habet acutos; quatuor exteriores parum falcantur; molares, qui rotundi & obtusi, duplici ordine disponuntur. *Interiora* si scruteris, sunt ei lapides in cerebro, *linguæ* in ore veluti rudimentum, *hepar* sine *felle*. *Cor* angulatum, vesica aere plena. Numenius λοφίαν quasi cristatum dixit, quod ea corporis pars, quæ cervici respondet, sublimis sit & alta.

Quem Aldrovandus exhibet, is *pinnis* omnibus tergore & cauda rubet. *Oculorum* ambitus ruberrimus, argenteis lituris conspergitur. A *branchiis* ad caudam linea excurrit, aurea, serrata. *Ambigit* inter littorales & pelagios, inter hos Mnesitheus locat. Oppianus in saxis degere scribit. Quod ex Indico mari salitum afferri Oribasius prodidit, de illo potius, quē Syenitæ in Ægypto sacrum habent, eoque, quod una cum increscente Nilo apparens, incrementum eius denunciet, abstinent, intelligendus est. Oppian. Halieut. l. 1. v. 140.

Victitat alga & luto, sed & sæpiolas, squillulas, loliguncules appetit. Echinis an vescatur, quod nimis aculeati sint, dubito. Isidorus tam duros ei dentes tribuit, ut & ostreis in mari ali queat. Hyeme prægelida, quod lapidem in capite habeat, latet. Inescatur channis sive hiatulis.

Quid sibi Aristoteles velit, dum citante Athenæo Pagrum ἀκμάζειν τὸ ἔαρ, id est *vere vigere* scribit, difficulter intelligi potest, nisi τίκτειν ἔαρος parere vere innuatur. Oppian. Hal. l. 3. v. 185.

Archestratus Syrio exoriente comedendas esse suadet. Suaves & media carne Hicesius posuit. Gellius inter delicatos habuit Sanazarius ex Dicarchi, nunc Puteolos vocant littoribus, celebrat.

ERYTHRINVM, qui peculiare hoc nomen à colore invenit, moderni Græci λέθρινον, Cyrenæi authore Zenodoto apud Athenæum ὄκκην, authore Clitarcho δίκην vocarūt. Theodorus satis ambigue *Rubeculam*, Plinius rectius *Rubellionem* dixit. Idem ne cum Ruburno & Ruscupa, de quibus Murmelius, non disputo. TAB. XVIII. 6.

Palmi mensuram raro excedit. Ruber est ut Mullus, dilutior tamen, unde fortè ξανθὸν Oppianus dixit, latus ut Aurata. *Rostrum* habet acutū, sed non valdè extensum. *Os* parvum, mediocribus dentibus munitum. *Caput* utrinque compressum. Ante oculos, qui magni, foramina patula. *Branchia* quæ in dorso unica est, multis *aculeis* horrescit. Bellonius duodecim, quindecim Rondeletius, viginti duos, Salvianus, novendecim Gesnerus numerat. *Cauda* in lunatam pinnam desinit. Intus candidissimus est.

Peculiaris est mari, hyeme in alto

degit, æstate circa littora capitur. Diversus est ab isto ille qui in lacu Suerinum alluente, non procul Oceano Germanico visitur.

Carnivorus est. Cancellis & aliis pisciculis insidiatur, nec locustis & cicadis parcit. Gregalem esse Athenæus Aristotelis authoritate meminit. *Sexu* non distinguuntur. In omnibus enim reperiri ova Aristoteles author est. *Pariunt* ineunte æstate. Cum sesquipalmum excesserint in dentices seu Synodentas abire, falso Iovius credidit. Ad formam duntaxat coloremque accedunt, minusque solito ruffi, canescunt veluti.

Quantum ad *usum* copiosum alimentum præbent Xenocrati: nunc inter mediæ substantię pisces numerantur, si sint recentes, frixi & frigidi inter saporis iucundi cibos. Aceto & aromatibus in Gallia conspergere mos est. Plinius in cibo sumptũ Venerem concitare & alvum sistere, quod à Xenocrate mutuatus est, scribit, in vino putrefactus, vini tædium adfert, cui illud propinatum fuerit.

Arist. H. A. l. 4. c. 11. l. 6. c. 13. l. 2. de gener. An. c. 4 Plin. H. N. l. 9. c. 16.

Plin. H. N. l. 32. c. 10.

ARTICVLVS V.

De Acarnane & Orpho.

PIscis quem Hicesius apud Athenæum Acarnanem vocat, Diphilo ἀκάρναν, Athenæo alicubi ἄχαρνης ex Gallia, Ethymologo ἀχάρνα, Plinio *Acarne*, dicitur. Scribitur quoque ἀχάρνος, ἀράχνος, & ἀραχνης, sine dubio mendose. Mugilibus infestum esse, iis est, quem Aristoteles innuit, & æstate extenuari, veteres prodidere.

Rondeletius pro eo piscem exhibet, album, *squammis* argenteis, *ore* mediocri, tenuibus *dentibus*, *rostro* aquilino Pagri modo, spacio quod inter oculos est compresso, oculis pro corporis proportione magnis, aureisque pinnis candidis.

Erythrino adeo *similis* est, ut pro eo vendatur. Capitur æstate & hyeme; illa extenuatur, & laborat.

Carne est candidissima, media substantia, facile concoquitur & distribuitur, & bonum succum gignit.

ORPHUS Polluci ὀρφός, vel quod magis Atticum est ὄρφιος, Gazæ *Cernua*, quis apud veteres piscis fuerit, difficile est coniicere, pauca enim quæ ad cognitionem eius faciunt, reperias. Benedictus Tincis similem credidit. Alii *Capitonem* ab oculorum aspectu & rubro colore dixere, quidam quia maiorem Capitone opinantur, sui generis piscem esse tradunt. Gellius ab eo qui hodie in Græcia ita vocatur, non distinguit. Rondeletius maiorem hunc veter. Orpho, qui à *Mullo* devoratur, (viginti enim libras pendet) nec littoralem postquam dixisset, piscem Pagro similem, *colore* ex purpureo rubente, *oculis* magnis, dentibus serratis, *podice* adeo parvo, ut rinula vix animadverti possit, seminis meatibus carentem, pro eodem ponit; eidemque omnia quæ veteres de suo dixere, competere scribit. Bellonius denique alterum compressum magis quam teretem, squammis asperis, & corpori firmiter inhærentibus tectum: *Capite* rubeo; *pinnis* tergoris, laterum *ventris*, & *caudæ* variis coloribus insignibus; labris scabrosis, maculam in radice caudæ gerentem, quem Cretenses *Cheluda*, *Acheluda*, & *Petropsaro* nominant, pro eodem obtrudit.

Ut ut sit, de veterum Orpho scimus, Aristoteli & Athenæo littoralem, Æliano marinum, Ovidio pelagium esse. Numenius thalamis & cavernis delectari; Oppianus in petris cavernosis, quæ plenæ sunt Chamis & patellis; degere scripsit. Carnivorus idem. In Myrinensi Lyciæ sinu ad Apollinis templum, ad sparsas vitulinas earunculas adnotant, easdemque comedunt; brevi tempore adolescit, hyeme latet; in biennium *vitam* non prorogat, & tarde moritur, ideo ὀψιμόρων γένος Oppiano.

In *ciborum* fuit deliciis. Nam & Dorion Opsophagus inter cæteros veluti ex piscibus, Deos ponit; & Lynceus Samius Attico Glauciscо, Ellopem & Orphum Rhodios oppo-

Arist. H. A. l. 8. c. 13. l. 5. c. 10. l. 8. c. 2. & l. 8. c. 15. Athen. Dipnos. l. 3. & 7. Oppian. Halieut. l. 1. Ælian. H. A. l. 5. c. 18.

Aristoph. in Vespis. opposuit, & Aristophanes inter regios pisces retulit. Athenæus εὔχυλον, πολύχυλον, γλίχρον, δύσφθαρτον, πολυτρόφον, & ἐρρωτικὸν facit, quæ sequuntur transposita esse, ut Rondeletius observavit, videntur, qui enim potest aliquid esse γλιχρὸν & εὔπεπτον, glutinosum, & concoctu facile. Phi-
Galen. de Alim. l.3. c.30. lotimus tamen inter duræ carnis *pisces* reposuit.

ARTICVLVS VI.

De Synodonte sive Dentice.

TAB. XVIII. 9. SYnodon piscis παρὰ τοὺς ὀδόντας nomen invenit, quod si prima syllaba per iota scribatur, παρὰ τὸ σίνεσθαι καὶ βλάπτειν τοῖς ὀδόσιν, quod dentibus noceat, ita vocatur. Gaza *Denticem*, Albertus *Dentatum*, alii *Dentalem* nominavere. Plinius Græcam nomenclaturam retinuit. In Adriatico mari in insignem magnitudinem excrescit; in littore Auratam non superat. Vulgarium pondus trium aut quatuor librarum esse solet: decem librarum pondere observavit Salvianus. *Dorsum* habet repandum; latera satis compressa. *Caput* nonnihil fastigiatum, in quo
Plin. H.N. l.37.c.10. lapides, qui *Synodontides* vocantur, gerit; *rostrum* acutum, *Os* satis amplum, valdeque denticulatum, præter minores ac serratos, superior *maxilla* quinis aliis, inferior octonis permagnis, caninis simillimis armatur. *Oculi* sunt magni, branchiæ utrinque quaternæ. In *dorso pinna* unica viginti aculeis munitur. *Cauda* est falcata. *Venter* argenteus, unde album Numenius vocavit: latera & dorsum ex albo rubent. Unde ruber Ovidio ἐρυθροποικίλος Epicharmo.

Aldrovandus *duos* alios fortè *congeneres* huic addit; quorum priori *tergus* viride, *Synciput* aureum, *branchiarum* ossa violacea. *Alteri* os intus & extra subatrum, supra id macula cærulea: sub branchiarum pinnis macula insignis, purpuraceis, aureis decorata squammis. *Venter* flavus, *squammæ* argenteæ.

Pelagium quidem Columella facit cum Ovidio, sed Aristoteli & Oppiano, quibus littoralis est, suffragantur piscatores. Probantur ex Dalmacia & Illyrico, præsertim Salana atque Tragurio. Columella Punicas & indigenas nominat.

Columella l.8.c.16. Aristot. H. A.l.8.c.13. Oppian. Halieut.l.1 v.170. Aristot. H. A.l.8.c.2.

Carne tandem vescitur, & tanta cum aviditate, ut venter in os procidat. Polypi carne inprimis delectatur, quem cubili suo extrudere non possit, ante ostium tanquam mortuus fluctuat, brachium extendentem, arripit, sed & in ostrea ac pisces innoxios grassatur: nec Boce, quod ab Oppiano proditum, parcit. Gregales sunt, & συναγελάζεσθαι καθ' ἡλικίαν solent: per adolescentes κατ' ἴλας νέχοντας, separatim à reliquis natant. ἀντελέστεροι πάλιν κοινῇ. firmiatori ætate inter se vitæ communitate junguntur. Cibo à piscatore demisso, in orbem consistente, & signum quasi eo arripiatur, dant.

Oppian. Halieut.l.3 v.185.

Ab Antiphone inter lautissima obsonia recensentur. Hicesius copiosi esse alimenti, & difficulter excerni scribit. In Italia peculiare condimentum quod amarinare vocant. In Dalmatia concisus & semicoctus multo croco & perspicuo gelu conditur, detestatum Aponensi obsonium.

Ælian. H.A l.1.c.46.

ARTICVLVS. VII.

De Synagride & Chromi.

DE SYNAGRIDE pisce diversæ sunt apud Authores opiniones. Theodorus Gaza pro eodem cum Synodonte sumit. Massarius & Gellius adeò similes, ut vix discerni queant, volunt. Rondeletius sola ætate distingui judicat. Diversos pisces

TAB. XVIII. 10. TAB. XL. 11. Aldrov. de Piscib. l.2. c.13.

vel ex Aristotele colligas, qui diversis in locis, duobus his nominibus utitur. De Bellonio tacebo, qui & modernos Græcos distinguere scribit. Antonius Gigas sequentem iconem pro Synagride misit.

Piscis erat insigniter dentatus, squammis undique latissimis, & facilè deciduis tectus. *Capite* superius sanguineo, inferius ex albo & cæruleo variante. *Ventre* ex albo flavescente, lateribus candicantibus. Bellonius Synagridem Cyprini in modum, veluti circino ita circumductum, ut pro longitudine ac latitudine magis crassus appareat, facit. Caput, inquit, utrinque compressum haber &c.

TAB. XVII. 14. CHROMIS & Cremis κρέμυς idem esse piscis, vel propter nominum similitudinem esse videtur. A grunnitu, quem edit ita dictus est, quod & apud Isidorum qui eundem cum corvo marino facit, legimus; sed is, ne, quem Rondeletius describit, pinnis, spinis & figura Metaurino similis, oculis tamen minoribus absque macula in cauda, toto corpore nigricante; an is, quem Bellonius, Chromis sit, dubitatur. Accedit tamen huic Aldrovandus, sola grunnitus ratione habita. Tenuibus autem is squammis vestitur ex auro nitentibus, ac cæruleum interdum colorem concinnè vibrantibus. Binas (verba sunt Bellonii) *pinnas* gerit in tergore, quarum anterior quæ minor est &c.

In herbosis degere Ovidius author est, quia immundum nominat, & luto gaudere credibile est. Virentibus herbis vescitur. Parit quotannis semel. Exquisito esse auditu apud Aristotelem legimus. Grunnire superius dictum est.

Aristot. H. A. l. 5. c. 9. l. 4. c. 7. & 8.

Vilem suam Chromin Rondeletius facit. Bellonii inter laudatissimos censetur.

ARTICVLVS VIII.

De Aurata.

A Vrata, seu Orata, Græce χρύσοφρυς, quod iis in locis, ubi in cæteris animantibus supercilia esse solent, aureo colore resplendeat, Ephesiis teste Archestrato ἰωνίσκος. Hesychio ἐπελίς dicitur. Ad denas libras cum maximè adolevit, vix unquam pervenit. *Dorsum* habet repandiusculum, ex cæruleo nigrescens. *Latera* compressa, argentea. *Ventrem* lactei coloris. Partes *oculis* superiores auro, in adulto maximè, resplendent. *Dentes* anteriores sunt longi, rotundiusculi, serrati, internæ utriusque maxillæ partes, plurimis osseis tuberculis duris & inæqualibus muniuntur. *Ventriculum* habet amplum cum paucis, ut Aristoteles notavit, appendicibus. *Intestina* ampla pinguedine involuta. *Iecur* magnum & pallidum, à quo *fellis* vesicula, longa, pinguedine obducta pendet. *Splenem* subatrum. TAB. XIX. 2. *Aristot. H. A. l. 3. c. 17.*

Sic est marinus piscis, ut & in lacubus etiam marinis nascatur, quod tales convectis marinis seminibus. Romani replessent. Commachium Bonnoniensibus eas subministrat, & olim Velimus, Sabatinus, Vultinensis, & Ciminus eas procreabat. Sed & circa Berenicem Libyæ fluvium, qui λήθων dicitur, inveniuntur. *Aristot. H. A. l. 8. c. 13.* *Athen. Dipnos. l. 1.* *Aristot. H. A. l. 8. c. 2.*

Cibus ipsi sola caro. Tellinas & conchylia robustis maxillis frangere; Menide tanquam eius esu vehementer oblectetur capi, certum ferè est Scari modo *ruminare* asserit, sed fortè sine authore, Rondeletius.

Æstate circa fluviorum ostia *parit*. Æstus impatientia, mediis ofervoribus, sexagenis diebus *latere* à Plinio proditum est: tempus Aristoteles non expressit. Timidissimos esse captura ostendit. Recedente maximè sub Arcturi tempus mari, arborum ramos frondibus vestitos, in arenam piscatores difigunt: accedente plurimæ attrahun- *Plin. H. N. l. 9. c. 16.* *Aristot. H. A. l. 8. c. 19.* *Ælian. H. A. l. 13. c. 28*

huntur; reciprocante ramorum tu, quiescunt, & ab imperitissimis quoque capiuntur.

Macrob. Sat. l. 2. 11. Columella R.R. l. 8. c. 16. Athen. l. 5.

In precio fuere olim, Ephesiæ inprimis, quas Archestratus celebravit. Sergium Romanum patritum, cognomentum inde sibi adsciviſſe, quòd cariſſimæ ipsi essent Oratæ, apud Varronem Columellam, Valerium Maximum, & Macrobium legimus. De *nutrimenti* qualitate non convenit inter veteres. Mnesithæus difficulter coqui, concoctam multum alere. Celsus duriorem esse. Diphilus cum Melanuro, qui succi bonitate Sargo, Hicesio judice, minus nutrienti, inferior est, proportionem habere, asserit. Ideò Rondeletius carne media esse pronunciavit, saxatilium duriore. Nostra ætate marinæ & quæ hyemè capiuntur, laudantur. Lacustres pinguidiores quidem, sed lutum, quod in eo degant, olent. Apparatum in Aldrovando vide.

ARTICVLVS IX.

De Sargo.

TAB. XIX. 1. Aldrovand. de Piscibus l. 2. c. 16. 17

Σαργὸς an σάρκ@ dicendus sit piscis, dubitatur. Is quem Melanuro Hicesius accommodat, vocatur σάρκ@. Rondeletius gemium nomen agnoscit, à multa carne id habere judicans. Sparo squammis tenuibus, lato corpore; linea à branchiis arcuata, pinna continua affinem Bellonius pronunciavit. *Rostro* acutiore, *dorso* magis repando, *ventre* prominentiore, *dentibus* latis humanisque simillimis, lineis quibusdam, unde πολύγραμμ@, & macula juxta caudam nigra, unde μελανόγραμμ@, & ὀρροπυγόστικτ@ Aristoteli dicitur, distinguitur. *Colore* aliàs est argenteo. *Pinnæ* quæ ad branchias sunt rubescunt. *Branchiarum* exterius tegumentum spineum est. Hepar subrubescit: ab hoc *fellis* vesicula pendet. *Lien* subniger est, & ferè circinatus. Ad multam magnitudinem excrescere assolet.

Aldrovandus binos exhibet. Prior ὀρροπυγόστικτ@, pinnas omnes, præter eam quæ ab ano est, habet aureas: maculam juxta Uropygium violaceam, totum caput ad eundem colorem vergens.

Alter πολύγραμμ@, aureis & argenteis quæ serræ figuram exprimit lineis, elegantissimè condecoratur, pleræq; ad rubiginem vergunt. Gesnerus *in mortuis* lineas evanescere tradit. Ægyptio eum mari vendicat Festus, sed & in Adriatico nascitur. Pelagius nesit an, saxatilis vel littoralis inter Ovidium, Ælianum, Oppianum, & Aristotelem non convenit. Ita littore gaudere dicerem, ut & cautes sæpè frequentet, quod radiis solaribus ibidem commodius fruatur. Sæpe quidem *cœnò* à Mullo excitato contentus est, sed & carnivorum esse certum, quia Lycostomo pisce inescatur. *Gregalem* Ælianus facere videtur: dum confertos capi scribit. Ad motum ut ut benè νωθὴς Oppiano dicatur, in evitandis tamen piscatoriis insidiis λινοπληγίσατ@ est, seu quòd lineam ad scopulos terat, quod apud Plinium legimus: seu quod vel retibus proximus spei piscatorum illudat. λινὸν sanè & pro voti, & pro linea cui hamus affixus est, sumitur. Plures sibi adsciscunt *uxores*, pro his tempore verno pugnant. Vere & autumno *parere*, apud Aristotelem legimus, si quid aliter ab eodem dicitur, de Sargino non Sargo sumendum est. Tam vehementer capras amare Ælianus prodidit, ut ad illarum in aqua umbram, odore fortè illecti, adnatent, & saltu contingere conentur. Ne itaque mirere pellibus earum capi.

Ælian. H. A. l. 1. c. 23. Aristot. H. A. l. 8. c. 17. Oppian. Halieut. l. 1. v. 132. l. 4. v. 267. Plin. H. N. l. 9. c. 59. Aristot. H. A. l. 5. c. 9. Ælian. H. A. l. 11. c. 11.

Fit eorum ab Epicharmo in nuptiis Hebes mentio. Et sanè grati esse stomacho creduntur, probique succi. Cæterum ægriusculè, quia durioris carnis, concoquuntur. Hydropicis Garyopontus præscribit. Dentes gestatos dentium avertere dolores. Kiranides fabulatus est.

Adiungit Aldrovandus Sargo *piscem, quem pro Melanderino*, Athenæo nomi-

nominato, si exemplar mendosum non est, (Causabonus Melanderini nomen ab aliis exemplaribus exulare scribit.) Rondeletius depinxit. Melanuro iste *similis* est. Toto *corpore* nigrescit, circa *caput* ex nigro purpurascit. *Cauda* saxatilium more in unam *latam* pinnam desinit. *Hepar* habet ex rubro candidum. Splenem nigrum, fel aqueum, lapides *in* capite.

ARTICVLVS X.

De Sparo.

TAB. XVIII. 11. QVem Græci σπάρον ἀπὸ τοῦ σπαίρειν, quod est palpitare, ut Eusthatius author est, Latini Sparum, seu à spargendo, seu aliunde vocant: hunc eundem cum *Rhyade* Aristotelis, & Ælianí *Aspargo*, sed perperam, Rondeletius facit. Nec enim vel ῥύας speciale alicuius piscis nomen est, quod Salvianus opinatur; nec videtur isto vocabulo in singulari uti. Ῥυάδες verò, quos Aristoteles, fugere quoties vel piscium lotura vel navis sentina eiecta est, quasi fœdo tactos odore scribit, & quos Gaza modo *flutas*, modo *Spargos*, aliquando *fusaneos*, id est, χύπας, quod fusim retibus capiantur, vocat: ii sunt, qui frequentes quidem & simul natant, fusimque & retibus capiuntur; ducem tamen, quod ἀγελαῖος proprium, non habent.

Arist. H. A. l.4.c.8.

Ælian. H. A. l.9.c.46

De Aspargo nihil apud Ælianum invenies. Gyllius duntaxat Rhyades Aspargos interpretatus est, & multis errandi occasionem præbuit. Haud parvam cum Aurata & Sargo habet similitudinem. Ab illa, corpore minore & magis rotundo, rostro acutiore, & quod circa branchias nullam neque purpuream, neque nigram maculam gerat, distinguitur. Ab hoc verò, quod ex auro refulgeat, lituram in cauda habeat, capite sit magis protenso, tres *aculeos* sub spina quæ est ano vicina ostentet, lienem rubrum, gracilem, oblongum, rectum, in dextro latere habeat, differt.

Littoralem Oppianus facit, Plinius inter marinos recensuit. Ovidius pelagium voluit, sed & marinis stagnis gaudet, inque iis frequenter capitur. Gregalis est, *carnivorus*, venatur & marinos pulices. Æstate circa saxosa littora *parit*. Haud olim ignobilis in cibo. Coquus apud Antippum inter lautissimos recenset. Epicharmus inter eos ponit, quorum ne stercora quidem fas sit Diis abjicere. Diphilus acrem esse ἀπαλόσαρκον ἄβρωμον, εὐστόμαχον, pronunciat, elixum coctu facilem, παχνιστὸν. difficilem addit. Rarò ob parvitatem elixatur.

Oppian. Halieut. l.1 v.109. Plin. H. N. l.32.c.11.

ARTICVLVS XI.

De Mormyro & Cantharo.

DE Mormyro, qui Oppiano μορμύλος, Ovidio *Mormyr*, Gazæ *Mormur*, pauca prodidere veteres. Quem Bellonius describit, Constantinopoli & alibi, nomine veluti per manus tradito, Mormyrus dicitur, videturque notas ab antiquis traditas. (αἰόλον seu maculosum Oppianus, *pictum* Ovidius nominat) sibi vendicare. Piscis est corpore quam Aurata, Sparus, Sargus, & Melanurus longiore, & minus ad latera compresso. Capite item (utor verbis Aldrovandi) tenuiore & cælato, rostroque acutiore. Os mediocre habet, dentes exiguos, labia crassa, oculosque medios, brachias utrinq; quaternas &c.

TAB. XIX. 3.

Oppian. Halieut. l.1 v.100.

Aldrovand. de Piscib. l.2.c.19.

Littoralem esse, præter Archestrati apud Athenæum & Oppiani authoritatem, Cottidiana piscatorum experientia testatur. Nullum non *cibum* attingit, parva animalcula, conchulas, & minora crustacea venatur; nec à terrestribus sordibus abstinet. *Parit* æstate, capitur verriculis, & plagulis, ut Plutarchus ait. Retibus inclusus, imis in vadis, sulco, crebro caudæ motu depulsis arenis facto, subterlabitur. Τροφιμώτατον Hicesius facit, quia lutum olet, vilis nostro tempore habetur.

Oppian. Hal. l.3. v.126. Athen. l.7.

CAN-

TAB. XIX. 5

CANTHARUS Græcis antiquis κάνθαρος, & genere fœminino κανθαρὶς, modernis σκάραβος, Gazæ *Scarabæus*, Plinio & Ovidio *Cantharus*, forte à coloris bætici & ferruginei similitudine, dicitur. Squammis integitur parvis, ex indico splendentibus. Caput & circa oculos partes ex nigro rubescunt. Labrum superius veluti in calva infarcitur. A branchiis ad caudam lineę ducuntur subaureę. Bellonius lineam armatam utrinque in lateribus, cyaneam esse tradit. Observati sunt lineis albicantibus, cyaneis, ex luteo nigricantib⁹, rectis quidem, sed non ita conspicuis variegati. Internis partib⁹ nō differt à Sparo, & lapides habet in cerebro. *Versatur* in cœnosis littoribus ac ꝓtubus, in quæ loca maris sordes fluctibus pelluntur. *Pamphagus* esse creditur. Nam carnes, panis, caseus, aqua & stercus in cibum ipsi cedunt. Turgent amore fœminarum, & quia Zelotypi acerrimè pro suis conjugibus pugnant, sed non aliter, quam Menelaus cum Paride, pro una tantum, quod ab Oppiano & Æliano proditum est. Inescantur Polypo, aut Carabo in nassam viminea indito. Ingratum succo Ovidius dixit. Mollis & præhumidæ carnis fecit Rondeletius.

Ælian. H.A.l.1. c.26.

ARTICVLVS XII.

De Salpa & Stromatheo.

TAB. XIX. 76.

SAlpa Græcis σάλπη & σάλπης, Hesychio & Phavorino quoque βοῦς bos vocatur, quod nomen ipsi ab Halisonorum (maritimi sunt populi Cariæ vicini) piscatoribus inditum est, si bene Pancratis versus apud Athenæum, correxit Gesnerus. Posset & *Chrysopleuros* ab aureo, quo per latera Salpa resplendet colore, dici. A cervice in caudam per argentea latera, aureis rubentibusque lineis, certis intervallis distinctis, decentissimè pingitur: Unde Aristoteli apud Athenæum πολυῤῥαβδοι, πολύγραμμοι & ἐρυθρόγραμμοι, Oppiano αἰολόνωτοι, hoc est, ut Lippius reddit, variis distincta tergora signis, dicuntur. Caput habet parvum & rotundū, dentes in superiore maxilla sedecim, in inferiore octodecim serratos firmos. Oculos aureos supercilia quodammodo virescentes, pinnam in tergo unicam longam, multis spinis asperam. Caudam bifurcam, linguam mediocrem. Squammis tegitur latis & varii coloris. Ventre & lateribus candicat, dorso ex cinereo nigricat. Interanea nigerrimo peritonæo continentur. *Hepar* est magnum, subrubrum, in tres lobos divisum, cui fellis vesica appendet. Splen nigricat. Vulva bifida est, ovis innumeris plena. Bellonius rarò duas libras excedere scribit. In nullo piscium genere exactiorem servari magnitudinem Salvianus, ideo forte à Pancrate ἰσομήκεες, æquales magnitudine longitudineve, quamvis Dalechampius facta ad pisces, quos nominaverat comparatione, id fieri credat. *Duo ipsorum* videntur *genera, commune* unum & omnibus notum quod descripsimus. *Minus alterum* quod in Narbonensi Gallia *Virgadelle*, id est virgis seu lineis distinctum nominatur, quodque in stagnis marinis reperiri, & non nisi ætate à communi differre ex Rondeletio habemus. *Loum* si attendamus, herbosa laxantur arena apud Ovidium. Oppianus Πέτρας ἀμφιάλους φύκεσι μεδαλέας, *scopulos mari cinctos, musco humidos*, illis adscribit. Arist. in mari & stagnis marinis locat. *Cibus* ipsi alga marina, porrū, ut apud Philosophū extat, stercus & alia fœtida. Unde σκατοφάγον, & βδελυχρὴν merdivoram, & fœtidam in nuptiis Hebes Epicharmus, obscœnum piscem Plinius nominat. Semel anno & quidem autumno paulo ante æquinoctium *parit*, quibusdam in locis & æstate, si Aristoteli habenda fides est. Turmatim ab imo gurgite ad littora ferri, moxq; alga, aliisq; marinis herbis pastos, celerrimè in mare demergi, tradit Bellonius, rarò unā, plerumque plures simul capi Salvianus. Cucurbitâ capitur, quod ea delectetur nimium, idque uni ei ex omnibus evenire Aristoteles docuit. *Auditu* valere apud eundem legimus. Nullum ferè inter *cibos* habet pretium. Archestrato semper mala, Diphilo dura & insuavis est. Platinæ sylvestre

Oppian. Hal.l.1. v.125.

Aristot. H. A.l. 8. c.2. & l. 4. c.8.

Plin. H. N. l.9.c. 51.

Aristot. H.A.l.8. c.2. l.4.c.8.

vestre quid & ferinum resipit: circa Ebusam tamen capta haud spernitur. Alexandrina pariter maximè si in Autumno nata fuerit, humidum quid & album, idque non virosum emittit, ut Diphilus refert, sed & circa Mytilenem tempore messis capta haud ingrata est. Omnium tamen dura caro est, ut Plinius percoqui posse neget, nisi ferula prius verberetur.

Plin. H. N. l. 9. c. 19.

TAB. XVI. 7. *Athen. Dipnos. l. 7.*

Huc STROMATEUS pertinet, piscis in rubro mari teste Athenæo nascens, Salpæ similis, & universo corpore, aureis lineis productis distinctis, unde nomen invenit. Rondeletius pro eo subsequentem piscem pinxit, sed non descripsit.

ARTICVLVS XIII.

De Fiatola Romæ dicta.

TAB. XIX. 8. PIscem qui *Fiatola* Romæ dicitur, quidam veterum Callionymum, alii *Ellopon*, nonnulli *Lycon*, Bellonius καλλίδυν esse opinatur. Aurei est & argentei coloris, multisque lituris variegatur. Latus item est ac planus, ut Bellonius scribit, rotundum ferè & compressum, Seserino non valde absimilem, Rondeletius facit. *Linguam* habet carnosam Delphini modo, ad humanam accedentem, suisque partibus omninò absolutam, quod inter cæteros branchiis præditos solus habere videtur. Vendicat & hoc sibi peculiare, quod *pinnis* sub ventre careat, sitque omninò inermis. Gerit quoque branchias utrinque quatuor superiorem maxillam immobilem, Caudam, lunatam, lineam à capite sub ventre ad umbilicum extensam, atque utrinque in cervice maculam nigram, Squammis in eo duntaxat lineæ ductu, qui piscis latera distinguit. Hepar ipsi unius lobi nullo felle præditum. *Stomachus* in litteram V. efformatus, cuius infima pars, in mucronem terminatur, & ad pylorum tam numerosas *appendices*, ut nulla arte numerari possint, habet. Intestina fulcit glandulosum pancreas. Lien stomacho subest. Benè in hunc piscem καλλίχθυν Bellonius vocet, non disputo, hoc tantũ addo, Cetaceis hunc ab Oppiano annumerari, dentes serratos habere & gregatim degere, quod fortè Fiatolæ non competit. Adjicio tamen Bellonij in icone Callychtin, quem Gesnerus pro Hepate primo habebat. Quod reliquum est, frequens est Romæ Fiatola, alibi rarus & incognitus. Rondeletius suis littoribus nunquam visum asserit. Fertur ex pulmone marino *nasci*, & optimi saporis esse.

ARTICVLVS XIV.

De Scorpio & Scorpide.

SCorpius piscis, qui Plinio aliquando *Scorpio*, ab insecto nomen traxit, non quod vel corporis figura id, vel colore æmuletur; sed quod, ut aculeo Scorpius terrestris, quem habet in cauda, ita hic spinis quibus in tergore & capite armatus est, venenum vulnerando infligat. Putatur à Scorpide sexu duntaxat differre, ut hic sit fœmina, ille mas: sed videntur specie distingui, & Scorpis cum Scorpœna pro uno pisce habebuntur. Trilibris quandoque datur; in mari rubro ad duorum & trium cubitorum magnitudinem excrescere, Ælianus: ad tantum & apud Inoos Tzetzes scribit. Corpus habet rotundum, anteriore parte crassissimum, posteriore teniæ. Squammas tam exiles & tenues, ut nisi advertas, iis carere videatur. Solo ventre albicat, cætera rubet, unde Plinio ruffus, Numenio ἐρυθρὸς, Hicesio πυῤῥὸς, Diphilo κιῤῥὸς nominatur, quia nigras quasdam procopius notas habet, benè Epicharmus ποικίλον dixit. Caput ipsi magnum, angulosum, durum, osseum, plurimis acutissimis aculeis munitum. Os magnum, dentes confusos, densos, in inferiore maxilla triangulares, superciliorum loco aculeus acutissimus Cuculi instar, cum appendice cutacea molli, branchiæ utrinque quaternæ, osseo aculeatoque exprimento contritæ: juxta eas binæ latæ pinnæ, totidemque ex harum regione in ventre sed minores, in dorso uni-

TAB. XVIII. 12. TAB. XIX. 9. 10. TAB. IV. 7.

Ælian. H. A. l. 17. c. 6. Tzetz. l. 7. v. 144.

de Vice Scorpii singularem refert Historiam Bartholin. de Vice Bom. et Brat. Lib. 1. p. 313 & 314.

so unica à cervice ad caudam usque excurrens, anteriore sui parte undecim vel duodecim firmis aculeis horrida, cætera obtusa & innoxia. Cauda unica ac lata pinna constat. Duo ipsius genera posuere veteres, πελαγώδης nempe, & *pelagium*, ut apud Athenæum legitur; sed videtur idem utrinque esse. Alii fortè duntaxat sunt littorales, & nigri; alii ruffi, & in altum quoque se efferunt. Inter littorales ergo ne sit, an pelagios ambigitur, cum & Mnesitheus apud Athenæum saxatiles esse testetur. *Carnivorus* est & Aphyis, Spatulis, Gobionibus, Cancris inprimis vescitur, nec algam spernit. *Fœtificat* in alto mari teste Aristotele; bis, eodem authore, *parit*, vere & autumno, secundum Oppianum αὐλεπόρεσι φέρει βέλος, ὠδίνεσι *quaternis sustinet telum partus doloribus*. Ictum eius venenatum pestiferumque apud Dioscoridem & Avicennam legimus. Gravissimos infert dolores, quandoque & inflationem ventris accersit. Mullum dissectum & impositum remedio esse Aetius & Paulus tradidere. Rondeletius cum ipsius Scorpionis hepate, & lentisco contuso, ad vulneris ambitum applicato, expertus est. *Vsum & in cibis* & in Medicina invenit. Hicesius apud Athenæum abstergere, excoctu facilem, multi succi, plurimi nutrimenti, quod χονδρώδης, id est, carnis solidæ, firmæ, callosæ, ac velut cartilagineæ (malè inter στλάχη & χονδρόκανθα referres) sit, facit. Commendatur, qui hyeme, locis saxosis, & puro mari captus est. Duritiem diuturna mortui asservatio emendat. Calore naturali evanescente, externo colliquante humidior efficitur. Archestratus in Thaso non longiorem pygone (viginti digitorum mensura est) emendum censet. *Medicinam* si spectes, jus alvum apud Plinium & Dioscoridem emollit. *Fel* ad menses vel secundas tam exceptũ ab Hippocrate usurpatum. Plinio verrucas tollit, & unguiũ scabritiem emendat. Marcello à nebula & caligine liberat. Lapis, qui in capite è stranguriosis utiliter bibitur.

Athen. Dipnos. l.7.

Athen. H.A. l.8.

Aristot. H.A.l.5. c.9.

Plin. H.A. l.9.c.51.

Oppian. Halieut. l.1.v. 590.

Dioscor. l.6. c.61.

Plin.H. N. l.32.c.9.

Hippocrat. de morb. mulier. 1.

SCORPIDEM & SCORPÆNAM pro eodem pisce Aldrovandus sumit. Specie à Scorpio, ut supra dictum, quod colore & succo differant, ut Athenæus ait, distinguit. *Scorpidium* Psellus vocare videtur. Cinericia est Bellonio, & multo Scorpio minor, de cætero (tam etiam vivax, ut exenterato & corde carens moveri non desinat) Scorpio in omnibus ferè similis. *Vescitur* algâ & sordibus marinis. Castitatem immaculatam generi suo servat, itaque habet pudicitiam sui generis, sed venenum sui generis non habet. Non enim percutit Scorpæna sed reficit. Apud Athenæum Scorpio in cibo posthabetur. TAB. XVIII. 12.

Ambros. Hexam. l.5.c.2.

ARTICVLVS XV.

De Blenno & Pectine Romanorum.

BLennus Oppiano βλέννος contractè à βέλεννος, Athenæo fortè βαιὸν, quod præ corporis crassitie brevis (βαιὸς idem quod minutus) Sophroni κωθῶ potius qui idem cum Gobio, quam κωθιῶ specie similis, dicitur. Corcyrenses & Zacynthii *Cepolam* à Cepæ similitudine propter turgidũ ventrẽ appellant, exinde *Bulbum* Plinii esse Bellonius coniicit. Rarò Gobium magnitudine superat. Colore est vario. Licet totus ferè liveat, plærisque tamen locis rubet, quibusdam etiam flavescit. Squammis paucis, tenuibus, & tam facilè deciduis tegitur, ut tum ad hoc, tum quod ob plurimum mucum, quo oblinitur, adeò lubricus sit, ut vix manibus adstringatur. Caput habet magnum, oculos eminentes, nigros. TAB. XIX. 11. TAB. XXXI. 3.

Labrum superius capiti ceu tubum quendam infixum. Dentes serratos, sed adeò exiguos, ut os asperum potius, quàm denticulatum appareat. *Linguam* albam conspicuam. In latiore pinnæ tergoris parte, macula nigra, albicante circumdata circulo, parvi argentei numismatis magnitudine, oculorum in cauda pavonis figura conspicitur. Reliqua in icone visum-

visuntur. In algoso littore *versatur*. Romæ rarus, in Græcia frequentior. Non longè à loco, quo degit evagari solet. *Vescitur* apuis, squillis, similibusque pisciculis, horum inopia ipsas depopulatur herbas. Gulosus est; sed & stultus Plauto, nisi Blennum ibi melius pro mucoso & pædido sumseris. Carnis est mollis glutinosæ & excrementiæ. Cinis cum ruta vesicæ vitia & calculos sanat.

Oppian. Halieut. l.1. v. 109.

TAB. XXVII. 1.

Quem PECTINEM Romę vocant, hunc *Novaculam* Plinii Rondeletius esse suspicatur, quâ tacta ferrum olent, quod dorso sit cultellato; Gesnerus *Pavonis* nomine sibi transmissum Româ scribit. Piscis est latus, & Fabri instar compressus. Tegitur magnis squammis, & variis pingitur coloribus. Caput maxillæ & branchiarum opercula plurimis cæruleis lineis insigniuntur; Sincipit coloris est punicei saturati, latera albicant. Imis ventris & caudæ pinnæ subflavis & virentibus lineis inter se cancellatim commissis decenter admodum depicta sunt. Pinna dorsi rubra nonnullis cæruleis conspergitur maculis, dorsum ipsum est puniceum, cætera ex albo flavescit. Palmi mensurā excedere nō solet. Capite est magno, valdè cōpresso, & prorsus omni rostro carente. Linea nāq; anteriorē capitis totiusque corporis partem terminans, longa sit & recta, atque fere ad perpendiculum, è summo capitis vertice ad inferiorem usque maxillam defertur; in cuius inferioris atque ferè perpendicularis partis loco inferiore, os positum est parvum, dentibus acutissimis, recurvis, exiguis munitum. Branchias utrinque habet quaternas. Ventriculum mediocrem. *Intestina* valdè pinguia, multis gyris circumacta: hepar pallidum, cui vesicula fellis annectitur. In saxosis & arenosis littoribus degit. Rarus in Italia, in Rhodo, Siculo, & Hispano mari frequentior. Solus vagatur; & quia parvo est ore, loliguncu lis, sepiolis, & Apuis duntaxat vescitur. *Carne* aiunt esse tenera, friabili, boni succi, & concoctu facili. Nullis ferè aliis spinis quam iis, quæ dorsi spinam constituunt, interciditur, planorum more.

Plin. H.N. l.32.c.9.
Plin. H.N. l.32.c.2.

ARTICVLVS XVI.

De Aphyis seu Apuis in genere.

APua, sive pro parvo piscitio, sive pro peculiari aliqua specie tantum accipiatur, ἀφύη potius quam ἀφύα, ut Suidas & Aristophanis scholiastes pronunciant, dicitur, Atticos in plurali, in singulari rarissimè protulisse; quòd cumulatim edi soleant, Eustathius author est; nec aliam ob causam ἀφύδα vocavit Aristophanes. An vel ὡς ἀν ἀφύειες ὄσαι quasi non natæ, quod Rondeletio & Aldrovando placet; vel quasi δυσφύεις, bis natæ, quod malignè & nimis pusillo corpore nascantur; vel ἀπὸ τοῦ ὕειν, quod ex pluvia generentur, quod Plinius videtur velle, unde Gaza *Apluas* Latinè reddidit; vel quasi ἀφρύη, id est spuma, ex qua ab imbre excitato oriuntur, dicantur; non disputo: nec an ἴψεπυ, cum Apuis quas *Cobites* veteres nominant, specie iidem sint, inquiro: hoc certum λιπαρὸν à pinguedine Varino; γόνον θαλάττιον, quod cum semper sint exigui, semper fœtus recens esse existimari possint, ab Athenæo dici: nec fortè à vero aberrant, qui ἐγγεάυλεις Oppiano vocari, credidere. *Plura ipsarum* à veteribus recensentur *genera*, quorum ferè nomina sunt, *Apua vera*, *Apua Gobitis*, *Engraulis*, *seu Encrasicholus*, *Apua Phalerica*, *Apua Mugilum*, *Mænidum*, *Mullonum*, *item Hepsetus*, *Atherine*, & *Membras*. Commune omnibus, candido colore esse. Caput majusculum & oculos elatos & nigros habere. Archippus apud Athenæum ἐρεγγύλας vocat; veteres, quosdam ex semine, alios sponte nasci prodiderunt. In scopulis, quorum sinus multiplices unda excavavit, ad littora *versantur*, tamque densis natant agminibus, ut tam γλαυκὴν λευκάνειν ἀμφιτρίτη cæruleum mare album reddi videatur, ita aliquando se implicant, ut earū compactarum occurso, 470.

TAB. XIX. 12.13.

Oppian. Hal. l.1. v. 290.
Oppian. Hal. l. 4. v.

cursu, vel navis retardetur, ut de aliis quæ Oppianus ponit taceam. Quantum ad *Generationem*, spontè sine coitu ex imbribus spumescente mari nasci; alias èlimo putrescente scilicet & ipso; vel quicquid in fundo collectitium est oriri, prodidit Oppianus. Nec aliter Aristoteles, illud si excipias, quod quandam è piscibus oriri addit. Nam apud eum ἐκ τῆς ἀμμώδους γῆς seu ex sabulone, id quod apuæ spumam vocant, prodire legimus. Argumentum ortus, quod frigidis temporibus non capiantur; & traheis sculpta humo, sæpenumero & copiosiores & præstantiores sint prædæ. Oriuntur autem opacis tepidisque locis, ὅταν εὐκρασίας γενομένης ἀναθερμαίνεται ἡ γῆ, *cum cœli clementia terra concalescit*, veluti in Atheniensis agri Salamine, ad Themistocleum, & in Marathone. Ejusmodi omnes sunt, ut neque gradescant, neque generent, neque diu durare queant, priore turbâ abolitâ altera succrescit. In nullo apud Athenienses patinarum honore erant, si Chrysippo apud Athenæum credimus, fortè ob copiam. Archestratus μύθους seu oleti instar aspernabatur. In mediterraneis expetebantur, inde pinguium Athenis nomen. Nicomedes eorum desiderio flagrans, cum haberi non possent, figuris ex rapis fœminis ad earundem speciem ab Apitio dissectis, ex oleo coctis, & sale atque papavere conditis, ventrem explevit, referente Suida. Apparatum apud Aldrovandum vide. De cætero humidum & flatulentum alimentum præbent. Diphilus gravis & difficilis coctionis esse putabat.

Oppian. Cyneg. l. 2. v. 568.
Arist. H.A. l. 6. c. 15. exercit. Scalig. c. 14.

ARTICULUS XVII.

De Apuis in specie, & in primis Vera, Phalerica, Membrade, Cobite, & Hepteto.

TAB. XIX. 12. 13. 14. 15. 16.

GEnera Apuarum præterito recensuimus articulo. *Prima* est APUA VERA, cui, quæ generatim de Apuis dicta sunt in primis conveniunt, quam Græci propriè ἀφρὸν, Athenæus ἀφείλιν, aliqui ἀφρύην à spuma nuncupant. Suidæ ἀφρὺν ἡ πρόσηγορία, quasi nullis orta parentibus dicitur. Pisciculus est vix auricularis digiti longitudinem adæquans, oculis nigricantibus. Duo eius genera. *Album* in Hollandia frequentius; & rubicundum, Aphya Triglitis Bellonio.

Aldrovand. de Piscib. l. 2. c. 29. 30. 31. 32.

Altera est APHYA PHALERICA, vel ab Atticæ portu qui Phalereus appellabatur; vel ἀπὸ τῶν φαλήρων (alba hæc est & spumea Græcis) ita dicta. Sardinis est similis, minor, tenuior. Squammas in mari habet, sed statim excidunt remanentibus earum vestigiis, & iis quæ ventrem firmant. Adeò est mollis & pinguis, ut si aliquando digitis tractetur, liquefiat; aut si magna copia in navicula vehatur, supernatans oleum piscatores colligant. Vidit Rondeletius unius diei capturam, quinquaginta coronatis aureis venditam. Erat apud veteres in precio si Polluci credendum.

Tertia est MEMBRAS. Has Phrynichus apud Athenæum βεβρᾶδας, Epicharmus & Sophron βεβρᾶδόνας, Attici μεμβρᾶδας, Trallianus μεμβρείδας appellasse videtur. Aristoteles ex Aphya Phalerica nasci author est; & inter μονίμους pisces, id est haud migrare solidos recenset. Cum verò Phrynichus χρυσοκεφάλους cognominet, ac Aristophanes πολιόγρωας, id est, cano corpore, Rondeletius eos pisciculos esse conjicit, qui Gallis *Celerias* vocantur. Sunt corpore admodum candido, capite auri colorem æmulante, Sardinis valdè similes. Coquuntur ex præcepto Dorionis, mutilato capite, si corpulentiores fuerint, & lotæ sale minuto & aqua. Contemptos fuisse Antiphanes ostendit.

Arist. H.A. l. 6. c. 15.

Quarta est APHYA COBITES, κωβῖτης Græcis, Theodoro Gobionaria. Putatur ab ignobili quodam & terram subiente Gobio procreari. Rondeletio est ille quē Galli *Logis demer*, ad differentiā fluviatilis vocant.

Nunquam ad Gobionum magnitudinem accedit, alioqui marinis Gobionibus simillimus. Corpore est rotundo, pellucido, dorso latiusculo, colore candido, nigris aliquot maculis asper, sò caudâ variâ, oculis quodâmodo supra caput positis. Pinnæ eædem illi, quæ Gobionibns, maximè illa, quæ his peculiaris, barbæ instar ex ea ventris parte, in qua binæ sunt in aliis piscibus, propendens. *Hepar* est lactei coloris, & in eo fellis vesica, splen, rubet, *intestina* & peritonæum ex albo nigricant. *Cor* ex albo ruffescit. Gravis est, & difficilis concoctu.

De *Encrasicholo sequenti capite agemus. De Aphyis Mugulum inter istos agetur.*

Apuas MULLORUM *exiguos admodum Mullos arbitratur Rondeletius, qui in stagnis marinis ex putredine nascuntur.*

Aphyas MÆNIDUM *verò pisculos Mænidum specie sine mare & fœmina sponte nascentes esse judicae, etsi contra sentiat Aristoteles.*

HEPHETI seu Hepseti nomen, ad multos parvos pisculos extenditur; peculiarem aliquam speciem esse, exinde, quòd apud Athenæum pro parvo pisciculo Aphyarum generis ponatur. Rondeletius à Gallis *Iouil* appellari credit. Est digiti magnitudine, argentei coloris, corpore pellucido, dempta ea virgâ, quæ à branchiis ad caudam extenditur. Oculos habet depressos, pro parvitate corporis magnos. Os ita scissum, ut inferior maxilla superiori sit prætensa, sitque velut oris operculum.

ARTICULUS XVIII.

De Encrasicholo & Atherina.

TAB. XVII. 15. TAB. XIX. 17. 18. *Plin. H. N. l. 31. c. 8.*

ENcrasicholos, Græcis ἐγκρασίχολος, quod χολὴν ἐν τῷ κρανίῳ ἤτοι κεφαλῇ, seu *bilis folliculum* in capite gerat, hoc est, quod eius caput impensè amarum sit, unde eo mutilari assolet, dictus; aliis λυκόσομος, quod dum oscitat, amplum os aperiat, ut serpentis potius quàm piscis videatur; Plinio, multorum eruditorum judicio *Lupus* nuncupatur. An Chalcedoniis ἐείτυμος dicatur, quod Callimachus apud Athenæum prodidit, ἐγγεφύλαις quoque Ælianus vocat. Magnitudine est plærumque digiti, palmi longitudinem nunquam assequitur. Argenteo colore micat, tergore ad cæruleum accedit, si soli opponatur transparet, dempta argenteâ lineâ, quæ spinæ vertebras comitatur, quæ sanguinem continet. *Squammis* carere falsum, vel in sale adservatis argenteæ micant. Rostrum habet acutum; os amplum, utramque maxillam serræ modo asperam, branchias parvas duplices. *Cor* oblongum & acutum, hepar rubrum, maculis rotundis conspersum. Ventriculi appendices multas & nigras. Ventrem mollissimum, ideoque plærumque absumptus in salitis conspicitur. Ovis scatet rubentibus. Spinis caret, eâ exceptâ, quæ in dorso est, & ipsa tenuis, adeò ut vix dentibus negocium facessat. Arenâ, spurcitiis, atque cœno vescuntur. Capiuntur hyeme à Decembri ad quadragesimam usque, in Provincia numerosissimè, noctu ingne è naviculis accenso. Quam confertis turmis densi, metu insidiarum natent, de Aphyis in genere dictum est. Hanc tam confertam Lycostomorum natationem, βόλον à peritis nominari, Ælianus tradidit. De *Ortu* dissentiunt Authores. Suidas & Athenæus ex Apua Cobite; Aristoteles ex Phalerica oriri tradit. Satius est sui generis piscem statuere, quàm vel species in infinitum multiplicare; vel ex Apua Phalerica duos diversos pisces generari, concedere. Nam & ex hac Membradē oriri Philosophus author est. In magno plærisque in locis habentur precio. Comeduntur & crudi & sale asservati. Minutatim concidunt, cæpam pariter tritam addunt, sic ex oleo & aceto asperso pipere sumuntur, saliuntur truncato capite, & fel aufertur simul. De Garo quod ex iis, vide Rondeletium. Huc referunt nonnulli λυκόσομον, cuius effigiem exhibet TAB. XLVII. 19.

Ælian. H. A. l. 8. c. 18.

ATHE-

ATHERINAM, Græci ἀθερίνην, & per pleonasmum literæ ν Ἀθερίνην, seu α transverso, quem alterum Atherinæ genus in ventre habet aculeo, quod Gillio placet; seu ab aristis (ἀνθέριξ idem est quod ἀθήρ, id est, arista, pars spicæ acuta, seu ut Erotianus explicat, tenuissimum illud, quod in hordeo acuminatum est) per metaphoram pro spina sumpta, quas multas & Sardinis duriores Atherinæ habent, quod Rondeletius voluit, dicunt. Posset & ab ἀθερίζειν, quod pro καταφρονεῖν, floccipendere & contemnere deduci, quod nimirum ἀθερί ζεται πως καὶ αὐτὴ ἀφ' τὸ εὐπλὲς *ob vilitatem negligatur.* Gaza *Aristam* & *Aristulam* vertit. Callimacho, in nomenclaturis diversarum gentium ἰκτάρα & ἴκλης, sine dubio à parvitate, (ἴκλης Adverbium Græcis sonat propè) vocatur, Romanis Laterina. Quid per suum Acerinam Plinius Medicus intelligat, difficile est dicere. Bellonius recentiorum Cernuum esse credit; ego mendum esse, & Atherinam legi debere judico. *Descriptionem* si attendas, ita de eo Rondeletius. Pisciculus est marinus, litoralis: reperitur & in marinis stagnis, Aphyis similis, dodrantali magnitudine, parvi digiti crassitudine, *dorso* spisso, ventre leviter depresso, *ore* parvo sine dentibus, *oculis* magnis. *Colore* est vario: nam venter argenteus est, dorsum fuscum, circa caput, ex flavo rubescit Sardinarum modo. Locus qui inter oculos est, cælatus videtur. *Pinnas* habet quatuor, duas ad branchias, duas in ventre, aliam à podice, præter has, alias duas in dorso. Omnes candidæ sunt. Cauda duabus pinnis constat. (contra ostendit apposita icon) Pro linea medio corpore à branchiis ad caudam protensa, spissum quid habet sub cute, q̃ non possum aliter quam fasciam per similitudinem vocare, quæ cum cocta Atherina editur, evidendissima est, & cum lumini obiiditur; quia reliquo corpore pellucida est, hâc parte opaca. An Aphyæ Meletæ mas sit, quod piscatores credunt, dubito, tum quod illæ sine mare & fœmina nascantur; hæ distinguantur sexu: tum quod mollissimo & depresso corpore sint illæ; istæ solidius & spissius habeant. Bellonius suum, quem vulgus Cræcum, Romani Latharinum, Massilienses Sencle vocant, ita describit. Pisciculus est digiti crassitudinem excedens, neque extenso digito longior: Argentei coloris, translucente corpore, & quod soli objectum, ut vitrum transpareat, lineamque ostendit internè obscuram, rectam, à capite ad caudam, à sanguine, qui in spina profunditur, provenientem. *Oculis* est grandibus, lingua candida. Pinnam utrimque in lateribus & geminam alteram habet sub ventre, quæ piscem in partes æquales secat: ac præterea tenuem aliam, & parvam fert in medio tergore pinulam. Cæterum *Cor* gerit, ut semen oxalidis triquetrum & oblongum, pericardio perbellè inclusum: branchias utrimque quatuor: *Costas*, item utrimque decem omni capillamento teneriores: vertebras adeo exiles, ut vix ab acie oculi perspicacissima discernantur.

Pascuntur in algoso litore, ἀνάπαρ ρωόεσσαν ὑπὸ χλοεσσῆς βοτάνησι, ut Oppiani verbis utar. Quam Rondeletius descripsit, non tantum in vicino Monspelio mari, ubi Melet dicitur, sed & Massiliæ, & in stagno quod Martegne vocatur, frequentissimè capitur, & nomen Sanclez obtinuit. Aristoteles gregales facit, eodemque teste inter Rhydes circa æquinoctium vernum περὶ τῇ γῇ juxta terram, alvum arenæ atterentes pariunt. Vilem in *cibo* Phavorinus fecit, & contemptum; delicatissimum suum Rondeletius, nisi spinæ negocium facesserent. Bellonius quoque quæstuosissimam suarum ob suavitatem piscationem scribit.

Oppian. Hal. l. 1.

Aristot. H.A. l. 6. c. 17.

ARTI-

ARTICVLVS XIX.

De Lavarono Bellonij.

PIscis, quem Romanum vulgus Lavaronum vel Lavonum, seu à beata quæ Lavarono, quod non videtur, cum marinus sit, seu aliunde, Massilienses Cabassonum, Genuenses à capitis magnitudine Capassonum, vocant, ita à Bellonio describitur. Grandiore sunt capite, quem Atherinæ, magis recurto ac compressiore ad ventrem corpore, & paulo latiore transparant, ut Atherinæ, maximamque habent cum iis affinitatem. *Squamis* multis integuntur, quæ detectæ argenteum colorem præse ferre videntur. Duas in tergore gerunt pinnulas, utrimque ad latera unam. *Dentibus* carent, ut Harengus: *Cor* exiguum, oblongum, triquetrum, habent: *hepar* pallidum, cui stomachus subest, pisciculis & Cardibus parvis nonnunquam refertus. *Intestina* ad anum tribus revolutionibus reflectuntur. *Fel* ob eius exiguitatem conspicuum non habent: *spinas* quoque ferunt nullas. Carnem albissimam & levissimam. Calculos duos in capite gerunt, Sesamino minores: squamas paulo quam Atherina latiores & numerosiores. Magnam cum fluviatili Lavareto affinitatem habet.

ARTICVLVS XX.

De Sarda seu Sardina.

TAB. XX. 1. 2. 3. *Galen. Facult. Alim. l. 3. c. penult.* SArdæ nomen, si benè ex Galeno colligo, omnibus pisciculis, qui ad saliendum apti sunt, competere videtur; idque inde fortitas apud veteres credo, quòd ex Sardinia in alias regiones, eveherentur. A Sardinis & Sardellis magnitudine duntaxat & ætate differunt. Cum nondum adolevere, Sardinæ & Sardellæ dicuntur, adultæ Sardarum nomen capiunt. *Plin. H. N. l. 32. c. 11.*

Unde Apicius Sardam farciri solere dicit, Sardenam ob parvitatem non posse. Fateor tamen, & Pelamydi longæ apud Plinium Sardæ vocabulum impositum inveniri. Qui *Trichias* & *Trichides*, quas Dorion apud Athenæum non distinguit, Aristoteli dictas, cum nullibi tam vulgaris pisciculi tam diligens naturæ explorator meminerit, credunt easque ἀπὸ τῶν τριχῶν, quasi à capillis, seu parvis illis & capillaribus quibus abundant spinulis, à quibus etiam θρίσσας dicunt, quas recentiores Alosas nominant, deducunt, vix falluntur; nisi fortè hoc obstet, quod idem ex Membradibus Trichides, ex his Trichias nasci dixerit. Nam quod * alibi τριχίαις, (Sardas Gaza vocat) quædam adscribit, quæ Sardis nulla ratione competunt, ea θρίσσαις, seu Alosis, cõpetunt, ut mendũ subesse, & malè Gazam vertisse sit evidentissimum. *Chalcidas* quoque marinas Sardinas nuncupari, vel ex Callimacho colligitur, hasque Columella intelligit, dum dicit, *Piscibus in piscinis præbere oportet, tabentes Haleculas, & salibus exesam Chalcidem putremque Sardinam.* *Arist. H. N. l. 6. c. 15.* * *Aristot. H. A. l. 8. c. 13.*

Invenio & à Dorione χαλκιδικὴν dici. *Eritimum* vocari, vix ex Epeneti apud Athenæum loco χαλκίδας τας (legendum ἃς) καλοῦσι καὶ σαρδίνας ἔρι-τίμους, ἱέρακα, inquit, colligi potest. Bellonius etiam cum Chalcidibus easdem ponit; sed dum fluviatiles à Celerinis sola magnitudine differre, specie convenire putat, argumento sumpto, quod Galli qui ad Oceanum siti sunt, nullum piscem Sardinæ nomine agnoscant, præter eum, qui aliunde sale asservatus, ad eos perfertur; Celerinus verò in Gallia tam sit popularis, quàm in mari mediterraneo ipsa Sardinia, ex Aldrovandi opinione fallitur. Sunt enim Gallorum Celerini (verba sunt Aldrovandi) ab Allobrogum Celerinis diversi, illi marini sunt, & nostro & Rondeletii etiam judicio marinis Membradibus in Aquarum genere nõ Chalcidibus sive Sardinis iidem;

lidem; hi lacustres, & Chalcides Aristotelis, Sardella, & Aquo Fracostorii. Anglorum Sprat, & Hollandorum Sprot, ad quos fumosiccatus adferri solet, haud aliumputo quam Sardam aut Sardinam sicuti & illum quoque, quem Rondeletius scribit Agathopoli magna copia capi solere, nominariq; Calliques vel Laschez; & Massiliæ Garengades, licet ipse Membradem esse velit: ut enim Calliques ex Chalcis corruptum esse videtur, ita etiam Lachez ex Laccia; quo nomine in multis Italiæ locis Alosa appellatur, cui simillima est Sardina, & ipse quoque eum Alosæ similem esse profitetur. *Harengades* verò etiam dici videtur, quod & Harengo similis sit, & similiter salita per mediterranea loca venalis efferatur. *Icones* & *Descriptiones* diversas quinque apud Aldrovandum invenies.

Prima, pisciculus est Aphyæ Phalericæ omninò similis, nisi paulo major, & spissior esset, à parva Alosa, ore, branchiis & oculis, pinnarum numero, situ, squamis, caudâ minimè discrepans; sed in hoc tantum quod Alosa sit latior. Sardina igitur squamas magnas; tenues habet: colore est vario, nimirum capite aureo, ventre albo, dorso cum viridi cæruleo, utroque splendido, rutulanteque dum viva è mari extrahitur: una enim cum vita viridis evanescit, cæruleoque manente; eoque hebescente & splendorem suum amittente. Intestina habet parva & recta, Alosarum intestinis similia.

Altero loco picta, in qua pictor pinnas nullas expressit, capite est rubicundo, corpore toto subviridi, præter duas quæ in ea conspicuæ sunt, lineas, quæ sunt cæruleæ. Cauda ad castaneum in extremo vergit. Sardæ Flandricæ nomine missa est.

Tertia eodem quoque nomine, sed majoris cognomento communicata, pinnas habet nigras; quarum situs (dum modo pictor rectè expressit) alterius speciei piscem esse indicat. Colore est vario, viridi nimirum violaceo, paleari & ruffo. Maculæ in lateribus sunt nigræ: in pectore croceæ.

Reliquæ duæ species, dorso sunt viridi, ventre argenteo. Prior in extremitatibus ossium, quibus branchiæ teguntur, rubent. Oppianus dum scribit: *Oppian. Hal. l. 1.*

Chalcides & Thrissæ passim Abramidesque feruntur,
Et curvis habitant scopulis & littora visunt,
Atque catervatim percurrunt æquoris undas,
Alternantque imas ponti, curruntque per æquor,
Hospitium mutant semper, pontoque vagantur.

iis qui vagabundam vitam agunt, accenset. Capiuntur Massâ ex ervis frictis & myrrha vino odorato excepta, confecta; aliquando foliis betæ, quâ impensè delectantur. Adhibentur quidem *in cibis*, sed revera, ut Hicesius apud Athenæum dicit, ἀχυρώδεις καὶ ἀλυπεῖς καὶ ἄχυλοι, id est squalidi, nec multum pingues sunt, nec copiosum succum in alimentum præbent. Apicius farcire eas docuit, Galenus ad saliendum aptissimas dixit. *Medicum* usum quod spectat, in prima mensa sumptæ, alvum subducunt. Capite, in puero quodam, loco balani feliciter usus est Brasavolus. Marcellus exustas sine osse, vel salsamentum, & confrictas, si varicibus supponatur, statim prodesse scribit. Idem Sardæ caput combustum, medicamento ad gingivarum tumorem, fœtoremque admiscet. Privatum, contra presteris morsum valet, si Plinio credimus. *Apic. l. 9. c. 10.* *Galen. de facult. Alim. l. 3.* *Marcell. c. 11. 19.*

Articulus XXI.

De Mæna.

Tab. XX. 4.

MÆna, Græcis Μαινίς, Theodoro Gazæ Halec est; metuo ne peperam. Alecis enim nomen, vel omnibus piſciculis qui muriâ condiuntur, quod Rondeletius docuit, competit; vel illis, qui apud Græcos Anthracides, ſeu Carbonarij vel prunarij piſces, quod in pruna & craticula commodè coqui poſſint, dicuntur, quod ex Hermolao diſcimus; vel ipſi piſcium fœti, unde Plinius. *Laudatur & Clazomenegarum, Pompeiique & Leptis: ſicut muriâ Antipolis ac Thuria: jam verò & Dalmatia. Vitium huius eſt Alex, imperfecta nec colata fæx:* vel denique piſciculo fluviatili ſeu dulcium aquarum, quem Plinius, ad oſtreas, echinos, urticas, cammaros & mullorum jecinora perveniſſe ſcribit.

Plin. H. N. l. 31. c. 18.

Columella inter parvi incrementi fluviorum animalia reponit, & piſcibus maioribus præberi jubet, ut de Martiali taceam. *Deſcriptionem & Differentias*, quod ſpectat, Mænam inquit Gillius, non modo ſpeciei, ſed etiam generis nomen eſſe conjicio; quod varium & multiplex eſt earum genus. Aliæ in utroque latere nigram maculam orbiculatam habent, quas ii, qui Adriaticum ſinum accolunt, vulgo Mænas ſclavas appellant: aliæ leucomænides, hoc eſt, albæ Mænæ à Græcis ſive Smarides nuncupatæ: itemque ſunt Mænæ Boopes appellatæ. Bellonius duas obſervavit differentias in colore: alias enim luteo, alias lituris cyaneis aut azureis conſperſas eſſe ait. Speuſippus Mænidi ſimiles facit Boacem & Smaridem: idem tradit Rondeletius, nec non Bellonius, niſi (inquit hic) paulo latiores & breviores cernerentur; & ſquamis Smaride tenuioribus contegerentur, breviorique eſſent capite, rariſſime ſiquidem palmum excedere; (Antiphanes quoque Mænas exiguos piſces eſſe dixit, & Martialis breves) lineam in lateribus rectam habere, quæ in Smaride arcuata eſt: pinnas tergoris, laterum, & caudæ diaphanas eſſe, & maculatas. Os ſi clauſum contineat, minimũquidem apparere: ſed dum hiat, rictum magnum oſtendere, labrumque ſuperbius tubi in modum, ut in Harengo infractum eſſe: Oculos habere rotundos, iridem ſubrubram: maxillæ aſperitatem quandam dentium vicem præ ſe ferre: ſi deſquametur albiſſimam argenteamque ſpectari: ſed tergus livore quodam ſub oculis in purpureum gemmante depingi.

Columella R. R. l. 18. c. 15. Martial. Epigram. l. 3. & l. 11.

Addit Rondeletius, utrimque magnam & rotundam maculam habere in medio corpore, quam etiam in icone expreſſit, Bellonius omiſit, & in deſcriptione non meminit, niſi eam intellexerit, dum inquit, utrimque lituris notari, quod tamen non aſſero, quandoquidem icon mea cum Belloniana ſatis convenit, & eiuſdem coloris lituras habet, item circum oculos. Pinnæ omnes etiam verſicolores. Venter candicat. Cauda fuſca eſt. Idem Rondeletius hyeme candidam eſſe ſcribit, vere & æſtate variam: maculis cæruleis toto corpore & potiſſimum in capite & dorſo ſparſis: item lapides habere in capite: maremq; in eo fœminæ diſſimilem, quod latior ſit & porrectior, fœmina rotundior: cum fœtura fœmina impleri incipit, maris colorem in varietatem quandam & nigrorem mutari. Ariſtoteles verò hanc mutationem tempori adſcribit, & de Mæna ſimpliciter id tradit, nec fœminæ nec maris facta mentione.

Mæna & Smaris (inquit) *mutantur; ut ex albedine rurſus æſtate ad nigredinem redeant, idque maxime ſuis pinnis & branchiis declarant.* Ita & Plinius: *Mutant colorem candidæ hyeme Mænæ, & fiunt æſtate nigriores.* Quem locum

cum Massarius explicans: dixit, inquit, æstate nigriores: quia suscipiunt colores cæruleos, qui quod ad albedinem sunt obscuriores, & nigriores.

Et rursus: Mæna pisculus est digitalis longitudinis, hyeme candida; æstate varia, picturis cæruleis obliquis. Quomodo autem colores mutent; in Merula ac Phycide (ni fallor) explicatum est. Testatur denique Rondeletius, cum aliquando Româ Venetias venisset; Mænas se tanta colorum varietate conspexisse, ut vix primo aspectu agnosceret, quod suo in littore minus pictæ sint. Quod ad *partes internas* attinet: Mænæ *hepar*, ut Bellonius observavit, fungosum ex lacteo pallescit: sub cuius lobo dextro fel luteum oblongo vasculo includitur: *Splen* niger, *stomachus* oblongus. Raro in Oceano *capiuntur*: in mari tam supero quàm infero frequentes esse, nomenclaturæ apud utriusque maris accolas indicant. Mænaria insula ab earum frequentia nomen sortita est. Inter herbas in littore algoso, seu ut Ovidius, in herbosa arena *victitare*, Oppiani fide tradimus. A carne non omnino abstinere, quidam prodidere. Gregales esse apud Aristotelem legimus. *Parit* brumâ, vel ut Bellonius, post brumam, & omnium piscium fœcundissima esse censetur. Cum fœtu fœmina impleri incipit, ob malignum fœtorem, τράγος seu *Hircus*, ut apud Aristotelem extat, dicitur. Singularem cum vespis sympathiam habere ex eo quidam colligunt, quod illæ nassa, in quæ mæna cum Chalcide reperta est, capiantur, prodente Æliano: singulari in Xiphias odio ferri, ex eo nonnulli, quod eam balænæ metu, gladio suo in terra hærentem, conficiant, ut Oppianus testatur. Inter plebeios *cibos* reputantur, adeò, ut acervatim, vitato etiam emptore Venetiis vendantur, tum quod parvi sint, tum quod cum uterum ferunt, exquisiti fœtoris. Unde Martialis

Fuisse gerres aut inutiles mænas
Odor impudicus urcei fatebatur.

& in Majali L. Pomponius Atellanarum Poeta, ut dicitur Agellio

—— Cœnam quæritat, si nemo eum
Vocat, revortit mæstus ad manam miser.

Ælian. in Histor. Animal.

Martial. l. 12. Epigr. 32.

Succi tamen bonitate Gobiis præstare Hicesius, teste Athenæo author est; quod forte de iis, qui in littore petroso aut arenoso, & suo tempore capiebantur, sumendum est. Nam aliàs, Gobius friabili est carne, & saxatilium non multò inferiore. Liquamen seu gari speciem ex ipsis fieri solitam, Plinius innuit, dum scribit. *Saletiam è muria salsamentorum recoquitur, iterumque consumpto liquore, ad naturam suam redit, vulgo è Mænis iucundissimus.* Apud Persium quoque aliquid simile invenies, fit visceribus piscium in vas aliquod iniectis, & salè conditis. *De usu in Medicina* hæc habeto. Jus assumtarum alvum solvere; ut & salsas, si umbilico illinantur. Capitibus inveteratarum ustis ad sedis fissuras, & columellam inveteratam Galenum uti: ad uvam diu jacentem, cum gallæ & floris æris, denariis duobus, Marcellum Empyricum: ad Anginam cum melle illitis eundem. Plinius earundem cinerem, admixto sale & cunila, oleoque, vulvæ mederi, & suffitione secundas extrahere, testatur. Cum alio tritus verrucas tollit, & verendorum pustulas discutit. In dysenteria quem præbeant Mænæ usum, apud Galenum invenies.

Plin. H. N. l. 31. c. 7.

Plin. H. N. l. 31. c. 9.

Galen. simpl. l. 11.

Plin. H. N. l. 32. c. 10.

ARTICULUS XXII.

De Smaride.

SMarides qui & *Marides* apud Athenæum dicuntur. (Bellonius Græcos Anconæ se convenisse scribit, qui etiam Maridas appellabant) ex Mænarum sunt genere.

TAB. XX. 5. 6. 7.

Vocantur & *Leucomanides*, nempe; quia semper albæ sunt, cum Mænæ colorem immutent. Eum docti pisciculum esse volunt, quem Antipolitani hodiè *Garum*; Veneti hirrulam seu herrulam, Massilienses hiaret; Galli Narbonenses & Hispani Picarel; quod fumo induratus & salitus, linguam acrimoniâ vellicet, Neapolitani Cerrum, quod vocabulum Gaza retinuit, nominant. Rondeletius Garum veterum esse putat, tum earundem nomenclaturarum affinitate, tum quod ex eo garum fiat, idque teste Plinio, optimum. Trium *descriptionem* Aldrovandus tradidit.

Plin. H.N. l.31. c.7.

Primus; Mænæ & Boopi simillimus est; notis tamen quibusdam ab iis distinguitur. Boops enim lituris caret; quibus prædita Smaris est. Boopi rostrum quasi recisum, Smaridi longiusculum. Boops item quam Smaris rotundiori est corpore, quamobrem Rotundetus Romæ nominatur. Differt vero à Mæna etiam, quod & asperiores & paulo latiores squamas habeat. Lineæ laterum utrique rectæ, sed in Smaride quadam serie; in Mæna nullo plane ordine dispositæ: suntque argenteæ & subaureæ, obscuræ, à capite ad caudam ductæ. Estque Mænâ minor, digitum nimirum vix superans, corpore item strictiore. Est denique peculiaris ei nota; quâ & à Mæna & à Boope discernitur. Cum enim os aperit, labia exerit tanquam ex tubo pyxidatim infarcto. Pinnis alioqui, aculeis, cauda, partibusque internis Mænæ similis est: eodemque modo colorem, teste Bellonio, mutat.

Altero loco exhibitus piscis, Smaris Bellonii videtur. Capite est ferè violaceo, prono nempe, nam supino albicat. Eodem colore totum corpus, sed multo dilutiore tinctum est. Lineæ quinque insignes flavescentes à capite ad caudam perferuntur. Pinnæ etiam flavescunt. Exiguam habet & vix conspicuam lituram.

Tertius Smaridis peregrinæ nomine missus, tergore est cæruleo, cætera subviridi, nigris & argenteis punctis cõspersus. Prono capite ad violaceũ vergit, supino vero candicat. Pinnæ omnes fere crocei coloris sunt, punctis conspersæ nigricantibus. *Degunt* inter herbas in algoso littore; eodemq; cum Mænis cibo vesci, verisimillimum est. Inter fœcundas recenset Ovidius. Pastâ; ex pane, caprillo caseo, & purissimo polline, inescantur. Optimos pisciculos esse Hesychius scripsit. Optimum & suavissimum ex iis gaviũ, apud Guilielmum Pelicerium Episcopũ Monspeliensem Rondeletius vidit. *De usu in Medicina* proditum; caput tostum ad pilorum defluvia cum adipe ursino conferre; excrescentes ulcerum oras, ab eiusdem pulvere reprimi, thymosque & clavos absumi. Plinius alicubi cum ptisana sumptas, vel cum fæniculo decoctas mulieribus lactis copiam facere scribit, alibi, tritas illitas, verrucas tollere, & verendorum pustulas discutere tradit.

Plin. H.N. l.32.c.11.

ARTICVLVS XXIII.

De Boope, seu Boce.

PIscis, quem nos *Boopem* dicimus, is Aristoteli citante Athenæo βώξ, Numenio βόηξ, qua etiam appellatione Oppianus utitur, Speusippo & aliis Atticis βόαξ, seu ἀπὸ τὴν βοῦν à voce, ideo Mercurio sacer habetur; seu quod βοὸς ὀφθαλμὸς ἔχει, id est bubulos oculos seu magnos habeat, dicitur. Tertia est Mænis species, pedis ut Rondeletius scribit magnitudine, qui etiam *tres describit*. *Prior* piscis est marinus, littoribus gaudens, ex Mænarum genere, pedali magnitudine, corpore satis rotundo, non cõpresso, quale fere est Mugilũ. *Capite* brevi, & parvo. *Oculis* maximis, p corporis magnitudine, utpote qui totam fere capitis regionem occupent. Colore est vario. In dorso à branchiis ad caudam lineas ductas habet, alias aureas, alias argenteas, minus quam in Salpa illustres: ob quas ab Aristotele in

TAB. 8. 9. XXII. 6. Athen. Dipnos. l.7.

libro

libro περὶ ἰχθύων, νωτόγραπτος; id est, in dorso pictus cognominatus est. In ventre nullæ apparent lineæ; sed hic squamis tegitur argenteis. Pinnæ sunt Spari, Canthari, Sargi, pinnis similes. Cauda subaurea. *Ventriculus* magnus cum multis appendicibus: intestina tenuia admodum, hepar rubrum; splen ex rubro nigrescens. Nutritur alga, carne, luto. *Altera species* in multis priori similis; suis Bogueravel appellatur, cuius cognominis significationem, non omnino assequi se potuisse ait; peritiores tamen piscatores credere, sic dici quia cum Ravalle vulgo vocatis piscibus, id est, (inquit) minutis, quique simul elixantur, & apponuntur, nec propter parvitatem seliguntur, capiatur, & vendatur. Boopi (inquam) vel Mænæ similis est; rostro magis acuto, dorso ex cæruleo rubescente: oculis magnis & variis, nimirum circa pupillā nigrā circulo ex aureo nigrescēte: corpore toto latiore q̃ Boops sed breviore. Boopis hæc nostra species peregrina dorso fere est violaceo, aut amethestino, lateribus & ventre candicantibus punctis amethestinis, conspersis: pinnis omnibus flavis præter eam quæ in tergo est, cuius quidem aristæ flavæ sunt, membrata vero viridescit. *Tertiam*, quia squammis caret; huc pertinere non judico. Bellonius quoque *duas species* describit, dum dicit.

Duæ huius piscis cognoscuntur *differentiæ*: siquidem earum *altera* minor est, & perpetuo parva, *altera* paulo maior. Boces à Mænis ita distinguere poteris, quod Mænam videas esse lariori corporis compage, nigriore colore, & utrinque lituram unam habere. Boca perpetuo parva est, & pro sua magnitudine crassiori constat capite, corpore magis tereti. Boces & Mænæ seu *Gerres* eandem corporis constitutionem, hoc est, pinnas, squamas, & capita habent. Boopes nullâ liturâ variantur, sed ambo tereti corporpore præditi sunt. *Giruli* autem seu Smarides magis nigricant, & lituris variegantur. Boces teretiores sunt. Giruli magis plani. Bocum color hilari ac quodammodo aureo fulgore nitet, ut tergora colore ad aurum inclinante micare credas. *Gregalis* est, & litoralis piscis, herbosis gaudens. Piscis est parvus, oculos pro corporis ratione grandes habens. Duos habet in capite calculos non prorsus rotundos, ut in Passeribus, sed oblongos, ut in Merlangis. *Alter Boops* Orpho aut alicubi ex rubris cognatus est. Littoralis, (inquit) pisciculus, qui Bogue & Renaeu (cum icone scriptum est Bogue Renaeu sine copula) Massiliensibus dicitur, is Genuensibus Ruello vocari solet. Coloris est eiusdem cum Erythrino pisce, dentibus, pinnis ac capite consimilibus, sed reliquo corpore differunt. Nam Box vulgarem Bocam refert, eodemque circino tornata esset, nisi magis ad Erythrinum accederet. Verum linea quæ corpus Erythrini intersecat, per medium utrimque arcuata est. In hoc autem recta prætenditur, neque Erythrini gibbum habet: Dentes præterea anteriores breves & acutos ostendit, sed tam superiores quam inferiores molares sunt, ut Sargo, quod etiam Pagro & Erythrino accidit. Hanc quoque peculiarem notam insignem habet, quod eius branchiarum exterior spina ad radices nigra est. Putat Ovidii Bogyrum esse, q̃ Massilienses à Boopa & Gyro, id est Smaride, nomen ipsi indiderint, sed mendum est in Ovidio, & Cercyrus legi debet, qui apud Oppianum, circa petras conchulis plenas degit. Iisdem cum Mœnis *locis* gaudent, eodemque *cibo* vescuntur. De *Carnis* eius qualitate ita Athenæus.

Oppian. Hal. l. 1. v. 140. Athen. Dipnos.

Βοῦς δ' ἕφθος, εὐπεπής, εὐανήδοτος, ὑγρὸν ἀνιεὶς, εὐκοίλιος. ὁ δ' ἀπ' ἀνθρακῶν γλυκύτερος, καὶ ἀπαλώτερος. *Bos elixus facilè coquitur, facileque excernitur, jurulentum quid emittens, facilem alvum reddens. Assus succensis carbonibus suavior est & tenerior.*

In Provincia etiam ægris apponitur. Anconæ, Bellonii prior, multis modis condita, carnis privii tempore, potissimum Anconæ, Illyrico more, ex gelu conservata divenditur. Psellus tamen inter excrementitios pisces retulit.

CAPUT II.

De Squammosis planis.

ARTICVLVS I.

De Piscibus Psettaceis spinosis in genere.

PIsces, qui in latera compressi, latera ipsa in tenuem & latam extremitatem degenerantia habent, & quorum dorsi spina, non in dorsum & ventrem, ut in piscibus reliquis, sed in latera, suas pinnas seu apophyses transmittit, Plinio *Plani*, Columellæ, *jacentes*, *prostrati*, & *cubantes*. Dorioni apud Athenæum πλατεῖς, id est, lati; quibusdam, quod supinâ parte candidi, prona verò tertei sunt, ut passeres aves, *Passeres*: aliis *Psettæ* vel cum Aristotele *Psettacei* pisces, dicuntur. Duo ipsorum *genera*, Spinosum unum, Selachē seu Cartilagineum alterum, non eo tamen sensu, quo Ælianus & Artemidorus, inter Cartilaginea, quæ squammis carent, ut Muræna, Conger, Torpedo, & cætera, referunt. Spinosi *ovipari* sunt. Cartilaginei ova quidem intus concipiunt, sed viperæ more fœtus, postmodum vivos excludunt. Sethorum alii levi cute præditi sunt, alii squammis teguntur. Videntur omnes è duabus pellibus compositam habere corporis speciem, & spina per medium dividi. Omnes item quaternas *pinnas* habent, more squamosorum, duas in prona, totidem in supina parte, sed præter aliorum morem *pinnæ* earum in gyrum circumvallantur. *Branchiæ* utrimque quaternæ, *lingua* nulla, *oculi* in supina corporis parte. *Dentium* loco maxillæ in plærisque rugosa quadam scabritie asperæ sunt. *Gula* veluti ingluviei cuiuspiam persimilis, ventriculo contigua est. *Os* quamvis pro corporis portione exiguum omnibus, qui tamen in hoc genere maiores sunt, nullum non concharum aut crustatorum genus deglutiunt integrum, sicuti minores, qui in utroque genere minora sunt. Nullæ ad pylorum apophyses: *Cor* ab una parte gibbum, huic quædam caruncula atra quadrangula pulvini modo subsidet: ad cuius superiorem partem vesiculam annecti Bellonius testatur, & pulmonis officio fungi arbitratur. *Hepar* latum est & ventriculum amplectitur. *Vesicula fellis* ab eius extrema parte dependet. *Lien* ater, sub ventriculo situs, qui latus est, & cum intestinis anfractuose circumducitur. *Degunt* in mari, sed & stagna & fluvios, quod lutum appetant, & commodè ibidem pariant, frequentant. Ideò Columella, *Cænosam regionem planum educare piscem* scripsit. Quia in arena & limo latent, ideò reciprocante mari facillimè *capiuntur*. In Belgii officinis tanta eorum copia, ut universo orbi sufficere posse videatur. Quia ova in omnibus reperiuntur, ideò sexu masculino carere scripsit Aristoteles; quod tamen de certo duntaxat genere sumendum est. Conchyliis & crustatis, piscitiis item vescuntur. *Pariunt* teste Aristotele semel in anno.

Plin. H. N. l. 9. c. 20. 24.
Columel. R.R. l. 8. c. 17.
Aristot. H.A. l. 4. c. 11.
Aristot. H.A. l. 4. c. 11.

De *natatu* eorum ita Aristoteles. Pisces Psettacei eo modo natant, quo Coclites, alteroque oculo capti incedunt, quia natura eorum transversa, distortaque est: itaque transversi natant, convolvuntque se strabonū more, suaque prorsus latitudine, quam pinnarum adminiculo, cursum dirigūt. Ingenium resipit,

Aristot. H.A. l. 5. c. 9.
Aristot. de Anim. incessu.

Aristot. H.A.l. 9. c.37. resipit, quod se arenâ obruant, & postquam se totos occultaverint. Τοῖς ἐν τῷ στόμαλι οἱ καλοῦσιν οἱ ἁλιεῖς ῥαβδία, *oris sui virgulis, ut vocant piscatores, verberant*; τὰ δὲ μικρὰ ἰχθύδια περιέχοντα ὡς πρὸς φυκία, ἀφ' ὧν τρέφονται. id est, ad quas pisciculi adnatant, tanquam ad algas, quibus vescantur. Certissimam securitatem esse Plinius tradit, vidisse planos pisces, quia nusquam sint ubi maleficæ bestiæ, eaque de causa, ab urinantibus *sacros* appellari.

ARTICVLVS II.

De Planis Squamosis in Specie.

PUNCTUM I.

De Solea.

TAB. XX. 10.11.12. 13. PLanorum piscium alii sunt *squamosi*, quos fortè Aristoteles πρυθὰς vocat; alii *leves*, quos ψήτας dici conjicimus. Illi iterum vel sunt oblongo corpore, vel rotundo. Inter illos est *Solea*, à figura, quæ solo pedis ita subiicitur, dictæ, quæ Varroni Lingulaca, Gallis teste Bellonio, Perdix marina, fortè, quod in lautioribus conviviis magnam obtineat claritatem, nuncupatur. Græci hodie γλῶσσαν linguam appellant; veteres βούγλωσσον aut βούγλωσσαν, non tam ob bubulæ linguæ figuram; quàm ob longitudinem, dixere. Quidam sub nomine σωιδαλίου, ab Alciphrone in epistolis piscatoriis nominari opinantur. Matroni Parodo, in descriptione Cœnæ Atticæ, σωιδάλον generis vocabulum est, quod omnes planos delicatiores exprimit. *Sex* ipsius *species* Rondeletius exhibuit.

Prima, quæ Solea simpliciter dicitur, longiore contractioreque corpore est quàm Passer; & si in stagnis capitur, à marina, parvitate, & odore lutum respiciente differt.

Alteram oculatam vocat, quod licet corporis habitu, & internis partibus superiori sit similis: in prona tamen parte, magnas habeat maculas, oculorum effigiem cum iride & pupillâ referentes, squamæ tam tenaciter hærent, ut nisi diu in aqua calida maduerit, desquamari non possit.

Tertia à prima, ut Rhombus à Passere, situ corporis differt, si enim juxta eodem situ componas, os eius in sinistrum, prioris in dextrum latus vergere conspicies. Haut tamen ex Rhombis aut Passeribus esse, forma ipsa, qua plane Soleæ similis est, satis arguit, Galli Polam dicunt: ipse Epicharmo apud Athenæum *Cynoglosson* appellari conjicit. Vel si Cynoglossos huius non sit: (nihil enim certi ex tam paucis verbis, quæ citat Athenæus, colligi potest) optimo tamen jure, ut à cæteris Buglossi generibus distinguatur, Cynoglosson appellari posse, neque aliud esse genus, cui hoc nomen aptius quadret. Nam cum vera Solea suavitate saporis Perdici comparetur, hanc ferino plane esse sapore, viscidamque duram, contumacemque coctioni, insuaveque quid & grave olere. Nec probat Rondeletius eos, qui pabuli tantum ratione differre credunt, quandoquidem pabuli varietas, etsi saporem succumque immutare potest; ad corporis tamen habitum formamque immutandam nullam vim habet. Frequens est in Oceano. Bellonius in Mediterraneo mari etiam *capi* scribit, & à Massiliensibus Servatin appellari, quod tamen falsum esse Rondeletius asserit. Totus, ut ipse etiam ait, fusco colore est.

Quarta eidem Rondeletio *Arnoglossos* sive *Arnoglossus lævis* dicitur, quod

quod quemadmodum plantagini herbæ à figura vel foliorum lævitate Arnoglossi, id est, agninæ linguæ nomen impositum est, ita species isthæc Soleæ, Arnoglossus à levitate vel figura rectè (inquit) nominabitur; squamis enim carere videtur, prorsusque lævis esse. Suis Perpeire vocari ait, & ex Solearum genere esse, ex corporis habitu, figuraque cognosci: Differre autem ab aliis, quod multis squamis tenuissimis & statim deciduis, integatur: corpore esse valde gracili, candido.

Quintam diminuto nomine *Ligulam* dicit, quod sit in hoc genere omnium minima; negatque maiorum Solearum fœturâ esse, quandoquidem semper parva sit: nunquam dodrantalem magnitudinem excedens. Lineam quæ corpus dirimit, spinamque firmat vel tuetur, huic ex squamis ait esse compositam longe eminentioribus, quam in toto corpore, dempta ea parte, quæ circa maxillam inferiorem est: duriore carne esse quam Buglossus lævis, *glutinosique* nonnihil habere: satis rarum esse piscem, & ob corporis tenuitatem vilem.

Sextam ac postremam Gallis *Flettam* dictam quod fluitando natet, antiquis (ut putat) incognitam, solisque Oceani accolis notam, Græcorum imitatione, qui rei magnitudinem βυ & ἱππο particulis indicant, Hippoglossum appellat, quod cæteras non solum Soleas magnitudine vincat, verum etiam quatuor digitorum longitudine quandoque inveniatur. Esse autem ex Solearum genere vel ex primo aspectu judicari posse scribit: oblongo enim (inquit) contractoque est corpore, parte altera candida, altera nigricante, in qua oculi sunt. Ore est contorto, dentibus munito citharimodo, quibus Buglossi carent. Carne est dura, sed suavi, ad Rhombi naturam proximè accedente. Ossa habet spongiosa, quibus inest medulla; quæ à cupediarum amatoribus expetitur. Piscis est maris Oceani, Antverpiæ salitus, & in frusta dissectus venditur. Capitur etiam sæpe in Oceano juxta Galliæ Bononiam. Ibi huius frusta farinæ massæ probe subacta & pasta inclusa, aromatisque condita in furno coquuntur; ut diutius servari possint & exportari. Aldrovandus, non tantum aliud Hippoglossi genus, squamis præditum minoribus, undique sibi concolor, flavescens scilicet; quodque à latere uno lituras nigras, pinnam & caudas in extremo cæruleas, habet, exhibet: sed & alterius Soleæ genus, quod squamis tegitur latissimis, estque unicolor & albicans. Quam Bellonius *Tæniam* vocat, illa tenuis gracilisque piscis est; & quod Athenæus de Tænijs prodidit, Alexandriæ, Canopi, & Seleuciæ in Antiochia, frequentissimè reperitur. Benè ab Aristotelis & Rondeletii Tænia, in qua pinnarum numerus cum Anguillis convenit, distinguitur. Omnium ferè marium piscis est, sed cum Rhombis Pontum ingredi Plinius negat, flumina ingressos multum pinguescere, Londini Bellonius didicit; in stagnis deteriores evadunt. *Littorales* sunt Oppiano, Ovidio in herbosa arena degunt. Terrâ, hoc est vado maris excavato per hyemem condi creditur.

Aldrovand. Histor. Piscium. lib. 2. c. 43.

Aristot. H. A. l. 2. c. 13.

Oppian. Halieut. l. 1. v. 99.

Nam quia lapides in capite habet, & corpore est tenui, frigus exhorrescit. Quantum ad *usum in cibis*, Matron Parodus apud Athenæum, mediocrem succum præbere, ut saxatilium vicem supplere possint, scribit. Galenus Passere molliorem, perperam asserit.

Athenæ. Dipnos. l.

Galen. de Alim. facult. l. 3. & l. de Cibis bonis & malis succi c. 3.

Duram enim esse, vel exinde, quod diutius servetur, longa vectura putrescat, sic melior reddatur, colligitur. Facilè tamen concoqui & minimè excrementitiam esse, apud Rondeletium lego. Patinam ex soleis apud Apicium vide.

Apic. l. 2. c. 4.

PVNCTVM II.

De Citharo.

TAB. XX. 14. 15. Citharus, Aeliano κιθαρόειδος, Oppiano, cui littoralis est, κίθαρη dicitur. Nomen à lineis quibus à summo capite vertice, ad extremam usque caudam distinguitur, invenit. Gaza, ex Aristotele, qui inter eos, quibus complures appendices circa ventriculum exeunt, numerat, *Fidiculam* vertit. *Quatuor* eius nominis pisces, ex planorum genere omnes, esse, Rondeletius luculenter ostendit. Galenus planum & Rhombo similem facit, & quod Philotimus eum inter μωλακόστρακας omiserit miratur. Aelianus Bugloſso seu soleæ assimilat. Galeni Citharum, Rondeletius eundem esse arbitratur cum eo quem Athenæus ex Aristotelis libro de animalibus & piscibus sic delineavit: Citharus serratis est dentibus, solitarius, alga vescitur, linguam solutam habet, cor album & latum: esseque illum Psittaceum piscem, qui Romæ satis frequens, *Folio* nominatur. Cum enim lingua piscibus à natura data sit ossea, & non soluta: vel dura, spinea & adhærens: isque unicus sit ex planis, cui lingua soluta sit teste Aristotele, contra omnium aliorum piscium naturam: haud temere sese judicasse existimat, cum ex hoc, tum quod reliquæ memoratæ notæ ex asse respondeāt, hunc verum ac genuinum Citharū esse. Quod si verò quis hunc Rondeletii piscem pro Citharo non accipiat, quoniam squamosus cum sit ex Rhombis ut pote lævi cute præditis, quibus à Galeno assimilatur, esse nequeat; huic responsum esse volo, assimilationem ad Rhombum, non ad corpus, sed ad carnis qualitatem, referendam esse. Aelianum vero suos Citharædos squamosos facere: quāobrem etiam admiror Rondeletium suum hunc piscem Rhombo quodāmodo similem esse dicere, cum neq; tegumento, squamosus enim est; neq; figura, oblongus enim; respondeat: quare prudenter subiunxit, Bugloſso similiorem esse, si squamas excipias, quæ Citharo magnæ sunt, Rhombi instrumenti figura. Ab hoc Aristotelis Galenique Citharo differre putat idem Rondeletius, eum qui Archestrato apud Athenæū rufus sive subflavus cognominatur, assandusque & caseo multo, oleoque condiendus esse dicitur, quiq; sine sumptu apparari non potest: esseq; eum quem alii verum Bugloſsum esse volunt, non ob figuram solum, sed etiam ob asperitatem: Est enim bovis lingua magna & aspera, quomodo bugloſsum herba etiam nomen invenit. Superiori similis est figura, lingua magis soluta, oris scissura magna, dentibus serratis, squamis intectus rotundis, aquarum asperitate *Citharum asperum* etiam appellari posse existimat, bugloſsiq; nomine comprehendi. Virgam habet à capite ad caudam protensam, latiusculam, maioribus squamis constantem. Partibus internis superioribus similis est. Venetiis optimus reperitur. Carne est inter duram & mollem Galeno media. Stomacho ingratus malique succi Xenocrati. A Diocle assus commendatur. Rondeletius, qnod salpæ modo alga pascatur insuaviorem prodidit. Apollini qui Citharum invenit sacrum, apud Athenæum legimus.

Ælian. H. A. l.11. c.23
Oppian. Halieut. l. 8. 98.
Arist. H. A. l.2. c. ult.
Ælian. l.c.
Athen. Dipnos. l.7.
Athen. Dipnos. l.7.

PVNCTVM III.

De Rhomboide Rondeletii, & Paßeribus squamosis.

RHOMBOIDES Rondeletii, *Rhombi* nomine Romæ ab ichtyopolis venditur. Fortè melius, *rotundus Bugloſsus*, vel *rotunda solea* aut *lingulaca* vocaretur. Squammis parvis integitur. *Oculi* multum invicem distant. Linea à capite ad caudam per medium corpus ducta initio sinuosa: dein recta, corpus in duas æquas partes dirimit. Corpore est exiguo & brevi: nunquam enim

TAB. XX. 16.
Aldrovand. de Piscib. l.2. c.45.

enim palmi magnitudinem superat, quantum Rondeletio licuit observare. Internis partibus à Rhombo non differt. Carne est media, neque molli nimium, neque dura. Eius nullam à veteribus mentionem factam fuisse credit. Junius in suo nomenclatore Belgico vocat Scarde. PASSERVM SQVAMOSORVM tres idem Rondeletius species ponit. *Priorem Limandam* Galli dicunt, ob corporis tenuitatem, ut Bellonius conjicit, quam cum diffisis dolabra asseribus communem habet. Angliun Brut. Hic, teste Iunio, Batavorum Grieta est. Ego enim id non satis memini. Flavas in pinnis, quæ corpus ambiunt, & in reliquo corpore maculas habet. Linea corpus intersecans, sinuosa. Magnitudine ad Quadrantulum (de quo mox) accedit. Lucidiori aeri expositus, pellucidus videtur. Dentes teste Bellonio inter cæteros sui generis pisces, longiores habet: squammas conspicuas valdè tenues atque asperas, quæque difficillime cuti adimuntur: quod cum solea quidem magis, cum cæteris vero minus, commune habet. Vento indurati ingenti quæstu ad mediterranea loca Germaniæ superioris venales feruntur. Gallis ex Britannico littore recensentes adducuntur. Italiæ planè ignoti sunt. Carne aiunt esse candida, humida, molli, parum glutinosa; non multum Buglossis sive Soleis inferiore.

Altera species Gallis Flez, Anglis Phlonder teste Bellonio, qui *Flesum fluviatilem* vocat, verum improprie; & contra piscis naturam: non enim in fluminibus nascitur, sed in mari, ex quo in flumina migrat, cæterorum planorum more. Corpore est, quam vulgaris passer, paulo longiore, & ubi adolevit, crassiore. Squamis integitur parvis: colore est nigro. In corpore pinnisque in ambientibus maculas rufas habet. Ossiculis munitur in capite, medioque corpore in parte supina.

Tertiam Britanni *Helbut* dicunt; Hollandi Heilbut vel Eelbut, Germani Heiligbut, Galli Fletelet, nomine (ut apparet) diminuto à Flez, cum alioqui sit maior, cætera similis est. Utraque in Anglia & Belgio frequens: nobis, Gallisque & fortassis antiquis etiam incognita, quia ad Oceanum usque non pervenerunt, nec in Oceani piscibus cognoscendis multæ operæ studiisque posuerint. Utriusque caro candida & mollis, salubris & delicata: Fletuletus tamen paulo durior est.

CAPVT III.

De Piscibus littoralibus lævibus.

ARTICVLVS I.

De Piscibus littoralibus non planis.

W.D.

PVNCTVM I.

De Sandilz Anglorum.

PIscis, quem jam descripturi sumus, Anglis *Sandilz*, id est Anguilla de arena, tum quod longo sit corpore, tum quod sese occulturus sub arenam se citissimè mergit, dicitur. Gesnerus *Ammodyten* vocabulo Græco vocavit. Capite est tenui ac rotundo, rostro longuiusculo & acuminato: ore parvo: corpore reliquo oblongo, si latitudini conferatur. Nam cum eius medium (caput enim & cauda arctiores sunt) pollicis crassitudinem non superet, longitudo ad palmi mensuram extenditur. Quamobrem sicuti longis, sic etiam & parvis annumerari piscibus debet. Cum neque pollicis latitudinem, neque palmi longitudinem excedat unquam. Dorso præterea (in quo pinnæ duæ reperiuntur, in eo medio

TAB. XXI. 1. *Aldrov. de Piscib. l. 2. c. 49.*

medio una, ac prope caudam altera) subcæruleus. Ventre verò in quo præter binas, quas utrimque habet pinnas, una etiam alia post excrementorum orificium subsistit argenteus conspicitur. Frequentissimè in Britanniæ littoribus capitur. Sæpè etiam in Bononiensi, ubi idem nomen obtinet. Quibusdam anni temporibus, seu maiorum piscium iniurias fugiens, seu naturæ impulsu, aqua derelicta, sub arenam penetrat: inde pedalibus & pectinatim incisis lignis, ab incolis extrahitur. Pauperum duntaxat necessitatibus inservit.

Huc pertinet alter piscis *Mersuuyn* id est, *Porci* marini nomine missus, quod Porci more rostro terram fodiat. Lituris & specie corporis Lucium imitatur, sed aculeum rectum in fronte gerit. Liturræ omnes nigræ sunt. Pinnæ ventris, caput supinum & cauda rubent: cætera flavescit. Marinusne verò, an dulcium aquarum piscis sit, non satis memini, quamobrem historia ad priorem piscem pertinet. Marinum tamen esse nomenclatura docet.

PVNCTVM II.

De Dracone.

TAB. XXI. 2.3.4.5.6. *Aldrovand. de Piscib. l.2.c.50.*

DRaco piscis, Græcis veteribus δράκων θαλάσσιος, modernis Δράκαινα, unde Siculi, Neapolitani, & Romani suum Tragine deflexerunt, dicitur. Iovius Trachurũ, qui in cauda, non cervice aculeos habet, perperam vocavit. Plinius qui Draconis marini nomine duos diversos pisces, ut ex libro nono capite vigesimo septimo colligi potest, intelligit, quorum unus serpens marinus est, quem Aristoteles libro nono capite decimo septimo describit, ab Araneo male specie distinxit, quem & Isidorus, qui Araneum ita describit, ut Draconi huic marino omnia competant, secutus est. Quod ab Araneo Aristotelis distingui debeat, mirum non est, cum eius Araneus, à nullis Græcis authoribus venenatus esse tradatur: hunc omnes post | Pastinacam venenosissimum asserant.

Salvianus *duo* ipsius *genera* ponit. *Primus* piscis est oblongus, & ut Bellonius ait, forma pugionis modò compressa, unde à quibusdam Gallis Poignastre vocatur quasi pugio. Salvianus squammis carere dicit, item Bellonius, vel saltem exiliores habere, quam sint serpentium. Rondeletius parvas ei tribuit ac tenues, Ælianum (ut apparet) secutus, qui asperas habere scribit φολίδας, quæ fere serpentibus tribuuntur, & ipse etiam Rondeletius sine squamis & planè nudum Draconem pingit. Percam marinam quodammodo refert capite, magno scilicet & rotundo. *Os* non in longitudinem, sed in obliquum, nec recta sed curva scissura fissum habet: Connexa enim latera inferioris maxillæ (quæ paulò longior est superiore, nec recta nec oblique sursum porrigitur) à concavis superioribus lateribus, dum illud clauditur, suscipiuntur. *Dentibus* ut in Dracone serpente id communitum est. *Oculi* magni sunt, quibus magnitudine supercilia respondent, sursum spectantes, ac adeò splendide virescentes, ut smaragdum pulcherrima viriditate superent, iidem brevi intervallo à se distant, in quo triangulum expressum & aculeos parvos cernas. *Branchiæ* utrinque quaternæ, quarum exteriora opercula aculeo ad caudam spectante armantur, ut dictum est: quæ opercula post articulationem cum ossibus capitis, tenui membranæque simili substantia potius quam ossea constant, quamobrem Draco ea cum extra aquam aerem trahit, inflat, non aliter quam nos buccas inflamus. Ad branchias *pinnæ duæ*, eo situ, ut in fluviatilibus, hoc est, inferiores multo quam in marinis esse solent: inter has & scissuræ oris finem, in parte superna, duæ aliæ minores, candidæ. In cervice vel dorsi principio quinque habet

bet *aculeos* tenues, nigros, præacutos, tenui membrana anteriori parte nigra, posteriori vero alba connexos, quibus venatum vulnus infligit, multoque pernitiosius quam branchiarum aculeis. Ab hac, pinna incipit ad caudam usque continuata, quæ magna est, lata, atque adeo bifurca, Alia denique est à *podice* ad caudam etiam usque: qui diverso in hoc quam in aliis piscibus loco situs est: cum enim alii in medio eum habeant ventre, alii vero inferius versus caudam, in Dracone non procul à branchiis distat: unde fit quod brevis admodum ventris eius sit capacitas interna, cum tamen carnosus sit & satis amplus *ventriculus*. Colore est vario. Dorso enim fusco est, ventre candido, lateribus lineis aureis transversis pulchre distinctis. *Alter* qui fortè non malè Dracunculus Plinii vocari poterit, quemque Salvianus minorem vocat, in nonnullis à priore differt. Cum enim maior crebrò ad libræ unius & duarum etiam aliquando magnitudinem excrescat, (Rondeletius in Oceano aliquando cubiti magnitudinem attingere tradit) minor ne dimidiam quidem libram implet: præterea capite & corpore reliquo non rotundo, ut maior; sed in latera compresso est: cuius deniq; latera non subluteo solum colore, quo maior ille insignitus est, sed frequentibus etiam & obliquis ad cæruleum colorem vergentibus lineis pulcherrime depicta sunt. Aldrovandus *quatuor* Draconis *species* exhibet. *Prior* aculeo ad branchias, pinnarumque numero cum præcedenti convenit, colore vero & maculis lineisque differt. *Ossa* branchiarum colore sunt roseo, sed in extremitatibus aureo. Aculeus item aureus, sicuti & pinnæ, quæ sunt ad branchias: quæ vero in pectore conspiciuntur, albicant, cæteræ subvirent. *Os* pronè quoque viride, supinè albicat. Dorsum ex subviridi fuscescit, maculis rotundis ad castaneum vergentibus densissimis consperſum, *Venter* argenteis lineis crassiunculis contrario invicem ordine oppositis decoratur.

Aldrovand. l.c.

Cauda tota ex cæruleo ad amethestinum tendit. *Altera* species in vertice insignem habet aculeum; colore est in dorso subcastaneo, ventre albo, valde maculosa. Pinna cervicis inter quatuor priores aculeos in summitate atra est, cætera fusca: quæ verò ad caudam usq; protrahuntur, & cauda etiam ipsa, coloris ferè sunt violacei. *Tertia*, capite est castaneo, præter os quod pronè supinèq; ferè violaceum est. Oculi, in vertice ferè ut in Callionymo, inter duos locati aculeos. Pinnæ branchiarum & pectoris, item quæ in ventre est, roseo sunt colore. Quæ verò in cervice cernitur, ad quartum usq; aculeum violaceo, cætera albicat, & rotundas, fusci coloris maculas ostendit, quemadmodum & subsequens, quę ad caudā usq; excurrit. Dorsum ad castaneū vergit, & nigricātibus maculis insignitur. Latera & venter viridescunt. *Quarta ac postrema*, magna ex parte castanei est coloris, dilutioris in capite, intensioris in dorso. Lineæ quæ à branchiis sunt ad caudam usq; plane ferrugineæ. Tota pars supina candicat. Pinnæ ad branchias & ad pectus, rubræ sunt: cæteræ cæruleæ, sed aristas habent rubras. Cauda præterea in extremo ferruginea est. *Locum* si spectes, Bellonius pelagium æquè ac littoralem scribit. Aristoteli simpliciter talis est. Oppiano in petris, & arenis pascitur. Loligunculis & aliis minutis piscibus vescitur, ideoq; Nicander ἁλιῤῥαίστην, *maris vastatorem*, Epicharmus ἄλκιμον nominat. Gregalē non esse vel inde cōjicies, quod nunquam plures capiantur. Mirū etiam, si verum est, si manu dextra attrahere coneris, violenter reniti; si sinistra, cedere & capi, quod Ælianus prodidit: nec minus, eo tēpore cū pisciū genus amore tenetur, in vulnere quod iste inflixisset, pisciculos illi similes procreatos fuisse, quod multorum piscatorum testimonio narrat Gillius. Ictum eius venenatum esse, piscatorum periculo certum est, sæpe nomas, sæpe febres & inflammationes excitat, plusque à vivo quàm mortuo periculi. Remedia varii varia ostentāt. Plinio

Ælian. H. A. l.5.c.37.

Mullus

Mullus illitus aut in cibo sumptus prodest. Dioscoridi & Galeno Draco proprio ictui applicatus placet. Æginæta cerebrum piscis in potu præscribit & sulfur cum aceto imponit. Aetius locum affectum cum plumbo fricari jubet. Piscatorum experientia jecore illito dolor mitigatur, foliorum lentisci affrictu punctura curatur. Genuenses exiguum Thlaspios genus, quod in ipsis littoribus nascitur, admovent. Recentis piscis è capite cinis, contra omnia venena prodest, mirabili discordia, si Rondeletio credimus. Plinius, ossibus gingivas scarificare jubet, ut dentium dolores sedentur.

Aetius l.13. c.36.

Aldrov. de Piscib. l.2. c.50.

PUNCTUM III.

De Dracunculo.

TAB. XXI. 6.

DRacunculi Plinius inter veteres meminit. Inter Recentiores à Rondeletio describitur. Est piscis marinus inquit, dodrantali magnitudine, cotto fluviatili non multum absimilis, rostro acutiore, & capite latiore, Ranæ etiam piscatrici quodammodo similis; sed Rana piscatrix ore est majore, pinnis concoloribus, quæ in Dracunculo variæ sunt. *Capite* est magno, compresso, *rostro* prominente, *ore* parvo sine dentibus, sine ulla ad branchias scissura; sed huius vice supra caput utrimque *foramen* est, ut in Hippocampo, quod, nisi dũ piscis vivit, eoque aquam trahit, & emittit, manifestum est. *Oculos* magnos supra caput positos habet: capitis os in aculeos desinit ad caudam spectãtes. *Pinnas* longissimas pro corporis magnitudine habet, partim aurei, partim argentei coloris ęmulas. Quę ad branchias sitæ, aureæ sunt, in radice argenteæ. Quæ in supina parte, à cæterorum marinorum piscium pinnis, situ magnitudineque dissident: nam & ori propiores sunt, & longiores ijs quæ sunt ad branchias, In dorso duæ eriguntur: prior (hac in pictura vix apparet) parva est, aurea & argenteis lineis distincta; posterior magna admodum in medio dorso, papilionum alis non valde dissimilis, radiisque quinq; hordei aristis similibus, membranaque constans. Radij priores longiores sunt, posteriores breviores, contra quam in membrana, quæ singula radiorum intervalla, veluti intertexta occupans paulatim crescit. Eadem quoque varia est, lineis etiam argenteis in medio duarum nigrarum sitis distinguitur. Hæc in medio dorsi cavo veluti in vagina conditur. *Alia* est à podice ad caudã, etiam aurea demptis eius fimbriis, quæ nigricant. Corpus totum sensim gracilius fit, & in pinnam lõgam terminatur, cuius fimbrię nigricant. Est & picto corpore: nam ab huius medio, argenteæ lineæ ad ventrem ductæ sunt. In maxillis partibusque anterioribus veluti punctis argenteis notatur. *Ventre* est lato, plano, candido, cuticula tantum tegitur. Capitur in Agetesi littore, inprimis Caniculę vigentis tempore. Venustas & summum Dei in eo artificium pretium ei fecere. Carnis substantia Gobionibus parvis similis est, iisdem alimentis vescitur. Ictum minus venenatum habet.

Icon Dracunculi Tabula XIV. 2.

PUNCTUM IV.

De Uranoscopo.

TAB. XXI. 7.

PIscis, quem *Uranoscopum* seu cœli speculatorem dicimus, Aristoteli, Dioscoridi, & Aeliano καλλιώνυμος, Theodoro *pulcher* dicitur, nõ tam ob corporis pulchritudinem, deformis enim est; quam vel quod Uranoscopi nomen sit pulchrũ, & homine quã pisce dignius; Massilienses *Tapecon* quod, cum pessi instar conformatus sit, aliquam cum pudendis similitudinem habeat; & *Raspecan*, quod caput ob asperitatem ad scalpenda pudenda muliebria accommodari possit vocant; Oppianus ἡμερόκοιτον, quod interdiu dormiat, noctuque vigilet, Hesychius & Varinus ψαμμοδίτην seu Arenarium dixere, quidam Ἅγνον, id est, castum, Athenæo vocari credũt, sed mendum subesse putat Gesnerus. Piscis est levi cute, eaq; dura, & quæ facile excoriari potest, præditus: corpore fere rotundo: *capite* magno osseoque & duobus aculeis ad caudam spectantibus aspero, quo Ranam piscatri-

Arist. H. A. l.8. c.13.

Ælian. H. A. l.13. c.4.

ſcatricem quodammodo refert: vertice admodum lato.

Roſtro quodammodo caret. *Os alio* quam in aliis piſcibus fieri ſolet, loco ſitum eſt, nimirum ſupra caput, & (ut Oppianus ait) inter medios oculos; eſtque magnum & valde patulum & inferiore maxilla ſurſum maxime attracta clauditur. *Dentes* habet exiguos, *linguam* brevem ſed latam, quæ internas oris partes ita occupat, ut niſi digito eam comprimas & ſubmoveas, non videantur. Ex ea parte quæ inter linguam eſt, & maxillam inferiorem oritur, teſte Rondeletio, *membrana* in principio latiuſcula, ſenſim in carnoſam rotũdamque apophyſin deſinens, extra os propendens qua piſciculos allicit, allectos devorat. Eandem cum vult, retrahit, & exerit, veluti ſerpens linguam. Pars inter oculos interiacens depreſſa eſt & concava. *Branchiæ* utrimque quaternæ ſunt, quarum oſſea opercula, poſteriore parte aculeo robuſtiſſimo ad caudam ſpectante horrent. Iuxta branchiarum ſciſſuram *pinnæ* duæ magnæ & robuſtæ, craſſæ, & mucoſæ & variæ exoriuntur. Subſunt in parte ſupina duæ aliæ minores, albæ, maxillæ inferiori propinquæ. Has pinnas ſequitur os veluti ſternum, quod tribus aculeis horret. Succedit pinna alia à podice ad caudam. In dorſo duæ ſunt, quarum prior capiti propior parva eſt & nigra, ut in Araneo: poſterior ad caudam eandem uſque porrigitur, dorſo concolor.

Cauda in pinnam latam deſinit, Pavonis caudæ dum piſcis vivit, æmulam, fimbriæ purpuraſcunt, *Venter* eſt ſubalbidus: dorſum vero ac partes reliquæ ex cineraceo fuſcæ apparent, qui colores, dum vivit manifeſti ſunt, alioqui una cum vita pereunt.

A capite lineæ duæ exſquamulis conſtantes ad caudam protenduntur. *Ventriculus* amplus eſt, craſſus & carnoſus, cum appendicibus plurimis, *inteſtina* ter revoluta, *hepar*, candicans, à cuius exteriore parte fellis veſica pendet, admodum magna pro corporis ratione, felle valde diſtenta, quod ſubſtantia & colore oleum æmulatur: cuius rei meminit Plinius, nulli piſcium hoc copioſius eſſe ſcribens: citat autem Menandri authoritatem in comœdiis, immemor fortaſſis eiuſdem mẽtionem fieri ab Ariſtotele, qui nempe Callionymo in iecore fel ineſſe tradidit proportione corporis omnium copioſum: addit Ælianus hunc philoſophi locum recitans, jecur ipſum tradere ad dextrum latus collocatum eſſe Menandrumque, huic rei teſtimonio eſſe in Meſenia, his verbis: *Facito te fel habere Callionymo copioſius*: item Anaxippum in Epidicazomeno dicentem, *niſi moveas & ſic ut Callionymi fervere efficias omne fel.* *Lien* exiguus, rotundus atque rubens ventriculo hæret. *Vulva* bifida eſt & longa.

Ariſt. H.A. l.2.c.15.

Non multum excreſcit, & rarò pedalem longitudinem excedit. *Littoralem* eſſe Ariſtoteles prodidit, poſt eum Rondeletius, Carne *veſcitur*, & piſciculis apophyſi illa quam extra propendere diximus, inſidias ſtruit. Adnatant tanquam ad vermem, & capiuntur. Si cibum capto obieceris, eo uſque ſe infarcit, ut cibus ad ipſum os redundet. Adeo vivax eſt, ut ſi omnibus internis ſpolies, moveatur adhuc. Comeditur à plebeis, quia viroſi odoris eſt, unde βαρὺς gravis Diphilo apud Athenæũ vocatur. Nec mirum, cum cœnoſis aquis veſcatur. Hippocrates tamen non ſolum non improbat, ſed & in victu præſcribit. Nonnulli felle oculos Tobiæ curatos fuiſſe volunt. Cicatrices ſanare & carnes oculorum ſupervacuas conſumere Plinius tradit.

Ariſt. H.A. l.c.

Aldrov. Hiſtor. Piſciũ l.2.c.51.

Hippocr. l. de affect. intern.

PUNCTVM V.

De Trachuro.

Τράχυρος ſeu ut Oppianus & Galenus ſcribunt τραχῦρος, quo nomine apud Latinos veniat, ignoratur. Lacertum malè vocari vel exinde patet, quod iſte κοιλιὰς, ſi pro peculiari ſpecie accipias, vocatur. Malè & σαῦρον dici Oppianus, qui tanquam

TAB. XVII. 12.

Aldrov. de Piſcib. l. 2. c. 52.

Oppian. Hal. l. 1. v. 106.

quam diversos pisces appellat, testatur. Forma eius nisi paulò longior esset, *ovata* dici posset. Cum enim eius medium corpus latiusculum sit, deinde utroque versus arctatur, donec rostrum ore clauso, atque extrema pars caudæ carnea, acuetur. Inferior autem maxima, quæ superiore paulo longior est, cum os clauditur, non recta sed oblique sursum excurrit, unde os etiam non in longitudinem, sed in obliquum scissum est, dentibus adeo paucis & minutis munitum, ut edentulum videatur: revera tamen maxillarum pars denticulata est. Est autē ut Scombri admodum magnum: item oculis, ut in Melanuro. *Branchiæ* utrimque quaternæ. *Pinnis* natat quatuor, quarum duæ maiores ad branchias sitæ sunt, duæ aliæ minores in ventre: aliæ item duæ in dorso eriguntur; prior latior & brevior, in eminentiore dorso: altera paulo inferius arctior, sed longior, nam per dorsum reliquum fere usque etiam ad caudam porrigitur. *Podex* in medio ventre est, à quo alia denique pinna ad caudam usque demittitur. *Cauda* autem bifurca est, similis Acus vulgaris. In medio corpore *lineam* habet à capite ad caudam deductam, multis ossiculis, ita horridam, ut serra esse videatur, non rectam quidem sed media sui parte inflexam & obliquam, in cauda eminentiorem, asperioremque quam in aliis partibus, quæque ob id *caudam quadratam* efficiat. Squammis caret, *lævi* tantum cute præditus. Dorso subcæruleus, ventre verò & lateribus argenteus est, purpureoque aliquantulum ementitur, ut inde ἀλλοπίην, id est, varium forte dixerit Numenius. Trachurus, cuius hic iconem damus, colore fere est albicante, aureis ubique lituris varius. Cauda ex violaceo fere ad cæruleum vergit. Ad pedalem magnitudinem perraro excrescit. Versantur circa littora. Numerosi omnibus anni temporibus seu nassis, quod veteribus apud Oppianum suetum, seu retibus quod hodie in usu capiuntur, ut inde gregales esse coniicias, & Romæ *Frictura* nomine venundantur. Ælianus, equam in utero habentem, si ei cauda Trachuri appendatur, piscis mox liber in mare dimittatur, non multò post arborum pati, prodidit, vere an falso non dicam. Inter duræ carnis pisces, à Philotimo censentur, ideo Diocles apud Athenæum aridos vocavit, nec dissentit experientia, nisi forte externa pinguedine, aut iusculo tener aut iurulentus fiat.

Oppian. Hal. l. 3.

Ælian. H. A. l. 13. c. 27.

Æthenæus Dipn. l. 7.

Galen. de Alim. facult. l. 3. c. 31.

PUNCTUM VI.

De Scombro.

QUi Græcis σκόμβρος, is Latinis Scomber & Scombrus, Horatio *Piscis Iberus*, plerisque nationibus, *Macarel* & *Maquereau* non tam à Græco μακίρος, quod Scaligero placet, hoc enim nomen iis potius conveniret, qui veteribus Opsophagis Dii vocantur; quā, leno, quasi, quod verno tēpore parvas Alausas, quas virgines dicunt, subinde subsequi soleant, dicitur. *Corpore* est terete, denso, carnoso, utrimque in acutum desinente, *rostro* scilicet atque corporis extremo, cui cauda annectitur: & si parva magnis cōparare licet, Thynno (ut Scholiastes Aristophanis scribit) similis. *Oris* scissura ingens pro corporis portione; *dentes* exigui; *caput* rotundum; inferior maxilla in superiorem recipitur, & clauditur pyxidis modo. *Oculi* magni, aureo colore micantes. *Branchiæ* utrimque quaternæ: juxta quas pinnæ binæ, totidemque in ventre. A podice alia est, eique supra posita in dorso similis: quas ordine certisque intervallis, aliquot aliæ pinnulæ subsequuntur, quod tamen huic soli proprium non est, sed cum Thynnis, Pelamydibusve commune, Alia denique est in dorsi initio aculeis nonnullis horrida.

TAB. XXIV. 9. 9. 18. 11.

Aldrovan. de Piscib. l. 2. c. 53.

Cauda in lunatam pinnam degenerat. In ipsis aquis sulphurei coloris est, extra non qui cæteris, (ut Plinius ait) sed ferè cærulei, sulphureum autem colorem quem intelligat, alias

lias explicat, inquiens: Fulmina & fulgura, sulphuris odorem habent, ac lux ipsa eorum sulphurea est. Est vero cæruleus ille eorum color potissimum in dorso: nam venter lateraque argentea sunt. Totus lineis nigricantibus, obliquis, insignis est: squamisque caret, licet apud Athenæum squammatum esse quispiam velit, negandi vocula videlicet librariis omissa. Ad cubiti magnitudinem accedit. Sunt *mari peculiares*, & aliquando iuxta arenosa littora degunt, sæpe in petris, quæ chamis & patellis plenæ sunt. Etsi autem tam in Oceano quam mari mediterraneo, sinu Adriatico, & Hellesponto, capiuntur: iuxta Herculis tamen insulas, prope Carthaginem novam tam copiosi & frequentes sunt, ut una earum Scombraria teste Strabone dicatur: In Oceano tanta crassitudine proficiunt, ut pari cum Pelamydibus magnitudine, authore Bellonio evadant, in Adriatico parvi sunt. Existimavit aliquis in minore maris ambitu frequentes prædas exerceri, ideo non crescere. Vix ad Tergeste ac proximum sinum comparent Scombri: atque ilico capiuntur. In Oceani laxitate fuga moram, mora parit incrementum, ideo grandescunt quia non capiuntur. *Gregales* † sunt, & à locis † frigidioribus calidioribusque, tanquam Thunni, ut qui imbecilliores, dulcioris pabuli gratia, discedunt. *Beneficii* memores esse, Ælianus exemplo singulari, prodidit. Mane à piscatoribus cibati, feras Scombros gentiles suos cogunt, & corporum suorum abiectu ita cõcludunt, ut fuga sibi consulere non possint, hinc capiuntur. *Inserviunt & mensis.* Diphilus leves esse, & facilè è stomacho descendere dixit. Hicesius multum nutrire, minus verò facilè excerni iudicavit viscosiores & crassiores, concoctu difficiles, & excrementitios esse, experientia eos docuit. Venetiis verno tempore quo pinguiores sunt, in delitiis habentur. Romæ ob siccitatem inter ignobiles reposuit. Quia graves & ventriculo refractarii, ταριχεύεσθαι, id est, sale inveterari scripsit Athenæus, habenturque inter ταριχήια optimi. Veteres ex iis *garum quoddam* habebant, de quo ita Plinius. Est etiam num liquoris exquisisti genus, quod garum vocavere, intestinis piscium cæterisque, quæ obiicienda essent, sale maceratis, ut sit illa putrescentiũ sanies. Hoc olim conficiebatur è pisce quẽ Græci Garum appellabant (ut supra ostendimus) Nunc è Scombro pisce laudatissimum in Carthaginis Spartariæ cætariis: sociorum appellatur; singulisque millibus nummum permutantibus cõgios peno binos: Nec liquor ullus pene præter unguenta maiore in pretio esse cœpit, nobilitatis etiam gentibus. Scombros quidem & Mauritania, Bæticaque & Carteia ex Oceano intrantes capiũt, ad nihil aliud utiles: Laudantur & Clazomenæ garo, Pompeiique & Leptis, sicuti muria Antipolis ac Thurij: jam vero & Dalmatia. Vitiũ huius (gari nempe, non muriæ, ut Rondeletius vult) est alex, imperfecta nec colata fæx. Cœpit tamen & privatim ex inutili pisciculo, minimoque confici, Apuam nostri vocãt: Foroiulienses piscem ex quo faciunt Lupum (super quo nostrum iudiciũ supra diximus) appellant. Transiit deinde in luxuriam, creveruntque genera ad infinitum: sicuti garum ad colorem mulsi veteris, adeoque dilutam suavitatẽ, ut bibi possit. Aliud vero ad castimoniarum superstitionem, etiam sacris Iudæis dicatum, quod sit è piscibus squama carentibus (*legendum apparet non carentibus, nam Iudæi hodieque nisi squammosos edunt, & non squamosis, abstinent, ut duo gari sint genera, unum è squamosis, ut ex Lupo sive Encrasicholo, Mænaã, & Smaride consimilibusque alterum ex lævi cute præditis, ut ex Scombris*) hic lex pervenit ad ostrea, urticas, gammaros, Mullorum iecinora, innumerisque generibus ad saporem gulæ cœpit sal tabescere. Hæc obiter indicata sint desideriis vitæ, & ipsa tamen nonnulla usus in medendo. Huius usus apud nos desiit, apud Turcas Constantinopoli non item: quia pisces plæros-

Scaliger. in Exercit.

† *Arist. H. A. l. 9. c. 2.*

† *Arist. H. A. l. 8. c. 12. & 13.*

Plin. H. N. l. 9. c. 15.

Ælian. H. A. l. 14. c. 1.

Plin. H. N. l. 31. c. 8.

plærosque frixos vendunt, iis intestina & branchias eximunt, immittuntque muriæ, ut in garum vertantur. Sociorum verò Garum vocatur, seu quod ganeones & lurcones eo sociatim uterentur, ut quidam Galeni scholiastes putat, seu quod à sociis populi Romani, Hispanis nempe deferretur. Fæcosum ac plane fœtidũ fuisse, facilè Martialis indicavit, dum dicit

Vnguentum fuerat, quod Onyx modo parva gerebat,
Nunc postquam olfecit, Papilus, ecce garum est.

Ælian. H. A. l. 12. c. 46. Plin. H. N. l. 32. c. 10. *Vsum in Medicina* si spectes, arquato morbo correptis comestos opitulari Ælianus scribit; in aceto putrefactos mulieres strangulatu oppressas excitare Plinius.

PUNCTUM VII.

De Coliasive Lacerto.

TAB. XXVIII. 12. Aldrov. de Piscib. l. 2. c. 45. PIscis quem κολίας, κοιλίας, & κοχλίας in vulgatis Aristotelis exemplaribus, seu a pica varia, quam κολίον aut κολίαν dici, nescio quo authore Bellonius credit, quod variegata latera habeat, unde καλιόγραπτος Athenæo, seu aliam ob causã vocatur. Theodoro κολάς, seu *Monedula*, & *Graculus*, Latinis ut C. Celso, Columellæ, ac Martiali, *Lacertus* audit. Magnam eorum cum Scombris affinitatem esse, non tantum inde colligere licet, quod ab Aristotele & Columella semper simul nominentur: sed etiam quod Lemni incolæ magnitudine duntaxat à Scõbris differre asseruerint, & Plinius Coliam Lacertorum minimum faciat, quod & apud Athenæum, qui Sardam Coliæ magnitudine esse scribit, habemus. Pariunt semel † anno. In cibis laudantur, qui in Proponti-de † antequam pariant, Amyclani, Hispani; quos † Sexetanos (Sexi authore Plinio, Bœticæ Hispaniæ oppidum est) Martialis vocat, ex quibus forte Salsamentum. Gaditanum, cuius apud Hippocratem mentio, & Parij seu Pariani, unde Parium apud Archestratum nutrix Coliarum dicitur. De Carnis qualitate non conveniunt Authores. Xenocrati est stomacho ingrata, arida, mali succi, excretu facilis, & copiosè nutriens. Athenæo glutinosa, acris, mordax, & deterioris succi. Cornelio Celso, gravissimi alimẽti. Saliri solitas apud Martialem invenies. Muria ad dentium dolores Medici utuntur. Patinam ex Lacertis apud Apicium vide.

Arist. H. A. l. 9. c. 2. l. 8. c. 13. Columell. R. R. l. 8. c. 13. † Arist. H. A. l. 5. c. 9. † Arist. H. A. l. 8. c. 13. † Galen. l. Alim. facult. Martial. Epigr. l. 7. Athen. Dipnos. l. 3.

PUNCTUM VIII.

De Sauro.

QUem Saurum Græci vocãt, hunc plerique Latini *Lacertum* vocant, A Trachuro distingui vel exinde patet, quod & Oppianus de Trachuro & Sauro tanquã de diversis piscibus agat; & Speusippus apud Athenæum Acui & Sphyrænæ similem esse, quod Trachuro non convenit, scribat. *Duo* eius esse *genera* Ælianus tradit, videlicet *nostras*, & *peregrinum*, in rubro mari nascens: *Nostras* caput habet (inquit Salvianus) tenue & rotundum; rostrum oblongum, & acutum. *Os* magnum plurimis atque exiguis dentibus munitum: *Oculos* mediocres, rotundos & aureos: *Branchias* utrimque quaternas: prope quas binæ & parvæ sunt *pinnæ*, utrimque scilicet una: aliæ duæ & maiores in ventre; in medio dorso una haud magna quinis senisve aculeis horrida erigitur, aliaque una multo minor in medio dorso caudæ vicina reperitur: è cuius regione abano, qui in hoc pisce caudæ satis proximus est, alio paulò maiori mo ventri hæret. *Cauda* in unam lunatam pinnam degenerat. Corpus oblongum est & rotundum. Unde non ineptè à Speusippo in secundo similium, Sphyræna, Acus & Saurus similes esse dicantur. Sphyrænæ enim satis similis est hic noster Saurus: similis & Acui, si Acus illam rostri dempseris tenuitatem. *Ventre* est subalbido, lateribus luteis, dorso ex viridi nigricante, maculis, quam plurimis virentibus, rubeis, cæruleis, luteis atque nigricantibus, dorsum, caput, & latera, nonnullorum serpentum instar, variè admodum pingentibus: Quamobrem non solum ore, rostro, capite, atque reliqua corporis figura, sed colorum et-

TAB. XXI. 13. Aldrov. de Piscib. l. 2. c. 55. Ælian. H. A. l. 2. c. 25.

iam varietate proximè adeò ad terrestris Lacerti accedit similitudinē, ut ei simillimus, si pedes exceperis, videri possit. Ventriculum habet oblongum & satis magnum: appendices non multos: intestina mediocria: hepar bifidum, & subrubeum: Lienem subatrum. Pedali mensura majorem adhuc non vidimus. Ab hoc nostro Sauro aliquantulum diversus est, qui *in rubro mari* reperitur, quem his verbis describit Ælianus: Rubri maris Saurus (interpres reddit Lacertum) est, cuius magnitudo ei qui nascitur apud nos, æq alis est virgatus, spectatur, lineis nimirum aureolis circumdatur à branchiis ad caudam pertinentibus, quas media argentea distinguunt: ore est hiante, maxilla inferior eminet in superiorem, virides oculos habet, quos aureo fulgore palpebræ ambiunt. Ab hac delineatione non omnino abhorret *peregrinus iste piscis*, supinè subviridis, prone castaneus, lineis sive lituris, maculisque orbicularibus subviridibus decoratus. Rictum oris habet maximum, Lacertorum terrestrium plane æmulum, & validissimis dentibus instructum. Branchiarum opercula flavescunt, punctis referta ferrugineis. Pinna tergoris & branchiarum, & cauda ex ferrugineo rubent. Quæ vero in ventre sunt, eiusdem fere cum ventre sunt coloris. In mari *vivit*, & cœnosis† locis delectatur. Carne *vescitur*, nec à putridis abstinet. Aristoteles inter gregales reposuit: sed cum in mari mediterraneo singuli capiantur, solivagos melius dixeris, tam rarò *capiuntur*, ut vix annis singulis Romæ in foro piscario bis deni capti videantur. Inter pisces molli carne præditos Philotimus reposuit; inter mollis & duræ medium, Galenus. Editur assus & frixus. Alexis apud Athenæum, branchiis exemptis, cæsis spinis, lotum atque incisum, & lasere probè pulsatum, caseo, sale, & origano implendum esse docet.

Athen. Disnopf. l.7.

Ælian. H. A.l.11.c. 49.

† Oppian. Halieut. l.2.

Galen. Alim.facult. l.3.

PUNCTUM IX.

De Corace Rondeletij, Milvo ejusdem, & Boopis rara specie.

CORAX Rondeletij, Romæ nomine cum Lyra communi, *Capone* vulgò à capitis magnitudine dicitur. Piscis est marinus, corporis forma Milvo Rondeletij similis, aculeorum pinnarumque magnitudine discrepans. *Ossa*, branchias integentia, cælata, in aculeos desinunt. *Pinnæ* quæ ad branchias, minores q̄ in Hirundine Rondeletij, majores quā in Milvo sunt, ex viridi nigricātes parte interiore, exteriore albescunt, cum maculis rubescentibus. *Dorsum* ex cæruleo nigricat, latera rubescūt, *Venter* lactei est coloris. *Caput* est magnum: locus inter oculos cœlatus. In dorso *virgas* ex osiculis contextas, instar Cuculi habet: in eodem pinnas duas: prior est brevior, cum aculeis lōgioribus, acutioribusq;, posterior longior, cum lōge minoribus aculeis. Linea simplex à capite ad caudam ducta est. Palato minus est flavo quam Milvus. *Ventriculum* parvum habet cū multis appendicibus, *intestina* tenuia, *hepar* ex albo rubescens. Carne est, si Athenæum sequimur, duriore: si Celsum, teneriore, dura tamen. MILVUS Rondeletij, qui Gallis *Lucerna*, quod noctu luceat, piscis est marinus corporis forma Corvo persimilis, corpore magis rubro, *capite* minus lato, utrinque compresso. *Pinnarum* numero caudaque similis, magnitudine & colore dissidens. Quantum ad *colorem* attinet, parti pinnarum quæ ad branchias sunt externæ, nullæ maculæ rubræ insunt: interna ex viridi non nigricat, sed pinnæ istæ partim flavescunt, partim nigricant. Linea à branchiis ad caudam ducta simplex non est, neque lævis ut in corvo: sed ex acutis brevibusque aculeis horret. Non squamis, sed cute aspera contegitur. *Partibus internis* Mullo imberbi

TAB. XXII.1.2. *Aldrov. de Piscib. l. 2. c. 56.*

Aldrov. de Piscib. l. 2. c. 57.

berbi similis. Palatum parvum flavum est. Carne est dura & sicca.

Tab. XIX. 6. Aldrovan. de Piscib. l.2.c.58.

Boopis species ita à Rondeletio describitur, Rarus est piscis, cuius nomen neque à piscatoribus nostris neque ab aliis potui unquam extorquere propter raritatem. Palmi maioris est longitudine, totus à squamis nudus, ore parvo, oculis valde magnis pro corporis ratione; in pronis partibus pinnam habet ad caudam usque continuam, cauda lauta spissaque est. Ad branchias & in ventre binas pinnas habet. Sapore, carnis substantia, oculis Boopem refert.

Articvlvs II.

De Piscibus littoralibus lævivibus planis.

Punctum I.

De Passere lævi.

Tab. XXII. 7. 8.9. Aldrov. de Piscib. l. 2. c.47.

Passer lævis, Ausonio *Platessa*, alijs *Pecten*, quod eius pinnæ rectæ & parallelæ pectinis speciem præ se ferant, Hollandis Scholle, dicitur. *Bina* eorum apud Gallos *genera*. *Vnum*, quod communiter *Plya* vocatur, & magnitudine excellit. *Alterum*, quod alibi Cariet, alibi à quadrata corporis figura Quarrelet, *Quadratuli* nomen sortitum est. Ætate tantummodo differre, à quibusdam proditum; ex corporis forma, quæ Quadratulo magis quadrata, & pluribus maculis ruffis sive subflavis, ostendit Rondeletius. A Rhombis situ differunt. Si hos ita in latus componas, ut oculi in cœlum suspiciant, & mentum deorsum versus spectet, pars supina erit dextra, si Passerem similiter constituas, supina pars erit læva. Ita *marinus* est, ut & dulcium quoque aquarum sit studiosissimus: In Oceano tamen numerosior quam alibi reperitur. Iuxta Livoniam sunt pinguissimi, & inde vento indurati ad mediterranea exportantur. Saxatilibus Mnesitheus accenset. Ovidius in herbosis. Oppianus ἐνπηλοῖσι καὶ ἐν τιγανέωσι *degere* credit. Vadum, ubi piscatorem sensit petere, terræ adhærescere, aquam, ne videatur, turbare, Alberti M. fide habemus. Carnem eius mollem Philotimus dixit, sicciorem Diocles, duram & probi succi Xenocrates, mediam Galenus. Optimi marini, qui etiam nigriores, secundum qui in stagnis albidiores & lutum resipiscentes, locum sortiuntur, mollissimi & insipidi, qui in fluvijs vixere. Nonnulli in cibum, cum iam putrescere, & malè olere incipiunt sumptos, alvum perturbare asserunt. Gesner. de Aquatilib.

Punctvm II.

De Rhombo.

Tab. XXII. 10. 11.12.13. Aldrov. de Piscib. l. 2. c. 48.

Rhombus piscis, à figura quadrata, cuius latera omnia sunt æqualia, anguli verò obliqui, nomen sortitus est. Nonnullis ψῆτλα dicitur, ut ex Plinio & Athenæo, qui Romanis Rhombum vocari testatur Græco nomine piscem, qui aliis Græcis ψῆτλα nuncupatur, colligimus. Duo sunt ipsius *genera*, *Aculeatum* unum, *læve* alterum. *Illud* prona parte multos habet aculeos, circa caput, quod grandius & elatum est, & ab hoc caudam versus maximè. Magni in Oceano & mari mediterraneo capiuntur, ideo forte Rhombus latior est patella Martiali Rondeletius vidit, qui quinque cubitos longus erat, latus quatuor, spissus pedem. Optimos Adriaticus sinus maximè circa Ravennam alit, & hos veterum exornasse mensas arbitratur Platina. Celebrantur & Attici circa Eleusyniam, quos Lynceus Samius Psettarum nomine dignatus est. Ei qui *verus esse* putatur, pinnæ & cauda in extrema rubescunt, Cætera est unicolor, subviridis, rotundis punctis stellulisque undique plenus. Omnium *locorum* & temporum piscis est. Ovidius in herba algosa, Iovius circa pinguiorem terram extremosque littorum margines versari scribit, in fluviorũ ostiis frequentissime piscibus insidiantur. Voraces sunt, & piscium, cancrorum inprimis avidissimi. Abditi

† Plin. H. N. l. 9. c. 42.

† pinnas exertas movent, specie vermiculorum. Terra, seu vado maris per hyemem condi, à Plinio sub nomine psettæ proditum. Tardissimè propter corporis latitudinem moventur. Inter delicatissimos olim fuisse cibos, ex Horatio, & Iuvenali potest colligi. Tempore Iovij, *Aquatilem Phasianum* quidam appellare erat solitus. Galenus inter pisces mollicarnes retulit, sed aliter Xenocrati, & Villanovano visum. Ille duræ esse carnis, & difficulter concoqui ait. Hic inter crassos viscidos excrementitios, reposuit: nisi forte superiores de lævi, cuius pulpa candida & presso quodam humore succulenta; hos de aculeato, qui revera durior, locuti sint. Vivus impositus medetur lieni, si remittatur in mare, si Plinio credendum.



HISTORIÆ PISCIVM

LIBER II.

De Piscibus, qui in mari & fluminibus degunt.

TITULUS I.

De Squamosis.

CAPUT I.

De Salmone.

TAB. XXXI. 12.

PISCIUM, qui in mari æque ac fluminibus degũt, *alij* quam longissimè à mari recurrunt, & ad fluviorum origines usque penetrant, *alij* in marium proximis morantes, mox ad *id regrediuntur*. Utrorumque quidam sunt *squamosi*, alij *Læves*. Ex illis sunt *Salmo*, *Lupus*, *Latus*, *Alosa*, *Ziga*, *Albis fluvij*, *Mugil*, *Capito Anadromus Gesneri*, *Caper*, *Sturio*, *Galeus Rhodius*, & *Cataphractus*.

SALMONIS solus inter veteres Plinius mentionem facit. Ausonius hoc nomen adultæ ætatis ut Sarionis seu quod melius Farionis mediæ, & Salaris primæ imposuit, illud tamen Truttæ convenit. Circa Rhenum & apud Helvetios æstatis tempore ad Iacobi usque festum vocatur, Salm/ inde ob festum Andreæ Lachsi Lachs/ nomine gaudet. Cum *Essoce Plinij* eundem, quod Georgio Agricolæ placet, vix credo, cum alibi eum suo nomine appellet, & per Essocem Lucium intelligere videatur. An *Anchorago Cassiodori*, difficile dictu, nam à Rheno duntaxat venire scribit. Apud Græcos nullum invenio nomen, qui aut *Salangem*, cuius piscis tanquam delicati mentionem facit Hesychius aut καταναδρομον vocari posse putant, suo judicio fruantur. *Descriptionem* si spectes. Piscis est sat magnus, Bicubitalis quidem ut plurimum est: apud Missenos tamen & Dessaviæ à XXIV. libris ad XXXVI. accedit, in Helvetia circa Tigurum graviores capiuntur. Basilea quinq; aut sex pedes longos dat, nec temerè Cetaceum piscem dici posse Bellonius reliquit. *Squamis* tegitur exiguis, & maculis ita notatus, ut totus ferè piscis subrufis & luteis notis insignis videatur, quia verè in capite ijs caret, ideo *frontem lubricum* Poëta dixit. *Os* habet amplum, & valde denticulatum; nam præter id quod maxillæ magnis & validis armatæ sunt dentibus, palatum etiam quadruplici eorundem ordine munitur, linguaque hamatis dentibus horret. Hunc quadruplicem dentiũ ordinem Bellonius huic pisci præter aliorum fluviatilium morem, peculiarem esse ait, & cum ceraste serpẽte communem: additque plures esse in inferiori maxilla, quam in superiori. *Tergus* colore fere est cæruleo, aut ex cæruleo nigricat. *Oculi* magni sunt. *Narium* foramina utrimque gemina:

Plin. H. N. l. 9. c. 18.

Cassiodor. l. 12. Ep. 4.

mina : *Branchiæ* utrinque quaternæ, quarum opercula lata, & rotundis puniceis maculis plena sunt. *Pinnæ* juxta easdem binæ, totidemque in dorso, quarum prior in medio fere dorso est, altera caudæ proxima, cutacea, carnosaq;. In *ventre* tres sunt, binæ fere in medio, tertia à podice qui in imo ventre est. *Caudam* in unam latam, & rotundiusculam pinnam desinere Salvianus ait, Rondeletius verò bifidam esse testatur, indeque Salmonem jure πλατύκερον nominari posse putat. Quoad *internas partes*, *Cor* angulatum est, ventriculus oblongus & angustus : hepar in nullos lobos divisum : rubrum Rondeletius tradit, Salvianus & Bellonius pallescere dixerunt : huic vesicula fellis ex viridi nigricantis annexa est. *Splen* ex rubro nigricat. Alvus ipsi prodiga nutat, & opimato abdomine fluit venter. Gesnerus à faucibus patulis *duos* se observasse *meatus* scribit, deorsum protensos, unum ad ventriculum, quem œsophagum vocant; alterum anonymum, (cuius usum ignorat, quandoquidem nihil in eo reperit, nisi forte ruminat (inquit) hic piscis & alimenti sui partem ibi repositam habet) qui cute candida & tenui constat. De *Maris* & *fœminæ* differentia ita Aldrovandus. Fœminam à mare differre Rondeletius & Salvianus volunt, quod illa rostrum habeat magis aduncum, hami modo, indeque vulgo in Gallia Beccard appellari. Bellonius verò dum dubitat, num sit diversa species: fœminam esse interea insinuat, inquiens: Est & alius prægrandis Salmo (fœminam esse autumant) quem vulgus Gallicum ab eius ore prægrandi Beccard vocare solet: alii à ferendis ovis *Bortiere* (Portiere forte nimirum à portando.) Differt is à mare Salmone, quod labrum inferius in hami modum aduncum habeat. In superiore enim labro foramen est ad palatum tendens, in quod hamus maxillæ inferioris se recipit, pixidatimque in tubi modum insinuatur. Alii aliter de hac rostri curvitate sentiunt. Gesnerus testatur suos piscatores in mare tantum incurvari insigniter, in fœmina perparum. Rondeletius quoque mari recurvum esse ait, sed fœminæ magis. Quidam vero eruditus in epist. ad Gesnerum, in qua de Albis fluvii piscibus ad ipsum scribit utrumque sexum id ceu quid præter naturam pati arbitratus inquit: Salmo in Milda (hoc flumen ex Albi ingressus) si obstaculum seu præcipitium aquæ juxta Dessaviam, secundo ac tertio frustrà saltu superare conatus fuerit, vadum petit, eoque in loco sub lapidibus & saxis delitescens, emaciatur, & contabescens maculis ruffi seu ænei coloris impletur & rostrum inflectit in magnum hamum, eo quidem maiorem quo diutius manserit. Verumtamen credit vir ille doctus idem ei tandem contingere, etiamsi obstaculis omnibus superatis ad summas fluviorum partes eluctatus fuerit. Ex rostri itaque curvitate sexus non satis tutò distinguetur, tutissime vero ex ovis. Addit Bellonius fœminam crebrioribus mare, iisque subrubris & rufis orbiculis in cute variegari: atque in Lepradis (de quo suo loco diximus) modum multis coloribus sugillari. *Marinus* magis quàm fluviatilis piscis est. Nam & in iis duntaxat fluminibus quæ in mare se exonerant reperitur : & observatione notum est, si supra annum in eis perseveraverint, insipidos fieri; si diutius, post annum secundum ceu sideratos interire. Observatus in Albi adeò tabidus, ut exanguis & nullis ferè intestinis appareret; nati verò ex eo pisciculi, nec longiores nec crassiores digito evasere, quamdiu ibi vel juxta stagnantibus aquis immorabantur. Uberrima eorum in Bothnico mari versus Lappones captura, circa solstitium in extremis littoribus circa Thornam tanta magnitudo capitur, ut fortissima retia pondere suo rumpant. Apud Vestrogothos quoque, in provincia Vermelandia, in qua dulcium aquarum locus certum millibus passuum in longitudine, & quadraginta latitudine patet, magna Salmonum est copia.

Aldrovand. de Piscibus l.4.c.1.

In Albi quoque Vistula, Duna,

Multavia, Sala, & Milda apud Misenos habentur. Rhenus & Mosella gratissimos alunt. Minus commendati quos Scaldis, Thamesis, Garumna, Sequana, & Ligeris excepere. In Rhodano qui capi existimant, falluntur. Hoc præter Rondeletium & Scaliger pater prodidit. In Occidentalis quoque Indiæ fluminibus numerosissimi capiuntur. *Cibum* ipsi Salvianus pisciculos tribuit. Alii ante XXV. Iulii pediculis aquaticis vesci, à partu obvios pisciculos comedere, eosdemque in ventre repertos, prodidere. Nonnullis in dissecto spissus quidam humor, subflavus, & lapillus candidus, visus. Quidam in maioribus nihil unquam, in parvis nescio quid reperiri tradunt, illos sola aquæ turbidiore victitare opinantur. *Vitæ* est tenacissimæ, sub uno corde pulsante, recenter captorum indicio, plures in frusta dissecti à piscatoribus venduntur. Robertus verò Constantinus, exenterati, aquosa sanie aspersum, ultra diem vivere vidit. De *Partu* proditum, per autumnum & hyemem, ad veris interdum initia, in fluviis, & minoribus rivis lubentius parere. An & in Oceano nemo tradidit. Scrobs excavatur. Ova pisorum magnitudine fœmina ponit: mas rore genitali irrigat. Ova paulatim augescunt, & spiritu vitali inflata, ultro per aquam deferuntur, & Salmulos producunt. Salmulos mares aliquando genitura plenos reperiri, & cum fœminis adultis coire, eorumque ova rigare, cum in Salmulis fœminis nulla ova reperiantur, admiratione dignum est. De eorum *Saltu* ita Gesnerus. Mildam flumen præ cæteris diligit Salmo, & (ut quidam putant) ab aqua Albis fluvii qua cum permixta in mare se exonerat, discernit. Itaque plurimi eo in loco, ubi in Milda in Albim influit (Dessaviam vocant, quod oppidum est principum Anhaltinorum) capiuntur, hoc modo. Ad Mildæ in Albim ingressum principes vallum sive obstaculum quoddam excitarunt, ut ita redundans aqua ad molendina revertere-

Rondelet. de Piscib. l. 22. c. 17.

tur, octo cubitis aliquando altius: vallo graves & magnas arbores imposuerunt, & perticis magnis intus cancellarunt, ne Salmo transiliat. Inter perticas alicubi nassæ sunt collocatæ. Hunc locum cum attigerit Salmo, qui per Albim ascendit, saltu adversus aquæ præcipitium se proripit in altum, ubi vel in nassam incidit, & capitur, vel arborem perticasve contigit, indeq; violenter in Mildam se trajicit. Hoc si prima vice non successerit, secundo etiam tertioque experitur, & si ne tum quidem transilire aut assequi altitudinem valli potuerit, vadum petit, inibique sub laxis delitescens emaciatur ac contabescit. Si tamen flumen Albis augeatur & crescat, adversus illud subinde fontium & originis cupidus ascendit, parit, & consumptus tandem macie ac siccitate moritur. Adeò verò nativus huic pisci saltus est: ut Salmunculi etiam, si in vase aliquo venales cum aliis permixti in aqua fuerint, aqua eis adempta exiliant, unde & ab aliis piscibus dignoscuntur. Alii saltus causam in Robur, quidam in Hirudines, à quibus mense Iunio & Iulio infestantur, nonnulli in loca abrupta conscendendi libidinem, conjiciunt, quod apud Hectorem Boethium invenies. Singularem *in cibis* habent gratiam, ita ut omnibus piscibus præferantur, suavitatem si spectes. Habenda tamen ætatis, loci, & temporis anni ratio est. Salmunculi, qui sex vel septem digitos non excedunt, Aprili & Maio in deliciis habentur: adulti, tenuiores in fluviis evadunt, si ea non longè subiere. Moderati tum exerciti, si longius progressi sunt, nimio labore tabescunt. Plinius Aquitanicis palmam detulit, Rhenanis Albertus, qui mense Maio suavissimè eduntur. Miseni post Pentecosten placent. Partui vicini, cum & rostrum curvatur, & maculas ærei coloris gerunt, damnatur. Salitos & infumatos bona Europæ pars distrahit.

Plin. H.N. l. 9. c. 18.

N. Icon. Salmonis Salviani ad Tab. 31.

CAPVT

CAPVT II.

De Lupo & Lato.

TAB. XXIII. 3. 4. Aldrov. de Piscib. l. 4. c. 2.

QVem Latinè à voracitate *Lupum* vocant, Lucill. Catillonē vocavit, is Græcis λαβραξ, aut παρὰ τὴν λαβρότητα, ut Athenæus author est; ab ipsa vehementia: aut quasi λιανιβορος, valde vorax, ut Eustathio placet, vel παρὰ τὸ κέχανεν αὐτοῦ τὸ στόμα, καὶ ἀθρόως καὶ εὐχερῶς ἁλίσκεται, *quod illi os hiet, & repente cumque impetu avide voret*, ut Suidas vult, dicitur. Nec *Lucium* esse, quod Philelphus voluit, quod hic in fluviis & lacubus degat; nec *Sturionem*, quod Volaterraneus & Poggius Florentinus tradidere, quod hic squamis careat, nec carnivorus sit; nec *Lacciam* seu *Chiepam*, quod hæc dentibus destituatur, certum est. Piscis est squamosus, squamimæ argenteæ sunt, mediocres, & serratæ, quæque carni & interse validissimè cohærent. *Rostrum* habet oblongiusculum, *Os* cum hiat valde patulum. *Linguam* oblongam, si Athenæo ex Aristotele fides, osseam, & adhærentem. De *dentibus* non conveniunt scriptores. Carere Massarius, & Rondeletius, quòd ob oris magnitudinem facilè prædam devoret, tradiderunt; tenues confuso ordine undecunque Bellonius posuit, plurimos, tenuissimos, multiplici ac vario ordine dispositos, pectinum instar, quibus lanarii utuntur, Salvianus. *Oculi* sunt magni. *Branchiæ* utrimque quaternæ. Harum operculum duobus ossibus constat, quorum superius postrema sui parte squamatim committitur. A summis brachiis per utrumq; latus linea fere recta ad caudam ducitur. *Pinnas* Aristotele teste, binas habet parte prona, totidemque supina. Quæ prona parte capiti proxima est, octo vel novem acutis & inæqualibus aculeis tenui membrana colligatis horret: altera unico tantū. Contra supina parte caudæ vicina aculeos habet ternos. *Cauda* in unicam pinnam degenerat. In parvulo, ut diximus, nigræ apparent *maculæ*, quæ in paullo adultiore prorsus delitescunt, Grandiusculus enim argenteus est, dorso tamen paullo minus quam vētre cādido. Locus etiā *colorem* mutat; nam qui in mari capitur, ex cæruleo candicat, in ostiis fluviorum, totus albus est. *Carnem* habet secundū Iovium lacteam, secundum Bellonium rubescentē, seu is diversæ speciei, sive Oceanus aliquid mutat. *Cor* triquetrū, ut Athenæus ait: *ventriculum* amplū, & longum: appendices binas maximè conspicuas, *jecur* subflavum, in duos lobos divisum, quorum dextro fellis vesica committitur; *Lienem* rubrum & longum, *intestina* lata nec multis complicata anfractibus: *folliculū* plurimo aere tumidum, spinæ dorsi validissimè annexum. Bellonius è pusillo *magnum* ac cetaceum, Salmonis more evadere solere testatur, ut ex Oceano libras quindecim non nunquā pendere visus sit. Salvianus ad viginti libras, aliquādo excrescere observavit. Quomodo Columella quosdā sine macula, varios alios faciat; & quid Plinius per suum Lanatū, intelligat, facilè hinc colligi potest. Ita marinū esse piscem, ut & λιμνοθαλάσσας, & ostia fluviorum nō refugiat, Galenus præter Oppianum author est. Sed & in dulcibus, Letho nempe Lybiæ circa Berenicē fluvio nasci, Athenæus memorat: nihil de Columella, qui Velinum, Sabatinum, Vulsinēsem, & Ciminum, eosdem procreare innuere videtur, dicā: secus n. insequenti sentire creditur capite. In dulci portu quē Phanarium vocant, longè maiores vulgaribus reperias, apud Miletū quoq; prægrandes & plurimos, ut apud Aristophanis Scholiastē & Suidā legimus. Archestratus apud Athenæū θεοπαίδας vocavit. Solet & mediæ cryptum penetrare saburræ. Qui in fluviis capitur. *Lanei* à Martiale nomē accepit, & expressè de iis Plinius. In Lupis in amne capti præferuntur. In Tyberi amne inter duos pontes tanti precii, ut Philippus, apud hospitem Cassino in oppido, authore Columella Lupum sibi in cœna appositum gustabundus expuerit, dicens, Peream nisi piscem putavi: quasi innueret, solos Tyberinos lupos piscis nomine dignos esse. Lucillius isti Catillonis quasi Catillorum liguri-

Aldrovand. de Piscibus l. 4. c. 2.

Athen. Dipnos. l. 7.

Columell. R.R. l. 18. c. 17.

Plin. H.N. l. 9. c. 17.

Galen. Alim. l. 3.

Oppian. Halieut. l. 1

Columella R.R. l. 8. c. 16.

Colum. R.R. l. 8. c. 16.

Varro R.R. l. 3. c. 3.

guritoris nomen, teste Macrobio, imposuit. Solet enim cloacas subire, & obvia quæque devorare. In India exundantibus in agros fluviis, † in planis camporum vagantur, & ab aqua destituti prædæ sunt. *Vescitur* carnibus præcipuè, nec piscibus, vel corruptissimis escis parcit. In exenterati ventre serpens aliquando inventus est. Tangit & † algam, & stercora; Ἀλκίμον ἰχθὺν Oppianus vocat. Iis maximè locis † qua flumina in mare exeunt, ova *parit* æstate † & hyeme, ideo alicubi bis † idque inter fusaneos solus facere creditur, sed posterior partus infirmiorum. Sublimes *natant*. Athenæo sunt μονήρεις solivagi, Aristoteli χύποι, fusiles seu fusanei. Mugilum, Luporumque capturam uno retis jactu centum aureis coronis venisse, Rondeletius oculatus testis est. *Solertia & ingenio* non destitui, docilesque sequentia docebunt. Rete circumdati harenas arant cauda, atque ita conditum transeunt rete. Et quamvis minus in providendo solertiæ quàm mugiles habeant; magnum tamen robur in pœnitendo habent. Nam ut hæsere in hamo, laxant vulnera, donec excidant insidiæ, quod præter Plinium, Oppianus, Ovidius & Plutarchus tradidere. In Eloro amne tã mansuetos esse, ut è manibus porrigentium cibum capiant, Nymphodorus author est. Et quia lapidem in capite hyeme sibi infensissimum se habere sentiunt; ideò in abditos se tum gurgites demergunt, qui in sublimi natant, frigore congelati moriuntur. Cur inter alios pisces cum Mugile, Salpa & Chromide *clarissime audire*, post Aristotelem Plinius scribat, & in vado vivere addat, nescio, nisi fortè sublimem natatum in causa ponat. *Capiuntur* sæpenumero dormientes fuscina. *Inimicitias* cum Mugile & Squillis gerunt. Caudam illi prærodere Nigidius apud Plinium author est. Pugnantes invicem sæpè Puteolis, præsente Bessarione, Perottus vidit. Statis tamen mensibus concordes sunt, & in unum gregem, si abundè cibarii, coeunt. Ab his cornu quod fronte exit, punctus interimitur, quem Oppianus & Ælianus descripsere: Magni olim apud Romanos Opsophagos æstimii erant. Plinius post Elopen & Acipenserem præcipuam iis & Asellis authoritatem tradit. Archestratus Milesium θεόπαιδα & quidem δίχα τὸ πολύπμον vocat, & Tripatinum summam cœnarum luxuriam ingrediebatur. Sed maximi, lactes, cerebrum & epar fiebant. Illo Eliogabalus rusticos in mediterraneis pavit. Huius gratia, Hermæus Ægyptius piscium institor, non nisi exenteratum vendebat. *Carnis qualitas* non nisi loci, temporis, & Ætatis ratione habita, definiri potest. *Locus* si spectetur, in mari puro qui sunt, boni sunt Hicesio succi, sed pauci nutrimenti, † sanguinem consistentia tenuiorem gignunt, & diutissimè citra putredinem, inprimis si nive circumdentur, servantur. Inter duos pontes Romæ capti, ob vitiosam aquam, graviter olent, & facilè putredinem concipiunt. Illaudati, qui in piscinis habentur. *Tempus* si respicias, deteriores sunt dum in utero habent: summa hyeme & Ianuario captis gratia, nisi fortè nimio exercitio soliditatem carnis acquisiverint. *Lanatas* Plinius dixit, si ventrem attenderis, quo mollitie & pinguedine blandiuntur. *Ætatis* ratione, tenelli suaves & stomacho grati sunt, copiosè nutriunt, & facilè per corpus descendunt: mediocres optimo se commendant callo. Apparatum alibi vide. Ægris in albo jure aut ex aceto optimè elixantur. An quod πυθμολόγοι, à Pythagora reiecti fuerint, dubito. Plutarchus certè postquam sic sententium sententiam exposuisset, patrocinari ipsis videtur. De *usu in Medicina* pauca occurrunt. Tantæ est, si Marcello credimus, adversus strumas efficaciæ, ut ad quamlibet corporis partem admotus, earum vitium persanet. Lapilli capitis dolorem levare, Euporistõv author tradidit.

LATVS, inter Nili pisces à Strabone numeratur. Esse & marinum Archestratus apud Athenæum prodidit. Candidissimus est, ducentarum sæpe librarum magnitudine, & quo-

Iuven. Satyra 5.
† *Ælian. H. A. l. 16. c. 12*
† *Arist. H. A. l. 5. c. 10.*
† *Aristot. H. A. l. 6. c. 17.*
Idem l. 5. c. 9.
Plin. H. N. l. 9. c. 51.
Aristot. H. A. l. 5. c. 2.
Plin. H. N. l. 32. c. 2.
Oppian. Halieut. l.
Plutarch. l. utra animal.
Aristot. H. A. l. 3.
Plin. H. N. l. 9. c. 70.
Plin. H. N. l. 9. c. 62.
† *Galen. de Alim. facult. l. 3.*
Strabo Geogr. l. 15.

quovis modò paratus suavissimus. Rondeletius pro eo, Coracino ac Umbræ simillimum substituit Tarentinus *Latili* piscis meminit.

CAPVT III.

De Alosa, & Ziga Albis fluvii.

TAB. XXVII. 3. 4. *Strabo Geogr. l. 15.*

A *Losæ* nomen, huic de quo jam acturi sumus pisci, post Strabonē Ausonius ex vulgari imposuit, Gregorius Tiphernas in Strabone, & Theodorus Gaza in Aristotele, θεῖσσαν, quam moderni Græci φείσσαν, fortè quod spinis seu aculeis aliquando soleat inhorrescere, eius nomine donarunt. Rondeletius Archippo & Mnesimacho θεῖσσαν appellari tradit; quam tamen à Thrissa diversam, ut Trissam cum Trichide eandem, Gesnerus, *varium* ut Panthera & Pavo Aristoteles facit. Nec *Lupus* est, quod Platina voluit; quod hic Mugili caudam prærodat, illam edentulam sciamus; nec *Clupea*, piscis magnus, qui crescente luna albus est, decrescente nigrescit, corpore minimum aucto à propriis spinis interimitur, in Areni Galliæ fluvio nascitur, in capite lapidem grano similem, qui ad quartanas sinistro lateri decrescente luna alligatus facit, & † Attilum Padi, venam quandam in faucibus eius mira cupiditate appetens, morsu exanimat, ob rationem eandem. Universi corporis figura, si cum latitudine conferatur, ob longiuscula apparet, & in latera ita compressa, ut imus venter, rectâ lineâ præacutis aculeis & constructâ, & propterea non asperâ solum, sed serræ etiam modo secante (si adversa deducatur manus) terminetur. *Spinis* sive *aristis* etiam scatet innumeris, & inter vescendum admodum molestis; quod cum Trichidibus quoque commune habet, unde Albertus, & Murmellius latinum eius nomen Aristosium sive Aristosum confinxerunt. *Caput* habet in latera valde compressum, *rostrum* acutum. *Os* cum maximè hiat, admodum patulum, edentulum, atque omnis asperitatis expers. *Branchiæ* utrinque quaternæ. *Squamis* tegitur magnis, tenuibus & facilè deciduis. In capite supra oculos, utrinque veluti gemmæ smaragdinæ relucent. *Lingua* nigricat, superiores mandibulæ deorsum prominent. *Ventre* & lateribus argentum æmulatur. *Dorso* verò & capitis vertice ex albo flavescit. Romæ cum maximè aucta bipedalem mensuram non superat. *Marinus* est † piscis, sed ex mari ineunte vere cum in utero habet, subintrat, inchoante æstate revertitur. In Tyberim delapsæ strigosæ sunt, & quadam marinæ salsuginis ariditate parum amabiles, paucorum dierum mora, Tyberinis undis pinguescunt. Laudatas Arnus & Umbro in Hetruria, Lyris & Vulturnus in Campania præbent. Galliæ & Hispaniæ flumina maximas, Mosa in Hollandia suavissimas. In Aquitania ob frequentiam *plebis obsonium* Ausonius vocat. In Arverniæ fluvio juxta Marignensium oppidum, supra mille ducentas uno retis jactu capi, Rondeletius author est. In Euripo reperiri negat Aristoteles. Burdigalæ & Lugduni succulentiores quàm Massiliæ venduntur. *Pariunt* in fine æstatis in mari. Athenæus μονίμους Thrissas dixit, Oppiano, alternant vias Ponti currunt-que per æquora, Hospitium mutant semper, Pontoque vagantur. Figulus veris adventum Mosellanis nunciare, & mense Maio tonitrubus, adeò terreri, ut plurimæ in ripa exanimatæ reperiantur, scribit.

Aristot. H. A.

Plin. H. N. l. 4. c. 4.

Strabo Geogr. l. 15.

Oppian. Hal. l. 2.

In Arverniæ Oppido Maringnesio ad testudinis sonos adnatasse, & saltasse Rondeletius vidit, quod & de Thrissis Æliano & Porphyrio proditum, nec de mendo in Athenæo, qui Trichidi hoc quicquid est adscribit, dubitandum est. In nullo apud Veteres fuisse

Ælian. H. A. l. 6. c. 32. Porphyr. περὶ ἀποχῆς l. 3. Auson.

precio, Ausonius testatur. Postquàm pingues evasere, succum mediocriter bonum, & qui facilè distribuitur gignunt: sed quia glutinosioris alimenti excrementa non facilè atteruntur, ideò ab ipsis exhalationibus, intempestiva somnolentia inducitur, & sitis excitatur. In piscularis Bavarorum legibus, teste Gesnero, interdicitur, ne duobus palmis vel septem digitis, propter aristarum & parvitatem & multitudinem capiantur. Vida prudentissimum, quod non nisi obesus, maximeque idoneo tempore, cum esu carnium interdicitur, appareat, dixit.

Aldrovand. de Piscibus l.4. c.5. ZIGA Albis fluvii, qui & *Goldfisch* ab aureo circa caput colore dicitur, sic à Kentmanno describitur. Zige piscis est tenuis & siccus, paucæ carnis: colore pulchro, argenteo, dorso tamen subfusco, oblongus est, non ita latus, ut solent esse pisces Goldfisch dicti, qui in Marchia capiuntur: longitudo enim eius ad latitudinem quintupla est. *Caput* eius si foris aspicias, Harengi capiti non dissimile est, nisi quod in parte superiore oris scissuram habet. *Lingua* eius parva, quæ colore nigricat. *Dentes* utrinque ad latera in faucibus, mandibulis duabus duri adnati: sicut in eiusdem fluminis piscibus (de Capitonum fluviatilium genere) Iesseno & Dibelo, ut vulgo nominant. *Caput* & oculi ad aureum colorem, pauco viridi permixtum, accedunt. In summis lateribus utrinque maculæ quaternæ nigræ digeruntur, quarum prima ad summas branchias, ultima paulo sub initio pinnæ dorsi. Ex Oceano in Albim *subit*; hic piscis & paulatim consumitur ac deficit. *Capitur* ut plurimum in hoc flumine, à festo Pentecostes usque ad Divi Iohannis diem quo tempore Sturio migrat.

A Sturione enim è mari in Albim pellitur. Quanquam autem ad velocitatem & fugam præ omnibus in Albi piscibus, comparatus sit; mollis est tamen & quam primum ex aqua in aerem subductus perit. Maximi huius generis in Albi apud nos (Misenos) duabus cum dimidia libris (sedecim unciarum) ad tres cum dimidia (quod tamen rarum est) perveniunt. Sive *assus sive elixus*, non boni saporis est. Si tamen præparatum, sale intus aspergas, tum in fumo aut sole leviter sicces, & ita butyro inunctum super craticula asses, melius (ut in hoc genere) sapit. Et quoniam aridi hi pisces sunt, sunt qui in aqua elixant, deinde exemptos condunt jure è butyro, zinzibere, aqua & modico aceti, sicuti etiam alios quosdam pisces siccatos condire solent, ut Truttas, Thymallos, Lucios, & Cyprinos latos. Quomodocunque paretur, nullus tamen in Albi piscis æque ferini aut virosi saporis est; & à quo etiam nomen ei impositum conjicio, ut Zige, id est, Hircus dicatur, hircum enim præsertim insolatus, olet. Capitur & in lacu Sverinensi. Alosam Gesnerus credidit, metuo ne perperam.

CAPVT IV.

De Mugilibus.

HIstoriam Mugilum, nomenclaturarum diversitas obscuram facit κεφαλὸς, λοῦκίσκος, κέφαλος, νῆστις, περᾶς, μυξίνος, σέργος, χελὼν, βάκχος, σφλωδὸς, δακτυλὸς, κεφαλίνος, βλεψίας, ωλοῦπες, quæ apud Aristotelem, & Athenæum, ex Hicesio, Dorione, Eutydemo, Polemone invenies, præcipuæ sunt. κεφαλὸς, Aristoteli & † generis & speciei † nomen est. Hicesius speciei, Dorion generis duntaxat mentionem fecit, & in *marinum* & *flaviatilem*, illum iterum in *Cephalum* & *Nestin*, divisit. Appellationem ἀπὸ κέφαλα, seu telo, belli Persici tempore invento, sortitus est, quod eo teli modo in anum immisso apud Athenienses publicè adulteri pœnas luerent. *Leuciscis* seu Alburnis & Albulis ab albo colore nomen impositum est, perperam γλαυκίσκοι dicuntur; Galeno

TAB. XXIII. 4.5. *Aldrov. de Piscib. l.4. c.6.*

† *Aristot. H. A. l.5. c.11.*

† *Aristot. H. A. l. 8. c.2.*

Galen. de Alim. facult. l. 3. Galeno sunt fluviatiles, κέφαλος generis quidem nomen est: sed quia πρὸς τὸ βαρύτερον τὴν κεφαλὴν ἔχειν nomen obtinuit, nec id omnibus magnum, non omnibus etiam competet, nisi fortè ideò dictum esse putes, quod in metu capite abscondito totum se occultari credat. Aristoteli, sanè † aliquando peculiaris & *unica Mugilum species est*; aliquando *duas* † sub se *species* complectitur: nec fortè malè Mugiles marinos in Cephalos & νῆστεις distinxeris. Νῆστις epithetum est omnibus Mugilibus commune, quod omnibus carnibus abstineant. Περκῖας speciei nomen est, sed speciem Cephali alteram, quæ muco suo vivit Epithetum, & idem cum μυξίνῳ videtur. *Sargus* seu ut apud Aristotelem σαργίνος, quid sit, dubitatur, Rondeletius eundem cum νηστεῖ seu jejuno facit, Aldrovandus discernit. *Chelones* cum Bacchis Hicesio iidem, & Plinius Banchos inter Mugiles recenset, sed cum Myxone eosdem facit. Rondeletius Bacchum quintam quandam speciem Hicesio esse, insinuat. Σφηνεὺς, Salviano cuneatus, Gesnero Cunealius, quod λαγαρὸς καὶ πετράγωνος, *gracilis & quadratus sit*, ita dictus, à solo Eutydemo inter Mugiles reponitur. Alii σφηκεὰς legunt, ut à σφὴξ vespa, non σφῆν cuneo, isti pisces dicti fuerint. Δακτύλεος nomine Salvianus minorem aliquem in eodem genere ab Eutydemo poni putat, alii διδακτυλοῦς, sed perperam legunt, cum duos in latitudine digitos non excedat: nec alii fortè fuerint, quàm quos Padi accolæ Canistrellos, quod in Canistris vænales ferri soleant, vocant.

Aristot. H. A. l. 9. c. 17. † Arist. H. A. l. 8. c. 2. Plin. H. N. l. 32. c. 7.

Cephalinus quibusdam cum Blæpsia, teste Dorione idem, nisi mendum sit, & pro Blæpsia βλέννα, quod idem quod μύξα, ut Galenus scribit significat, legi debeat, & sic Cephalinus inter species Nestium numeretur.

Galen. de usu part. l. 8. c. 6.

Plætarum nomen Cestreis à quibusdam imponitur, si Polemoni libro de fluminibus Siciliæ credimus. Actum de illis in capite de Muræns. *Species* Mugilum seu Cestriorum sunt quinque, apud Aristotelem, *Cestreus* nempe propriè dictus, *Cephalus* cognomento Chelon seu Labeo, *Cephalus pereas*, sive translitoranus, *Sargus* sive *Sargo*, & *Myxo* seu *Muco*. *Caput* nonnullis est magnum & depressum, *rostrum* breve ac retusum, ut Capitonibus, aliis minus & rotundius, rostrum magis extentum & acutius, ut Cheloni, *Os* omnibus parvum, rotundiusculum & edentulum. *Squammis* omnes teguntur. Cestreus magnas & crassas habet, quæ numismatis speciem mentiuntur. *Pinnas* utrinque binas gerunt, illos si excipias, quos lacus Sipharum gignit, quibus teste Aristotele, una tantum utrinque est, & supinis carent. Præter binas illas pinnas, quæ utrimque consistunt, unam habent ab ano; in dorso duas, quarum altera aculeata est, altera aculeis caret; ad caudam spectans. Omnes à branchiis *lineas* aliquot subobscuras ad caudam deductas habere videntur, etsi haud æquè in omnibus sint conspicuæ. *Dorso* sunt subnigro: *ventre* vero candido. *Ventriculus* teste Aristotele carnosus est: cui parte altera plures appendices exeunt: altera una tantum, ut idem ait. Rondeletius longè alium esse scribit quam in carnivoris piscibus, densum nempe & carnosum instar ventriculi avium, foris planum, intus rugosum, figura verticilli vitrei, quod mulieres fusis appendunt. *Intestina* quoque crassa sunt, pinguiaque & in gyros acta; in quibus splen latet, ut idem observavis, & sub pinna locum aere plenum reperit. Hepar pallet; parvum, & tanquam manu ventriculū amplectens. *Fel* rufum sive flavum, aqueæ consistentiæ. *Cestreo* eiusdem Rondel. hepar ex albo rubescit: caro mollior, laxior, minus candida, minusque pinguis quam Cephalo, additque gulam habere; ventriculum in longam appendicem desinere, semperinanem esse, uti & intestina. Lapis quem Cestreus in capite gerit, *Echinus* & *Sphondylus*, ab echinata specie dicitur. Lineæ quæ à branchiis ad caudam ducuntur, Cephalo breviores sunt. *Chelon* sive Labeo nigricantes à capite ad

Arist. H. A. l. 6. c. 13. Arist. de part. l. 4. c. 13.

caudam æqualibus ſpaciis diſtantes protenſas habet. Habet & labra craſſa, ſpiſſa, prominentia, unde χειλῶν Labeonis nomen. Capite eſt paulo minore quàm Cephalus, oculis prominentioribus, ſine pellicula illa concreta, quam veluti palpebram habet in capite. Marinos piſces eſſe nullum dubium, ſed an omnes fluvios & ſtagna ſubeant, incertum. Capitonum alius translittoranus Ariſtoteli, quaſi in alto mari degat. Galenus in ſtagnis quoque naſci ſcribit. Ut ut ſit, Ceſtreum propriè dictum eſſe judico, qui longius à mari, ut in † Niſum ita in alios fluvios recedit. Cephali in eiuſdem vicinia, propter dulcem aquam & limum morantur. Etſi autem aquas amēt, ab imbribus tamen adeò vehementer læduntur, ut *viſum* amittant, ut Ariſtoteles prodidit. Cephaloni inprimis oculi per hyemem albeſcunt: ipſe tum & macer & cœcus, quod in Nauplio terræ Argivæ agro accidit, capitur: inprimis, ſi hyems aſperrima fuerit.

Ariſtot. H. A. l. 8. c. 2.

†*Strabo Geogr. l. 15.*

Ariſtot. H. A. l. 8. c. 19.

Marinos à *fluviatilibus*, ſpinarum numero & quantitate diſtinxit Galenus, plures his & minores innuens: certius indicium ſapor ipſe ſuppeditat. Acriorem & pinguedinis expertem Cephalum dicunt qui præſtantior.

De *Cibo* non convenit inter authores. Carne abſtinere Ariſtoteles tradit, vivente duntaxat Oppianus & Ælianus. Idem Ceſtreum alga & limo veſci ſcripſit. Guloſus autem maximè eſt & inſatiabilis, ideò in proverbium abiit, aviditas ſæpè tanta, ut cauda verberando excutiat cibos.

Ælian. H. A. l. 1. c. 3. Oppian. Halieut. l.

Tanta iisdem ſalacitas, ut in Phœnice & Narbonenſi provincia, coitus tempore è vivariis marem linea longinqua per os ad branchias religata emiſſum in mare eundemque linea retractum, fœminæ ſequantur ad littus, rurſusq; fœminam mares partus tempore.

Plin. H. N. l. 9. c. 17.

De ipſorum *Generatione* ita *Aldrovandus*. Quod ad ortum generationemque eorum pertinet: ſcribit Ariſtoteles eſſe qui omnes ſponte oriri opinentur, quorum opinionem refellit, quoniam unicum tantum eorum genus ſit, quod non coitu, ſed ex limo arenave enaſcatur: cæterorum veræ fœminæ ova, mareſſemen genitale habeant. Pariunt autem eodem teſte ſemel anno: ſed an eodem omnes tempore, difficulter ex ipſo colligas; alias enim Capitonem vere parere tradit ultimum, quoniam noviſſimè eius fœtus appareat: aliasomnes Decembri menſe graveſcere ait, tricenisque diebus gerere, & in iis Capitonem quoque enumerat, alias Ceſtreos ait inter primos partum accelerare, parere hyeme, locis iis maximè quà flumina exeunt, dum uterum ferunt, præcipue graviter laborare, ideoq; fieri, ut tunc potiſſimum ruant in terram ac excidant: feriri porro gravi ſtimulo agitatos in terram, atq; omnino in temporis motu perpetuo incitari, donec pariant, ſed requieſcere à partu continuò.

De *Ingenio* & aliis hoc habe. Tam veloces eſſe, ut jeiuni transverſa navigia ſuperiactent, & ubi diſpoſitas piſcatorum ſenſere inſidias, retia ſupervolent, ut veluti ſagittæ arcu emiſſæ videantur. Curvos hamos habere ſuſpectos, ideò poſtquam diu circumnatavere, cauda prius eſcam percellere, & quod avulſerūt deglutire, mox ore in anguſtum collecto, ſummis tantùm labris ac vellicatim eſcas ſtringere. Irritati, in ſublime feruntur, & effugia quærunt; ſi aberravere, quieſcunt, & necem proſtrati expectant. *Vſum in Cibis* quòd attinet, Hiceſius omnes Leuciſcos & Mugiles boni ſucci eſſe, facilè excerni, nec multum alere, ſcribit, nempe ſi mari puro capti ſunt. Nam qui in cœnoſis locis, quales tum illi, qui in Etruria in Prillino lacu apud Orbatellum ad mediterranea deferuntur tum hi, quos Paduſæ atque ipſi luculenti Foſſæ Clodiæ canales viſcere prætenero, Ferrarienſibus & Venetis copioſiſſimè præbent, pinguedinem humanæ naturæ infeſtiſſimam habent. Ariſtoteles in fluentis & lacubus, quod pinguiores fiant, præſtare dixit. Lynceus Samius hyeme poſt partum laudat.

Plutarch. l. utra animal. Oppian. Hal. l. 2.

Æſta-

Æstate lutum quod stagna exsiccentur, olent. Septembri, quod luto putrescente pinguiores evadant, insalubres sunt. Optimi qui circa Abderam, deinde qui circa Sinopem capiuntur. Romæ maxima ovorum gratia, quæ teste Iovio, geminis folliculis circumcisa parte seminis, recentibus Cephalis eximuntur, & nomen ὠῶν ταρίχων, *ovorum salitorum* apud Græcos obtinuere. Quantum ad *Medicinam*, Ventriculus Mugilum, seu in cinerem redactus, seu in fumo siccatus, & vel vino albo, vel aqua absynthij ablutus, & in cibo sumptus, ventriculi exsoluti vires non minus quam ventriculi gallinarum potus interna reficit. Elixus in vino & ex aceto sumptus vomitum compescit, prodente omnia Rondeletio. Lapilli in cerebro contra Nephritim valent.

CAPUT V.

De Capitone Anadromo Gesneri.

TAB. XXIII. 6. *Aldrov. de Piscib. l. 4. c. 7.*

CApitonem Anadromum, *Gesnerus & Kentmannus descripsere.* Nasutus, *inquit*, ille, videtur, prominente & carnosa superiore oris parte, ut in nostris fluminibus, is quem Nasi nomine descripsimus: cui etiam reliqua corporis specie per omnia adeò similis est, ut discrimen nullum animadvertam, ne colorum quidem ferè, nisi quod Albinus hic Nasus magis albicat, noster fluviatilis, vero magis fuscus est. Sed noster plane fluviatilis est, Albinus è mari ascendit: præterea noster vilis & plebeius est, Albinus vero inter laudatos, præsertim assus. Hoc etiam notandum, cum Albinus alio nomine *Blicca* dicatur, longe alium piscem eodem nomine à nostris vocari, de quo egimus inter albos pisces. Miseni etiam Zertam dicunt, quod nomen etiam Polonis usitatum audio. *Zerta* inquit Kentmanus, piscis longiusculus, argentei nitoris, *squamis* parvis tegitur, dorso subfusco: *pinnis* quæ ad branchias sunt & parte supina rutilis, pauco cæruleo admixto. Linea utrinque à branchiis ad caudam tendit, in qua puncta fusci coloris digeruntur. *Caput* crassiusculum, oculi pulchri, magni, albicãtes, nares magnæ non procul ab ore. *Os* molle prorsus, in quo nec dentes sunt, nec alia asperitas, sed ab initio gulæ seu faucium, maxilla utrinque valida, dentibus senis oblongis vallata. Maximi huius generis pisces qui apud Misenos capiuntur, bilibres sunt. Libram XVI. unciarum dico. Anno toto ex Oceano in Albim ascendit hic piscis, maxime vero circa Pentecostem, qui tempore parit, migrare solet, tũc etiam ad cibum præfertur, quod fœminæ ovis plenæ sunt. Manent & pariunt in Albi, proficiuntque ipsi & soboles: augentur enim & pinguescunt. Vescitur omne genus pisciculis, qui nullis præsertim spinis & aculeis rigent: item muscis aliisque insectis, quibus intra aut proxime supra aquam potitur. Habetur inter optimos qui in Albi sunt, assari solitos pisces. Caro enim eius optimi saporis est. Ritè etiam elixus non male sapit. Desquamatus nempe, exenteratus & elutus, in aquam fervere incipientem immittitur, cõditusque ac salitus ad iuris ferè consumptionem coquitur, quo modo permulti etiam alij fluviatiles pisces elixari solent. Sunt qui iuri haud fere cõsumpto copiosum butyrum addunt, eoque liquato piscem inferunt. Potest & aceti aliquid affundi, & Zinziber aspergi, pro cuiusque palato. Assus vel simpliciter, vel cum embammate è cœpis minutatim cõcisis, vino, croco, saccharo & Zinzibere, sapidissime estur. Nec displicuerit desquammatus, in frusta concisus, quæ in polenta aut secalis polline volvuntur, atque ita in butyro sive crudo sive liquato frixus. *Hæc omnia Kentmanus.* Addit Gesnerus non in Albi tantum, sed Sala etiam apud Misenos flumine Zertam capi.

Caput VI.

De Capro sive Capriſco.

Tab. XXIII. 7. *Aldrov. de Piſcib. l. 4. c. 8.*

CAprum & Capriſcum eoſdem Salvianus, diverſos Rondeletius facit. Maxima hic nominum affinitas, & uterque duram pellem habere traditur. An vere καπρίσκος, χοῖρος Strabonis, ὗς aliorum, & μῦς Oppiani & Æliani ſint ijdem, dubitari poteſt. Equidem Athenæus Ariſtotelis κάπρον χοῖρον vocat; alij tamen σκάφρον, quidam σκάρον legi debere opinantur, nonnulli *Chalcidem* piſcem vocalem & in dulcibus aquis habitātem credidere. *Porcus* etiam Niloticus Strabonis potius porca fluviatilis minor eſt, piſcis rotundus, ſpinis in capite noxiis, ὗν vero ψαμμάθιδα, quaſi in arena fodientem facit, quod terreſtris ſuis more roſtro arenam fodiat, Numenius facit, eandemque cum συκκίον, cui Simeon Sethi eas in nutriendo facultatis rationes attribuit, quas alii fere Rhombo tribuunt, Aldrovandus poſuit. Salvianus cum καπρίσκῳ & χοίρῳ eundem iudicat, μῦν denique inter σελάχη ſeu cartilaginea Athenæus ex Ariſtotele recenſet, inter quos, quis Caprum noſtrum retulerit? Athenæus eundem cum Capris, cum ait καπρίσκος καλεῖται μὲν καὶ μῦς, eſſe cenſet. *Deſcriptionem eius* ex Salviano, eamque accuratiſſimam damus. Caper, inquit, Molę piſcis inſtar, *caput* utrinque admodum compreſſum habet: *Oculos* rotundos, atq; in ſuperioris capitis parte locatos: *Os* parvum, & valde denticulatum: utraque enim maxilla octonis dentibus validiſſimis, magnis, latis, non ſerratis, ſed continuis, atque humanis ſimillimis minuta eſt. *Branchiis* utrinque quaternas non oſſeo & deatriculato (reliquorum ſquamatorum inſtar) operculo ſed cute contectas, nec lata, ſed modica ſciſſura (Molæ piſcis more) pervias habet. Nec ſi Ariſtot. dicat: *Habent quibus pauciſſimæ ſunt, ſingulas branchias utrinque eaſque duplices, ut* κάπρος, (ſive Aper, ut Theodorus vertit) *aliis binæ utrinque ſunt, alteræ ſimplices, alteræ duplices, ut Congro.* Suſpicari debemus hunc noſtrum piſcem Congrum non eſſe, cū neque etiam verum ſit, quod binæ utrinque branchiæ Congro ſint. Et propterea mirari potius cōvenit, cur hæc ita tradiderit Ariſtoteles. Utrinque una tantum *pinna* & rotunda ad branchias conſpicitur: nam illis, quæ in piſcibus aliis utrinq; in ventre ſunt conſpicuæ, caret prorſus. In dorſo fere medio tres, membrana inter ſe iūcti reperiuntur *aculei* robuſtiſſimi & magni, quorum prior reliquorū duorum triplus eſt, quoſque omnes non ſolum ubi vult, deprimit, ſed in ſulcū etiam oſſeum, in dorſo ob id ſculptū, recondit. Depreſſi autem & reconditi uti quam facillimè ſimul erigunturur, ita eorum unus dūtaxat erigi nequit. Et pari ratione erecti omnes deprimi poſſunt, cum eorū unus nequeat; ſuntque ea arte fabrefacti, ut cum prior & maior quantumvis impulſus deprimi nullo prorſus pacto poſſit: poſtremi tamen depreſſione, quæ facillima eſt, ſtatim deprimitur, non ſecus quam in arcubaliſtis vocatis, in quibus parvo ac inferiori ferreo vecte compreſſus, tenſus ilico remittitur arcus: ob cuius ſimilitudinē hic piſcis noſter Romæ *Peſce baleſtra* vocatur. Et quod majore dignum eſt admiratione, ſi poſtremus aculeus non prorſus deprimatur, ſicuti prior quoq; proportione duntaxat deprimitur, ſic ibidem etiam ita rurſus cōſiſtit atque obfirmatur, ut nullo impulſu ulterius deprimi poſſit, niſi reiterata poſtremi depreſſione. Hos ternos aculeos pinna ſequitur, ad caudā uſque deducta. *Oſſe* autem valido, lato & recurvo, ex cordis loco ad eam ventris partem, quæ è branchiarum regione eſt primum reflexo, deinde per ventrem ſub cute uſque ferè ad podicem extenſo, ibidemq; poſtremo in acutiſſimum & conſpicuum aculeum deſinente, tota anterior vētris regio roboratur atque munitur. Quæ verò inter prædictum aculeum & podicem, ventris portiuncula relinquitur, pleriſque aliis longè minoribus, ſed ſatis robuſtis atq; ſerratis aculeis armatur. A podice per ventrē reliquum ad caudā uſque alia ſingularis pinna deducitur. *Cauda* quæ non ſenſum, ut reliquorum piſciū, ſed repente

pente extenuatur, in unicam & latā pinnam degenerat: *Ventriculum* habet amplum, & crassum: intestina lata & valde reflexa: hepar subalbidū, cui fellis vesica hæret.

Corio tegitur squamoso, cuius tamen squamæ serpentis potius quam piscis videntur; nam præterquam quod eo ordine sunt commissæ, ut lineas, cancellatim sese intersecantes constituant, firme etiam & valide adeo hærent, ut desquamari nequeant; unde ita durum & asperum efficitur eius corium, ut vix dissecari queat. Rondeletius sese expertum esse scribit, ne acutissimo quidem gladio penetrari posse, utq; ligna & ebora eo poliri possint. Quāobrem jure Ælianus atque Oppianus marino Muri pellem præduram tribuere; & Athenæus Aristotelis testimonio, etsi apud Aristotelem id nunc non legatur, inter pisces qui aspera cute teguntur, καπρον recensuit. Quod ad *colorem* attinet, ex livido viret, nonnullis parvulis notis cæruleis & rubentibus maculis quam plurimis insigniuntur. Estque totius piscis figura valde compressa, & lata, atque fere orbicularis. Ad multam magnitudinem non excrescit, duas enim libras rarò excidit, unde merito Oppianus & Ælianus eum haud magno corpore esse dixerunt. Hactenus ille. Non maris duntaxat, sed & fluviorum accola est, ut Plinius & Aristoteles scripsere. In amne Acheloo grunnitum habet. Vescitur carne, cancris, squillis atque testatis. *Solivagus* est, & raro capitur. Pugnacissimum esse, tum quod pelle prædura tegatur, tum quod dentium robori confidat, Ælianus & Oppianus sub nomine Muris marini prodidere. Carnem habet duram & suavem. Virus namque olet. Athenæus inter σκληροτάλα retulit.

Arist. H. A. l. 4. c. 9. *Plin. H. N. l. 11. c. 51.*

Ælian. H. H. A. l. 9. 41.

CAPUT VII.

De Sturione.

TAB. XXIII. 8. 9. 10. 11. *Aldrov. de Piscib. l. 4. c. 9.*

PIscis quem nos Gothico vocabulo Sturionem, quasi σειρίωνα, quod rostro suo proræ rostratæ speciem gerat dicimus, is Græcis nostri temporis ξυρίχι quasi Oxyrinchus, Cyprijs teste Bellonio *Morona* vocatur. Nec est veterum *Lupus* quod Poggio Florentino placuit, ut capite quarto huius tituli innuimus: Nec *Attilus*, ut Franciscus Philelphus voluit, cum Attilus is sit, qui hodie ab accolis Padi, veteri servato vocabulo Attina, Adilo & Ladino vocatur, piscis ipso Sturione amplior, effigie, sapore, pretio & tota fere natura ab eo dissimilis: Nec, *Tursio* Plinij, quod credidisse Theodorus Gaza creditur, cum hic Carchiæ, id est, Caniculæ, ut Archestratus apud Athenæum comprobat, species sit, & cum Turso sive Phocænæ in Ponto catulos pariat, hic oviparus sit, & ubique nascatur. Nec *Hycca* seu *Hysca* ut Hermolaus Barbarus in epistola ad Corrusium prodidit, cum vel ipse Athenæus, qui solus Hyccæ meminit, qui piscis Hycca sit ignoret, & duntaxat, à Callimacho sacrum piscem, à Cyræneis *Erythrinum*, ab Hermippo Smyrnæo Hyccam Iulidem vocari scribat.

Plin. H. N. l. 9. c. 9.

Nec *Delphinus*, ut Carolus Figulus voluit, quamvis in multis quoad formam conveniant, quod iste omnium veterum authoritate, inter cetos referatur. Niloum tamen Delphinum, de quo apud Solinum leges, quemque Delphino potius similem, quam Delphinum Marcellinus vocat, Sturionem existimare, nihil forte oberit.

Nec *Oxyrinchus*, veterum, cum hic Carnivorus sit, & hamo, ut apud Athenæum legimus, capiatur. An pro Oxyrincho Caspio Æliani, haberi debeat, comparatio ostendere poterit. Circassi sane cæterique Mœotidis accolæ, Sturionem Oxyrinchum vocant, si Gesnero & Scaligero credimus. *Silurum veterum* esse Salvianus contra Manardum apud Aldrovandum ostendere conatus est, quē prolixissime agentem vide. Ausonij esse nullum dubiū, & ita Sturio à Venantio Fortunato Pictaviensi Episcopo, qui duobus post Ausonium seculis vixit, vocatur: Ve-

Ælian. H. A. l. 17. c. 32.

Iuvenal. Scalig. 14. & 14.

tur : Veterum non esse, tum ex eo colligas quod non tantum teste Iuvenale & veteri eius interprete, sed etiam Antiphane & Theodoro Sinopensi apud Athenæum, vilis apud eos piscis fuerit ; tum quod eum in Garumna non invenias , quod & Scaliger monuit. Γαλαξίαν seu γαλεξίαν vocari Galeno crederem , nisi eandem in Græciæ mari, in quo Sturiones dantur nasci, negaret. Acipenserem esse, qui ab Elope & Anthia distinguitur, Rondeletius erudite ostendere conatur, quem sequitur Iunius: obstare eius sententiæ videtur, quod rarus inventu, & unus omnium squamus ad os versis contra aquam nando meare, apud Plinium dicatur, & id Nigidius Figulus, referente apud Macrobium Sammonico Sereno, confirmet. Aldrovandus Sturionem Acipenserem Romanis cum recens & in Italia captus esset vocatum fuisse; Silurum Græco nomine cum ex peregrinis Græciæ inprimis oris allatus, opinatur. *Descriptionem* eius Paulus Iovius hanc dedit. *Corpore* est tereti oblongoque, inter rotundos & planos ambigente, ut qui subtus quodammodo planus sit, dorso verò semirotundo. *Caput* quadratum est, & ad effigiem parvæ pyramidis protensum. *Os* illi est sine maxillis , sine dentibus , diversum penitus ab reliquorum piscium forma, idque sub mento in ipsa prope iugilum parte , ad similitudinem fistulæ arundinaceæ rotundum, semperque patens, & cartilagineum & summæ candidum; cuius hiatum in procerioribus hasta brachij haud facile impleret: cæterum totum caput dura potius & callosa cartilagine quam certis ossibus constat, quod ex lento quodam & præpingui mucore concretum esse videtur. *Naribus* omnino quæ illi prætenues sunt supra rostrum, refrigeratur. Sunt autem branchiæ utrimque quaternæ osseo operimento, non secus quam squamosis piscibus contactæ. *Oculos* habet parvos. Ex rostro gemina barba, ut in Mullo dependet. Toto dorso crassiores quædam squamę ossea duritie certo numero ordineq; distinctæ, intercurrente spinæ acie, ad elegantiam eminent, ut in magnificēntioribus valvis hodie videmus, quas ferrei atque inaurati clavi certa serie confixi decentissimè figurant. Cæteræ corporis partes cuticulari & scabro admodum operimento potius quam perpetuis squamis integuntur, idque ad subviridis atrique coloris speciem. *Venter* cute levi & argentea tegitur. *Linguam* habet crassam & duram, *gulam* undequaque rugosam. *Pinnæ* sunt ad branchias duæ & totidem in ventre ad podicem : præter quas in dorso prope caudam alia unica erigitur, è cuius fere regione imo ventri alia etiam una subnectitur. *Cauda* vero in duas pinnas degenerat, quarum superior crassior atq; duplo longior extat. *Ventriculus* est carnosus solidusque atque pertinaciter inherescens tergori, ut nisi discissus divelli inde possit. *Oesophagus* in rugas contractus. *Hepar*, in duos lobos oblongos pallidi coloris dividitur, quorum dextro vesica fellis validissime connectitur. *Lien* subruber: *intestina* crassa, & ternis gyris convoluta. Magnis piscibus annumerari debet , cum crebro & plerisque in locis centum librarum, & alibi longe maior capiatur. Ego aliquando Ferrariæ Sturionem mercatus sum centum & quadraginta librarum, domique Illustrissimo pariter ac Reverendissimo Ioan. Baptistæ Cāpegio Episcopo Majoricensi Domino meo nunquam satis celebrando, qui paucis ante diebus ut labores meos promoveret, mille aureos donaverat. † Quantum ad *Differentias* refert Bellonius, Ponticorum , Adriaticorum , Gallicorum , & Germanicorum inter se esse differentiā, quæ magnitudine, crassitie, cutisque asperitate, & subnigro, subflavo , aut argenteo colore distingui possit: Sequanicum & Ligerinum adultum interdum tres orgyas excedere, Galeum piscem pinnis & forma referētem, exili corpore, hirta sursum pelle, deorsum plana ac levi: apud Ferrarienses , & Bononienses argenteo colore

Scalig. in Lect. Auson. l. 2. c. 1. Galen. de Alim. facult. l. 3.

Plin. H. N. l. 9. c. 17. Macrob. Satur. l. 2. c. 12.

† Hactenus Iovius.

colore fulgentem, dorsum, & latera tribus veluti carinis distincta ostendere. Scaliger quoque tria Sturionum genera, in Occa Sarmatiæ fluvio tradi scribit, & pretiosissimum illum, qui Bialarybitza vocatur ponit: sed Herbersteinius Bialarybitzam à Sturionibus distinguit. *Locum* si attendas, In Ponte, & circa Mæotidem plaudem frequentissimus est, inde ova in molem coacta, salita, & cadis conclusa, per Turciam & Italiam distrahuntur. Tyrrheno & Adriatico mari si Bellonio fidis, rarò visitur.

Maior tamen in fluminibus, quæ nonnisi quinque aut sex dierum itinere subintrat, quam Oceano, Tyberim si excipias, in quo parvi capiuntur. In Albi (hunc circa Pentecosten gregatim, authore Kentmãno ingrediuntur) capti, ducentas interdum libras singulas sedecim unciarum appendunt. Captus tempore Iohannis Friderici Electoris sexaginta supra ducentas librarum pondere, quem totidem florenis Princeps redemit. In Ligeri quoque & Rheno delicatior. In Tanai, Danubio, Rheno, Tibisco, Vistula, Garumna frequenter capitur. *Cibus* Sturioni non pisces & conchylia, edentulus enim, sed sordes & mucus, quidam sed perperam aëris tranquillitatem ei ad cibum sufficere crediderunt.

Dum escam quærit, suis more terram sub aquis fodere Isidorus prodidit. Cum branchiis omnino latis careat, naribus refrigeratur, & si quam hauriendo recipit aquam, eandem prono ore statim regerit. De eiusdem *Robore*, ex relatione Kentmanni ita Gesnerus. Sturio in aqua validissimus piscis est: & in terra quoq; cum ventri innititur. Cauda concussa hominem utcunque robustum prosternit, ubicunque contigerit, perticas etiam magnas & ligna per medium frangit. In terram extractus, lapides aliquando tanta vi cauda ferit, ut ignis exiliat, attritu nimirum osciculorũ, quibus toto corpore mucronatus hortet. Quãobrem cautè tractandus est à piscatoribus, ne vel crura eis confringat, vel retia disrumpat. Peritiores in aqua captum reti ad ripam impellunt, ita ut rete, non adversum, sed ad latus ei sit: secus enim rete vel sextuplex laniaret. Cum ripam attigere, caput eius omni contentione in altum levant, & piscem totum in latus declinant: sic enim robore suo nocere non potest. Videtur cum Salmone Amicitiam colere. Ducem enim istorum piscatores vocant. Zigam è mari pulsam, per flumina persequitur, sed frustra. Agilis enim hic & velox prævenit. Tanti olim *in cibis* apud Romanos, Traiani tempore, † si excipias, æstimij, ut cum tibiis, † & coronis in cœnis circumferretur, & Gallonij mensa, teste Horatio, eo famosa fuerit. Mares tamen fœminis præstant, hæ ovis plenæ probantur. Poggius Doctoris Poggij filius caput commendavit. *Caro* duriuscula est, præpinguis, viscosa, & ægrè concoquitur. *Hepar* adeo dulce, prodente Alberto, ut nauseam nisi felle tingatur, pariat. Græci sale inveteratos tribus nominibus insigniunt. *Rachis* ipsis dorsi portio pleura, costæ & latera; *hypocelium* alvus cum pube. Caviario, quod ex ovis paratur, Græci & Turcæ vescuntur. Iulio II. Pontifici mirifice idẽ placuit. Paratur & ex Cyprinorum ovis in Iudæorum gratiam. *De usu in Medicina* nil occurrit. Quæ enim de Siluro Plinius, huic vix competunt.

† *Macrob. Salmon.*
† *Archestrat. apud Athen.*

CAPUT VIII.

De Galeo Rhodio.

DE Galeo Rhodio ita scribit *Aldrovandus.* Rondeletius hunc piscem, cuius modo icon exprimetur, Galeum Rhodium esse eruditissime ostendit, propter maximam nimirum cum Acipensere sive Sturione similitudinem, non solum quo ad corporis speciem & partes, verũ etiam quoad gustum, & saporem, dempta, inquit, unica differentia,

TAB. XXIV. 1. *Aldrov. de Piscib. l. 4. c. 10.*

quæ non nisi ab ijs potest percipi, qui citra ingurgitationem huius cibum sumpserint, quique exquisito gustatu fuerint: ferinum enim quid resipit, quod tamen etiam non nisi paucissimum esse potest: nam Archestratus, qui in nullis non terrarum Orbis angulis gulæ cupedias diligentissime perquisivit, id observasse in eo non videtur, quandoquidem Acipenseri plane eundem esse credebat, ut Athenæus tradit, qui illius sententiam refellit. Athenæi verba non solum Acipenseris à Galeo Rhodio discrimen indicant, sed verum Galeum Rhodium hic depingi comprobant: Archestratus, inquit, qui Sardanapali vitam vixit, de Galeo Rhodio scribens, eundem esse opinatur cum eo, qui apud Romanos cum tibiis & coronis in cœnis circumferebatur, coronatis etiam ijs, qui gestarent, vocantque Acipenserem. At hic quidem Acipenser parvus est, & porrectiore rostro, & figura triangulari magis quam ille. Et paulo post, Archestratus de Rhodiensi Galeo loquens, amicis patrio more consulens, ait: Galeum in Rhodio quem Vulpem vocant, si tibi vendere noluerint, vel mortis periculo rape. Nominant illum Syracusani κυνὸς πίωνα, id est, canem pinguem. Hæc ille. Quod si Galeũ Rhodium cum Sturione seu Acipensere contuleris, nullum planè comperies, (inquit Rondeletius) qui ei similior sit eo quem proponimus; his exceptis quod Sturio est longiore rostro & corporis figura magis triangulari. Nam alioqui Sturionem totius corporis figura, tergi ossibus acutis, & clypeorum modo efformatis, aliis item in lateribus dispositis, pinnis, cauda, ore in supina parte sito, omnino refert. Is quemadmodum Sturiones, relicto mari, amnes subit. Reperitur enim in Pado, & Rhodano, & pro Sturione venditur; nec ab eo distinguitur, nisi ab exercitatissimis & exquisiti gustatus hominibus. Hanc differentiam docuit ipsum Guilielmus Pelicerius Monspeliensis Episcopus, vir singulari doctrina præditus? tum ex capite crassiore, & rostro breviore, obtusioreque; tum ex gustu Galeum Rhodium sive Vulpem deprehendi. Ferinum quid recipit, quod de Sturione dici non potest, carneque est duriore: à quo sapore Galei & Vulpis nomen habet, Galei enim & Vulpes ex Galeorum genere ferini sunt saporis & ingrati. Si tamen in dulci aqua diu nataverit, in cibis haud aspernandus est. A nõnullis eodem Rondeletio teste *Cops* vocatur, eoque nomine designatum atque optimè figura expressum ad ipsum Ferraria misit doctissimus medicus Antonius Musa Brasavolus. Alij nominis affinitate decepti Copso appellant. Est enim id nomen alterius piscis.

CAPUT IX.

De Cataphracto.

PIsci huic Schonveldius nomen imposuit, sicque eum descripsit. Est palmorum duorum longitudinis ad summum, Capitis fere triangularis, depressi, anguloſi, ac lati pollices vel digitos duos, cuius duo latera tuberculis plærisque horrent in ambitu, anteriora quæ os spectant cirrhos multos tenuissimos alunt, posteriora aculei, retrorsum spectãtibus minacia sunt. *Rostrum* habet resimum, quatuor apiculis munitum, quorum duo anteriores instar Lunæ cornutæ vel semicirculi se rotundant, reliqui post hos suis aculeis retro conversis conspicui sunt. *Os* in supina parte semicirculare habet, parvum, ad incisuram eius utrinque binis, sub mento pluribus tenuibus cirrhis barbatum. TAB. XXIV. 2. *Schonveld. Ichtyol. p. 31.*

Truncus proxime caput depressior, octagonus est, prope caudam sexagonus, prona parte fuscus, nigris lituris intersparsis, circa ventrem plenum, in cuiusque medio *podex* est, albicat. Totus *squamis* osseis contectus est, in quarum medio tumor

tumor durus, reduncus, erigitur, qui in omnibus continuatus corpus angulatum efficit, quod versus caudam valde gracilescit. *Pinnas* circa branchias habet latiusculas duas, sub ventre totidem, sed longe minores, binis fibris constantes. In *dorso* inter squamarum extantias concavo, duas contiguas, parvas, omnes nigris lituris pictas. *Cauda* in pinnam subnigram exiguam & rotundam desinit.

Dentes nullos habet, sed horum loco labia aspera, & in faucibus osficula aliorum in morem hirta. Frequenter circa Nortslandiam insulam Oceani Slesvicensi Ducatui subiectam frequenter & per totum annum, in ostio Albis & Ederæ sæpe capitur. Incolæ Steinbicker, Muller, & Bursbul vocant.

Victitat squillis & aliis pisciculis. Habetur ob carnis dulcedinem in deliciis.

TITULUS II.

De Lævibus.

CAPUT I.

De Husone.

TAB. XXV. 1. *Aldrovand. de Piscib. l.4.c.11.*

HACTENUS de πόθαμοθαλασσίοις piscibus squammosis egimus, sequuntur non squamati seu *Læves Huso* nempe, *Eperlanus, Lampetra, Anguilla, Orbis & Holosteus Bellonii*, *Husonem*, quem à domo quasi Hauso, Germanis dici Bellonius opinatur. Plinius fortè *Marionem*, quem Danubio Porculo marino similem extrahi dicit, vocat; quidam *Esocem*, appellarunt. Æliano ni fallor est Antaceus, Germanicus. Magnitudinis est viginti quatuor pedum, & tantæ, ut vix biga à tribus vel quatuor equis trahi possit. Vadianus magnitudinis pondo quadringentorum minimos quinquaginta, frequenter centum, ducenta, trecẽta, vidit.

Dorsum habet asperum. Nullum os in capite, si Alberto fides, si aliis multa, in corpore parva & pauca, cartilaginea potius, quam solida. Loco *spinæ dorsi* cartilago est, quæ foramen habet magnum & vacuum, à capite ad caudam tanquam terebello perforatum. Adipem pinguedini immixtum sicut porcus. Similia de suo Antaeæo Ælianus. Cum ætate processerunt, ad maximi Thunni magnitudinem, in Istro accedere scribit, & tam pingui abdomine esse, ut eorum ventrem lactentis suos fœtus scrophæ ubera dicas, sicque aspero corio tegi, ut eo perpoliantur hastæ. Addit item capitis medio à medulla ad caudam mollem & strictam membranam pertinere, ex qua ad assum solem exsiccata, flagella ad concitanda iumenta efficere possis. E Ponto Danubium subit, & per centum quinquaginta millaria Germanica, adversis suavibusque undis progreditur. *Ælian. H. A. l.14. c. 26.*

De eius captura, ita quidam ad Gesnerum mercator. Mitto tibi, inquit, Husonis piscis effigiem vivam. Is in Danubio, nec ubique nec tempore quovis capitur, sed quando migrat. Terra argillosa & pingui gaudet. *Capitur* fere ab autumno usque ad Ianuarium, spacium decem milliarium inter Viennam & Posonium, Presburgum vulgo vocant: ubi ad insulam Schutam nomine, cum arce minutissima, ultimus huius piscis capturæ locus est.

Viennæ die Veneris plerumque quinquaginta vel septuaginta, & aliquando centum Husones, veniunt, qui integri fere distrahuntur. Copiosissima eorum captura fit in Vualachia iuxta Chiliam non procul ab ostiis Danubij, quibus in mare Ponticum se exonerat. Inde salsi exportantur in remotas regiones.

Vadianus mensibus Octobri &

Decembri captos Viennæ invehi scribit. Timidius est, & à minimo etiam pisciculo in fugam vertitur. Sturio se ei per lusum affricare solet, in latebras profugum eijcit, & ventrem lancinat, dumque unus fugit, alter persequitur, aquarum agitatione se produnt, & capiuntur. Captus lacte vel vino *potatur*, nõ ut diutius vivat, nec citius inebriatur, quã sextarios quatuor ebiberit.

Gregatim natant, & tubarum cantum sequuntur, ad eum postquam accessere, irretiuntur. In aqua tanto robore pollent, ut piscatorem cauda ictum è navi deiiciant, elato ex aqua capite, mortuis similem apparent. De Antacæorum captura, vide Ælianum.

Quantum ad *usum in cibis*, vitulinæ in dorso, porcinæ in ventre saporem habet, magna pars salsamentis cedit, lactibus nihil dicunt delicatius, sed & ova in cibum expetuntur.

CAPUT II.

De Eperlano.

TAB. XXIV. 3. *Aldrov. de Piscib. l. 4. c. 12.*

IN fluviorum in Oceanum, (verba sunt Aldrovandi) in fluentium ostiis, ut Rhotomagi & Antwerpiæ frequens est piscis, teste Rondeletio qui *Eperlan* (quam vocem vulgarem secutus Eperlanum ceu latinum nomen fecit) dicitur, à nitido & splendido (inquit) colore, quo unionem (perlam) refert.

Cæterum si à perla ipsi nomen est, verendum est appellari een, peerl; nam Eperlan Belgi, cum vocabulum non est: & Bellonius Epelanum nuncupat. Ait tamen etiam, Atherinæ modo transparere. Hic Anglis *Schmelt* vocari scribit ab odore (violam enim gratissime redolet, quamobrem quidam *violam* vocari posse censent, argumento quod Ælianus ab odore thymi Thymallum piscem nominavit,) vel à pinguedine. Gesnerus priorem etymologiam probat, quoniam Smelle Anglis sit odorari.

Smel tamen apud Belgas est liquescit, & proprie de pinguedine dicitur, à quibus Angli fortè nomen mutuaverint. Uterque *duo eius genera* esse scribit, *marinum* unum, *fluviatile* alterum. Sed Rondeletius marinum litorale esse, Bellonius saxatile dicit.

Rursus Rondeletius Eperlanum in marinum & fluviatilem distinguens, figura corporis nihil vel parũ differre innuit, ideoque unicam iconem exhibuit: Bellonius contra duas, admodum diversas; quare suspicari licet fluviatilem Rondeletii à marino non differre. Bellonius marinum item, partim marina, partim fluviatili aqua gaudere tradit, & Rõdeletius quoque ex mari ad fluvios ascendere insinuat, dum in Sequanæ ostiis optimum esse scribit, & in Angliæ fluviis.

Apud Neustricos Caudebeccanos Angliæ populos uberrimus est, maior tamen proventus circa vindemias, quo tempare est delicatissimus. Tereti ac tenui est corporis compage, nonnunquam dimidium pedem æquante. Rondeletius ad pedis magnitudinem aliquando accedere innuit.

Asinos parvos refert, unde ex eorum genere esse iudicarunt, quos refellit Bellonius, propterea quod glabro sit corpore. *Oris* hiatu satis magno est.

Dentes habet in maxillis, & in lingua. Truttam præter cætera dentibus refert. *Lingua*, ut ait Bellonius quasi gemina, hoc est, (inquit) in cuius radice posterior quædam appareat, in qua multo plures dentes sunt, quam in anteriore. *Pinnas* habet easdem quas Salmonum genus, maxime posteriorem illam dorsi pinnam subrorundam & pinguem. Prior totum piscem in æquales fere partes dividit. *Cauda* bifurca est. *Branchiæ* sunt utrimque quaternæ, decolores, & *violam olentes*.

Transparenti est *corpore*, dẽpta linea ni-

nea nigra quæ spinæ internæ parti inhæret. *Calculos* habet in capite rotundos, albos, quosque facilè forinsecus propter piscis transparentiam per cranium videri posse Belonius tradit (qui diligentissime de internis Eperlani partibus egit) sub posteriori cerebri parte sitos, ubi medulla in cerebro desinit. *Cor* branchiis semicircularibus & fimbriatis est admodum vicinum ac scutiforme: desinit quoque in angulos, rubrumque est, cui molles ac sanguineæ sunt carnunculæ, quæ huic tanquam aures in terrestribus famulantur. Illæ enim moventur cum corde, quod septo ab hepate dirimitur: unius tantum lobi, in longum demissi ad secundum latus. *Stomachum* desinentem in mucronem habet in V. literam efformatum: *Lienem* admodum rubrum, seminis Atriplicis in modum latum.

Cumque stomachi dextrum latus sursum usque ad hepar reflectit, illic geniculo intercipitur: ubi *apophyses* duas latas emittit, quæ veluti secundum ventrem constituuntur. Aliud post hunc subsequitur, quod nec pylorum nec jeiunum, neque ileon commode nominare possis; si quidem sine anfractibus recta ad anum procedit. Sed rectum geniculo intercipitur, estque ruberrimum. *Mesenterio* nullam admixtam pinguedinem habet, quo stomachus & intestina obsidentur, ut nihil aliud in ventre, quam adipem esse dixeris.

Caridibus, culicibus, Aphyis, œstro, lendibus, mille pedibus, pediculis & eiusmodi deiectamentis *vescitur*. Carne est molli & friabili. Æstatis fine vel autumni initio *capitur*.

CAPVT III.

De Lampetra.

TAB. XXIV. 5. 6.

LAmpetra, non tam à lambendis petris, quam ab *Alabeta* Plinii. Nilidis lacus piscis, qui ἀλαβῆς, quod manu propter lubricitatem capi non potest, dicitur, vocatur. Doctiores Plinii & Ausonii Mustelam esse opinantur, nec tamen vel ex *marinis Aeliani* quas jecorino similimas esse pupillis oculorum ad cyaneum colorem accedentibus, mento quam jecorini maiori, quam Chremetis minore, algas depascere, saxatiles esse, & omnium cadaverum in quæ incurrit oculos conficere, idem author scribit; vel ex *Mustelis*, qui Aristoteli cæterisque γαλεοὶ, qui flumina nunquam subeunt, & vivipari sunt, esse judico. Sed nec ex *Muræna*rum genere esse credo, quamvis Dorioni apud Athenæum Muræna fluviatilis haud ineptè dicatur, quod illæ Branchiis integris careant, quas Lampetræ velut cartilaginem obtinent.

Lumbricum marinum Plinii non esse, exinde quod pinnis omninò careant, colliges. At ex *Vermibus aquaticis* eiusdem esse, quos in Gange Indiæ Statius Sebosus, haud immodico miraculo attulit, branchiis binis, sexaginta cubitorum, cæruleos, qui nomen à facie traxerunt, eisque tantas vires, ut elephantos ad potum venientes, mordicus comprehensa manu eorum distrahant, Rondeletius credidit.

Idem ex βδέλλαις seu Hirudinibus Strabonis, quas in quodam Lybiæ fluvio septenum cubitorum perforatis branchiis, ita ut respirare possent nasci scribit, quod sanguisugarum instar saxis & navium clavis hæreant, opinatur. *Tineas fontanas*, de quibus apud Plinium, quod Hermolao placet, non esse, certum, quia illæ ex insectis. *Flutam seu Plotam* quod quoque Rondeletio visum, dici posse, quod nisi in summa aqua natet, ut aerem attrahat, facilè suffocetur, concedimus. An *Anguilla coprea* sit, cuius Archestratus apud Athenæum meminit, dubito.

Quamvis enim sit ex ossis seu ἀπύρηνος, quod Anguillæ vulgari non competit: in eo tamen, quod Anguillas

Aldrov. de Piscib. c. 13
Plin. H. N. l. 9. c. 17.
Plin. H. N. l. 9. c. 10.
Plin. H. N. l. 9. c. 15.
Strabo Geogr. l. 17
Athen. Dipnos. l. 7.

guillas Copaidas Agatharchides prodigiosæ magnitudinis esse scribit, diversa à Lampetra esse videntur. Echeneida Oppiani esse, Rondeletius censuit, nec abhorret ab ea Echeneidis descriptio, quam apud Oppianum vide. Bellonius quoque nautis præcipuè infestam esse ait, remonibus triduum fere inhærendo, caudamque in contrarium vertendo, recensque picatæ navis lateribus picem lambendo sic infigi, ut nautas ab itinere remoretur.

De *Generibus* ut dicam, non unum Lampetræ genus est. Sunt quæ è mari flumina subeunt, sunt quæ à salsis aquis omninò abstinent.

Marinarum triplex genus est, maius, medium Germanis & Belgis Prick dictum, & minus à Salviano depictum, qui, licet ætatis ratione tantum differre quispiam suspicari possit, quoniam colore tantum & magnitudine à maiori differt, differre tamen, & specie ostendit, cum maiores semper & maculosæ & bicubitales; minores contra sine maculis & pedales tantum reperiantur: Prick vero cubitalem magnitudinem haud superet, transversalibusque & nigricantibus lineis solum insigniatur.

Rursus ipsi maiores haud ubique æquè magni. Testatur enim Iovius in Arno & Tyberi ad generosum habitum adolescere: in omnibus autem Galliæ Cisalpinæ rivulis, ipsisque præsertim Ticini atque Adduæ emissariis multas reperiri pretiosas admodum, quanquam minimi digiti crassitudinem minimè superent.

Et Platina in Cisalpina (Gallia) parvas, in Hetruria mediocres, Romæ ex Tyberi permagnas capi tradit: nisi dicamus, haud recte ab his scriptoribus isthæc observata esse. Omnibus sive marinæ sint sive fluviatiles, commune est, Cetorum more *fistulam in cervice habere*, per quam cum navibus aut saxis hærent, aquam ad branchias attrahunt. *Spina* item omnibus cartilaginea à capite ad caudam usque deducta, chordam Galli vocant, quæ vere tenerior, æstate durior est, & insuavior.

Branchiarum numero, figura & ordine conveniunt, *ore* item & *pinnis* & totius corporis figura. Murænis valde similes sunt, si caput excipias. *Os* enim neque in longum neque in latum scissum est, sed excavatum velut in hirudinibus quas sanguisugas vocant. Gesnerus ab eo loculorum instar, qui ad servandos nummos loro contracti clauduntur, constricto lignum aut lapidem ita apprehendere ait, ut sugere videatur, idque tanta vi, ut ægrè avellatur, cucurbitularum medicinalium similitudine. Marginem item oris rotundum fibris quibusdam laciniosum esse, quæ nimirum ut firmius hæreat, sugatque efficiunt. In cavo illo sparsi sunt *dentes*, plurimi flavi, acuti, hamati, quorum interiores maiores esse idem Gesnerus observavit, eosque circiter viginti ordinibus distingui; & tanquam à centro ad circumferentiam digeri, ordinibusque singulis quaternos, quinos, senosve inesse. Esse & in ipso oris recessu duplicem *dentium* minorum ordinem, quorum maior, inquit, omnino ferram denticulis utrimque denis refert, eos denticulos continuos esse, cæteros cutim habere interiectam. In eiusdem cavi imo teste Rondeletio particula est contraria occursu foramen interius occludens. *Cor* habent sub branchiis & foraminibus reconditum, cartilaginea membrana, spongiosa ac prætumida inclusum, subrotundum, ciceris crassitie: *hepar* oblongum, cæruleum, unius tantum lobi. *Felle* carent. *Intestinum* omnibus unicum, rectum, minimè complicatum; reliquum corporis in fœminis matrix ovis referta occupat. Pinnis lateribus carent; nullasque ad natandum habent, sed flexuoso corporis impulsu aguntur, & *pinnulis* membranaceis iter dirigunt, quarum una ferè supra caudæ extremũ erigitur, altera paulo superior est. Lævi cute teguntur, quæ in maiori nigricat pronè, supinè candicat, ad la-

ad latera, & in dorso subluteis ac nigricantibus maculis conspergitur, quibus minor caret. Gesnerus maiori maculam ait esse albicantem in vertice, in medio oculorum interstitio; & contiguum ei anterius foramen parvum membrana parum prominente circumdatum. *Pricka* cum maiori colore convenit, sed pro maculis quales diximus, transversales habet lineas. Omnes utroque gutturis latere *septem foramina* habent, quibus aquam acceptam reddunt. Platina *linguam* Lampetris tribuit, Rondeletius habere negat. Salvianus & Bellonius non meminerunt. *Oculos* rotundos & profundos habent. In maiori cæruleam pupillam aureus circumambit circulus.

De *Lampetrarum migratione* & hoc habe, Veris initio migrare, & circa Donati diem, qui est decimus septimus Februarii, nullas amplius apparere, sed aut recedere, aut corpore reliquo tabescente, licet capitis moles relinquatur, interire.

Initio Maii optimas, ab eo tempore irrequieto motu emaciari, & plærasque ante partum mori, parientium sobolem evanescere, nec unquam circa Argentinam apparere; adultas, quæ non pereunt, cum fluvio aqua secunda, Maio mense auferri, Argentinensium piscatorum relatio est. In mari & fluminibus parvas *parere*, eoque tempore quo in fluminibus capiuntur, in mari etiam capi, reliquisque anni temporibus vel in abditis locis latere, vel à littoribus in altum pelagus longè secedere; maiores in fluminibus rariores esse, Salvianus author est. *Vescuntur* aqua & musco. Quidam esca quadam composita in fontibus & aquis dulcibus eas nutriunt, & servant. Spumarum indiciis comperiri solent: captæque perpetuò in aqua immergi, cum qua ex longinquis partibus in urbes deferuntur.

Vsum in Cibis quod spectat, Albertus dulcem & insalubrem vinoque condiendum, Alexan. Benedictus optimi succi, facit. Salernitani crassum & viscosum, minus tamen Anguilla, & quia veneni aliquid habent, in vino submergendas donec moriantur, posuere. Romæ olim proximam à Scaris quibus principatus debebatur habuere mensam: *Scribit Platina Romæ aulæ fortaßis offensus*, bene à natura factum esse, quod Romæ ex Tyberi permagnæ capiantur, & delicatissimæ, quoniam vallatæ ibi gulæ inter se auctis pretiis certant. Emi (inquit) frequenter Lampetras quinque sex, septem aureis, & olim à laticlavio viginti, cum alter secum auctionaretur, emptam scimus: nec passa est ingenua gula tantam audaciam gratuitam esse. Dispensato enim, quod suiipsius arrogantiam & fastum (nolo dicere stultitiam) imitatus esset, centum aureos dono dedit, ne secundo ad certamen singulare provocatus, timidus ac infractus animo succumberet.

Cæterum non quovis anni tempore, nec quovis loco tanti fiunt. Scribit enim Iovius Romanis, id est, Tyberinis præcipuam nobilitatem à magnitudine & sapore esse adeò ut denis sæpè aureis veniant, ipso præsertim vere: & recte quidem, quoniam incipiente æstate, spinalis medulla iis nervi instar durior efficitur; & marinæ, hoc est, quæ in mari capiuntur, aridæ semper ac velut agrestes judicantur. Iovius delicatiore condimento, multo maiorem quam ab ipsis pulpis nobilitatem accipere scribit. Necari enim solere in vino Cretico, eiq; myristica nuce os claudi, & foramina illa (branchiarum utrimq; septem) totidem caryophyllis adimpleri in reganoq; convolutā in spiras, additis avellanis tritis, medulla panis, oleo, vino Cretico, aromatibusq; ad temperatiores prunas certis momentis sedulo excoqui, quo condimento, inquit Leo x. in minori fortuna, joci causa, ut convivium exhilararet, Marianum cucullatum, salsum, & ridiculum hominem decepit.

Namque

Namque funem instar Lampetræ incoctum, multoque illo jurulento immersum, grandi in patina apposuit, ut notam omnibus eius edacitatem, gulamque eluderet: qui jam magna pultarii parte absumpta pseudolam petram aggressus, diu multumque cum ea maxillis ac dentibus inhærente colluctatus, cachinnum cunctis tollentibus, facetissime respondit: utinam sic mihi sæpius illudatis. Nam in hoc condimento non modo funes, sed & ipsas catenas (quibus insani vobis similes vinciuntur) & cum voluptate quidem absumerem.

CAPVT IV.

De Anguilla.

TAB. XXIV. 7. 8. *Aldrovand. de Piscibus l.4.c.14.*

QVem piscem Latini Anguillam ab anguis similitudine dicunt, illa Græcis veteribus ἐγχέλυς, ἀπὸ τῆς ἑλίσσω, quod commoto cœno felicius capiatur, modernis ἀχέλυ, vocatur. Lacedæmoniis λεκυλάτας dictas, apud Hesychium legimus. Est ex piscibus καταδρόμοις, qui in aquis dulcibus geniti, ad mare descendunt.

Duo ipsarum sunt *genera*, Maius & Minus. *Illi* caput brevius, crassius & latius, color fuscus: in profundo degit, & aqua deficiente sæpe in limo, ut inde effodiatur, occultat. Ad mare nunquam descendere, sed semper in vallibus degere, quidam affirmant. Mares Rondeletius vocat. *Huic*, quod Anguilla simpliciter dicitur, caput longius & acutius, & in mare descendit. Læves sunt in universum & lubricæ, ut manu teneri non possint, si inclusæ tenentur, quacunque caudam exerere possunt. eadem totæ evadunt. Aristoteles eis quaternas utrinque *branchias*, sed simplices tribuit.

Alias quoque branchias pauciores minusque continentes habere scripsit. Athenæus verò ex Theophrasto exiguas. Cuticulæ quæ hæ teguntur, Parvula inest *rima*, quæ causa est, quod in turbidis aquis facilè strangulentur, & in aere diutius vivant. Teste eodem Aristotele *gulam* quæ paucis piscibus contigit, habent, licet exiguam, ventreque sunt exiguo. *Fel* jecori hæret. Hoc magnum est, illud aqueum. *Pingue* inest paucis, plurimæ eo carent. Hippocrates tamen pinguedinem habere scribit, eandemque naturæ hominis inimicam: cæterum hæc pinguedo à carne separata non est: quare alias dicebat Philosophus: seorsum enim à carne non pinguescunt: unde parvum eis in omento sevum esse solet. *Tergus* earum quam Murænis crassius teste Plinio: cuius locum de pinnis huius piscis, ubi lumbricis pro lubricis legebatur, restitui in Lampetra ex Aristotele, qui longorum vel lævium alios ut Anguillam & Congrum binas pinnas, alios ut Murænam nullas habere scribit. Has juxta branchias hærere idem asserit, supinisque pinnis carere. A medio dorso & ab excrementi meatu veluti limbus cutis potius, quam pinnarum substantia superiores corporis partes ambit. *Aristot. H. A. l.1.c.5.*

Ventriculus & *intestina* in longum protenduntur. Color omnibus haud idem. Variat enim aquarum in quibus degunt, ratione. Quæ *puram & defluentem* incolunt, ventre (inquit Salvianus) sunt candido, dorsoque cineraceo sive subcæruleo: quæ vero in impura & stagnante commorantur, ventre subalbo, dorso vero subviridi vel subnigro apparent: *Os* habent satis apertum, dentibus, parvis, acutis minutim, multiplici ordine. *Magnitudo* quoque non ubique eadem. Plinio atque Solino testibus in Gange ad tricenos pedes augentur: & Athenæi Pausaniæque testimonio Copaidæ, item Strymoniæ eximiæ magnitudinis esse dicuntur. Archestratus Copaidas apyrenos quasi spinas & ossibus carentes vocat: Gesnerus & Dalechampius Lampetras intelligi volunt; quoniam hæ prospinis cartilaginem *Plin. H.N. l.9.c.3.* *Athen. Dipnos. l.7.*

ginem habent. *Magnas* vel ad brachii crassitudinem capi audio in aqua mortua (ut appellant) Galliæ Narbonensis. In Italia ad viginti libras aliquando accrescunt; sed quæ superant, nunquam inventæ sunt.

Locum, si spectes Marinarum quoque Diphilus & Epicharmus apud Athenæum meminere, non quòd ibi nascantur, cum paucæ & nondum adultæ nunquam, magnæ & adultæ raro ibi reperiantur; sed quod, ut Plinius, Aristoteles & Oppianus firmant, maria ex fluminibus subeant. In nullo amnium qui Danubium influunt, reperiri in omnibus, qui Rhenum, licet ex uno aliquando cum illis fonte scaturiant, Nauclerus & Albertus prodidere. Frigiditas Danubii fortè in causa, cuius aquæ ante fauces Alpium ab Occidente in Orientem fluunt; maior pars ex Alpibus descendit, & à parte Aquilonari, ante Alpes delabitur. Copaidum, quæ ἀπύρηνοι, σωνείδας, Pollux & Aristophanes commendant. Prodigiosæ eædem interdum magnitudinis à Bæotiis hostiarum more coronabantur, aspersaque mola, cum precibus Diis immorabantur. Regiæ, quas Lethus circa Berenicem fluvius sibi vendicat, sesquialteræ ad illas, quæ ex Macedonia & Copaide lacu habentur. Suus iis & qui in freto Rhegii, & in Mæandro fluvio capiuntur honos. Strymoniæ quoque, Elori amnis, & qui ad Euclea fluvium, in precio fuere. Pars Britanniæ Anguillarum terra à copia, quamvis ibi non degant, dicitur. Ad Aquas mortuas brachii crassitudinem æquant. In stagno Monspeliensi Latera dicto, trium vel quatuor cubitorum sunt longitudine. Ex Tarni fluvio, qui non solum auget, sed efficit Garumnam, qua parte in eum erumpit, tanta copia defertur, ut una die XVI M. in nassis inventa sint. In Mintio amne quandoque mille glomeratæ capiuntur, ut apud Cardanum extat. Malè ergo ἐν τοῖς ἀφαμινόσαις λίμναις, *in stagnis promanantibus*, ut Scaliger vertit, reperiri negat Aristoteles.

Athen. Dipnos. l.7. Aristot. H.A.l. 6. c.14. Aldrov. de Pisc. l.4.c.14.

Athen. Dipnos. l.7.

Scalig. ad Arist. H.A. l.6.c.15.

De *ortu* dissentiunt Authores. Plinius, Anguillas atterere se scopulis, ea strigmenta viviscere, nec aliam earum esse procreationem scribit. Secundum Aristotelem, in dissectis neutrum sexum, nec vel ova vel semen deprehendas; in temporibus siccis, sed post imbres, idque ex iis, quæ vocantur γῆς ἐντέρα *terræ intestina*: quæ fiunt in cœno & putredine; maritimis quidem locis, quæ algam producunt; in stagnis verò & fluviis propè ripas, quia tepor sive calor istic putredinem gignit. Plinio Athenæus & Oppianus ex veteribus, ex recentioribus Rondeletius adstipulantur. Illi complexas coire, & strigmentitium, quid emittere, ex quo cum in limo fuerit, ἐν τῷ βορεβόρῳ καὶ τῇ ἴλυι γενομένης σήψεως, animal generetur, prodiderunt. Hic inferiore ventris parte vulvam in fœminis, semen in maribus esse, multa pinguedine perfusas non apparere, corporum complexu coëuntes à se visas scribit. Utroque id fieri posse modo credo. Nam & Berniciæ in Scotico Oceano ex vermę nascuntur, post ova excludunt. Eadem & Rondeletii sententia. Addit enim, cum equus mortuus in stagnum Megaroniæ injectus fuisset, innumerabiles paulò post ibidem visas Anguillas. *Nutrimentum* ipsarum sunt, radices herbæ & cuncta quæ in limo offendunt, visæ, ranis, vermibus & piscium partibus vesci. Paxamus hirudines, Homerus cadavera, quidam se ipsas invicem, Plinius edulia si quæ apponuntur, devorare, testantur. Purissimam tamen aquam impensius amant, ideò in quadam Britanniæ parte, ut Albertus ex Beda refert, in ortu Cosmico Plejadum hoc est XVII. Calend. Junii, quod tunc propter ventos, qui initio veris è terra erumpant oppositos aqua nunquam luto turbetur, ingens ipsorum copia; & à turbida abhorrent adeò, ut Athenæo teste, cum veri-

Plin. H. N. l.9.c.61. Aristot. H.A.l. 6. c.15. edit. Scalig.

Athen. Dipnos. l.7. Oppian. Halieut. l.1.v.156.

Aristot. H.A.l.8. c.2.

ventris turbatur suffocari, & quidem propter exiguas branchias, soleant. In exiguis aquis mori dixit Aristoteles, hyemem malè ferre, Plinius.

Aristot. H.A.l.8. c.2.
Plin. H.N. l.9.c. 21.

De reliqua ipsarum natura hæc habe. Noctu pasci, interdiu limo quiescere, ideo separatim ab aliis degere piscibus; exanimes piscium more non superfluitare, ut apud Plinium legimus, quod ventre sint exiguo, pingue paucis insit, plurimæ eo careant, ut Aristoteles tradidit, aqua tranquilla efflare, id bullarum indicio colligi eodem genere motus, quo serpentes in terra, id est celerrimè, moveri, ita ut dum Phalacrocorax integras devoravit, mox per intestina delabantur, idque vel novies aliquando fiat, in sinu detentas, hominem aliquando ita circumplecti, ut nonnunquam suffocent. Annis septem vel octo, quod branchias pauciores minusque continentes habeant, & paucum humorem admittant, vivere; extra aquam ad quintum, sextumve diem si loco umbroso, & frigido; (si à sole tangantur in terra brevi moriuntur) reponantur, à motu non impediantur, & ventus septentrionalis aspiret; excoriatas & in partes sectas sat diu. Tonitrua denique adeò timere, ut defundo ad superficiem enatent, frigoris adeò impatientes esse, ut cum Anno MCXXV. omnia gelu & glacie rigerent, in terram proreperent, & intra fœni cumulos se abderent.

Aristot. H.A.l.c.
Athen. Dipnos. l.7.
Aristot. H.N.l. 8. c.2.
Plin. H.N. l.9.c.21.

Disciplinæ non omninò expertes esse videntur. In Jovis Lebradii namque fonte Anguillas è manu vesci & inaures additas, à veteribus proditum Plinius refert; & in Arethusa Chalcidensi, Anguillæ & Mugiles mansueti inauribus tum argenteis ornati accipiunt à largientibus cibos, à sacerdotibus viscera & caseos, ut Athenæus scribit, & Ælianus, item Plutarchus, qui sacras hasce Anguillas vocari ait. Nymphodorus denique in Eloro amne tradit Lupos esse, & Anguillas magnas adeò mansuetas, ut è manibus etiam porrigentium panem capiant: quod & Appollodorus scribit in Chronicis. *Hostiliter* eas tractant, Ardea, Corvus aquaticus Phalacrocorax ex avibus: ex quadrupedibus Lutra, quæ tamen amputato plærumque capite discedit, ut piscatores prodidere.

Plin. H.N. l.32.c.2.
Ælian. H.A.l. 14. c.8.

Quantum *ad usum in cibis*, delicatissimas olim fuisse certum est. Mænander inter paucas sumptuosissimi convivii, quæ talento ferè constarent cupedias enumerat. Phitetarus miseros divites, qui parcè viverent, & Anguillas non ederent, dicebat. Alii cœnarum Helenam, voluptatis reginam, præ Diis honorandam, &c. dicebant. Sybaritæ, iis, qui eas piscarentur aut venderent, immunitatem, teste Athenæo, decreverant. Hicesius denique succi bonitate cæteris præcellere, stomachoque gratas esse reliquit. At medicis quamvis carnem mollem habeant, succo tamen lento & pituitoso abundant; inflammationem pulmonis, quod pinguedine hominis naturæ maximè infensa oblinantur, inferunt; superflua humiditate, quam partibus alluunt, turbidam & sonoram vocem reddunt; & secundum quosdam, nescio quid, quod nisi eximatur in periculum vitæ conjiciat, habent, ideo fortè caput, cauda, & à quibusdam oblonga, quæ nigricans per dorsum fertur vena, abscinduntur. Platina ubi præparationem Anguillarum eximiam dedit, subjungit acutissimè, *sic paratas hostibus apponendas, quod nihil boni in se habeant.*

Athen. Dipnos. l.12.
Hippocrat. l.2.de Diæta.
Galen. de Alimen.l.3.

His noxis infringendis, veteres betæ involutam, ut vitiositate sua humidum detergeret, comedebant: Salernitani vinum fortè hoc est generosum & crassum, quale est rubeum præscribunt, nam si tenuè biberetur, Chylus in venas ante perfectam coctionem abiret & in corpus raptus Cachexiam excitaret; idem

idem accidit, nisi pedetentim, & parum velut pitissando hauseris.

De Vsu in Medicina tantum observavi apud Authores, *Pinguedinem* in elixatione supernatantem unguentum ad plagas ingredi, de tosta destillatam, aurium & nervorum doloribus mederi; glabro capiti illitam capillos restituere; cum pinguedine anseris, succo rutæ, absynthii, hederæ terrestris, & Cynoglossi subactam, ad vulnera præstantissimam esse: Fumum ex salitarum cute exceptum; tormina ventris ex dysenteria sopire; in vino putrefactam vini tædium parere. Eviscceratam, tusam, & in olla vitrea coctam, cum pinguedine ac liquore, qui in fundo vasis remanet, hæmorrhoidum cruciatus egregiè lenire. Cingari Anguillas Equis per anum inserunt, ut obesiores, & agiliores videantur, Hippiatri quidam equo asthmatico Anguillam vivam ori inserunt, ut per intestina elabatur. Alii & parvam imponi jubent purgationis causa. Nec propterea mortis periculum esse aiunt: quin Gesnerus asserit nautam sibi notissimum vivam integram deglutiisse, integram per alvum, vivam reddidisse. Idem author est, aliquos aureum & cholobaphicum colorem ex felle Anguillarum, aliorumve piscium vel boum parare: miscere autem aceti modicum & cum creta subigere in massam. Prætextatos earundem tergore verberari solitos Verrius teste Plinio tradit, & ob id multam his negat institutam. Prætextatos appellans impubes, eos nempe qui frugem aratro quæsitam nocte furtim secuissent, aut depopulati essent.

Plin. H. N. l. 9. c. 23.

CAPUT V.

De Orbe.

TAB. XXIV. 9. 10. 11. 12.

HUjus piscis solus *meminit Plinius.* Durissimum esse piscem, *inquit*, constat, qui Orbis vocetur: rotundus est, & sine squamis, totusque capite constat. Gesnerus Apuleii, *Cranium* esse opinatur, quod ad cranii formam magnitudine, rotunditate, & dentibus humanorum similibus accedat.

Plin. H. N. l. 32. c. 11.

Aldrov. de Piscib. l. 4. c. 15.

Tria ipsius genera descripsit Rondeletius, *quartum* addit Aldrovandus. *Primus* qui Orbis simpliciter figura, si caudam demas, sphæricus est. Squamis prorsus caret, cuteque tegitur admodum dura; quam asperam efficiunt aculei duri, quibus tota cõsperfa est. *Rostro* caret: *Capitisque* nullum apparet vestigium, quin (ut Plinius ait) totus capite (malim ventre) cõstare apparet. *Os* habet parvum, dentes vero magnos & latos, utrinque binos. Supra os duo exigua sunt foramina, olfactus, auditusve instrumenta: *Oculi* mediocres. Circa corpus medium unica est & semicircularis utrinque *branchiarum* scissura; prope quam etiam utrinque unam haud magnam, sed rotundam pinnam habere Salvianus ait, & in icone exprimit. Rondeletius unicam esse ait, ut in Caprisco. Hic & in summo dorso pinnulam pingit qua Bellonii icon & Salviani quoque caret, & ipse in descriptione non meminit. Eam tamen etiam videre est in icone ad sceleton effecta à Gesnero, quæ hic exhibetur. Posterior corporis pars in *caudam* brevem & rotundam, inque latam & fere lunatam pinnam desinentem degenerat; in cuius parte media atque superiore, pinna una erigitur, altera quoque inferiori parti hæret. Color ei cineraceus, lineis quibusdam latis & obscurioribus ex pisce medio exortis posteriorem eius partem ad caudam usque pingentibus. Est maris Ægyptii accola, ex quo Nilum quoque subit, & in eius ostio, quod Saiticum vocatur, capitur. Ob insolentem corporis detractum corium tomento impletur, & in domibus ornatus causa suspenditur; suspensus, rostro cæti partem à qua flat ventus indicat. *Alter Scutatus seu Scutifer* dicitur, & in Septentrionali Oceano capitur.

Aldrov. de Piscib. l. 4. c. 16.

Est corpore terete, mucoso, capite magis exerto quam superior: oris scissurâ majore, dentes in eo sunt plures & minores; oculi parvi, & exquisite rotundi. Branchiarum rimam multo majorem habet: intra has pinnas duas. Subest prosterno os illud, quod scuti specie esse diximus. Neque prona neque supina parte pinnas habet, cauda in unam latam desinit. A capite ad caudam usque ossa ovi figura disposita sunt interquorum intervalla aculei interjacent. Piscis est rarus & non edulis. *Tertius* est *Echinatus sen Muricatus*. Aculeis totus hic Orbis riget, ut manu tollere non possis, nisi cauda extrema apprehensa, Capite est multo minus exerto quam proximè descriptus, corpore magis rotundato & majore, in quo nullæ sunt pinnæ præterquam in cauda, quæ in unam desinit. Sunt qui Hystricem ab aculeis, non inepte appellent. Possit etiam nonnullis videri Æliani *Sagittarius*, quem rubri maris piscem esse scribit. Sagittarius in eo mari procreatur, & quoniam erinacei speciem & similitudinem habet; firmis & bene longis armatur aculeis. Sed de hac re judicent ij, qui maris rubri pisces viderunt. Nihil temere de rebus parum compertis affirmare volo. *Quartus*, quem Aldrovandus dedit, quod ad oris figuram potissimum cum Scutato convenit, *Stellatus* sive *Asterias* cognominatur, quod totus conspersus sit stellis seu asteriscis: differtque à cæteris, quod neque ad branchias, neque in caudæ exortu pinnas habeat, sed ultra tergoris medium, nisi pictoris id incuria factum sit. Pinnæ etiam caudæ in extremo viridi sint colore.

Aldrov. de Piscib. l.4.c.17.

Ælian. H.A.l.12. c.25.

CAPUT VI.

De duobus piscibus Orbibus annumerandis.

TAB. XXIV. 13. 14.

OBlongi quidem hi Pisces sunt, Orbibus tamen, annumerari posse censet Gesnerus, tũ quod mucrones ut illi in corpore eminentes habent, tum quod à muco, quem similiter ore emittunt, vulgo *Snottolf* quasi *Myxini* aut Mucones appellantur. In *prioris* effigie color erat circa dorsum, qualis in terrestribus ranis videtur: circa latera & inferius ex subcærulco & viridi permixtus. Antverpiæ cinereo colore capi audio. Sic ille. *Alterũ* & hic quoq; depictum, Snottolfi nomine missum, ex icone, sive ea, inquit, naturalis, sive aliqd etiam in ea artificiosum est, sic delineavit. Longa est dodrantem & palmos duos, lata palmum unum, circa medium præcipue ad caput attenuatur, sed magis ad caudam: *dorsum* medium fastigiatur, punctis notatur variis, subrotundis, & eminentijs exasperatur triangulis, per tres aut quatuor ordines digestis per intervalla. Oris hiatus, figuram fere ovalem refert. Pinnæ ad branchias binæ, una in fine dorsi, altera in fine ventris, inter quas corporis pars extrema veluti discreta, & articulo distincta videtur. *Cauda* tripartita, sive natura, sive potius arte. Mucosus admodum est, inquit ille qui misit; non ossium, non carnium quicquam habet: mucoso tantum lentore expletur. Captu difficilimus. Nam ubi hamum vel retia senserit, suum illum mucum evomendo, lubrica reddit omnia, contractoque orbem exuvio prosilit. Mollem quidem & mucosam carnem, & eminentias trigonas, cum aliis Snotolfis communes habere videtur.

CAPUT VII.

De Holosteo Bellonij seu Ostracione Gesneri, & Catan.

DEhoc Pisce sic ex *Gesnero & Bellonio Aldrovandus*. Hunc quoque è mari Nilum subire, etsi ignoremus, marinum tamen esse ex corii duricie cõjicimus, qua testã fere ostreaceorum imitatur, unde cum ob hoc, tum quod ὀστρακίων à Strabone inter Niloos pisces

TAB. XXV. 7. 8. 9.

pisces numeratur (in vulgaribus Strabonis codicibus impressis legitur σεγκίων, sed interpres Latinus ὀστεγκίων legisse videtur, vertit enim ex testaceis, imperite: & in epitome scribitur ὀστεγκίων.) Gesnerus *Ostracionem* hunc piscem nominandum conjicit. Bellonius vero non aspernando nomine *Holosteon* appellavit, quasi totum osseum. Forma (inquit hic) ad pentagonum accederet, pedalis interdum longitudinis. Incolæ ab interaneis protinus emundari curant, deinde vero testam eam duram (testaceum corium) qua contegitur, multos annos incorruptam servant, ut inde lucrum consequantur, quod à negotiatoribus externis novitatis gratia huiusmodi piscis emi sit solitus.

Cæterum dum vivus est penicillum in *cauda* habet, & *pinnas* supra & infra caudam: ac rursus pinnam aliam utrinque; oculos albos, os parvum. Color eius lacteescit, & velut in pallidum languens. Is quem ego in musæo jam multos annos inter rariora reservo, & hic depictum ostendo, ab eo ꝓ supra rostrum conspicitur tuberculo (nasum appellare liceat, piscē ipsum ab eo *Nasum Niloticum*) ad extremam usque caudam vix implet duos dodrantes. Totus est *pentagonus*, totusque item ex articulis fermè pentagonis (ut icon ostendit) constat, qui coctione, imo per se temporis diuturnitate dissolvuntur. Branchiarum scissura semicircularis: juxta quas utrinque pinna est, parva quidem si corporis magnitudini comparetur, sed perquam robusta: post podicem alia similis planę sed brevior. Uropygium totum cutaceo corio tegitur, ut quod mireris, in ostreaceum totius corporis tegumentum ita inseritur, ut à lateribus ei annecti non videatur; quin haud aliter corpori affixum est, quam navi clavus; oportuitque cutaceum esse, ut mortui promptus, idoneusque foret. *Oris* rictus ꝓ corporis portione exiguus; in quo dentes utrimque fere octo, non absimiles dentibus murium. Utraque maxilla cutaceo etiā, nō ostreaceo corio quod ad modum ineptum fuisset, constat.

Habes hic *huius generis piscem alium* æque duro tegumento præditum, sed qui dimidio minor est, nō pentagono corpore, sed ventro triplo quam tergore, latiore, lateribus quodammodo concavis: cuius item articuli nō pentagoni, sed ferè rotundi, & orbiculati, & in singulis asteriscus venustissimè spectabilis. Eminentia quæ in medio *dorso* est, non pinna, sed plane ossa substantia gibbi specie. *Pinna* vero in eius conspicitur extremo. Cætera superiora similia habet, præterquam quod naso (ut vocabam) caret, & oculi sub majoribus tuberculis latent.

HISTORIÆ PISCIVM

LIBER III.

De Piscibus fluviatilibus.

TITULUS I.

De Piscibus fluviatilibus squamosis.

CAPUT I.

De Trutta fluviatili.

ANtum de Piscibus ἀναδρόμοις & καταδρόμοις. Fluviatiles sequuntur, & hi *vel merè tales, vel qui etiam in alis dulcibus aquis vivunt, vel lacustres.* Inter *Fluviatiles* eosque squamosos primus est *Trutta*, Ambrosio *Trocta*, à trudendo Platinæ, quoniam semper in adversum & impetuosum flumen nitatur, adversas undas superare. Itali *Torrentinam*, quod in torrentibus & rivis montanis abundet vocavere. An veteribus fuerit cognitus incertum. *Theodonem* Ausonij Figulus putaris; Rondeletius, Gillius, & Bellonius *Salarem* eiusdem. Jovius *Lupum varium* Columellæ, Gesnerus Athenæi *Pyruntē*. Figulo obest, quod Theodonem, Salarem, & Farionem unum piscem faciat. *Salarem* parvum esse Salmonem superius dictum, & Poëta clarissimus

TAB. XXVI. I.

Aldrov. de Piscib. l. 5. c. 12.

clariſſimè indicat. Nec *Trutta Lacuſtris* ſeu *Salmonata* erit, cum hæc in lacubus naſcatur. Lupos inter duos pontes in Tyberi capi diximus: Truttas ſuburbani amnes ex Reatinis Sublaqueaniſque quotidie ſuggerunt. Illi frigus vehementer pertimeſcunt, frigidiorib⁹ duntaxat locis gaudent. Quod verò Ælianus in Aſtræo Macedoniæ fluvio piſces τὴν χρόαν κατασίκτους gigni, & peculiares quaſdam muſcas circa ſummam aquam volitantes appetere; piſcatores, pro his muſcis purpuraſcente lanâ hamum veſtire, & gallinaceas pennas duas cerei coloris addere, ut piſces decipiant, prodidit, egregiè Truttis conveniret, ſi nomen additum fuiſſet.

Ælian. H. A. l. 15. c. 1.

De *Pyrantibus* credit Geſnerus Mneſitheum apud Athenæum loqui, cum ait. Ex fluviatilibus optimi ſunt, qui in rapidiſſimis fluviis verſantur, οἱ τε πυρῶνες. Hi enim non gignuntur niſi in rapidis & gelidis fluviis & facilius quàm cæteri fluviatiles concoquuntur. Convenirentque iſta Truttæ niſi Cauſabonus pro οἱ τε πυρῶντες ſcribendum eſſe οἱ τε ὑπὸ ῥεῦν ἰόντες, ita, ut ſenſus Athenæi ſit, optimos ex piſcibus fluviatilibus illos eſſe, qui in fluminum locis, qua maximè aquarum impetus vergit, quæque rapidiſſima ſunt, quod plus exercitii habeant, vivunt, putaret. *De ipſarum Forma ſic ſcribit Aldrovandus.*

Sunt Truttæ & Salmoni multa cõmunia; forma nẽpe tota, & corporis partes externæ & internæ: *caro* rubicũda, *ſquamæ* exiles, *maculæ* ſeu pũcta, magnitudo, formæ mutatio, circa roſtrum præſertim, ac ſimul nominis: (in Truttis Salmonatis peculiariter) aſcenſus ad ſummas aquas ſaltuum vis & agilitas, ſuavitas in cibo: quamobrem non eſt mirum ſi ex Truttis illis, quas Germani Lachſzforen appellant, aliqui ætatis progreſſu Salmones fieri putaverunt: *Pinnis* etiam quatuor natant, quemadmodũ Salmo. *Cauda* vero maximime invicem diſtinguuntur. In Salmonibus enim ea gracileſcit, in Truttis ſemper lata eſt: in illis pinna caudæ longa & bifida, ut in Aloſis; in Truttis brevis & non diviſa. Hic accedit roſtrum acutius in Salmonibus, quam in Truttis. Rurſus *partibus* internis à Salmone & Umbra fluviatili non differunt, niſi quod ventriculi appendices plures & evidentiores habent. Cardanus formam Truttis omnibus communẽ eſſe tradit, quod quidem de fluviatilibus verum fuerit: nam quæ Salmonata cognominatur, non parum ab iis differt, ut cuilibet icones conferenti notum eſſe poteſt. Quæ flaveſcunt item & nigricant, ab *albis* differre Rondeletius teſtatur, quoniam illis roſtrum ſit acutius, & veluti in fronte macula nigra. Præterea albas minores eſſe & carne minus flaveſcente.

Fluviatilis, corporis forma Lupo (inquit Salvianus) perſimilis eſt, roſtro tamen minus extento, magis retuſo & paululum recurvo. Ore etiam paulo minore. *Albæ* teſtante Rondeletio capite Mugilem quodammodo referunt: brevi nimirum, ſubrotundo, carnoſo, vel potius pingui, coloris lactei. Maxillæ & lingua acutiſſimis dentibus armantur. *Sylvius ſex* eorũ ordines eſſe ſcribit, primum labris connatum, alios quinque à labro in pharyngem abſcedentes; in quo tamen dentes ſint in contrarium hamati, & qui cibum ex ventriculo regredi prohibeant. Idem ait, branchias utrimque quatuor dentibus humatis & aſperis & duris contumaces habere: quæ verba non ſatis percipio. Cardanus & Bellonius ſex inquiunt in lingua dentes habere: addit Cardanus & certo ordine diſpoſitos: ſcilicet duos ante, totidem in medio, ad latera poſitos reliquos juxta radicem. Qui vero in oris rictu ſunt, eorum Bellonius, quinque ordines in ſuperiori parte palati facilè poſſe ſcribit denumerari. *Pinnas* duas ſub ventre ſuperiori tergoris oppoſitas, & duas ad radices branchiarũ habet, unã rurſus verſũ caudã, pxime ad anũ, q̃ idem è regione eſt ſuperioris indorſo, quæ longo minor eſt & cutacea. *Oculos* habet rubẽtes. *Corpus* ſquamis parvis tegitur, & cute quæ facile rugatur, & carne divellitur, abſcediteq̃.

Dorſum,

Dorsum, imo totus fere piscis ex albo flavescit guttis, quales diximus. *Cauda* in brevem & latam pinnam degenerat. *Pinna* tergoris, iisdem quibus corpus maculis consperſa est. Cubitalem magnitudinem non excedit.

Differentias à coloribus duntaxat sortiuntur. Bellonius ex Rilla Neustriæ flumine variis notis pictas videri, aliis atque aliis multum diversas, tametsi in eodem tractu cæperis, scribit. In Santonum & Boiorum fluviis, reperiuntur, ut Rondeletius prodidit. Captam alicubi flavi coloris & admirationi fuisse, apud Gesnerum legimus. Subnigræ, maculis rubentibus notatæ, quem colorem ex senio contractum, quod eæ maximæ sint, Rondeletius putat, in Misnia sunt vulgares. Sunt ibidem *Lachsforen* dictæ, nomine ex Salmone & Trutta composito, quæ aureis maculis pinguntur. Subnigras rivi ad Crottendorfum, & fluvius quem Nigram aquam vocant; Suarceburgum oppidum alluens, alit. Multis in locis optimæ reperiuntur; & quamvis in maioribus fluviis reperiantur, in minoribus tamen frigidioribus, saxosis & inter montes delabentibus potius quam contra se habentibus, nasci & degere constat. In altis item montium rivis, etiam tenuibus & exiguis aquis, Truttæ satis magnæ & pulcherrimæ habentur. Ascendunt enim altissimæ, cum & contra aquam luctari magna vi, & saltu se promovere, ad tres vel quatuor ferè cubitos interdum, in ascensu queãt. Ex quibus efficitur, ut haud falsa esse credamus, quæ de iisdem Paulus Jovius scribit; eas adversos amnes vel è præruptissimis etiã cautibus decidentes, incredibili impetu subire. Ab Nare enim fluvio in Velinum lacum, qui hodie Pedelucus est, stupendâ velocitate volucrum modo ascendere credi: qui lacus ab altissimo montis vertice certis primo coarctatus angustiis, & mox tota aquarũ mole præcipitatus, nec subjectis quidem cautibus madefactis, veluti è cœlo in ipsum profluentem Narem effunditur. Idem in Gardonis fluviis fieri experientia docuit.

Vescuntur aquarum dejectamentis, phryganiis vermibus, locustis aquaticis, & piscibus. Percarum sobolem, Fundulos, & Phoxinos lævès, tantâ sæpè aviditate appetunt, ut supra aquam elatæ inscaphas aliquando incidant. *Auro vesci* vulgus credidit. *Pariunt* mense Octobri, in modicis quas excavavere scrobibus. Laudantur vehementer in *Cibis*, maximè si in frigidioribus & purioribus amnibus procreatæ sunt.

Quæ adverso eorundem impetu fatigantur, atque occurrentibus in æqualium vadorum petris illiduntur castigatiora sumina, & aridiusculas carnes ostendunt, sed recenter captæ comedi debent: mortuæ enim paucissimis horis, quia ob pinguem teneritudinem ocyssimè putrescunt, saporis gratiam amittunt. In Malacca regione Indiæ, salitæ ad commeatus servantur; Cajuba vocant.

CAPUT II.

De Trutta fluviatili altera.

HVCH apud Bavaros (inquit Gesnerus) nũcupatur piscis boni saporis, Truttis non nihil cognatus, cũ alias ut pictura ostendit, quam ad vivum expressam Achilles Pyrminius Cassarus, præstantissimus Augustæ Vindelicorum medicus ad me misit; tum quod pinnulam illam adiposam similiter in fine dorsi habet, & punctis variatur: sicut & icon nostra, & quæ in libro Bavaricarum constitutionum publicato habetur, præ se ferunt: in quo etiam mensura huius piscis proponitur, duodecim aut tredecim digiti, quibus brevior vendi non debeat. Augustæ, ut audio hic piscis vocatur, ein Rot/Rottle/à colore rubicundo, quæ nomina nostri Vmblis (ut Sabaudi nominant) lacustribus tribuunt. Voracem esse aiunt, in cibo Truttis inferiorem.

TAB. XXVI. 2. *Aldrov. de Piscibus l. 5. c. 13.*

In

In Carinthia Huchæ rubræ (Rot Huechen) quædam cognominantur in fluviis, eas Salmoni comparant: carne etiam rubrâ & boni saporis esse aiunt, & saliri ut inveterentur, solere: quod quomodo fiat Balthasar Stendelius ad finem lib. 4. Opsopœjæ suæ Germanicæ docet. Colores huius piscis in pictura nostra huiusmodi fere apparent. Aureolus color passim aspersus est, copiosius tamen circa branchias & oculos. *Pinnæ* circa branchias rubicundæ sunt: cæteræ omnes, sicut & *cauda*, fuscæ & maculosæ punctis partim nigricantibus, partim aureis. *Dorsum* fuscum est, utrimque ad Indicum vel cæruleum colorem vergens, ubi & punctis nigris creberrimis distinguitur. *Linea* nigra & recta fere à branchiis ad caudam fertur. Latera media maculis quibusdam subcæruleis per intervalla distinguuntur. *Venter* candicat. Circa *rostrum* & branchiarum opercula roseus fere color, &c. in capite etiam viridis aliqua ex parte. Huchas istas quidam icone nostra inspecta in quibusdam Germaniæ locis alii, in piscinis nobis referebant: & in Traga flumine Carinthiæ reperiri, ætatis progressu in Salmones converti (specie rostri nimirum) sicut & lacustres Truttæ, quanquam & aliæ Truttæ Salmonum speciem præ se ferunt.

Caput III.

De Thymallo.

Tab. XXVI. 3. 4. *Aldrov. de Piscib. l. 5. c. 14. Ælian. H. A. l. 14. c. 22.*

THymalli solus Ælianus inter Græcos, Ambrosius inter Latinos mentionem faciunt. A Thymo quem olet ita dici, Salvianus contendit. Bellonius Thymum vocavit. Itali Temarum, quasi temerarium, quod stolidus piscis, dicunt. Truttarum generis esse, cum pinnarum situs, tum totius corporis figura indicant. Eratque Ælianus Truttis, si eas notas sibi habuisset, potius quam vel Lupis vel Cephalis, quorum communem & mediam speciem similitudinemque gerere scribit; assimilaturus: quanquam & his non absimilis multum: similior interim Mugili, quam Lupo. Caput pro corporis ratione parvum, in acutum tendit. *Os* aperitur nõ longo, sed quadrato ferè hiatu. *Ventre* est prominentiore. Rondeletius latiorem, magisq; ventrosum pinxit, quam par est. *Pinnas* duas habet ad branchias, duas alias in ventre inferiore, à podice unam. In dorso prior magna est, maculis multis pulchrè varia: infra partim nigris, partim subrubentibus, supra rubicundis tantum. *Cauda* in duas latas pinnas desinit. Rondel. corpore ait esse cęruleo: Bellonius verò tergus ex livido in opacum tendere, & Gesn. fuscum id, vel subcinereum facit: Atqui hic exprimitur, Rondeletius scribit: fierique potest, quod vel loci, vel ætatis ratione evariet. Lineas per latera rectas habet, quarum quæ ea dividit à superiori branchię angulo spineo oritur, & rectà ad caudã defertur: sunt & aliæ per totum corpus non paucæ, singulæque per singulos squamarum versus, non rectæ, sed innumeris veluti arcubus, minimis triangulis undutæ; quod veluti operosum pictores nostri, inquit Gesnerus, non indicarunt. Obscurè sanè & in meo pisce quem ad vivum depictum in musæo reservo, pictor eas expressit. Latera præterea modo pluribus modò paucis punctis & lituris nigris temerè asperguntur.

Vidisse se idem Gesnerus in fine Decembris aliquando singulis tantum utrimque ad branchias *lituris* insignem scribit; aliumque initio Junii, uno altero puncto vix apparente. *Squamæ* ex eiusdem observatione, singulæ fere ῥομβοειδεῖς sunt, hoc est, rhombi figuram imitantur. Latera enim, inquit, earumque utrimque circuli segmentum referunt, supra vero infraque in cunei acumen tendunt, quod tamen in iconibus suis expressum negat. *Branchias* habet utrimque quaternas, & ut Bellonius addit, Harengi & Sardinæ modo, solidioribus horrent, uncinatisque ossiculis constant. Idẽ Bellonius *linguam* ostẽdere albam

albam ſcribit, dentibus carere, immo ne ullis quidē rudimentis eorū præditum eſſe: è contrario Geſnerus pro dentibus, inferius ſuperiuſq; labrum exaſperati, limæ inſtar, introrſum ꝓfitetur: & Bellonium haud bene iſtæc exanimaſſe apparet: nam alias *Lavaretum* Gallice dictū piſcem, oſſicula ad fauces atq; Oeſophagi ingreſſum utrimq; habere ſenis hinc inde denticulis ait, ut in Themolo cōminuta; cū alioqui in Thymallis, & in Lavaretis ſuis nihil quicquā tale reperias. *Ventriculum* habet mediocrem, inteſtina craſſiuſcula, pinguedine multa obvoluta; & ut Bellonius ait, apophyſes plures ex pyloro dependent, à quo ſtatim ſequitur inteſtinū unū gracile, rotundum, ꝙ ad rectū tendit, in quo excrementa recipiuntur, & ad anum deferuntur. Idē Bellonius, *cor* tā exiguū habere ſcribit, ut ne in eſſe, ꝙdem ei credatur. *Splenē* Salvian⁹ ſubrubrū facit, Geſnerus in ſuo quē manibus tractavit, ferè nigricare aſſerit. Bellonio teſte hic tā magnus eſt fere in hoc piſce, q̄ hepar, quod in nullo alio piſce (inquit) unquā viderā, oblongus rubra pinguedine mixtus. Unicus hepati lobus eſt, ut idē Bellonius obſervavit, ſtatim ubi gula finit, ſtomachū amplectens. Salvianus *felle* carere putat: Bellonius vero tam exiguum id eſſe tradit, ut vix rudimentū aliquod eius appareat: & Geſnerus quoq; ſuū Thymallum felle caruiſſe negat, ſed flavi vel ſubaurei coloris id habuiſſe. Bellonius folliculum piſcium natationi accommodatum plenum ſemper vidit, ac per ſpinam delatū. Cum maxime augetur, ad cubitalem *magnitudinem*, teſte Æliano, excreſcit: etſi qui crebrius capiuntur, minores ſint, & ut Salvianus ait, libram non excedunt. Longitudo ad latitudinem ferè quintupla eſt, cauda etiam computata, ut Geſnerus advertit in eo quē manibus tractans deſcripſit, latus enim erat digitos tres, longus quatuordecim. *Gaudent* puris frigidis & ſaxoſis aquis, in quibus circa ſaxa reperiuntur: nec ulli magis in mōtanis & præcipitibus fluviis, Truttas ſi excipias, capiuntur.

Ambroſ. Hexam. l.5.c.11.

Gignunt eas in Germania Rhenus, Limagus apud Helvetios, & Floha apud Miſenos; in Italia Ticinus, Abdua & Ambra. In Pado rarius capiuntur. *Victitant* inſectis aquatilibus, dejectamentis mille pedibus, pediculis, caridibus, pulicibus aquaticis ac terreſtribus. Ælianus alia quàm culice eſcâ capi poſſe negat. Volaterranus Thymallo veſci, & ſolus quidē inter ſcriptores, voluit. χρυσοφάγοι, id eſt aurivori dicuntur, ſeu ꝙ minutula auri fragmenta ꝓpter ſplendorē appetāt; ſeu quod cū majori pretio væniant, obſophagorū aurum abſumant, & loculos exhauriant. *De odore eius ita Ælianus.* Eius capti odor non indignam admirationē habet: non n. ut cæteri piſces piſculentum quendā mittit odorem: imo vero exiſtimes te ejus gētilem herbam, recentem ex terra lectā manibus tenere. Tanta ſanè odoris ſuavitate fragrat, ut qui eum ipſum non videt, gratiſſimā apibus herbam, unde nomē duxit, in manu latere putet. Ambroſius de eo, qui graram redolet ſuavitatem, dici facile ſcribit. Aut piſcem olet aut florem: Omnibus ſui partibus cōmendatur *in Cibis*: quibuſdam tamen interiore tunicâ maxime blandiuntur. Circa Albim præferuntur Truttis. In Atheſi & Addua captos tenerrimos Salvianus fecit. *Majo* menſe maxime appetuntur, & loco marinorum ſaxatilium præſcribuntur à Medicis.

Ælian. H. A. l.c.

In Medicina, Adeps hujus piſcis laudatur, tum contra auditum gravem, ſi menſe Majo in vaſculū conjectus ſoli exponatur, & quod diſtillat, auri immittatur; tum contra oculorum pterygia, ungues, ruborem, fervorē, &c. ſi quotidie binæ guttæ cum pinna inſtillentur. Vidiſſe ſe puellā chemoſi affectā Geſnerus inquit, quod malū aliquādo exanthemata puerorum ſequitur, hoc remedio per ſeptuaginta ferè dies continuato, (ut quotidie gutta inſtillaretur) curatam, rubore mox primis diebus ſublato. Addit inſuper, habere & pharmacopolas apud ſuos hunc adipem; & ab iis maxime ad oculorum remedia, ut maculæ in eis deleantur, peti ſolere, deinde etiam ad curandas igne vel aqua aduſtas partes.

CAPVT IV.

De Vmbra fluviatili.

TAB. XXVI. 5. Aldrov. de Piscib. l. 5. c. 15

VMbræ fluviatilis Ausonius ex veteribus in Mosella sua meminit, Gesnerus pro eadem cum Trutta fluviatili, quod ista in Mosella inprimis ubi se in Rhenum exonerat abundet, accepit. *Rondeletius ita descripsit.* Piscis est non solum nomine, sed & colore marinis (Umbris) similis, à quo utrique nomen. Corpus enim est opaci loci modo subfuscum & subobscurum, cubitalem magnitudinem non excedens. Galli Narbonensis, demptis Monspeliensibus, Umbram vocant. Piscis est ex Truttarum genere, Carpioni Italico corporis aspectu affinis. Pinnis & earũ situ à Trutta non differt. Duas itaque ad branchias habet, duas in ventre, ab ano unicam, in medio dorso priorem majorem, posteriorem minorem, subrotundam, & pinguem, squamas parvas, & maculosas similiter habet. Carnis substantiam, partesque internas omnes easdem. *Capite verò à Truttis differt*, quo Carpioni (Italico, Gesnerus) similis est: capite enim longiore est, quam Trutta, ore minore nec tam hiante, rostro non acuto, sed obtuso, maxime in maxilla inferiore, sine dentibus, & sine magna maxillarum asperitate. *Oculis* est patulis, cornea tunica aurea, pupillâ nigrâ. Corpus à medio sensim gracilescit, in caudam latiusculam, & pinnam bifidam, latissimam deficit. A branchiis ad caudam linea recta (hanc in pictura non expressit) per medium corpus producta est. *Branchiæ* intus sunt quaternæ; *Ventriculus* longus & spissus pinguitudine quæ lacte candidior est, obductus, à quo multæ apophyses pendent. *Hepar* rubet, cui alligata est fellis vesica, *fel* nigerrimum est, *splen* longus & niger. *Intestina* sine gyris ullis ad anũ demissa sunt. *Vescitur* terrâ, aquâ limo, unaque, cum his, & cum arena auri laminulas haurit: ob id vulgus auro nutriri Umbrã credit: & revera in ventriculo & intestinis aurum reperiri certissimum est. Carne est sicca & alba, qualis est Truttarum parvarum caro. Hyeme latet: æstate cum Truttis capitur: cui cum insucco & substantia, permultisque aliis similis est, Truttarum generi & tractationi subjecimus. Pura aqua maxime delectatur. *Hæc Rondeletius*, nulla coloris facta mentione, quem Bellonius non tacuit: totum hunc piscem sub ventre argenteum, esse scribens: dorsum verò tersissimum habere ex livido opacum.

CAPVT. V.

De Barbo.

TAB. XXVI. 6. Aldrov. de Piscib. l. 5. c. 16.

BArbi quoque solus inter veteres Ausonius meminit. Nomẽ ei Cutaceiilli Cirri quæ barbæ quodammodo similitudine ex utroque huius piscis labro dependent, fecere. Bellonius haud incongruo vocabulo *Mystum* vocat, & Græcorum vulgo *Mystacatum* vocari scribit. Sunt qui cum Mullis marinis piscibus, qui & ipsi barbati, confundunt. Corporis figurâ Mugiles fere refert, aut Squalos, nam si latitudinem spectemus, oblongiusculus est rotundus, in laterâ modice cõpressus. *Differt à Mugilibus*, quòd pinna quæ in medio dorsi, firmiori aculeo innixa est: pinnę ventris magis sunt flavæ; caudæ pinna rubescit: Rostro item est longiore & acutiore, cartilagineo & pingui. *A Squalo* etiam perspicuis quibusdã notis differt. Nam cum in extremo rostro Squalo sit os, infra rostrum in inferiore parte illud Barbus habet; unde & superior eius maxilla paululum prominet: Labra item longe crassiora sunt quam Squalo, caputque compressius. Postremò è superioris rostri extremo duæ appendices, ex lateribus duæ aliæ propendent: quibus & Squalus & Mugiles carent. Est autem appendiculum earum substantia cutacea quidem, sed mollis, lubrica, teres, subrubra. *Venter* est colore lacteo, latera argenteo. *Dorsum* ex albo flavescit, nigrisque quibusdam ac parvis maculis conspergitur. *Branchias* habet quaternas: quarum rima admo-

admodum parva est: quamobrem extra aquam satis diu vivit. Ab iisdem linea ad caudam porrecta, minus evidens est, quam in aliis. *Dentibus* caret. *Oculi* parvi sunt, pupilla nigra, quam ambit aureus circulus. *Fel* adhæret jecori. *Intestina* in spiras contorta, plurima pinguedine oblita. *Vterus* oblongus est & bifidus, ovis innumeris refertissimus, cum prægnans est piscis. Pondere plerunque libræ unius, quandoque duarum, raro trium. Salvianus ad octo libras excrevisse observavit. Bellonius frequenter in Nilo capi testatur, sed quo modo Lucius Italicus, inquit, à Gallico differt, sic Nili Mystus à nostro dissidet. Noster enim Mystus oblongus est, & quasi teres: Niloticus vero crasso & recurvo est corpore: Eiusdem tamen coloris sunt: & eodem modo barbis quatuor, seu mystacibus exornantur. Niloticus nostrum Cyprinum ipsâ formâ ferè æmulatur: ventrem enim habet expansum. Tantâ crassitudine in Nilo proficit, ut eum Memphis libras viginti pendentem viderim; quo in loco Mythus vel Mystus dicitur.

Bellon. de Piscib. l. 1.

De *Loco eius & Natura* hæc Aldrovandus habet. In lacubus quidem nascitur; sed cũ multo frequentius nascatur in fluviis, fluviatilis potius, quã lacustris erit dicendus. Scribit Salvianus paucos esse lacus, qui Barbis abundent: plurimos vero esse qui eis carent: contra in omnibus fluviis gigni atque ali: ideoque iure inter suos Mosellæ pisces Barbum recenseri ab Ausonio. Albertus author est, à piscatoribus sibi relatum, ova ab eo custodiri, ne ab aliis devorentur: additque se observasse in cavernis domus suæ ad Danubium sitæ, quotannis post æquinoctium autumnale congregari hosce pisces, tantaque copia convenire ut manibus etiam capiantur, ita ut meo tempore, inquit, incolæ loci aliquando decem plaustra fere manibus eiecerint. Nam hoc genus piscis frigus non sustinet: quare semper languidus hyeme invenitur; æstate verò mundus & sanus est. Hæc ille. *Vescitur* algis, cochleis & piscibus, & ne suo quidem generi parcere dicitur, Albertus cadaveribus capi quoque scripsit. *Degunt* gregatim, *parituit* ineunte æstate prope litora. Gesnerus ex piscatorum observatione sub collibus & ripis prominentibus libenter versari asserit, & porcorum instar fodere, ita ut aliquando in cavernis inhæreant, & pereant: pinnasque eorum ab hirudinibus nonnunquam infestari, quas saxis affricantes in fundo aque depellant, aut rapidiora fluminis loca petant, ut aquæ impetu elidantur. Apparet verò cum Squalis quandã occultam exercere *amicitiam*. Nam quemadmodum in quovis lacuum, fluminumque Barbus, ibidem fere semper, & Squalus reperitur; ita è contrario ubi Squalus, ibi semper etiam Barbus, ut Salvianus refert. Claustra fert, & in piscinis æque & Squalus parit & pinguescit.

Quoad *usum in cibo* Cardanus eum omnino reiicit. Aliis, si in saxosis & puris fluminibus capitur benè sapit, concoctu est facilis, laudati succi, carnis candidæ & mollis, sed plurimis spinis firmatæ. Majo circa Rhenum ad Julium laudari, Augusto in Helvetia, Gesnerus prodidit. Salvianº ineunte vere sapidiores dixit. Ausonio grandiores natu, majore in pretio. Nonnulli propter mollem carnẽ vino prius imponunt. *Ova* venenata, Majo inprimis mense Platina author est. Gazius scribit, cum experiundi gratiã duos duntaxat de ovis hisce bolos comedisset, nihil inde aliquot horis postea noxæ percepisse: demum sub horam cœnæ, plurimam in ore ventriculi sensisse inflationem, quam ut dissolverẽ, inquit, anisum sumpsi, sed frustra. Post horam faciem apparuisse tanquam in syncope, ita ut astantes & admirari, & de mea salute timere inciperent. Se interim magnam non solum in stomacho & ventre, sed omnibus membris externis alterationem, & inæqualem quandam intemperiem in una quaque carnis parte sensisse. Tum supervenisse passionem cholericam, donec infra supraque simul pluries ova purga-

rentur, magna cum anxietate & virium prostratione, & maximo vitæ periculo. Idem apud Gesnerum invenies. Sunt qui credant tum esse malefica, cum salicum, quæ fluviorum ripas obsident, floribus in aquam decidentibus vescuntur; sed quia nec salicibus nec aliis Barbi partibus ista vis, præstat culpam in idiosyncrasiam conjicere.

CAPUT VI.

De Capitone.

ARTICVLVS I.

De Capitone Ausonij, seu Squalo veterum.

TAB. XXVI. *Aldrov. de Piscib. l. 5. c. 17.*

PIscis quem hic descripturi sumus, à magnitudine capitis, *Capito* Latinis dicitur. Apud alias nationes varia invenit nomina, quæ apud Aldrovandum, Gesnerum & Bellonium vide.

Quis sit apud veteres, difficile est dictu, Bellonius *Thedonem* Ausonii, quem nullo spinæ nociturum acumine dicit, Rondeletius Capitonem ejusdem, Salvianus Alburnum Ausonii, & Galeni Lencesium, Aldrovandus Squalum ut Romæ vocatur, esse putat.

Marino Capitoni Mugilibusque aliis corporis figurâ similis est: dorso tamen minus lato & corpore compressiore. In dorso item unicam duntaxat *pinnam* habet, Mugilum verò genus duas, unam videlicet in eius medio, alteram inferius caudam. Mugiles denique lineas quasdam habent subobscuras à branchiis ad caudam productas, quibus carere omnino Squalum Salvianus scribit: unam tamen ei lineam esse Gesnerus profitetur, sed quæ leviter appareat. Idem Salvianus ait habere parvum, Rondeletius contra crassum & magnum: id quod pleræque etiam vulgares nomenclaturæ indicant. Rursus uterque dentes habere negat. Rondeletius os tantum asperum esse ait: Gesnerus verò dentes eius latere in faucibus asserit, maxilla ferè semicirculari, supernè leviter aduncos, ordine duplici, exterius quinos, interius binos. *Dentes* enim ei tribuit Albertus his verbis: Piscium omnium dentes valdè acuti sunt, exceptis perpaucis, qui in lateribus gutturis, mandibulas habent, ut pisces fluviatiles magnis vestiti squamis, Barbellus (at huic squamæ sunt exiguæ) Monachus, & alii quidam. Hi enim habent dentes latos aliquantulum, magis ad conterendum cibum, quam ad dividendum idoneos: quamobrem etiam omnes æquales sunt: & ideo naturâ abscondit eos in gutture, ut clauso ore aqua non suffocet mandentes hos pisces. Tales autem dentes maximè habet Carpo (ut Cyprianus) piscis, *Labra* sunt satis crassa. *Oculi* nigri, in circuitu aureoli; tempora subflava, *Os* rubicundum, *branchiæ* utrimque quaternæ, geminæ colore totus est argenteo: dorsum tamen minus quam venter & latera pollucent. *Squamæ* splendidæ sunt, albicantes, angulosæ, latæ, cute ultra medium obductæ, minimis variante punctis. *Aristis* in carne multis abundat, quarum etiam in Capitone meminit Ausonius, qui item à squamarum magnitudine squameum cognominavit, dum canit:

Squameus herbosas Capito interlucet arenas,
Viscere prætenero fartim congestus aristis.

Gesnerus cum circa Octobris calendas unum ovis gravidum magnum item & præpinguem inspiceret, nullas in eo apparuisse aristas testatur. Quare vel non omni tempore, vel non omni ætate in iis reperiri credendum est. *Ventriculum* parvum habet, intestina parva, *hepar* ex albo rubescens, fel in medio viride, *vesicam* geminam aëre plenam, *peritonæum* nigricans. Circiter libram plerumque implet, aliquando tres & quatuor, aliquando sed rarissimè, octo

Bellon. de Aquatilib. l. 1. octo aut novem. Non tantum in fluminibus sed & in lacubus, sed & iis paucis *degit*. In Lario invenitur, in Constantiensi non item. Ab Ausonio inter Mosellæ, à Bellonio inter Strymonis pisces refertur; sed nec claustra refugit. Dulci piscina inclusus, Varro R.R. l. 3. c. crescit, pinguescit, & prolem propagat. Expressè Varro. In tertia parte quis habebat piscinam nisi dulcem? & in ea duntaxat Squalos & Mugiles pisces? Servari diu & in aqua pura potest, si eandem sæpius mutaveris, vas ad summum repleveris, nec quicquam aliud injeceris, aliàs suffocantur. *Vescitur* cœno & sordibus, ideo un Vilain in quibusdam Galliæ locis dicitur: scarabæis & animalculis, qui in aquæ superficie natant; gryllis quoque campestribus, & uvæ acinis, & muscæ genere, quod propterea Aletmuggen Helvetii dicunt; cerebro denique bubulo, ideò à piscatoribus hamo subtiliter alligatur. In locis littoribus proximis, in fine veris & sub æstatis initium *parit*. Mense Majo parere ab uno latere, ab altero Cerasa quæ Helvetii Amarella vocant, matura sunt postea, aliqui Gesnero teste prodidere. Inter *gregales* esse censentur. *Usum in Cibis* si spectes, inter viles censetur. Carne quidem est candida, sed insipida ac molli, & quæ mox extra aquā flaccescit, plurimis abundans aristis; utrumque tetigit Ausonius dum canit:

Viscera prætenero fartim congestus aristis,
Nec duraturus post bina trihoria mensis.

Improbantur præ cæteris, qui in lacubus, & in magnis cœnosisque fluminibus capiuntur; quamobrem Romæ, quod vel ex proximis lacubus, vel ex Tyberi afferatur, parvi fit, cum aliqui Tyberinus in ligneis vastis diu vivus conservetur. Contra, in limpidis, parvisque ac saxosis fluviis torrentibusque captus, haud omninò aspernari debet; maxime ubi adolevit.

Major enim factus, minus mollis est, ut hic etiam, sicut de Barbo diximus ex Ausonio in senecta præferendus videatur. Commendantur apud nos verno potissimum tempore, cum prægnantes sunt: Alii tradunt per totam hyemem admitti mensis posse, & vere etiam usque ad initium Maij: æstate non probari.

Gesnerus apud suos commendari scribit mense Decembri; placereque circa Calendas Octobris, quo tempore unum ovis gravidum, inquit, reperi: magnus is & præpinguis erat: ova quoque sapiebant palato: nec ullæ apparebant *spinæ*. Idem caput in eo præferri asserit.

ARTICULUS II.

De Capitone fluviatili seu Squalo minore.

FRequens in fluviis est, *inquit Gesnerus*, vulgo nominatus ein Haßle/ in lacu juxta Tugium Gangbaßle/ vel communiori nomine Weißfisch/ quasi albus piscis, item alio nomine Mayfisch/ à Mense Majo, quo præferuntur, quod nomen Alausis, quoque attribui putat. Italicum huius piscis nomen nisi *Stretta* sit, (à corpore longiusculo forte, & stricto, id est, minime lato) in Lario lacu, & in Verbano *Gravetta*, aliud se nescire profitetur. Hæc verò cum scripsisset, piscator Lucarnensis in Verbano vocari ei asseruit; *Letta* vel *Aletta*. TAB. XXVI. 7. Aldrov. de Piscib. l. 5. c. 18.

Conjicitq; eundem fortè esse qui Papiæ *Cabacello* dicitur. Germanicum Haßle/ videtur lepusculum significare, fortè quod agilitate ac celeritate natandi lepores repræsentet. Ipse Cephalos aut Mugiles fluviatiles minores vocat, quod fluviatilem Cephalum sive Squalum magis quam Leuciscos referat, adeo ut icone opus esse neget. Pisciculi, inquit, sunt molles, duos aut tres palmos longi, albicantes, per dorsum in viridi nigricantes, cauda & pinna dorsi glaucis; cæteris rubicundis minimè lati.

Squamulis tenuibus, argenteis, branchiis ternis. Caro eorum aristis referta est, ut & Mugilum fluviatiliū maiorum. Ex his qui in fluvio apud nos capiuntur, oculis rubere audio, qui in lacu non item. Observavi postea lacustres superna oculorum parte flavere.

Dentes in faucibus utrinque conditos habet, ut Capito fluviatilis, in mandibula curva, exteriore ordine quinque majusculos, interius binos minores, omnes fere in summo leviter aduncos. *Parere* incipiunt medio Aprili, vel paulo ante. Suo tempore (Majo & Aprili præcipuè, deinde Junio & Julio: à Majo quidem mense etiam Meyfisch alicubi nominantur) satis grati in cibo, & salubres habentur. Aliquando verò vermes eis innascūtur, (*Ligulas* nostri vocant, & Nestel) & omninò insalubres sunt. Hyeme macri sunt ac minime placent. Fluviatiles etiam lacustribus præferuntur. Elixari debent in vino fervido. Circa initium Novembris ova in hoc pisce reperi, quæ magis quam piscis placebant. Idem *Capitonem fluviatilem* CÆRULEUM cognominant differentiæ causa, quem Germani, Saxones potissimum, *Iesen* appellant. Quidam Alausam interpretantur, sed male, quoniam è mari fluvios non ascendit: Capitur in Albi, & in Danubio quoque, ubi *Ientling* vocatur. Cum Capitone fluviatili similitudinem habet, sed colore est in dorso & in aliquibus capitis partibus cæruleo. Præfertur assus. Germani ad Viadrum Jesitz appellant, Marchici ad Viadrum Jese scribunt: alicubi Bradfisch dicunt, hoc est piscem assari solitum, per excellentiam. Poloni Jaszcz, Hungari Zompo. Non est in magno pretio; neutiquam salubris, quod pinguiusculus sit, & non, saxatilium modo friabilis: suavis tamen satis, quantum ad gustum. Estur frigidus, assus potissimum, quamvis & elixus, & aliis modis. Longitudo eius cubitum non excedit, nec latitudo tres aut quatuor digitos. Post Pascha potissimum capitur.

Aldrov. de Piscib. l.5.c.19.

ARTICVLVS III.

De Capitone fluviatili rapace Gesneri.

HOcgenus Capitonis, Miseni Rappe vocant, id est corvum, ut Kentmannus Gesnero communicata icone significavit, quòd is volucris instar vorax & rapax sit, quamobrem Gesnerus rapacem cognominavit. TAB. XXVI. 8. *Aldrov. de Piscib. 5. c.20.*

Piscis (inquit Kentmannus) est candidus, argentei splendoris, dorso tamen fusco, & subcæruleo, *Squamis* tegitur latiusculis, tenuibus & perspicuis, quibus pellicula tenuis argentei nitoris substernitur, quæ per squamas translucens, piscem velut argenteo illitum ostendit, quales etiam cæteri pisces, quos communi nomine albos cognominamus (Weißfisch) apparent. Piscis est longus, crassus, & carnosus: caro *aristis* plena. *Longitudo* ad latitudinem quintupla. *Dentes* ei non in ore, sed in faucibus sunt (ut aliis quoque huius generis) longiusculi, utrinque septeni, è mandibulis prognati. *Ventriculus* & *intestina* simul, piscis longitudinem non æquant. Revolutio eorum triplex est, ita ut in summo ventriculus sit, inde tenuius intestinum incipiens revolvi, duas sub eo helicas efficiat.

Tegit hæc dextro latere *jecur* (in quo vesica fellis longa conspicitur) altero *lien*. Vesica in eo aëre plena, oblonga est, ut in Lucio, Cyprino, &c. Maximi qui apud Misenos capiuntur, ad sex aut septem libras, (XVI. unciarum) accedunt.

Addit Gesnerus sese audivisse *branchias* molles esse, ut in Salmone: *pinnas* coloris è fusco punicei. Nomen à rapacitate tulit.

Est

Est enim velut prædo vehemens in aquis: nec minus ferè quam Silurus (Glanis) & Lucius, aut etiam amplius, damnosus est vorandis piscibus: quos dum persequitur, in ripam aliquando expellit, & simul etiam ipse interdum impetu in siccum delatus, relinquitur. Hic piscis in Albi nascitur, non aliunde subit, & toto fere anno (sed rarius & per intervalla quædam) capitur. A *partu* valde augetur, & pinguescit. *Parit* autem circa annuntiationem Divæ virginis: quo tempore à statutionibus suis catervatim procedunt, magni & parvi: duobus aut tribus diebus ante aut post illum diem: idque ita fore certum est. Quod si nihil impediat, sexaginta, plus, minus, uno retis tractu, interdum capiuntur. Piscis est *callidus* & extra hoc tempus, quo propter partum gregatim natat, difficilis captu: nisi vel nimii ventorum flatus, quo minus piscatores & retia trahenda audiat, efficiat: vel aqua pertubata, visum eius impediat: aliàs enim inter scamna, quæ arenâ accumulant, manet, nec facilè retibus includitur. Cæterum extra pariendi tempus hamo ferè *capitur*, hoc modo. Quoniam vorax est piscis, Phoxinus aliusve pisciculus hamo infigitur, & sic linea per aquam, ultro citroque agitur, eo in loco, ubi huius generis pisces degere conjectura est: Hi cum pisciculo pariter hamũ devorant, & capiuntur. Piscis est admodum laudatus & boni saporis, tum assus, tum elixus. A plerisque tamen parvi æstimatur, quod idoneum coquendi modum nesciant: nam nisi ritè coquatur, sive asses sive elixes, in partes aliquot dilabitur: quod si integrum servare velis, nõ in fervidam, ut alios plerosque pisces solemus aquam, sed ab initio statim in frigidam præparatum immittes, ut pariter cum aqua concalfiat: tum condies, salieque, & adjuris ferè consumptionem coques. Assandum verò, desquamabis, exenterabisque similiter: deinde sale diligenter consperges & perfricabis, & per duas horas in sale relictum, tandem assabis: ita bonus & grati saporis piscis erit.

Sunt qui pisces assari solitos, simpliciter assent, ovis (aut lactibus) solum non exemptis & salviâ infarcta. Alii ova seu lactes, cum hepate & liene exempta, minutatim concidunt; adduntque multum piperis ac caryphyllorum, salem; uvas passas minores, vitellum ovi, hanc impensam in piscem infarciunt; & assant, putantque ita salubriores fieri.

ARTICULUS IV.

De Orfo Germanorum seu Capitone subrubro Gesneri.

ORfum Germani vulgo ein Orff/ genus hoc Capitonis vocant, (inquit idem Gesnerus) quod mihi videre nondum contigit, præterquam Augustæ Vindelicorum olim in piscina quadam, ubi mihi intuenti Cyprini colorem præ se ferre videbatur, aqua forte visum meum mutante. Ibidem depictam iconem clarissimus medicus Achilles Pyrminius Gassarus mihi communicavit. TAB. XXVI. 9. TAB. II. 7. *Aldrov. de Piscib. l. 5. c. 12.*

Dorso est rubicundo, ventre albicante, *squamis* (ut apparet) magnis & latis. Assi laudantur, præcipue Aprili, & Majo mensibus. Linea à branchiis ad caudam, an probè adeo recta (præter plerorumque piscium morem) expressa sit inquirendum. Germanicus liber qui Bavaricas Constitutiones continet, eadem forma piscem hunc delineatum proponit, digitos 12. vel 13. longum, quâ longitudine inferiorem capi non liceat: cum vulgarem Ausonii Capitonem, vel novem digitos longum capere concessum sit: unde hunc (Orfum dico, qui tamen ab Orpho marino pisce toto genere differt) ad molem multò majorem excrescere conjecerim.

In

In diversis Germaniæ partibus aliter atque aliter (proximis tamen se vocabulis) nominatur, Orff/ Erfle/ Norfling/ Wurffling: alicubi etiam Elfr/idem ni fallor. (Apud Hollandos Elfr est Alosa:) Intempestive captum, spinulis seu aristis redundare ajunt. Duorum *generum* hunc piscem esse audio: assatos alios carne alba esse, qui Augustæ vulgo Weißfisch appellentur: alios rubicundâ vel flafescente, Truttæ Salmonatæ instar. Piscem Norinbergæ quoque in Begniza fluvio frequentem esse aiunt; præferri genus illud, cuius caro rubeat: insuperficie discrimen nõ apparere: *squamas* paulo latiores esse, quam in Thymallo: carnem siccam, & friabilem, salubrem, ut vel purpureis concedatur, minus suavem quam Truttarum. Bellonius quoque visa apud me huius piscis effigie, forma ad Squalum (id est Capitonem fluviatilem) eum accedere ferebatur. Piscem audio lautum, & in pretio esse; muscis vesci. Cyprino minus lautum esse, sed crassiorem: non in aquis fluentibus, nec in lacubus, sed in piscinis fermè reperiri, apud Vindelicos, Norimbergæ, & alibi. Sunt qui *Pigo Picone* pisci Larii & Verbani lacus eum comparent: & similiter certo anni tempore è squamis ceu clavos quosdam emittere mihi retulerint. Ad Cyprinos ne igitur magis an Capitones pertinet, judicandum illis relinquo, quibus in promptu hi pisces sunt.

CAPUT VII.

De Leucisco.

TAB. XXVI. 10. 11. 12. *Aldrov. de Piscib. l. 5. c. 22. Galen. de*

LEucisci nomine omne Mugilum genus Hicesio apud Athenæum venire superius, ni fallor, diximus. Galenus suæ speciei piscem *fluviatilem* & *lacustrem* facit. Salvianus Squalum esse, ideò quòd eum Galenus τὴν γεῦσιν ὀξυτέραν habere scribat (sed perperam, Legendum enim est, κεφαλὴν ἔχον μικρότερον καὶ ὀξυχοτέραν) credit; Modernis Græcis *Leucorinus* dicitur. Bellonius, *Albicellam* commodè vocari posse scribit, apud alias nationes, Germanos inprimis, varia sortitur nomina. In Germania, circa Argentinam ein Lauck/ Helvetiis diminutiva voce *Laugele*, quo nomine Gelenus dici conjiciebat (inquit Gesnerus) quasi λευκίλλον, id est Albiculam, tanquam olim sic appellassent Græci, & ab iis mutuati essent Germani. In quibusdam Helvetiorum lacubus, ut juxta Tugium & Bielam *Vvinger* vocitatur, ut à Sabaudis circa Neocomum *Vengeron*. *Alim. facult. l. 3.* *Bellon. de Aquatil. l. 2.*

Diversus tamen ab his piscis est Vangeron in Lemano dictus, cui Helvetii à rubore pinnarum nomen posuerunt. Brelenpes etiam *Onhopt*, id est, acephalos nominant hos pisces: amputatis enim capitibus, siccatos, alio venales mittunt: cum minimi densis agminibus natant. Helvetiis Secien/ id est animæ dicuntur.

Acronii lacus accolæ nominibus variant; *Grasig* Lindaniæ vocant: Vberlingæ *Laugele*; Constantiæ dum parvi sunt, Zienfische vel Grasing: adultiores, *Agonen*, *Agunen*, *Lagenen*. Aiunt enim pisciculos esse vix longiores palmo, *squamosos*, quibus multi abstineant, quod circa latrinas pascantur: suo tempore tamen commendari.

Æstate, inquiunt, innascuntur eis vermes, quos vulgus, *Nestel*, nominant, quo tempore insalubres habentur.

Ova gerunt usque ad Junium, deinde pariunt. Non solum autem inter se, sed cum illis etiam piscibus latis lacustribus, quos Helvetii Rotten vocant, & cum Scardulis sive Cyprinis latis *coeunt*, unde piscis genus enascitur, inter utrumque parentem medium, ein Drittfisch.

Sed

Sed alius est Agonus in lacubus Italiæ, & Germanicum nomen Grasing cavendum, ne quis cum diverso fluviatili piscículo confundat, quem Greszling, vel Kreszling nominant. In Dunensi Bernensium Helvetiorum lacu, *Blauuinling*, id est, cæruleus, hoc genus Leuciscí dicitur: nostri longè aliud lacustre tantum genus sic vocant. *Glyssen* à splendore factum, commune est piscibus illis qui vulgo dicuntur Laugelen aut Suualen.

Squamis mediis tegitur, quæ lineolis distinctæ sunt. Nonnulli cum priore Rondeletii Leuciscó confundunt, sed corporis, inquit hic, latitudine differt, rostroque est acutiore, alioqui pinnis, earum numero, & situ similis est, Romani piscatores à Squalo, teste Bellonio, non distinguunt: neque enim adeò exactè pisces fluviatiles, ut Galli, internoscunt. Etenim Leuciscus aspectu multo hilarior, quam Squalus, minoribusque squamis contegitur. Albo colore nitet, & velutiinter squamas striis rectis interstinguitur. Caudam bifurcam & pinnas albas profert, neque ita latas, ut Squalus. Hic præterea Leuciscó maior evadit. Alburnus eidem similis est Leuciscó; tamen est paulo latiore corpore, & squamis elatioribus, ac labro inferiore melius infarcto. Est etiam nonnihil discriminis in linea, quæ utrinque corpus intersecat: si quidem Leuciscó non tam arcuata est, quam Alburno, & Alburnus rotundiori corporis compage constat, ad Cephalum magis accedente. Bellonius nulla ait habere *dentium* rudimenta, verum fortassis haud diligenter inspexit, Gesnerus namque in faucibus utrinque mandibulam curvam quinis armatam denticulis reperit, ut in Bellero. Albertus utrinque mobilem in faucibus mandibulam habere ait. In Pado (ut Gesnerus observavit) dodrantem nunquam excedit; crassitie fere æquali per totum corpus, à capite ad usque caudam. *Os* aperitur in oblongum, nec prominet mandibula superior. Addit item Gesnerus apud suos paulo maiores capi in fluvio quam in lacu; longiusculos esse, non latos, Haselis non dissimiles specie, paulò breviores, si bene meminit: Dorsi colore esse fusco, flavo, & viridi ferè permixtum esse. *Pinnas* albicare, vel nimium ruffi admixtum habere, lineam qua terminatur laterum color, instar iridis resplendere ex flavo & viridi calore. Rondeletius quoque ex fusco partim viridem esse, partim flavum dicit, *ventriculumq.* habere parvum, hepar magnum, & in hoc fellis vesicam: denique multum *pinguescere*. Quo loco in cibis haberi debeat, apud Galenum legimus, qui conditam seipso meliorem effici, quod quicquid in sapore est mucosi abjiciatur; meliorem recentem, diutius in muria servato, scribit. Testatur Bellonius, nondum provecti magnum numerum veris initio capi, modicoque sale conspersum atque exiccatum, Byzantium deferri, vendique Maio, Iunio & Iulio mensibus. Eorum capturam maiorem fieri ex Epiri lacubus, Venetosque his maximè uti, ad seque navibus adferri curare, & eodem vocabulo cum Epirotica lingua, quæ Scouranicos dicit, Scourancas nominare: quæ cum Leucorinis, inquit, maiores sunt: ambo tamen pisces sale conspersi & fumo infecti atque exiccati, ad exteros mitti, ut nostri Harengi foreti, consueverunt. Sic Bellonius. Gesnerus commendari scribit Aprili & Maio mensibus, Februarioque non insuaves invenisse, quo tempore lactes in mare pleni erant, eodemque mense à suis laudari. In Italia quidem, hyeme inprimis capi. Veru tostos, sale, aceto, olivo, pipere, & cinnamomo conditos Grapaldus laudat: & Rondeletius denique molli suavique carne esse tradit, & pinguedinem eius aurium doloribus succurrere, & cum felle eiusdem permistam oculorum caliginem abstergere.

Bellon. de Aquatil. l. 2.

CAPVT VIII.

De Leuciſco primo Rondeletii.

TAB. XXVI. 11. *Aldrov. de Piſcib. l. 5. c. 23. Bellon. de Aquatil. l. 2*

HÆc Leuciſci ſpecies, in Italia *Laſcha*, in Gallia *Hardon*, quod facilè per longum tempus in vaſculis aquatilibus ſervari poſſit, alibi apud Italos *Dorada*, quod in eo tractu caput eius aureo colore fulgeat, Helvetiis Roterigle, quaſi *trytrophtalmos* dicitur. Bellonius *Sargum Sargonemve*, qui inter marinos Mugiles fluvios ſubeuntes, ab Ariſtotele recenſetur, perperam voce cavit. Capitoni ſeu Cephalo fluviatili corporis aſpectu, pinnarum numero, ſitu, figura, ſquamis ſimilis: ſed capite eſt minore, corpore latiore. Dorſo cæruleo cervice vireſcente, ventre candido, oculis flaveſcentibus. *Dentibus* caret. Imò palato oſſa habet. Bellonius ad Cyprini magnitudinem unquam accedere negat: aitque corpore quam Squalus, compreſſiore eſſe, pinnasque habere ſubrubras, parvos item Gardonos pinnam caudæ longiorem exerere quam Leuciſcum: (ſic vocat piſcem proximè præcedentem) & antequam in extremum pinnæ, quæ bifurcata eſt, deſinat, rotundari: Latiuſculis *ſquamis* contegi, ipſoque capite magis ad Leuciſcum quam ad Squalum accedere. Oblongius & paulò craſſius habere corpus, quam Abramis, ac denique tergore eſſe magis quam Squali nigricante, & auri colorem referente. In Ambra Melegnarum alluente numerosè *capitur*. Sed & Peni ſinus lacus delicatiſſimos profert. Alacres ſunt & vividi omnes *ova* habere, & fœminæ eſſe creduntur. Solidiuſcula illa & ruffa. *Partus* Aprili inchoatur, & ad Maii pergit medium. Laudantur antequam pariunt, Ianuario, Februario, Martio & tota hyeme mediocriter: ſunt qui Aprili, & Maio commendant. In vinum fervidum immiſſi elixantur. Rondeletius carne eſſe fluxili & parum nutriente dixit.

CAPVT IX.

De Oxyrincho Rondeletii, Corvo Niloticoſ & Naſo Alberti Magni.

OXYRINCHI nomen inter polyſema cenſetur. Diphylo apud Athenæum Mugil eſt, fluviatilis; idem, ut Rondeletius inſinuare videtur, cum ſuperiori Gallorum Gardono: Srraboni, Æliano, aliisque inter Nili piſces recenſetur: eidemque Æliano rubri maris quoque piſcis eſt, ac denique maris Caſpii, ut in Sturione dictum eſt. A quibus omnibus differt, (ni fallor) Oxyrinchus iſte Rondeletii, Antverpienſibus *Hautin* vocatus, roſtro longo, tenui & maximè acuto, unde Oxyrinchium rectè à ſe appellatum fuiſſe putat, niſi mavis, inquit, Sphyrænam fluviatilem vocare, quia marina Sphyrænæ roſtrum ſimile habet, molle & nigrum. *Squamis* melioribus tegitur. *Pinnas* in dorſo tres habet, in æquali ſpatio à ſeſe diſtantes: totidem in ventre habet, quot Barbus. Quærendum nunquid idem ſit, qui Friſiis *Snepel* appellatur, à Scolopace ave, puto, quam Snepam dicunt; Galli verò à roſtri proceritate *beccaſſam*. Geſnerus in Albi fluvio quendam quoque piſcem *Sneppelſingen* vocari tradit, ſed à ſuperiori diverſum, parvum nempe, & candidum, Capitoni fluviatili ſimilem.

TAB. XXVI. 13. *Aldrov. de Piſcib. l. 5. c. 24.*

CORVUS Niloticus, corporis figura Mugilibus ſimilis eſt, ſed caput pro corporis portione (longum enim dodrantes duos) parvum *Maxilla* inferior ſuperiore brevior. *Pinnæ* ad branchias, utrimque una breves: in tergore ultra medium alia oblonga: in ſupina parte à podice alia;

TAB. XXII. 14. *Aldrov. de Piſcib. l. 5. c. 25. & 26.*

alia: in ventre una, de pisce hoc, quod præterea dicam, non habeo.

TAB. XXVI. 15. NASVS ab oris figura seu naso valdè crasso, nomen sortitus est. Nasonem vel Nasutum benè dixeris: & quia labrum seu rostrum superius crassum, simum obtusumque habet, non malè Græce Pachyrinchus & σιμὸν, Latine Simus vocabitur. Genere Squalo ac Leuciscis fluviatilibus adscribendum esse, & corporis totius figura indicat, & Albertus quoque attestatur Monacho, hoc est, Capitoni fluviatili similem esse inquiens, sed tenuiorem, naso valde crasso. Et Gesnerus esse tradit, qui fluviatilibus Barbis hunc piscem comparant, quod ad corporis speciem: aliquos piscibus Erflen vulgo dictis apud Germanos. Ipsi vero specie, squamis & colore Capitonem fluviatilem referre videtur: sed ad eam magnitudinem, inquit, non perveniunt. Lonicerus duorum triumve palmorum magnitudine esse ait, & oris formam peculiarem habere. *Venter* eorum intrinsecus nigerrima membrana ambitur: unde joculari nomine Germani hunc piscem, scribam cognominant. *Os* modice deorsum vergit. *Lapidem* habet in capite, teste Alberto. Capiuntur in fluviis & rivis. Libenter enim in rivos ascendunt, inquit idem Gesnerus, in lacum non veniunt, nisi ad initium eius tantum, præsertim vere. Albertus Danubii piscem esse ait, & aquarum in Danubium influentium. Cœno & spurcitiis *vescitur*. Caro alba & laxa est, spinulis referta, ut & Capitonis & aliorum multorum fluviatilium, præsertim circa caudam. Verno tempore præferuntur & pinguescunt. Apud Helvetios tamen Novēbri mense *laudantur*: si modo unquam laudandi sunt. Nam *caro* eorum semper laxa & insipida est: quamobrem assare eos potius quàm elixare coqui solent. In Rheno præstantiores habentur. In libello quodam Germanicè vulgato de piscibus, Februario & Martio & cum salices stillant, eos præferri lègimus. Hæc ferè Gesnerus.

CAPVT X.

De Gobio fluviatili.

ARTICVLVS I.

De Gobio non capitato.

GObio fluviatilis est duplex. Unus non capitatus; alter capitatus. NON CAPITATI Dorion apud Athenæum inter fluviatiles meminit, fortassis & Aristoteles, dum eos in fluviis pinguescere scribit. Mediolanensibus Varira, fortè quasi varius. Ubique enim rotundis nigris maculis distinguitur, vocatur Germanis *Kreßling*, aliis Leutesser, quod cadaveribus submersis vescatur. A *Gesnero* ita describitur. Gobio noster, ein Greßling / quem nuper captum in lacu, inspexi, mense Ianuario ovis gravidus erat: barbatulus, *cirris* singulis in angulis labiorum perbrevibus. Pupilla oculorum nigra, ambitu candicante. *Maculæ* à capite caudam versus per media utrinque latera nigricantes, rotundæ, magnæ proportione, circiter decem, singulæ deinceps digeruntur: & similiter per medium dorsum. Cauda etiam maculosa est, & dorsi pinna. Vesica bifida, magna proportione. Longus est plerumque quinque aut sex digitos. *Fel* habet subviride, caudam bifurcam. *Os* cum aperitur rotundum & veluti è præputio se exerens, deorsum nutat. *Lapilli* in cerebro perexigui sunt. Hæc ille.

TAB. XXVI. 16. *Aldrovand. de Piscibus l. 5. c. 27.*

Squamis tegitur parvis. Quamvis ab Ausonio, qui eum *Barbi jubas* æmulari cecinit, fluviatilibus accenseatur, in lacubus tamen quoque capitur. Degit in fundo & cœno, unde Fundulos quibusdam vocari etiam diximus. Vescitur musco vel alga, item arenulis, & hirudinibus minimis lacuum. Creditur cadavera hominum submersa depasci, unde nonnulli anthropopha-

pophagum dicunt: quæres aliis fortassis ansam præbuit, ut ex cerebro equorum procreari dixerint, quo quidem in aquas abiecto vesci, à ratione non est alienum, nam & Bellonius testatur calvariis bubulis in aqua proiectis oblectari, eiusque gnaros Ligeris accolas, calvarias eas studiosè adservare iis denique in Ligerim immersis, Gobios allicere, ut facilius eos postea capiant. Idem testatur Rondeletius. *Capiuntur* autem facilè & magna in copia, inquit Gesnerus, circa ripas lacus nostri retis genere, quod Stoszbaren appellant.

Aliquando bis aut ter anno *pariunt*. Æstate vermiculis quibusdam in ventre vitiari dicuntur, teste Alberto. Rondeletius *carne* ait esse molli insipida, virus nonnunquam resipiente: fallique medicos, qui Gobiones fluviatiles ægris apponi volunt, his eam inesse succi bonitatem existimantes quam Galenus in marinis commendat, ab hisce enim illos hac dote multum superari. Cœnum aliquando resipiunt. Author de natura rerum, salubriores esse ait, ubi aquas arenosas in nutrimentum habent. Et Gesnerus elixum satis solidum esse testatur, nec contemnendum in cibo.

N. Ad Gobiones referimus piscem Rhe- ac Mœni alumnum rariorem quem Obriß / *seu* Obreß / *q.* Obkreß / *Piscatores vocant. Ambire enim videtur inter Gobionem & Percam. Huius iconem, exhibet Tab.* 31. *ea figura ac magnitudine, qua cum duobus sociis captus est non procul Francofurto,* 16. *April.* 1649.

ARTICVLVS II.

De Gobio capitato.

TAB. XXIV. 9. *Aldrov. de Piscib. l. 5. c. 28.*

GObio Capitatus nomen istud à Capite pro corporis ratione maximo accepit. Non tantum apud Italos, sed & inter Germanos varias sortitus est appellationes. *Gropp* dicitur inter Helvetios, *Cop* vel *Kop* in Carinthia, *Kaolrapp* in Franconia: alicubi *Mul*, circa Tridentum (qua parte Germanice loquuntur) *Tholiman*. Saxones & Miseni à capite, quod ferè globi instar rotundum habet, sed compressum, varia ei nomina fecerunt: *Keuling*, *Kulingk*, *Kulheit*, *Kaulheupt*. Anglice à *Bulhed*, à capite taurino, quasi Bucephalum dicas, nempe ob magnitudinem, non similitudinem formæ. Rondeletius & Bellonius βοῖτον vel potius βοῖτον aut βοῖτον Aristotelis esse volunt; sed cum is duntaxat in fluviis sub saxis stabulari, quod & aliis competit scribat, nihil definiri potest. Cremonensibus *Bot* vel inde vocatur, quod Bufonem, qui Botto vulgo, deformi oris rictu referat. Pisciculus est ranæ piscatrici similis, si parva magnis (inquit Rondeletius) conferre licet, corporis figura & colore. Capite enim magno est, lato & depresso. *Oris* magno hiatu, sine dentibus: sed pro iis labra instar limæ aspera habet; *pinnas* binas ad branchias, rotundas, & ambitu pulchrè cristatas: duas alias inferius parvas, longiusculas, albicantes in medio summi ventris: aliam ab ano ad caudam: in dorso quoque geminas, non singularem, ut Rondeletius scribit, qui aliam fortè speciem, inquit Gesnerus, nobis ignotam vidit: nam & cauda quam suo attribuit Cotto, proportione multo longior est, quam in nostro. Ex his dorsi pinnis brevior, quæ capiti propior, altera longior caudam versus, quam tamen non attingit: idque in fluviatili & lacustri genere similiter. *Oculi* sursum spectant. Branchias quaternas habet, *hepar* magnum sine felle. Si corpusculum spectes, ventriculum magnum. Fœmina *ovis* immodicè turget, quæ in pectore in globos collecta, geminas veluti mamillas præ se ferunt, & membrana vestiuntur nigricante. *Lapillos* in capite habet. Qui in *lacubus* degunt, (ut Tigurini lacus exemplo ostendit Gesnerus) non solum magnitudine inferiores sunt *fluviatilibus*: raro enim ultra digiti medii longitudinem excrescunt; sed specie etiam differunt; etsi

Bellon. de Aquatil. l. 2

etsi vulgus forte non discernat. Nēpe, colore magis albicant, cum illi nigriores sint. (Corpus varium est, partimque albicantibus partim fuscis punctis, & maculis etiam nigricantibus trāsversis distinguitur) *Spinulis* circa branchias pluribus & acutioribus, brevissimis tamen illis, & visum pene latentibus horrent; quibus digiti etiam, si retro ducas, configuntur. *Pupilla* oculorum aliqua ex parte pulchrè virescit, & gēmæ instar resplendet, prætertim ad solem. E lacu in fluvium non migrāt: neque fluviatiles in lacum Gustus etiam suavitate fluviatilibus lōge sunt deteriores. Icon quam dedit Aldrovandus Gesneri est, diversa nonnihil ab ea quam Rondeletius exhibuit, pinna dorsi singulari, & cauda penicilli instar, longiuscula: unde suspicari licet, aliud genus Cotti circa Monspelium haberi. *Degunt* in rivis frigidis ac montanis, & fluviis præcipitibus, sub lapidibus & inter Saxa. *Carnivori* creduntur, & à se mutuo devorari certum est. Mense Martio circa festum Paschatos *pariunt*. In aquæ fundo non tam natant, quam subito impeditu teli instar se vibrant, & quo volunt traiiciunt. Gesnerus testatur, legibus piscatoriis licere, eos capi in flumine à Calendis Novembris usque ad Pascha: extra verò illud tempus, nec retibus, nec fuscina, neque alio modo licere: hamo autem nunquam. Nassis uti permissum esse, à die D. Marci usque ad exitum Maij, non arctius tamen contextis, quam ut Gobij capitati evadere queant. Cocta esse suavissimos & ori gratissimos cum ovis, quæ pinguia, copiosa, & delicatissima, Matthiolus prodidit. Carne molli, Rondeletius, dura Albertus fecit. Apud Helvetios fluviatiles dūtaxat, & quidem circa brumam & Ianuario mense in deliciis sunt, quidam à Calendis Decembris ad Calendas Aprilis cōmendant; omnes, capita, quod spinis tantum cuteq; constant, reiiciunt. Placent & frixi.

CAPUT XI.

De Aspero Pisciculo.

HUius Rondeletius meminit, eidemque à maxillarum asperitate cognominatum inditum, atque Lugdunensibus *Apron* appellari propter squamarum asperitatem, Rhodanoque peculiarem, cæterum non quovis eius loco, verum in ea fere parte reperiri, quæ inter Viennam & Lugdunum interiecta est. Pisciculus, inquit, est *capite* latiore, quā Gobio, in acutum desinente: ore medio, *dentibus* caret: sed maxillas asperas habet, foramina ante oculos. Colore est rufo, maculis nigris latis, à dorso ad ventrem oblique descendentibus varia: Pinnas ad branchias, & in ventre similes cum Cottis habet, sed in dorso dissimiles: duæ enim sunt à se seiunctæ. Vulgus ait pisciculum hunc auro *vesci*, quia arenam cum qua nonnunquam auri laminæ sunt, haurit. *Carne* est siccior quam Gobio. TAB. XXVI. 18. 19. *Aldrov. de Piscib. l. 5. c. 29.*

Ad hunc referri potest, *& is piscis Danubianus, quem Iulius Alexandrinus ad Gesnerum dedit*. De eo ita Gesnerus. Forma quidam tota; & singulæ ferme corporis partes, inquit, in utriusque pictura cōvenire videntur, nisi quod pinna ab ano in nostra icone nulla est, pictoris forte incuria. Nulli enim piscium, opinor, hæc pinna deest. Rondeletius *Lacertum* peregrinum suum sine ea pinxit, quam Salvianus eidem addidit. Bellonius in sola Tænia hanc pinnam se non reperisse mihi retulit. Piscis quem exhibemus, Germanicum nomen est *Zindel*: velut alij scribunt, *Zinde, Zindel, Zinne, Zingel*. Ungari *Kolcz* appellant. Icon ad me missa, digitos XII. longa est; quam longitudinem in hoc pisce mediocrem esse audio. Colore est, partim è fusco ruffescente partim nigris *maculis* satis magnis per intervalla distinctus: quarum aliquæ à dorso ad ventrem, qui cinereus est, oblique tendunt. *Oculis* color Indicus: & aliquid TAB. XXII. 19.

quid sub eis rubri. Audio eum ad libræ pondus, id est, unciarum XVI. accedere: (alii etiam trilibrem fieri retulerunt) *caudam* adeo duram habere, ut vix amputari possit: pinnas in dorso aculeatas in capite Percæ instar, (icon nostra pinnas molles, non aculeatas, præ se ferre videtur) nostrum acuminatum; carnem candidissimam. Sunt qui forma & colore Cani marino comparent: alii Lucio, præcipue quidem capite: absq; *squamis* esse aiunt, instar Anguillæ. (Rondeletius Asperum suum à squamarũ asperitate vulgo Gallice Apron dictum ait) Lautissimnm esse addunt simul & *saluberrimum*, omnium Danubii piscium, ita ut vel puerperis apponatur, & divitum duntaxat mensas oneret: quod equidem miror, si squamas non habet: fere enim omnes qui *squamis* carent, minus salubres existimantur. *Ferunt* eum Danubius & Tibiscus. In Danubio prope Bosoniã magna eius copia capitur. Viennę etiam non deest; & in Bavariæ fluviis, ut Isara & Leisaca: hic quidem è latu Ammelse fluite in Rachelsee lacum, & inde rursus in Iseram fluviũ. In piscinis servari non potest. Eiusdem piscis effigiem illi quam dedimus, similem, coloribus tantum diversam (vẽtre & pinnis albicantibus) Raphaël Seilerus Iurisconsultus doctissimus, comes Palatinus, clarissimi Augustanæ reip. archiatri Geryoni filius, ad me misit: in qua similiter nulla ab ano pinna, nullæ squamæ apparent.

CAPUT II.

De Cobitide fluviatili.

ARTICVLVS I.

De Cobitide Rondeletij.

TAB. XXVI. 20. *Aldrov. l. 5. de Piscib. c. 9.*

TRiplex invenitur *Cobites*, fluviatilis Rondeletii nempe, Aculeata, & Barbatula. De illa ita ex Gesnero, & Rondeletio Aldrovandus. Idem Rondeletius fluviatilem hunc pisciculum antiquis, qui de fluviatilibus parum fuere soliciti, in dictum, *Cobiten, Cobitidem*, fluviatilem nuncupavit, quod marinæ, inquit, persimilis sit; cum alioqui neque situ neque numero pinnarum cum marina conveniat; quare similitudo isthæc ad Cobitidem barbatulam potius pertinet: ad hæc Cobitis marina lævis est, uti & Barbatula; contra squamosus, quo de loquimur, pisciculus est, nisi figura exhibita nos fallat, quod quidem suspicari licet. Ipse enim Gallis *Loche franche* vocari asserit, vel quod totus lævis sit, & aculeis careat; vel quod mollior sit, & salubrior: quãobrem Cobiten forte hunc pisciculũ, inquit Gesnerus vocat, quod ad Gobionem fluviatilẽ Ausonij accedat, non ad marinam Cobitin. *Degit* in rivulorum & fluviorum ripis, digitali magnitudine, rostro satis prominente. Corpus flavescit, & maculis nigricantibus notatur, subrotundum est & carnosum. *Pinnæ* duæ sunt ad branchias, duæ in ventre, unica ab excrementi meatu, unica in dorso. Gesnerus cum hoc piscitio idem putat, vel saltem simillimum, suis Ryserle nuncupatum; Digiti, inquit, longitudinem parvum excedit, colore per dorsum è cæruleo virescente, per latera & ventrem candido. In Silo torrente capitur ad Tigurum circa lapides: & ex eo Limagum amnem ingreditur, inter lautos pisciculos habitus Rondeletio suus Cobites carne est humida, & viscida: si in aqua sordida & cœnosa nutriantur, pinguescit, sed multo insalubrior redditur. Pro Cobite Rondeletij nos aliam iconem dedimus, eiusdem ni fallor, piscis

ARTICVLVS II.

De Cobitide aculeata.

TAB. XXVI. 21. *Aldrov. l. 5. de Piscib. c. 30.*

Cobites aculeata, quæ Mustela parva imberbis dici posset, Gallis est Perce, quod Petras quasi videantur perforare (duos habent in branchiis aculeos, utrinque unum, ad caudam spectantes, dentium cerastis longitudine, quibus sese impellunt, ut minima

hima inter lapides foraminula subeant) Germanis Steinbeis, seu Dacobythus, Oxyrinchus non incommode, aliis. Pisciculus est inquit Albertus, eodem colore quo Fundula. Non est autē rotundus, sed quasi columnalis compressus, & habet spinā acutam iuxta os, qua cum recurvato capite vulnerat manum se tangentis. Bellonius quoque & Rondeletius aculeum in operculis branchiarum utrinque unū habere tradunt. Albertus branchiis ipsum carere omninò ait; cuius errorem detegit nuper Georgius Fabritius, qui parva foramina circa oculos eis, sicut in Lampredis inesse observavit, teste Gesnero, qui pisciculum esse ait exilem seu tenuē, & oblongum, Fundulo, de quo mox, similem, paulo longiorem: nam quatuor aut quinque digitos æquare solere: maculosum, capite acuto & deorsum vergente. Rondeletius spinā internam duram quam in precedente rigidiorem esse monet, ideoq; inter edendum molestiorem esse: sæpius vero etiam ichtyopolas parū cautis imponere, & pro levibus vendere, cæterum imposturam inter edendū facile deprehendi. *Degit* in aquis fontanis & rivis præcipuè. Ex his vero migrans cum alios fluvios, tū Albim maxime subit, ut Gesnerus refert, qui & apud suos nullum aut certe rarissimum esse scribit, circa Argentinam vero frequentiorem, & ex Georgij Fabritij testimonio in Misena optimos capi in Mulda prope Doblā oppidum: in herbis, algis & cœno *degere*, atque inde *victitare*. Majo mense cū Fundulis parere, aliquando vel bis vel ter. Rostro lapidibus mordicus se affigere, & aliquando vasis etiam, licet æneis, quibus in foro piscatorio à mulieribus, inquit, iniiciuntur, ita ut fugere videantur. Esse quando cōplures gregatim hærentes inveniuntur. Rebus angustis, id est, quorū perangustæ sunt maculæ, capi, cum aliis pisciculis circa ripas fluminum. Bellonius pisciculum esse scribit admodum *vivacem*. Eidem delicatissimus est: contra insinuare nobis videtur Rondeletius in cautis pro lævi Cotitide obtrudi inquiens, fraudemq; edendo detegi: & Gesnerus vilissimos vocat, carne tenaci, Fundulis multo ignobiliores. Aprili mense & Majo minus improbari; præferri gravidos: frigi debere butyro: Misenos circa bacchianalia, & Martio mense eos commendare, antequam migrent, quod tum ovis gravidi sint: præstantiores apud eosdem non in Albi, sed in Mulda capi.

ARTICULUS III.

De Cobitide Barbatula.

Cobitis ista *Barbatula* nomen à Cirris tenuibus è rostro barbæ modo dependentibus obtinuit. Albertus M. Fondelam, Germani Grindela vocant. Gesnerus Mustelam fluviatilem dici posse putat. Indicis digiti crassitudine est, *inquit Bellonius*, quinque digitos longa (pinguis Lochia) tota puncturis seu punctis distincta: notasque in tergore & lateribus habet, nunc grandes, nunc parvas ac nigricantes, quibus ipsa etiam quoddammodo pulla apparet; sed ventre est candido. Pinnam utrimq; unam in lateribus gerit: item in ventre duas, in tergore vero summo unā admodum parvam: item sub cauda ad anum alteram. Pinna caudæ rotunda est: reliquæ omnes, obtusæ & latæ. Cirris quaternis, utrinque, duobus (Barbi modo) tanquam mystacibus insignis est. Os habet parvum sub longo *naso*: eiusque *intestinum* statim à stomacho (quem hepar fovet) recta per ventrem ad anum ducitur. *Fel* dextro hepatis labo adsutum: *Lienem* insignem, & rubrum habet. *Cor* sub branchiis, suo pericardio obvolutū, *ova* singulari vesicula, ut aliis piscibus bicorni folliculo conclusa. Hæc ille. Duo *genera* esse huius pisciculi Georgius Fabricius Gesnerum in epistola monuit. *Vnum* commune, quod in deliciis habetur, & insigni magnitudine apud suos (Misenos) capitur in Flohi amne: alterū & tenuitate corporis, & colore & sapore diversum, quod à Saxis nomē est consecutum, Stein-

TAB. XXVI. 22.23. Aldrov. l. 6. 31.

Steinsmirlin. Limpidis & saxatilibus *locis* gaudent, quamvis & circa ripas & in cœno, unde Mossgrundel dicũtur, reperiantur. Plurimi in rivis quibus maiora flumina ingrediuntur, capiuntur, idque præcipue Februario, Martio & Aprili. Gesnerus medio mensis Maij *captos*, ovis gravidos vidit; aitque post Pascha *parere* incipere: quamvis non desint, qui vel singulis mensibus eos parere asserant. De *Vsu* ipsorum in cibis ita Aldrovãdus. Tam delicatus pisciculus est, ut Lonicerus inter omnes ferè primatum tenere scripserit. Teneros tamen præsertim & nuper natos in deliciis haberi, Gesnerus ait, eosque cum jure coctos ex eodem, quod mireris, cũ pane cochlearibus edi: quas delicias, inquit, aliquando circa summum Acronium lacum gustavi. Salubres vulgo existimantur, ita ut medici etiã ægrotis alicubi eos permittant Esse sane solidiuscula carne, & odore non piscoso, ut alij pleriq; sed magis grato, idem Gesnerus asserit, & cum exigui sint, nec pingues, non multum replere: præferri à Misenis maiores, & qui à saxis denominantur: colore saporeque differre, corpore tenuiore, carne duriore, & quæ in elixis tenacius spinis hæreat: Commendari maxime à natali Domini usque ad Pascha, quoniã tum parere incipiãt: alios Februario, Martio, Aprili mensibus eos præferre, usque ad initium Maij. Teneros verò nunquam non laudari, maxime si cum apio, petroselino, edantur. Vino calido iniecto elixari debere, idque brevi tempore & sub finem modico aceto affuso, ad eius fere consumptionem coquendos, quomodo Gobij capitati etiam parantur.

CAPUT XIII.

De Phoxino squamoso.

TAB. XXVII. 5.6. QUid de *Phoxino Aristotelis* statuendum sit, ex ipsius verbis colligere difficile est. Statim enim ac natus est ova habere, & semel in anno in stagnis fluviorum & arundinetis lacuum, quæ πολιμνάδας vocant, ova ponere dixit. Rondeletius eo nomine *duos* squamosos *pisces* describit. *Vnus*, quem in Picardia sub nomine Rosiere vidit, dimidiati pedis longitudinem nunquam superat. Corpore est lato & compresso, oculis magnis, colore luteo, bramis minimis, corporis specie simillimus. Semper uterum *Ovis* refertum habet, ideo cum illis nasci piscatores tradunt. *Alter* vocatur à rubore caudæ, Rose. Reliquo inquit corpore cæruleo est, paulo maior, minus læso corpore, *ovis* semper plenus, etiam maximus. Cũ priore eundem esse conijcit, qui apud Helvetios Bambela vocatur. Gesnerus. Pisciculus, inquit, est tres aut quatuor digitos longus: sex quidem digitis longiorem non vidi. Caput ei crassiusculum pro sua magnitudine, nigricans, iris oculorum crocea: qui color etiam ad pinnarum initia omnia spectatur, in pinnæ dorsi quoque initio, in maioribus & adultis. *Pinnarum* ad branchias articulus veluti carunculam quandam habet, in aliis parum, in aliis valde croceam (in aliis si bene memini, rubentem) pro ætatis nimirum & sexus differentia, fortassis & aquarum & regionum, in quibus degunt. *Squamos* habet albicantes. Linea fusca obliquè à capite ad caudam fertur. Pinna in dorso medio unica est, binæ ad branchias, totidem in medio ventre, alia post anum. In principio caudæ macula atra notatur, & aliis minoribus, singulis, ad initia pinnarum utrinque. Dorsum & latera nonnihil flavescũt. Sapor in *cibo* subamarus: Reperiuntur influentibus solum aquis, ut audio: non etiam in lacubus & cœno, ut læves, quos è rivis, lacus & flumina maiora ingredi diximus: unde eos, læves, nostri à rivis Bachbãmele nominant. Iidem in Glatto flumine apud Helvetios, parvo ac cœnoso, ab iis qui cancros captant, subinde inveniuntur, & abiiciuntur. A bacchanalium vel quadragesimæ initio usq; ad Calendas Maij nassas non angustius contextas, quam ut Gobij capitati

Aristot. H. A. l. 6. c. 13. 14.

Gesner. in Phoxin.

tati & Bambelæ ex ijs evadere possint, in flumen immittere piscatoribus nostris licet. Bambelam nostram Itali quidam, ut audio, eodem quo Gobium fluviatilem nomine appellant, Varon. Verbani vero accolæ circa Lucarnum Stornazzo, vel sterniculo.

CAPUT XIV.

De Bubulca Bellonij, & Rutilo fluviatili Gesneri.

PHoxino *Bubulcam* Bellonij subiicimus, quia eum priori illi, quem Rosiere Piccardi vocat cognatā Gesnerus facit. Ita verò de eo Bellonius. Sordidus admodum & vilis pisciculus Gallico vulgo è reipsa Bouviera nuncupatur: aliis Peteuse, etymologia à bombis obscœnis tracta. Piscis est Sequanæ alumnus, non tamen usquequaque frequens, ut qui nō semper appareat. Nam quomodo Verones pisculi nusquam Augusto, Sept. & Octobri tibi, aut saltem raro apparebunt: sic Bubulca sero in conspectum venit. Plurima vere *capitur*. Brēmam aut Castagnolam marinam toto habitu æmularetur, nisi corpore esset minimo. Planus enim & latus est: sed & argenteo nitore refulget; atque orbicularem magis habet formam; quam in longitudinem protēsam. Trium digitorum longitudinē excedit, neque sesqui digitalem latitudinem. Soli obiecta, *nigri* nihil habere comperitur, quam in linea, quæ spinam comitatur ad caudam. Parvam in tergore gerit pinnulam; oculorum pupillam, omnem nigredinē superantē. Squamis tegitur magnis, & latis. Carneum quiddam, ut Cyprinus (quatenus parvum magno licet conferre) in fornice *palati* ostendit, *branchias* utrimq; quaternas simplices, ac sub ventre totidem, caudā bifurcam. *Ore* est parvo, dentibus vacuo. Pisciculos istos respui credo propter fellis magnitudinem, quod vix possint exenterari, quin eorum *fellis* vesica disrumpatur: quo per totum corpus diffuso, plurimum amari invescendo sentiuntur: id autem sub hepatis lobo dextro coloris Smaragdini, magnitudine pisi continetur. *Folliculum* vento plenum in *utero* gestat geniculo interceptū: *lienem* stomacho inhærentem, rubrum atque orbicularem. Huius etiam intestina multis in gyrum revolitionibus & infractibus circumvoluta sunt. Hactenus Bellonius.

Aldrov. l. 5. de Piscib. c. 32.

RUTILO *fluviatili* à rubro pinnarum colore nomen Gesnerus, ad differentiam Erythrini veterum imposuit. Circa Comum in Lario lacu, inquit, Piota, ut circa Verbanum quoque dicitur: à Germanis Oceani accolis Roddovu vel Roddau: Sabaudis circa lacum ad Bielam & Neocomum, Vingeron, vel Vengeron, unde Germanorū *Vvingeron*, vel contra; (quo tamen nomine Lucernæ accolæ Leucisci speciem intelligunt eam quam Vendosiam & Dardum Gallis dici in dicavimus) Anglis, Roche, Polonis, Pstrega. Piscis è foro ad Gesnerum delatus, latus erat ad digitos quatuor, longus duodecim. Pupilla nigerrima, iride aurea labiis subrubris: colore in cauda, pinnisque in vētre & ab ano sitis, cinnabarino: nam cæteræ minus rubri habent. Linea à summis branchijs caudam versus obliqua; cauda bifurca: Supercilia & circa branchias locus, aureo colore nitent. Squamæ latæ, striatæ, validæ. Dorsum fuscum; venter pallidus: pinnæ quaternæ: *fel* viride, *vesica* gemina: *caro* aristis plena. In faucibus maxillas utrimque habet, recurvas dentibus minutas quinis, qui ab interiore parte singuli serrę instar asperantur: quod in aliorum piscium dētibus nondum memini animadvertisse. Piscis hic apud nos Helvetios, *lacustris* tantum est, satis *vivax*. In nostro & Acronio lacubus, abunde capitur. Piscatores Constantiæ, & circa Acronum aiunt cum aliquando cum Cyprino lato *coire*: inde Hybridam, (ein Halbfisch/) gignī; qui inter utrunque ambigat, Rutilo maior aliquando, minor autem Cyprino lato.

TAB. II. 7.
TAB. XXVI. 9.

lato. *Parit* Iunio mense. Muscarum fluviatilium (sive lacustrium) genus est quoddam magnum, oblongo, tere, varioque corporis alveo, has infigunt hamis ad inescandos Rutilos. Februario Martioque mensibus apud alios Germanos, Novembri apud nostros *in cibo* præferitur. Majo rursus deterior fieri, & imminui incipit. Parari iubent peritiores instar Cyprini; & vino frigido immissum elixari. Hactenus ex Gesnero. Putatur cum Vangerone Rondeletii esse idem. Hic autem corpore Ballero, (de quo suo loco) rostro Mugilibus similē esse ait, rostro tñ esse longiore. Dentib. carere: piñas ad brachias duas habere subaureas, in medio ventre duas alias croceas; ab excrementi meatu unicam, in dorso aliam. Caudam in duas desinere hasque à squamis initio integi, etiamsi non adhæreant. Cyprino & corporis specie & carnis substantia succoque affinem esse, & vilem haberi.

TITULUS II.

De Piscibus fluviatilibus lævibus.

CAPUT I.

De Attilo Padi.

TAB. XXVIII. 2. *Aldrovand. de Piscib. l.5.c.1.*

TAntum de Piscibus fluviatilibus squamosis, sequuntur Læves, inter quos præcedat *Attilus*, in Pado inertia pinguescens, ad mille aliquando libras catenato captus hamo, nec nisi boum iugis extractus, ut Plinii verbis utar. Piscis est Cartilagineus, Sturioni magna ex parte respondens. Huius enim more *ossa* gerit clypeata, sed ea tempore dicitur abiicere, idque in causa esse cur alii sine ossibus, alii cum ossibus depingant: post quæ, *pinna* dorsi est unica, cui parte supina subiacent duæ, quales omnino sunt Sturioni. Cauda etiam in duas deficit. *Os* clausum ad obliquam lineam incisum est, sed apertum & hians rotundum. Ante illud pendēte rostro *appendices* carnosæ & molles. Brachias opertas habet, ad quas pinnæ sitæ sunt. Quomodo vero à Sturione, quem Franc. Philelphus Attilum esse credebat, differat. Cœlius Calcagninus perquam eruditè docet his fere verbis. Quod à me percontaris, an Attilus, quem Ladanum vulgaris nomenclatura solet appellare, is sit quem Italia Moronem, Ussonem Pannonia vocat: paucis respondebo, me eundem non existimare, vel ex Plinii testimonio, qui eum Pado vult peculiarem esse; quo loco de propriis quorundam amniū piscibus ait. Sed ego, et tecum agam liberalius, non modo te ad Plinii, sed ad oculorum etiam tuorum testimonium provoco. Totamque itaq; Attili effigiem ac membraturam quanta potui brevitate perstrinxi. Et quia non satis perspicue id fieri posset, nisi noti alicuius piscis exemplo uteremur. Hyccam sive Sturionem, qui nullo ferme loco non nascitur, mihi proposuisti. Qui licet in mari natales habeat, solet tamen adversus amnes mira subire voluptate, donec iam præpinguis redeat. Moronis sive Usonis exemplo nondum dixi, quod neque ii pisces non cognoscantur, neque mihi eorum imago satis memoriæ inhæreat. Sic ergo accipe: Attilus hoc differt ab Hicca sive Sturione, quod Sturio pelagius est: Attilus amnicus est, & Pado peculiaris. Sturio non temere visus æquare quatuor talenta Attica, id est, trecentas libras: Plinius scribit Attilum ad mille libras, id est, supra XIII. talenta excrevisse. Quæ magnitudo sane insignis & raro perspicua. Attilus cum ad certam magnitudinem excrevit, *squamas* hispidas abijcit, quas per quinque versus dispositas gerit, in summa scilicet dorsi spina ex utroq; latere geminatas, & sibi quasi parallelas, extremus versus pinnas attingit. His abiectis tactu lævis evadit, nec habet quod unguem offendit. Contra Sturio semper hispidas squamas

Plin. H. N. l.9.c.15.

Ælian. H. A. l.14.c.26.

mas suas tota æstate retinet: Caro Sturioniscallum habet, & mirifice palatum oblectat. Attili contra, fluxa est, & mollis, & palato parum iucunda. Existimant piscatores προτομὴν, id est, partem priorem Attili, ad posteriorem vix eam habere proportionē, quam quatuor ad unum. Tota n. vis huius piscis sita est in *capite*, & parte capiti attigua. Quæ observatio etsi ad Sturionē etiam, aliosq; pisces pertineat, authore Aristotele & Plinio: cuius verba sunt, videlicet capita piscibus portione corporum maxima, fortassis ut mergantur, tamen in Attilo nescio quomodo præter cæteros luculenta est atq; admirabilis. Parvi sunt *oculi* Attilo, in tāta mole capitis. Sturio & Attilus habent os in parte prona, (supina dicere voluit) eo prope in loco, cui in cæteris perfectioribus animantibus, respondent, omoplatæ. *Os* utrique sine dentibus, sed Sturioni ferme orbiculatum. Attilo multo maius, & ad lineam obliquam incisum, quo aperto, vasto illo hiatu pisces devorat, quos respirando κατὰ διάσολὴν (ita piscatores putant) contraxit. *Loca* piscolenta maximè frequentat, hyberno præcipue tempore vorticosas voragines, ad quas pisces frigoris impatientes, temporis gratia se recipiūt. Rostrum Sturioni resimū ac latiusculum, ad imaginē fere Delphini & Oxyrinchi; Attili planum, & paulominus quam in mucronem desinens, Attilo tergicolor albicans & lanosus. Sturioni vergit in glaucum. Hæc itaq; Cœlius. De eius cum clupæa inimicitia ita Plinius. Minimus hunc piscis, appellatus Clupea, venam quandam eius in faucibus mira cupidine appetens, morsu exanimat. Strabo. (Nec alios, ut coniicio. Solinus intelligit, inquiens: Apud Nuros nascitur Borysthenes flumen, in quo pisces egregij saporis, & quibus ossa nulla sunt, nec aliud quam Cartilaginis tenerrimæ. Nec dubito, quin Plinius de his loquatur his verbis: Et in Danubio Mario extrahitur porculo marino similis. Et in Borysthene memoratur præcipua magnitudo nullis ossibus spinisque intersitis.) Ex his salsamenta fiebant, præsertim ex maxillis & ijs quæ circa palatum sunt partibus, quod eę partes aliis suavitate præstarent. Ex his igitur unus est, quem hic proponimus rostro oblongo, acuto, *oris* vasto & rotundo hiatu in supina parte Bellonius similem figuram exhibet Attili nomine, nisi quod unicam ei tantum in dorso pinnam appinxerit. Ingentis, (inquit) est magnitudinis: Cætera Sturionem tā internis quā externis partibus refert, hoc dempto, quod pro eminentioribus ac callosis illis elatis tuberculis, quibus Sturio quinis carinis prēditus est; hic stigmatis tantum lividis sessilibusq; maculis in cute minus aspera, ad latera sit distinctus: Præterea unicam tantum *pinnam* ab ano ad caudā gerit. Sturio autem duas habet. Cæterum *Os* Attilo prominet oblongū, fistulosum, sublongo etiam naso. Hactenus Bellonius, qui deinceps non nulla de hoc pisce scribit, quæ vero Attilo conveniunt.

Aldrov. de Piscib. l. 5. c. 2.

ANTACÆUS STELLARIS in Danubio prope Straubingam captus, & depictus, ad Gesnerū missus est. Colorem ubique ferè cæruleum ostendebat, venter erat candidior ad roseum inclinans. Spinæ in dorso & stellæ pallidi coloris puncta etiam passim ex pallido albicantia, vel fusci Indici coloris. Cognatus huic est, qui Sick vel Tick vocatur, & in Danubio circa Pestam vel Budam capitur, mole corporis quæ ad XXV. libras accedat, cute varia undiquaque stellata, sed rostro longiore & graciliore quam vel in Husone, anserino fere simili.

Aldrov. l. d. c. 3.

CAPUT II.

De Antacæo Borysthenis Rondeletij, & Stellari.

Tab. XXVIII. 5. Tab. XXV. 5.

ANtacæi pisces dicuntur prægrādes, inquit Rondeletius, & vastæ magnitudinis in Mæotide & Borysthene; quos aliquando in ostiis in glacie concretos effodi author est

Caput III.

De Ichtyocolla.

Tab. XXIX. 16. Plin. H. N. l. 32. c. 7. ICthyocollæ meminit Plinius ex veteribus dum inquit. Ichtyocolla appellatur piscis, cui glutinosum est corium, idemq; nomen glutini eius. Quidam piscem Iudaicum vocari scribunt, quod nomẽ Zygænæ apud Parisienses competit, alij Antacæum ab Herodoto, à Pomponio Magnum vocari dicunt, nonnulli Plinij Marionem appellant. Bellonius Tanais accolis *Barbotam* dici, quod quaternis veluti barbis ad labia sit cõmunitus, prodidit. Dioscor. M. M. l. 3. c. 102. Nec alium Dioscorides intellexit, cum gluten ventrem esse piscis cetacei, laudariq; candicans, ratione Ponticum scripsit. Tale enim & hodie ex eiꝰ intestino ex Põto mittitur. Est autem Piscis cetaceus figura oblonga ac prope tereti. Ossibus ac spinis caret, capite est crasso & lato, ore magno & in promptu posito: è superiore maxilla quatuor apophyses carnosæ, velut barbæ dependent, unde Barbotta dicitur. Oculos parvos habet pro corporis magnitudine. Bellonius ait hoc à Sturione atq; Bellon. de Piscib. l. 2. Attilo præcipuè differre, quod rostro careat, magnum oris rictum præ se ferat, sitque sublutea, dura, lævi ac glabra cute convestita carne. Bina ante oculorum canthum, parva atq; aperta foramina habet: pinnas in tergore duas (quas aliter Rondeletius, aliter Bellonius pingit) ad caudam erectas. Branchię veluti spineo tegmine communiuntur. Sturionis modo: Cauda quã huic magis bifurca; præcipua à cæteris piscibus nota discernitur, quod paulo supra spineum operimentum branchiarum, quodam ad eius latera impresso foramine pervius sit. *Folliculus*, sive vesica, ex qua glutinum fit à capite ad caudam, per spinæ longitudinem extenditur. *Carne* est secundum Rondeletium prædulci, & glutinosa admodum, ob id salituræ idonea, qua melior redditur & rubescens Salmonis modo, atque etiam durior, quam ob causam aliquãdiu macerãda, priusquam coquatur. Eam Tanais & Ponti accolæ Romã & Venetias transmittunt, illicque in foro piscatorio venditur. Ichtyocolla authore Plinio epinyctides tollit, Erugat cutem, extẽditq; in aqua decocta horis quatuor, denuo contusa, colluta & subacta ad liquorem usque mollis. Ita præparata in vase novo cõditur, & in usu quatuor drachmis eius, binæ sulphuris, & anchusæ totidẽ, octo spumæ argenteæ adduntur, aspersaq; aqua teruntur una. Sic illita facies, post quatuor horas abluitur. Idem alibi. Lethargicos (inquit) coagulum vituli adiuvat in vino polum oboli pondere: idẽ Ichtyocollæ. Valet ad conglutinandas omnis generis chartas, atq; instrumenta musica, reliquaque lignaria incrustamẽta, quæ tessellato, imbricato, & vermiculato opere fiunt.

Caput IV.

De Glanide.

Tab. XXVII. 8. PIscis, qui Aristoteli & Pausaniæ Glanis, Plinio sæpe Silurus aliquãdo Glanis, Glanus, & Glanius vocatur. Ab Æliano Siluro explicatur. Veteres sequuntur recentium plurimi, interq; hoc Gesnerus & Schonfeldius, nos quid sentiremꝰ, superius diximus. Nomen à Glanide Italiæ & Cunæ fluvio accepit, si Stephanum sequimur, eiusdemq; vestigia apud Byzantinorum vulgus, qui hodieque Glangnũ teste Manardo, vocãt, quasi Glanum, retinet. Descriptionem quod attinet, sunt ipsi spinæ pro ossibus non Cartilagines. *Corpus* fuscum, nigris maculis plenum, squamæ nullæ, corium satis crassum, & lubricum. Schonfelt. Ichtyol. p. 69. Caput grande, depressum. *Os* obtusum. Oculi parvi. Rictus amplus & ad capitis latitudinẽ patulus. Labia superiora gemino, inferiora unico ordine denticulorum confusaneorũ, introrsum reclinatorũ aspera, quibus prædã retinet. *Fauces* binis utrinq; osticulis, limæ instar asperæ sunt. A labro iuferiore dependent barbulæ quatuor, tenues, oblongæ, pallidæ, à superiore duæ, eiusdẽ coloris, duræ, longissimæ, prætenturarum instar, quas ante se modo exerit, modo cõponit. *Pinna* illi in dorso post cervicẽ unica est, parva, quatuor aut quinque fibris

fibris elata, post branchias duæ: quarum prima, faucesque proximè spectans, aculeo constat osseo, duro, quo infestos sibi pisces arcet, &c.

Venter magnus est, deformis, & subalbidus, obscurè fuscis lituris cõspersus. *Cor* inter branchias utrinque quaternas situm est, à reliquo diaphragmate separatum, quod gula ampla perforat, à qua ventriculus dependet, & intestina, quæ unica revolutione in anum desinunt. Ventriculo incumbit *Epar*, ex rubro pallens, duobus lobis distinctum, cui vesicula fellis diluti aquei, adhæret. Dorso adjacet vesica simplex, peritonæum candidum est.

Ad multam magnitudinem excrescit: non solum enim ducentarum librarum, sed maior etiam capi solet. Gesnerus testimonio eruditi cuiusdam Ungari in Tibisco, qui Daciæ fluvius Danubio miscetur, aliquando captum fuisse scribit septem vel octo cubitorum, plaustrum occupantem: eum in fluvio annis sedecim sub culina Viri cuiusdam nobilis latuisse: hamo tandem inescatum esse, dum fæturam suam custodiret: ubi se captum sensit exsiliisse; secutos impetum eius piscatores ad milliaria duo, denique defatigatum cœpisse: barbas eum supra infraque os habere, rictum latum, caudam versus attenuari. *Dentes* habere instar pectinis illius quo laneę vestis depectuntur, à carduis denominati vulgo: squamis carere: in aquis cœnosis *versari*. Ipse vero Gesnerus dentes habere negat, sed labia limæ instar exasperari, atque ita prædam facilè retinere: retentam mandere & comminuere: ei opus non esse, sed faucibus & gula maximè patentibus integram vorare. Idem & in Viadro apud Silesios tantum esse scribit, ut captus, impositus currui, plerumque ultra currum emineat. Variat ab isto ille cuius Gesnerus Iconem sub Siluri tertii nomine ponit. Piscis, inquit, Similitudinem aliquam cum Mustelis fluviorum & lacuum habet. Oculi sunt parvi: barbulæ fuscæ, non longæ, è crassiusculis paulatim attenuantur; binæ superiore labro, ternæ inferiore. Pinnæ ad branchias binæ, in dorso nullam ostendit pictura, sed tantum carunculam quandam mucronatã eminentem, qualis & in Mustela palustri maiore, eodem fere loco visitur. In ventre vero una & continua longissima pinna ad caudam usque albicat, maculis distincta fuscis. Corpus à capite retrorsum subinde attenuatur, finis latiusculus & obliquus est, & quid miteris nullam caudæ pinnam habent. Os magnum & latum. Capitis colore cæruleo subviridis; reliquum corpus viridi & flavo colore mixto pingitur, sed maculas etiam diversi coloris habet. Huius generis duos in suo stagno civis quidam aluit, qui cum ante annos triginta sex, (verba sunt Stuibii ad Gesnerum) ad Hundsfelden in Rheno cum aliis piscibus illis quos Argentinæ vocant Rufelken, simul nassa capti essent, vix digiti longitudine, & Argentinã in forum advecti, à cive quodã raritatis gratia empti, in piscinam coniecti sunt, in qua alter ab eo tempore usque adeo excrevit, ut jam sex cum dimidio pedes meos (hominis mediocris proceritatem aut amplius) longitudine contineat. Caput qua crassissimum est, filo complexus, duorum pedum & dimidii fere circumferentiam deprehendi. Alter huic per omnia similis, sed longitudine longe est inferior. Maior ille piscibus quibusvis, excepto carpione sive vivis sive mortuis, *vescitur*. Hyeme nihil quicquam gustare unquam visus est. *Cornua* quæ supra & infra os habet, quotannis decidunt, & rursus nova succrescunt, sicuti cervis.

Reperiebatur in pluribus fluminibus tempore Æliani; temporibus Plinii præcipuè in Mœno, nisi Rhenum velis legere. In Aeno grassatum quem quidam Mœno & Rheno substituunt prope Visbium, quod ad eius amnis ostia conditum Aventinus prodit, tanquam loco magis cænoso, verisimile est. In Cydno Ciciliæ fluvio procreatos sed minutos, quod eius confluens nitidus & frigidus a-

Ælian. H. A. l. 12. c. 29

pud Ælianum habetur. Pyramus, Sarus, Orontes plurimos producunt, quia limosi; nec pauciores in Ptolomæorum fluvio, Apamiēsi stagno. In Bubasto Ægyptia cicures alūtur plurimi. Strabo, & Athenæus, dū Siluros in Nilo esse scribunt, Glanides intelligunt, nō Sturiones. Nam qui è mari fluvios subeunt, præter Delphinum Mugilē & Alosam, nullus alius Nilum intrat propter Crocodilos. Plinius dū maris peculiarem facit Gladinē, fallitur. Expressè Schonfeldius. Fluviatile hoc animal est, nec unquā aquam salsam ingreditur: ubi circa Hāburgū capitur, statim Albis ex aquis pluviis aut nivalibus exæstuantis metus est, quas ut passim ex locis montosis, stagnis seu lacubus collectas, fugiens, Silurus cedit, & partes Albis spaciosiores sequitur. Reperitur & in Istro, Tibisco, Vistula. In Helveti. stagnis paucissimę capiuntur in Bernensibus Neocomensi & Moretano aliquando. *Vescitur* carnibus; nec minoribus duntaxat pisciculis ventrē implet, sed & in maiores, imo homines & equos grassatur. Captū in Pannonia fama receptū, in cuius visceribus humana manus ornata annulis reperta sit. Puerum in Danubio ad Posoniam natantē ab hoc pisce devoratum, & in capti visceribus fragmenta eiusdē reperta, à fide dignis Pannonibus proditū est. In eius, quem sub culina viri cuiusdā Nobilis latuisse supra diximus ventre, caput humanum cūm dextera manu & tribus annulis aureis inventum est. Aristoteles dentibus dūtaxat valere, & ἀγκιστροφάγον esse scripsit. Cauda cōcussa, pisces præsertim minores ori admovet. Caniculæ exortu sideratur, & alias fulgure sopitur. De *Coitu* & partu apud Aristotelē legimus. Cohærentes fœtus edere, sicut & ranas. Maiores profundis aquis parere, quippe nonnullos etiam ubi senum pedum altitudo sit: minores, locis brevioribus ferè ad radices salicis, aut alterius arboris cuius piā, juxtaq; arundines, atq; etiam muscū. Tardissimum eis ex ovis incrementū: atque idcircò assidet mas, quadragenos, quinquagenosq; dies, ne devoretur fœtus ab occurrentibus piscibus. Eodem quoq; die, aut etiā post, capiunt ova incrementum, quæ contigerit semen. Glanii ad erui magnitudinem. Quantum ad *Vsum* in cibis, Salvianus durā carnem habere scribit. In Germania & Polonia pinguis est, & boni saporis: laudaturq; in cibo tum recens, tum sale conditus. Circa festum Iohannis optimus est, trium librarū inprimis. Obsonatores venā candidam, quam per spinam dorsi tenuissimo tectam involucro, transire, Benedictus Martinus scribit, tanquam venenatam eximunt.

Plin. H.N. l.32.c.11.

Arist. H.A. l.9.c.37.
Aristot. H.A.l.8.c.20.
Aristot. H.A.l.6.c.14.

CAPVT V.

De Barbota Gallorum.

A Glani, licet maximo pisce, non malè de hoc parvo dicetur, ob corporis barbæq; similitudinē. Galli vulgo Barbotam vocant, non à barbis (inquit Bellonius) aut arunco, sed ex hoc, q Galli barborare, cœnum & lutum rostro, anserum modo commovere dicunt. Ipse Clariam fluviatilem vocat, sed cum Lota Lugdunensiū de quo suo loco; implicat. Anguillæ, aut Congri modo glabram *cutem* habet, atq; idem caput. Cirro recto breviq; & simplici in maxilla inferiori barbatur. Continuā in tergo pinnam gerit mollem, ad caudam (quę illi rotunda est) desinentē. In nonnullis duas pinnas, ut in Icone quam à Bellonio missam ex Rondeletio exhibemus; in tergo videas: quarum exigua est, quæ capiti magis est vicina, sed & inter anum & caudam rursus aliam pinnam gerit: unam præterea utrimque in lateribus circa Branchias, quas utrimq; quaternas habet: duas vero sub vētre capiti multum propinquas. Cęterum duos in inferiori maxilla habet denticulorum ordines admodū parvos: atq, in superiori maxilla totidem, ut nihil quam asperitas in eis sentiatur: nam alios etiam in fornice palati gerit. Tergus & latera fulvum vel sublividum colorem habēt: *venter* autem albicat. Semipedalem non excedit longitudinem. *Hepar* lobum oblongū ad sinistrum latus demittit, sub quo est

TAB. XXVII. 9.

Bellon. de Aquatil.l.2

est *Stomachus*. In pyloro apophyses; seu cęcos viginti quinque connumerare potes: *lienem* quoq, videas, neq, dextro neq; sinistro, sed in medio spinastomacho inhærentem. *Anus* eius propinquior est capiti, quam caudæ. *Intestina* pluribus quam tribus inflexionibus non circumducuntur. *Ova* in bicorni vulva fert utrinq; permulta. Huc ferè Bellonius. Vita & moribus cum Lota Lugdunensium convenit. *Hepar* magnum habet ac delicatum; Carnem quam Lota glutinosiorem: mucore & cœno vescitur, in eoque delitescit.

CAPUT VI.

De Mustella fluviatili & lacustri.

TAB. XXVIII. 6.7.8.9. *Aldrov. de Piscib. l. 5. c. 7. Cardan. Variet. Rer l. 17. 37.*

QVam nos Mustellam vocamus, illā Iovius inter Larii pisces Trisium Latine dixit. Mediolanēses Bottam vocāt, seu quod utri similis sit, ut Cardanus scribit; seu quod capite ranas referat. Insubr. alii Botetrissias dixere. Specie fluviatiles è Lacustribus apud suos differre Gesnerus asserit; Esse enim minores, colore nigricare, carne albiore, solidioreq; in cibo lautiores; duabus per dorsum piñis, quāobrem separatim etiam describit. Cæterum corpus ait esse utrisque lubricum sine squamis (licet quibusdā, inquit, squamulæ minimæ radendo appareant) flexuosum, quod caudam versus attenuatur veluti in tæniam. Coloris varietas maculosa, pinna ab ano ad caudam ferè, oblonga. Binæ omnibus ad branchias, & binæ aliæ eodem circulo inter caput & ventrē: pupilla *oculorum* alba, pars ambiens nigra. Branchiæ quaternæ simplices. *Caput* magnum, latum, & veluti compressum. In cerebro lapilli. Os grande rescissum. Barbulæ circa os infra supraque; numero & magnitudine differentes in diversis generibus. *Dēntes* nulli, sed veluti in lima exasperatū os. Voracitas, piscium quos devorare possunt. *Caro* mollis & dulcis. *Iecur* magnum. In delitiis *Vesica* (aut folliculus) nulla, *intestinum* parum anfractuosum, fere simplex. Stomachus: ab eo ventriculus, & in circuitu multæ appendices. Iā vero *Botarissiam fluviatilem fœminam* (eam intelligit quā nigricantem modo dixi.) Ianuario mense diligenter contemplatus his verbis (ex quibus tamen etiā nonnulla aliis huius generis speciebus conveniūt,) descripsit. Piscis est forma & flexibus serpentē ferme referens: Capite lato, caudam valde versus attenuatur. *Brachiæ* ei quaternæ. *Pinna* ad latera brachiarum utrimque una nigricat: & aliæ duæ paulo inferius in pectore parvæ albicāt à podice exorta una oblonga, paulo citra caudam desinit: itē in dorso oblongior alia, ultra mediū dorsum continua tradit: & alia ante ea minor caput versus, quā pictor in Icone per in curiā nō expressit. Pinnæ omnes molles sunt & sine spinis. Carūcula sub mento pili instar prominet. *Cauda* non bifurca, sed circularis, nusquam omnino divisa, sed ubiq, sibi instar membranæ cōtinua: Colore vario, è fusco & nigro dorsum tenerum albicat: latera juxta dorsum minimis punctis nigris in colore subalbido distincta sunt. *Os* aperitur hiatu rotundo, totus piscis sine *squamis* & viscosus est. Maxillæ minimis *denticulis* serratæ. Color subalbidus (linea subalba nimirum) à capite incipiens obliq; per latera caudā versus procedit. Nam cauda in colore nigricante variat. Membranea vero caudæ extremitas partim nigricat partim subflava est. *Lapillos* duos in capite gerit, albissimos & bene duros, figura & magnitudine granorum oryzæ. *Lacustris* modò in Trissia in Griffio lacu capta ab eodē considerata huiusmodi erat: Longa dodrantes, duos cum palmo: filum ambiens Ventrem triū palmorum. *Denticuli* minimi, frequentes, ut serpentiū. Superior pars oris duos ordines dentium habet, unum scil. interius in medio, cui nullus respondet infra. Sunt & in intimo oris recessu, duo denticulorū ordines seu in maculis duabus. Brāchię quaternę. *Squamulæ*, rotundæ minimæ, quæ dū pellis cultro raditur, apparent, in parvis generibus v. tum fluviatili, tum Lacustri luteo minore nullo prorsus, per *cutim* passim

passim ceu foramina, ceu puncta cava rotunda, conspiciuntur; quæ si quis caput versus validè radat, albissima videntur: sin iterũ caudam versus, rursus obscurẽtur. In *ventre* meatos duo; *unus* excrementi, alter genituræ: *qui* compressus lacteo succo manabat. Et rursus alias *alia ex lacu huiusmodi*: subflava, punctis nigris, barbula à mento demissa, albicans. Ante initium pinnarum in *dorso* carnosa particula, mollis, teres, intusq; cava, prominet. Inde mox sequitur pinna brevis, longitudine pollicis: deinde una continua, octo vel novem digitos longa, ab ea nudum pinnis dorsum est, per tres fere digitos: cum sequuntur aliæ duæ parvæ, triangulares fere, inter quas digiti propemodum spatium intercedit: ex quibus infima & ultima, minor & caudæ coniuncta est. *Fel* subviride: vesicula eius tum jecori tum intestinis affixa. In ventriculo pisces duo integri erant, uterque digitos septem longus, tres latus: nec aliud quicquam. Pondus totius, unciæ quinquaginta. Coctæ pellis subviridi & deformi colore erat, caro albissima, bona, satis solida. *Iecur* album, non ut in minoribus subruffum, grande, suavissimum. In *alia Trißia parva, fluviatili*, forte digitos decem longa, pinnæ dorsi inquit, sic sunt. Primum, caruncula illi brevis non est, sed pinnula digito brevior: & minimo spacio intercedente, alia duos digitos longa: deinde post spatium duorum digitorum, alia paulo brevior, media, & mox cauda. Rursus ab hac differt alia, paulò longior, (ut semel animadverti: non enim simpliciter hæc accipi debent, quod ad magnitudines & colores) cui minus erat flavi in corpore, plus nigri, & eius splendidioris. Primum enim pinna illi brevis est, deinde una longa continua usque ad initium caudæ: Ergo magna Trissia lacustris; præter carunculam illam, pinnas in dorso quaternas habet; ex minoribus, nigricans binas; luteola verò maior ternas, minor binas: si modo species duæ sint luteolæ: quod accuratius considerandum est: Minoribus lacuum Trissiis pinnæ in dorso binæ, adeo propinquæ invicem sunt, ut unica putentur: Colore fusco, non pulchro. Differẽtia à pinnis certior: nam colores multas ob causas variare possunt. In Rheno supra Acronium lacum aliquando ad tres libras sedecim unciarum accedunt. Constantiæ tanta capta, ut drachmis duabus cum dimidia venderetur. Captæ & Pragæ aliquando, pulcherrimæ, coloribus distinctæ, flavo, croceo, candido, roseo, atro, oculorum pupilla nigra, parte ambiẽte cęrulea. Nigriores circa ripas fieri, magis in profundo flavas, quibusdam placuit. *Carnivoræ* sunt, nec ullus piscis pro sua magnitudine maiores pisces devorat. Profunda petunt, adeò, ut Albertus scribat, in lacu circa Cõstantiam ad trecentos passus sub aqua hamis extrahi: sæpe cum ranis extrahuntur; quæ quia illis ore adhærent, tanquam exsugendi cibi gratia, ideo ore cum ranis aquaticis coire, quidam prodiderunt. *Parere* incipiũt Decembri, alicubi & Ianuario. Solæ piscium senectute *obcæcantur*. Maximè commendantur *in cibis*, illæ in primis, quæ in puris rapidisq; fluviis degunt, quod candidiorem ac solidiorẽ carnem habeant. In jecinoribus tanta saporis gratia est, ut apud Thuringos olim comitis cuiusdam Bichlingorum matronã, omnes, dicant, principatus sui reditus in eorum delicias consumsisse. Laudãtur hæc præcipuè ante Natalem Dominicũ: circa partum improbantur, quod hoc tempore nonnullis in aquis grandinosa fiãt. *Ova* aiunt semper valde noxia esse, quibusdam in locis, ut circa Neocomensem lacum Sabaudiæ. Caupones aliqui excisis jecinoribus, pisces vivos aquæ reddunt, consuto prius vulnere. *Ventriculũ* huius piscis cum suis appendicibus miras habere vires tradit Encelius. In veteratum enim, ut fit (inquit) in Saxonia à matronis, trahere mirifice secundas hærentes aut relictas in partu, in potu datum: & magni momenti esse ad omnia vitia matricis. In Suevia passim in Cauponis & diversoriis parietibus hęrentes hi vẽtriculi

triculi circa Zetarum fornaces visuntur, ab edentibus illuc reiecti, ut exsiccati serventur, & cum potione aliqua hausti à colios cruciatibus liberent. Colligi aiunt & oleum ex hepate ad solem vel ad fornacis calorem suspenso, intra vas vitreum: clarum id & flavum esse, adversus oculorum suffusiones utile, item nubeculas & maculas, quæ ab angulis oculorum nasci incipiunt.

N. *Mustelæ marinæ Iconem vide Tab.* 46.

CAPVT VII.

De Piscibus Fossilibus.

TAB. XXVIII. 8. *Aldrov. de Piscib. l. 5. c. 9.*

PIsciumFossilium & Veteres & moderni meminere. Ex illis ita de eorum natura & ortu Theophrastus. Pisces alicubi fossiles sunt, ut circa Heracleam & alibi in Ponto. Nascuntur autem circa fluvios, & aquosa loca, quæ cum siccantur (certis temporibus) paulatim, pisces subinde humorem sectando terram subeunt: qua demum siccata, remanent in ea, veluti vivi sepulti, vel ut animantia quædam in suis latibulis hyeme condita durant, sine sensu ferè & motu torpida. Quod si loca illa priusquam denuò aqua accedat, fodiantur, pisces illi moventur. Sic & in Ponto contingit pisces glacie & gelu occupari, neque sentire, aut moveri prius, quàm in ollas coquendi injiciantur. Præ cæteris autem Gobio hoc accidere videtur. Ferè autem fossiles pisces fiunt, eo quod ab inundatione fluviorum, in locis quæ resiccantur, vel ova, vel alia principia gignendis idonea piscibus relinquuntur. Nonnulla enim non ex ovis oriuntur, ut Anguilla & Centriscus. Et hoc in Heraclea, circa Lycum fluvium contingit. Principia autem hæc in terra relicta, perficiuntur, durantque. Neque absurdum est hos pisces durare.

Multa enim huiusmodi animantium exiguo egent nutrimento, sicuti serpentes quoque & quæ latibulis se abdunt. Primum scilicet ipsa ova humore è terra manante, deinde eodem nati ex ovis pisces nutriuntur. Ad magnitudinem tamen aliquam eos excrescere neque verisimile est, neque fertur, cum & loci angustia & alimenti penuria impediant. Cæterum durare in aere hi pisces non æquè valent, ac illi qui ab aquis ad pastum egrediuntur; qui scilicet exigua refrigeratione, & quæ ab aëre eis præstari possit, indigent; nam vel ipsa branchiarum angustia indicat, non multa refrigeratione eis opus esse; quamobrem & Anguilla tum in aere multum temporis vivit, tum in aquis turbidis illico suffocatur. Et similiter fossiles pisces à terra eos ambiente, quantum satis est, refrigerantur. Sed quod circa fossiles in Paphlagonia pisces contingit, peculiarem & abditam rationem habet. Illic enim profunde admodum multos & bonos pisces effodi aiunt: cum neque inundare aquam animum iis in locis neque aliter colligi animadvertatur, unde semina & principia generationis relinqui dicimus. Reliquum est ut sua sponte nascantur, idque continuò. Neque enim coire inter se possunt. Aut igitur hoc fieri existimandum est ratione loci, qui humidus sit, & omnino ferax huiusmodi piscium propter certam humidi calidique commoderationem. Oriuntur autem & alii quandoque quidam pisces spontè; aut humores quosdam alicunde manare cogitandum est, qui generationis principia secum adferant: quæ mox locus idoneus & recipiat & alat. Præterea hoc inquirendum de utrisque, tum illis qui in aere vivunt, tum fossilibus, utrum in aquam immissi vivere valeant, aut in proprio duntaxat loco, qui eis naturalis sit, sicuti sua & marinis & fluviatilibus aqua. Nam ex his quoque non nisi pauci mutationem sustinent. Nam qui in aquis resiccatis terram subeunt, & qui glacie gelati detinentur, iis familiarem esse humorem magis quam aliis (è fossilium genere) constat. Ergo piscium

alii ſimplicis naturæ videre debent, alii amphibii ſecundum Democritum, ut & aliæ quædam animantes. Vtuntur enim aere quædam (ex aquaticis) ut prædictũ eſt. Theophraſtum ſequitur Plinius , dum inquit: Circa Heracleam & Cromnam (aliàs additur, & Lycum amnem: probè nimirum, mox enim ſequitur) eodemque Lyco amne , & multifariam in Ponto unum genus eſſe Theophraſtus prodit, quod extremas fluminum aquas ſectetur , cavernasque faciat ſibi in terra, atque in his vivat, etiam reciprocis amnibus ſiccato littore, effodi ergo: motu demum corporum vivere eos approbant. Circa Heracleam eandem eodemq; Lyco amne decedente, ovis relictis in limo, generari piſces , qui ad pabula petenda palpitent , exiguis branchiis , quod fieri non indigo humoris , propter quod & Anguillas diutius vivere exemptas aquis. Ova autem in ſicco maturari, ut teſtudinum. Eadem in Ponti regione apprehendi glacie piſcium maximi Gobiones, non niſi patinarum calore vitalem motum fatentes. In his quidem, tametſi mirabilis, eſt tamen aliqua ratio. Idem tradit in Paphlagonia effodi piſces gratiſſimos cibis terrenos, altis ſcrobibus , in his locis , ubi nullæ reſtagnant aquæ, miraturque & ipſe gigni ſine coitu. Humoris quidem vim aliquam ineſſe , quam (qualem &) puteis arbitratur , cum in nonnullis reperiantur piſces. Quicquid eſt, hoc certe minus admirabile talparum facit vita ſubterranei animalis , niſi fortè vermium terrenorum & piſcibus natura eſt. *Neotericis* eſt piſcis foſſilis ille, quem Germani *Beisher*, alii Peiſher , quidam Meerputten vocant. *Duorum* ſunt Agricolæ *generum*. *Maiores* nempe, & *minores*. Sonum omnes edunt acutum. E fluminibus , quæ currunt in locis paludoſis egreſſi, per riparum venas longius , & interdum in proximi oppidi cellas , neque ſubterraneas penetrant. Quidam Eruditi *Muſtellam foſſilem* vocant , eamque ita deſcripſit Fabricius. Longitudine eſt palmi craſſitudine digiti, quanquam multò maiores etiam reperiuntur. (Agricola palmos quatuor longos maioris eſſe ſcripſit.) Dorſum coloris cinerei : cum punctis multis, maculisque tranſverſis , partim nigris, partim cæruleis. In lateribus linea utrinque nigra & alba. Venter flavus cum maculis albis, & punctis rubris ac nigris, ita parvis ac ſi acu factæ eſſent. Ab ore carneæ particulæ eminent, quos nando extendunt, extra aquam contrahunt. In Miſena trans Albim duobus locis, quod ſcio fodiuntur. Ad Polnitium amnem; prope Orlrantem: & ad Dobram rivum prope Hanam oppidum dum. Item in pratis ad Rederam fluvium copiosè effodiuntur, ſi flumen inundet. Ex terræ cavernis etiam ingrediuntur lacus & paludes: Cum aquæ extra ripas excreſcunt, è terra prodeunt : aquis autem reſidentibus , in pratis campis relinquuntur, & ubi greges ſunt, relicti vorantur à ſuibus. Sordes amant, & in cloacas, quæ alia purgari ratione nequeunt, iniecti, omnia conſumunt. Cum in rivis paludibusque capiuntur recentes, ſolent à tenuioribus etiam menſis adhiberi. Serviunt imprimis fraudi agyrtarum, qui eos alunt, & vitris incluſos multitudini oſtentant pro ſerpentibus, quia forma à parvo ſerpente non multum figura differunt. Sunt qui eos ſpirare putent. Ubi enim plures huius generis piſces ſimul ſunt, ſpuma ſupra eos effertur. Vitro incluſi ore anguſto, *creſcunt*, & ſuo quodam ſucco vivunt uſque ad ſemeſtre.

CAPVT VIII.

De Lampetra Fluviatili, & Vario, ſeu Phoxino lævi.

QVam nos *Lãpetram fluviatilem* dicimus, in Tholoſſanis Chatillou, à titillatione, quod cum manu tenetur, TAB. XXVIII. 10.11. *Aldrov. de Piſcib. l. 5. c. 9.*

tur, quasi titillationis sensu variis fluxibus videatur contorquere se & elabi; Germanis Neunaug seu ἐννεόφθαλμος dicitur. Marinis, inquit Rondeletius partibus internis & externis & colore similes, sola magnitudine differunt: quædam enim magnitudine: aliæ vermibus terrestribus crassioribus assimilantur. Caro est tenax, *spina* nulla; pro spina dorsi, unus continuus nervus cavus, quo *humor* albus continetur, simplex, absq; ullis nervorum costarumve ramulis. Intestina tenuissima. *Ventriculus* vix apparet: nec mirum cum solo suctu vivat. Foramen in capite supra, sicut Lampetræ maiores, habet. In fluviis & rivulis in quibus capiuntur, nasci vel indeliquet, quod nullis marinis Lampetris ibi aditus patere possit, cum neque illi in mare confluant, neque mare cum iis ulla parte sit coniunctũ. Capiuntur sæpius reti cum Variis sive Phoxinis pisciculis. Vescuntur luto & aqua, iisdem Locis degunt quibus vermes: Autumno in brunam usque in Albi capiuntur, torrentur recentes in craticula, aceto condiuntur, & vasis ligneis exceptæ, in varia loca distrahuntur. Vernis quadragesimo jeiuniis gratum delicatulis obsonium. Salitæ item leviter, fumo indurantur. Carne sunt satis molli & glutinosa, quod quantulumcumque est vitii, conditum & coctum facilè beneficio corrigitur, nisi aquæ in qua vixerunt vitio, plus solito virosæ fuerint.

TAB. XXVIII. 1. *Aldrov. de Piscib. l. 5. c. 10.*

VARIVM seu PHOXINVM lævem, Romani *Morellam* quod nigris punctis & tenuissimis lituris sugilletur, Insubres Sanguinerol à rubore, dicunt: Rondeletius à Græcis quibusdã ἐρυθρόφθαλμον vocari scribit. Germ. Elriß. Diversis toto corpore coloribus depingi hunc pisciculum ex diversis inprimis nomenclaturis ostendi potest. Dorsum (inquit Rondeletius) aurei splendoris est, venter argentei, *latera* purpurascunt, Cauda in pinnam auream & latiusculam deficit. *Cute* lævi integitur, punctis notata, nigris nempe. Pinnę laterum multum ad ventrem tradunt: quarum radices, quæ corpus pertingunt, rubro sunt colore perfusæ, inde sanguinaria dictus. Nigricat quoq; in tergoribus per intervalla. Linea quæ latera utrimque secat arcuata est. Digiti longitudinem seu palmum, nunquã excedunt. Circa lacuum & fluviorum oras aquis stagnantibus capiuntur reticulis. Bellonius *ovis* semper prægnãtes esse asserit, ideoque Aristoteles Phoxinum esse autumat. Gesnerus vero sexu distingui dum ait, coire invicem etiam insinuat; quin, quod si (inquit) Phoxini, minimi isti pisciculi sint; nil mirum si propter parvitatem mediocres etiam ex eis nuper nati videantur. Verum nec ipse Aristoteles simpliciter nuper natos, sed verbis ὡς εἰπεῖν, id est, prope dixerim, additis, gravidos capi tradit. Verisimile est autem tantillos pisciculos, sicut & mures inter quadrupedes, brevi tempore perfici & generare posse. Carne est molli & satis suavi: sed non nisi evisceratus coquendus est.

CAPVT IX.

De Salmerone, seu Salmerino.

TRidentini, piscem sibi peculiarẽ, *Salmerinum* vel nomine ab Salmone detorto, quo cum carnis rubedine convenit, vel quasi Salmonem lacustrem, nuncupant. Aldrovandus à Cardinale Madrucio acceptum ita descripsit. Corporis forma pinnarum, numero ac situ cum Truttis ac Salmonibus fere convenit: Cæterum squamis caret; etsi squamosum esse profiteatur Salvianus: Capite est rotundiusculo, retuso rostro. *Oculorum* pupillam nigram aureus, qui in mortuo postea fuit ruberrimus, circulus ambit: aequam maxime splendens. Ante eos foramina duo, auditus vel olfactus instrumenta, rotunda, manifesta. Oris maxilla inferior nonnihil recurva, Unco sursum vergente: estque tota ea mandibula alba. Lingua eiusdem coloris, item palatum.

TAB. XXVIII. *Aldrov. de Piscib. l. 5. c. 11.*

Totum os insigniter dentatum. Piscis ipse rotundus potius, quam latus est. Pinnæ sunt numero septem, omnes sine aculeis: quinque supino binæ prono corpore, juxta branchias duæ, totidem in medio ventre, quinta ac postrema à Podice, longæ omnes à latæ. Quæ ad branchias sunt, triplici colore præditæ. Ubi enim longiores sunt, hoc est, in ipso exortu, albicant, mox totæ rubent, exceptis nervis, qui nigricant, reliquæ tres sicuti in exortu magis quam illæ albent, ita quoq; rubedo in his intensior est, nigredine vero plane carent. Priores quatuordecim nervis constant, subsequentes novem, novissimæ decem: quæ vero in medio fere dorso cõspicitur, duodecim nervos habet, altera non longe à cauda, iis caret, mollis & cutacea, ut in Truttaceo genere: malèque ceu nervosa à Salviano expressa est: utraque dorso concolor, id est, nigricans. *Cauda* Lunata est, eiusdem coloris, non rubra, ut ille ait. Podex in imo ventre juxta exortum posterioris pinnæ. A branchiis ad caudam linea exilis, recta ad caudam usque fertur asperiuscula. Latera nonnihil albicant, & nunc rotundis, nunc oblongis, iisdemque nunc maiusculis, nunc exiguis maculis subfulvi coloris consperguntur. Totus venter coloris fermè crocei, aut vulgaris minii. *Vterum* habet admodum procerum atque latissimum, utpote qui totam corporis capacitatem occupat, ovis refertus eiusdem fere magnitudinis, fulvis auroque resplendentibus, margaritas aureas diceres. Intestina alba, pluribus circumvolutionibus intorta. *Iecur* breve, latum, unico duntaxat lobo constans, flavescens. Vesicam fellis invenire non licuit. *Lien* maiusculus ex atro rubens. *Vertriculus* longus & carnosus. Caro, ut in Salmone, rubra. Longitudo totius piscis à capitis initio ad caudæ extremũ, Spithamas binas explet. *Locum* si attendas, in lacubus Tridentinorum montium capi innuit. Salvianus in frigidissimis & saxosis fluminibus nasci prodidit. *Vescitur* piscieulis, & in horum defectu, recrementis. Quin singuli capiuntur, ideo solitarios esse concludimus. *Coit* in fine Novembris & Decembris. Piscis est, si quis alius delicatissimus. Caro ei tenera quidem, & quæ brevi tempore putrescit, sed minimè viscida, satisque friabilis.

TITVLVS III.

De Piscibus, qui præter fluvios alias quoq; dulces aquas incolunt.

CAPVT I.

De Perca Maiore.

TAntum de Piscib. Fluviatilibus, tam squamosis quam lævibus sufficiat, sequuntur illi qui præter fluvios alias quoque aquas dulces incolunt: *Perca* nempe *Maior*, *Perca fluviatilis minor*, *Scrollus*, *Pungitius Alberti*, *Alburnus Ausonii*, *Epelanus fluviatilis*, *Lucius*, *Cyprinus latus*, *Ballerus*, *Tinca*, *& Lota Gallorum*. TAB. XXIII. 13. 14. TAB. XXIV. 9.

PERCÆ MAIORI, quæ Germanis Baers & Bersich, corporis figura lata & compressa est: *rostro* prominenti non aliter quam marina, verum non adeo acuto: Ore etiam ut illa mediocri, imò pro corporis ratione parvo. Dentibus caret, sed labia habet denticulis horridula, ut Bellonius testatur. Squamis tegitur parvis ac aridis, quæ difficillime à corpore avelluntur, maximèq; ancillis fastidio esse solent. Color ei varius, vẽter nempe; Corpus reliquũ fere cineraceum; nigricãtibus quibusdã ac latis maculis à dorso descendentibus (non aliter ac in marina) latera depingentibus. Pinnæ ac cauda rubescunt. In *fœmina* v. nihil, vel parum saltẽ. *Pinnæ* in tergore duæ, quarũ quę capiti proxima, maior est & aculeata, posterior minor sine aculeis: totidẽ ad Brãchias quos Rondeletius altiores esse putat, quam *Aldrov. l. 5. c. 33.* *Bellon. Aq. l. 1.*

quam in reliquis fluviatilibus: totidē item in ventre: quæ vero ab excrementorum est orificio, aculeo crenato vallatur. Brāchias habet utrimque quaternas easque duplices, id quod Aristoteles quoque vidit. *Cauda* bifurcatim dividitur. Ad maiorem *magnitudinem* excrescit, quam marina: nam & trilibris aliquando capi solet inquit Salvianus: in Lario lacu ad pedalem etiam teste Iovio magnitudinem. In Suerinensi vero lacu ulnam id est cubitum æquare Gesnerus intellexit. Ventriculum habet mediocrem; intestina pauca & tenuia, *hepar* subpallidum: à cuius maiori lobo vesica pēdet, in qua fel est tenue & aqueum: *Lien* subrubet. *Lapillos* habet in cerebro. Plinius eam mari & fluviis communem facit, sed perperam. In dulci enim aqua vivere & usu, & Aristotelis Ausoniique testimonio, qui eum cum Cyprino, Glanide & aliis nominat, constat. Ælianus in Danubio capi scribit. Rhenus eo caret, forte quod altiores aquas amet. Præcipua in Verbano lacu & Pado flumine producitur, prodente Platina. Fama est Larij lacus Percas fuisse advectitios & inquilinas, tralatis scilicet è lacu Eupyli, qui Lambrū emittit amnem, seminibus. In omnibus *jecur* grandine affectum est, nec quoquam alio vitio laborant. *Devorant* alios pisces tum proprij generis sobolem. *Pariunt* circa littora & frutices ut Aristoteles prodidit, in Helvetiis lacubus verno tempore in profundo, Aprili & Majo mensibus, ut Gesnerus. Partus tempore facile capiuntur in Sleia, & frequenter, hinc à littoribus ad pastum excurrunt, vaganturque locis spaciosioribus. Circa Iohannis festum rursus capitur, dum littora ex profundo repetit. Lucio læso opitulari, fabulosum puto; nec ille huic parceret, nisi propter pinnas cogeretur. Gesnerus narrat, piscatores in Lemanno lacu observasse, Percas hyeme emittere per os *Vesiculam* quandam rubram ex ore pendentē; quæ vel invitas, inquit, supernatare cogit: coniectant autem id ab eis fieri præ iracundia, quod in retia incidere: hoc enim tum maxime pari, cū retia trahunt piscatores: sed mirum esse quod hyeme tantum id ipsis accidat. De ipsarum *Salubritate* diversæ sunt Authorum opiniones. Rondeletius dotibus illis quibus marina instructa est carere, scribit. Gesnerus Rhenanas, & quæ in fluviis & lacubus maioribus purioribus versantur probat: quæ in minoribus minusque puris aquis degunt, non item. In Gallia summam alendis febricitantibus dignitatem obtinent, si Iovio credimus; In Italia quæ in Lario lacu laudatissimi, eadem ad pedalem magnitudinē crescunt, & maturescentibus præsertim uvis, ab ipso pingui & præteneris interaneis cōmendantur. In Germania quovis anni tēpore, April. & Mart. mensem si excipias, laudantur. Ausonius in pretio habitam fuisse testatur alibi inerti gustu prodidit. Minimas quas *Hornas* cognomināt, coqui peritiores vino calido immersas elixant. Maiusculæ propter spinas & aculeos pinnarum dorsi, vescentibus molestæ sunt: in minimis propter teneritudinem nō curantur. Parvulæ etiā, butyro frigi solent, frequentius q̄ulli alii pisces. Circa Verbanum lacum Percas modice apertas, verubus ligneis transversas inserunt & assant: semissas butyro illinūt. Ibidem omne genus pisciculorum ad solem inveterant, maxime vero Perculas. Vulnus aculeis pinnarum dorsi inflictum, non facile sanatur.

Aristot. H. A. l. 6. c. 14.

CAPUT II.

De Perca Fluviatili minore.

PErca *fluviatilis minor*, quibusdam *Cernua*, & *Acerina* medici Plinij, Straboni *Porcus Niloticus*, quia porcū continente spinarum serie admodū setarum mentitur, Trago *Aurata fluviatilis*, quod extra aquam educta ac suo humore detersa, aureo fulgore in Cæruleum abeunte insignis sit; Caio Anglo *Aspredo*; Pictorio *Aspretilis* dicitur. Piscis est toto corpore asper, pinnis spinosus.

TAB. XXIV. 8. *Aldrov. l. 5. c. 34.*

Percæ forma & magnitudine, colore per summa fuscus, per ima cum pallore flavus; duplici per maxillas semi-

ſemi circulorum ordine notatus: oculo ex dimidio ſuperiori fuſcus, ex inferiori ſubaureus, pupilla niger. Linea per dorſi longitudinem porrecta, & veluti filo trāſverſo corpori affixa ſingularis: notis per caudam atq; pinnas nigris maculoſus: quæ, *pinnæ*, cum ira ſubeſt, inhorteſcunt: cum animo conquieſcunt, reſident. Bellonius ſcribit nullum alium *Channam* exanimem melius exprimere: mortuum n. hiare & oris rictum apertum tenere. Idem ait, recens *captum* hilari quadam ac ſubvirenti opacitate ceu pavonis torqueus, refulgere: imo vero extra aquam eductum, ac ſuo humore deterſum, aureo fulgore in cæruleum abeunte inſignem eſſet. Percam plurimum æmulari, niſi trāſverſis lineamentis (quæ Percæ inſunt) careret: oreque magis eſſet recurto. Hoc potiſſimum ſigno dignoſci, qui ſpineum branchiarum regumentū, crenatum ut in Lupo & ſua rima luxatum habet. Ubi autem lineæ quæ piſcium latera ſecat, ad branchias incipit, ibi aculeum caudam ſpectantē ut in Dracone marino videri. Sed & hoc à Perca diſſidere, quod perca duas in tergore pinnas habeat. Cernua (ſic vocat) unicam tantum, nulliſque dentibus, ſed neq; lingua manifeſta præditam eſſe, *ſquamaſq;* habere quadrangulas, robuſtas, crenulis tenuibus in gyrum inciſis, quæ piſcem Scabrum admodum efficiant. Radiis denique ſolaribus obiectam, *maculis nigris* per dorſum diſtingui percipi: at totam ſub ventre candicare. Cæterum non advertit Bellonius extremis branchiis, id eſt, branchiarum margini alterum paulo inferius aculeum adiūctum eſſe, quod obſervavit Geſnerus, qui tamen neutrum in duabus quas dedit, iconibus expreſſit. Sunt n. inquit, perexiles: ut in mediis etiam branchiis denticulatæ aliquot ſpinnulæ crenatim (ut ita dicam) apparentes, ſi de proximo intueatis: ſuperius minores & frequentiores: inferius maiores, paucæ & maioribus intervallis. Sunt autem illæ, inquit, digeſtæ in margine portionis cuiuſdam branchiarum, quæ à parte ſubiecta deduci & elevari poteſt. Eſt & ſupra branchias ſpinea pars obliqua, utrinque verſus occipitium ſe colligens tantillis ſerrata denticulis, ut tactui magis quam viſui pateant. Item alia pars ſupina triangularis ſuperinnata, à branchiarū ſciſſura, ſtatim ſupra pinnas ibidem, retrorſum ſpectat, & in breviſſimum ſed acutū ſpiculum deſinit. Idem Geſnerus ſquamas rotundas eſſe negat, ſed rotūdas eſſe fere ut in aliis piſcibus ait. Pinnam etiam dorſi unam eſſe oblōgam & continuam, ut Bellon. dixit, & Cajus in communicata icone probe repræſentavit: differre tamen partibus: nam anteriorem aculeis conſtare quatuordecim, quorum primi duo breviores propius iūcti ſint, medij longiores, longitudine paulatim ad ultimum uſque decreſcente: partem poſteriorem, molliorem eſſe, fibris non aculeis diſtinctam, breviorem, & ab anteriore intervallo quodam inchoato diſcerni. Iam v. tres eſſe pinnas in ſupina parte, unam poſt anum, & binas ſummo ventre quæ nigris lituris, ut cæteræ omnes non diſtinguuntur. Ferunt amare *torrentia*. In Hollandia copioſe in ſtagnantibus aquis capiuntur. Rarus eſt in Tameſi, plurimum in Ranello, quod Oxonium præter fluit. Cum *natat* Gobij & Bottæ more univerſas pinnas movet, ſi Cardano credendum. In vivaria coniectus, piſces alios exurere, quod ipſis aculeis moleſtus ſit dicitur. Hyeme latet, in quadrageſima commendatur. *Lapilli* quos in cerebro gerit, adverſus renum lapillos & pleuritin commendantur.

Bellon. Aquat. l. 1.

CAPUT III.

De Scrollo, & Pungitio Alberti.

SCROLLUS Danubianus piſcis eſt. Color in Icone, quam Raphaeli Seilero acceptam Geſnerus refert, dorſo fuſcus eſt, lateribus ſubviridis, plurimis punctis fuſcis interveniētibus:

Tab. XXVIII. 15. 16. Aldrov. l. 5. c. 35. & 36.

bus: quales etiam in pinna dorsi (cuius aculei albicant) conspiciuntur: venter candidus est. Initium pinnarum ad Branchias rubet, &c. Raro longior fit, quam figura ostendit. Quoquomodo paratus, in cibo optimus est.

PUNGITIUM Alberti, Rōdeletius *aculeatum* vocat. Author de rerum natura *Spinochiam*. Pisciculus est, inquit Albertus, minimus, qui lanceolas (aculeos) binas habet in radicibus pinnarum ventris. *Mas* sub gutture rubet, *fœmina* rubore caret. *Squamas* non habent. Piscatores hoc genus piscium sponte *generari* ajunt, & ex ipsis alios omnes, hac observatione inducti, quod in lacunis novis primo statim anno inveniantur, & postea sequentibus annis pisces alij diversi, quanquam nulli fuerint immissi.

CAPUT IV.

De Alburno Ausonij & Epelano fluviatili.

ALBURNI meminit in sua Mosella privatim Ausonius. Bellonius circa Vercellas in amne Lagogna Ticinum influenti, *Scavardinum* à piscatoribus appellari scribit, Germani Weißfischlin / & Rotaugen / id est, ἐρυθρόφθαλμον dicunt. Piscis est & fluviatilis & lacustris, Alphyis albis similis, oculis magnis, rubescentibus, dorso virescente, ventre candido. Bellon. lineam utrinq; esse ait arcuatā, quæ eius latera dividat. Sed Rondel. duabus distingui profitetur, altera à brāchiis ad caudam ducta, medium corpus dirimi: alteram minus evidentē à radice pinnæ branchiarum orta deficere, priusquam ad caudam perducta sit. *Nare* est parum resina. Pinnas easdem habet quas Gobio. Capite est parvo: corpore latiusculo, sed depresso, vixque ad duorum digitorum latitudinem extenditur. *Felle* caret. Argenteis tegitur *squamis* ac tenuibus. Carne est molli & parum pingui. *Vorax* est piscis, quam ob causam facile homo capitur; unde Ausonius prædā pueribus hamis, recte dixit. Observavi Alburni duas alias species, quarum prior tergore fere ad castaneæ colorem vergit: altera ad cœruleum. Vtriusq; pinnæ & cauda etiam ad castaneum vergunt. Cætera argenteo colore resplendent:

TAB. XXIX. 13. *Bellon. Aq. l. 1. Aldrov. l. 5. c. 37. & 38.*

EPELANUM fluviatilem Bellonius Sequanicum cognominat, à Galliæ fluvio, ubi abundat, additq; sic vocari quasi excellanum à præstantia, qua cæteros sui generis pisciculos excedit. Ferrarienses *Borbolum* vocant, Alburno simillimum atq; hoc tantum ab eo dissidentem, quod ruffas radices pinnarum Gardonis & Veronis modo habet, ac lineam quæ latera ejus secat, versus caudam admodū inflexam & velut arcuatam. Quinq; digitorum longitudinem, pollicis latitudinem interdū exuperat. Pisciculus est *odoratus*, de bonitate & principatu cum aliis omnibus contendens. Rothomagenses *Ovellam* eo argumēto nominant, quod semper ovis prægnans sit. Epelanū si suas *Squamas* habentem conspicias, prę nimia albedinis tersitudine tibi refulgere videbitur. Squamis autem exutus *tergus* ostendit variis coloribus emicans, in iridis aut arcus cœlestis morem. Marino crassior est & brevior.

TAB. XXIX. 17.

CAPUT V.

De Lucio.

LVcius vel ἀπὸ τῆς λύκης à lupo, vel à lucendo dictus est. Nulla ejus apud veteres Græcos mentio, & ostendit egregie contra Philelphum Salvianus Oxyrinchus Niloticus quod Bellonius vult dici posset, nisi Plutarchus eundem marinum, tanquam è mari Nilum intraret faceret. Esocem Plinii, quem in Rheno magnitudine excellere putat, haud difficulter cōcedi potest, & videtur abinde Belgicum Snock originem suam traxisse. Apud Anglos & Gallos diversa, pro diversitate ætatum sortitur nomina. Corporis figurâ oblonga est, eademque ideo oblōgior videtur, quoniam piscis latera modice dilatantur.

TAB. XXIX. 1. *Aldrov. l. 5. de Piscib. c. 39.*

Dor-

Dorsum latum est, & fere quadratum, perpetuoque æquale, donec ad postremas pinnas ventum sit: & cum reliquis fere *Squamosis* piscibus dorsũ ipsum magis aut saltem æque atque venter extuberare solent: huic uni venter, quam dorsum magis extuberat, potissimũ ubi pinguior sit factus, quod tamen aliquando ichthyopolarum impostura etiam fieri Romæ observavit Rõdeletius, piscium quorundam ventres infarcire tradens vilibus herbis, atque ita ceu pinguiores carius vendere. Caput habet macrũ, osseumque ac quadratum. Ossium seu *spinarum* in capite formas diversas reperiri ajunt: unam vulgo cruci comparant, aliam lanceæ, tres alias clavis seu paxilis, passionis Dominicæ instrumentis. Author obscurus de natura rerum scribit Lucium in cerebro lapidem crystallo similẽ gerere, sed hunc cum ævum in longum duxerit. Gesnerus vero testatur sese in capite Lucij etiam parvi, lapillos geminos candidos reperisse. Rostrũ habet longum & rictum maximum, Anserino rostro comparat Rondeletius. *Maxilla* inferior superiore longior est, & cochlearis modo excavata. *Dentes* in eo plurimi, haudque uno modo dispositi, ut & Albertus ait, diversarum acierum; nam in maxillæ inferioris anteriore parte dẽtes parvi sunt, in os recurvi: in superiore maxilla nulli sunt, qui cum ea latior sit, dentes extra os prominentes & inferioribus non occurrentes inutiles forent. Horum igitur loco natura (inquit Rondeletius) duos dentium ordines palato infixit. *Oculi* coloris auri sunt æmuli, ante quos duo foramina in unicam cavitatem coeuntia: *Corpus* squamis tegitur parvis tenuibusve adeo, ut ijs carere videatur, & cũ ijs coquatur, & inter edẽdum, si parvus sit piscis, negligantur: sin major, duriores & evidẽtiores abiiciantur. Venter albicat, dorsum vero ex subflavo nigrescit, à quo lineæ plurimæ latæ, non recte, sed multipliciter inflexæ, obliquæ potius quam trãsversæ, in aliquibus magis, in aliquibus v. minus & flavæ & conspicuæ deducuntur, totumque piscem pulcherrime pingunt. Pinnis natat quatuor, duo sunt ad branchiarum ima: qui pinnarum situs est fluviatilib. piscibus communis, ut facilius in aqua suspendantur & efferantur: contra altius sitæ sunt eædem pinnæ in marinis, qa dulcis aqua tenuior est, & liqdior, marina crassior & spissior: ob id hæc põdus magis sustinet, illa min⁹: Inferiore vẽtris loco duæ aliq̃ sũt magnæ & validæ. In dorso nulla est, sed non procul à cauda duæ sunt, vna superior est nigris maculis notata. Cauda brevis, in duas pinnas desinit similiter pictas. *Linea* medium corpus dirimẽs vix cernitur, quia ex minutis punctis constat. *Ventriculum* ita gutturi continuatum habere Albertus scribit, ut aliquando cum reijciat aviditate glutiendi piscem. Rondeletius permultas eius ait esse appendices, in quibus chylus cõfectus servetur, ne ob gulæ laxitatem facilè reijciatur: Vidi ego magnitudine insigni Lucium, qui alium, & ipsum insigniter grandem ventre contineret, & hic rursus murem aquaticum, ut latissimum habere ventrem necesse sit hoc genus piscium. *Intestina* tribus longis convolutionibus cõstant. *Hepar* ventriculum cõplectitur, in quo vesica est felle viridi distenta. Nullæ pulpis earum *spinulæ* intercursant, ut aliis fluviatilium plerisque. In lacubus & stagnis ubique ferè *reperitur*, obscuras verò ulva cænoque lacunas obsidet. In mari nunquam visitur, in ostiis Rhodani & stagnis marinis aliquãdo, sed tabidos capi Rondeletius author est, sed & in fluminibus nonnullis haberi Ausonius in Mosella sua prodidit, in Tiberi vix quotannis denos, Salvianus. Nec difficulter dignoscuntur. Arctiori enim sunt corpore, toti argentei, flavisq; illis lineis carent. Tam est *vorax*, ut non tantum in pisciculos alios, & ranas. Sed & in animalia quædã grassetur. Narravit mihi, inquit Rondeletius, quidam vir fide dignissimus, vidisse se mulæ, quam iter faciens in Rhodanum potatum duxerat, labrum inferius, à Lucio dentibus apprehensum,

cujus

cuius de morsu cruciatam & territā inde fugisse, & crebra capitis quassatione Lucium in terram deiecisse, quem ille palpitantem & in aquam redire conantem cepit, domumque tulit. Anseris pullos duos in eiusdem repertos ventre se vidisse, quidā Polonus testatur, idem & fulicam invētam, & pedem ancillæ in piscina ab eodem ad morsum prodit. Tā avide pisces persequitur, ut præ nimio celeritatis impetu, supra aquas elatus, in scaphas incidat quod me vidisse, cū Anno M.DC.XXXI. in meo ex Anglia reditu, Landsberga noctu scapha veherer memini, A porculo seu minore perca abstinere quidam credūt, alij apprehenso capite devorare, ne si cauda arriperet, à squamis & spinis læderetur, opinantur. Albertus captum dentibus conterere, mortuum in ventrem propellere, vivum non devorari, prodidit. Summam ranæ cum Lucio antipathiam, eleganti Historia expressit Dubravius, quam vide. *Vitam* ei longissimam ex Lucio Friderici II. Imperatoris cognosci potest, quem in stagno quodā vixisse CCLXVII. annis ex annuli ærei, quem cum stagno eum Imperator inderet, in branchiis sub cute abdiderat, inscriptione Græca colligitur, quæ talis est. Ἐιμί ἐκεῖνος ἰχθὺς ταύτῃ λίμνῃ παντόπρωτος ἐπιτεθεὶς διὰ τοῦ κοσμητοῦ φιδερίκου β. τὰς χεῖρας ἐν τῆς ἡμέρᾳ τοῦ ὀκτωβρίου, id est, *Ego sum ille piscis huic stagno omnium primus impositus per mundi rectoris Friderici II. manus, die quinto Octob.* Fuit enim inventus iste annulus in capto eo Lucio anno salutis M. CCCC.XCVII. ut testatur Conradus Celtis referente Gesnero in sua Epistola nuncupatoria. De eiusdem *vivacitate* ita Cardanus. Mirum est illud, quod à tot audivi viris, ut impudentius fuerit tot testibus mendaciū non credere, quam veritatem adversus eorū authoritatem tueri: Lucium scisso vētre ostēdēdi lactis causa; indē consuto atque inter Tincas in vivariis reposito, sanare humore earū, dū se illis Lucius vētre affricat. Martio Aprilique mensibus *ovis* turgent & pariunt, perguntque ad Iunium usque. Alij è Tincarum semine generari credunt. Quidam & sponte & ex alieno semine provenire, quod neque soli neque sati procreentur in eis, opinantur. Ex ovo editos, à quibusdā piscibus intra Branchias foveri, Encelii nugæ sunt. Quantum ad *Vsum in cibis* Iovius inter obsonia plebeja recenset. Poggius etiam ex Cymino lacu, & quidem præpingui, nullam unquam inesse gratiam scripsit, nisi cum solus in maxima convivarum inedia prandiis apponitur. Thrasymenus lacus laudatiores profert. Braccianus, qui olim Sabatinus, inferiores. In Gallia tamen, Germania & alibi tanta putatur salubritatis, ut Adamus Lonicerus ēt puerperis concedat. Pinguiores tamē sunt Iulio mense & Octobri laudatiores, quibus Cyprini soboles: in piscinis esse deteriores cū semina spargunt. Ab Arnoldo inter duræ carnis pisces recensetur, sunt qui caudam & partem posteriorem præferunt. Mediæ ætatis meo iudicio optimi sunt. Ova piscatoros circa Argentinam tanquam medicata abiiciunt. Gesnero sunt æque ut Barbi noxia. Apud nos absque periculo in usu. *Vsum in Medicina* quod spectat, Mandibula in pulverem redacta in Calculo, urinæ difficultate, & pleuritide usurpatur. Saliti ossa pulverizata spodij vicem præstant, & ulcera exsiccant.

Dubrav. de piscinis p. 33.

CAPUT VI.

De Cyprino.

CYprinus Oppiano κυπριανὸς dicitur. Nomen forte à Cypride, ut Gesnero placet, quod fœcūdissimus sit, sortitus est, ut λεπιδώτις apud Athenæum, vel à squamis seu latissimis & maximis, ut Rondeletio visum, seu ita firmiter vallatis, ut lapidis ictus facile repellatur ut Bellonius credidit. *Carpam* Cassiodorus vocat, Brasavolus ob magnitudinem *Reginam*, *Carpionem* alij. Crassior est magis quā longior, nec ulli piscium magis quam Tincæ similis. Superius enim *labrum* rotundum est ac croceum, ex quo utrimque (Tincæ instar) gemina barba

TAB. XXVII. 11. 12. TAB. XXIX. 2. 3. 4. 6. *Aldrov. l. 5. c. 40. Cassio. l. 12. Epist. 4.*

barba pendet, lõgior una, mollis flavescens, in acutum deficiens; Μύραξας (inquit Rondeletius) possis appellare: brevior altera, & ideo minus evidens, nigricans. Capite est brevi pro corporis ratione; Tincis hac etiam parte similis. Ore medio, labris adiposis, carnosisque; *lingua* caret: sed eius loco palatum carnosum dedit natura saporum percipiendorum causa: quod evulsum, linguæ formā adeo referre Salvianus & Rondeletius aiunt, ut non solum vulgus, sed etiam viri docti (Albertus linguam sapidissimam esu dixit, improprie itaque) linguam vocent, & linguam veram esse perfectè defendant. Imperfectam tamen piscibus esse linguam, & carnosum Cypriano palatum, non modo vetustati & Arist. visum, sed & experientia, quæ substantiam illam palato affixam inferiori parti nullo modo hærentem, nec ullo pacto solutam aut liberam testatur. Gesnerus tamen testatur sese linguam (ut vocant) separatam à palato, in parva etiam Carpa duos digitos latam vidisse, linguæ in quadrupedibus proprie dictæ figura: substantia quoque & gustu saporeve simili. Usum quoque eius & facultatem gustandi, similem esse, inquit, dixerim. Quare linguam appellare, nihil prohibere putat, quoniam ut lingua sit, vel dicatur, neque locus aut situs facit, cũ aliæ etiam partes situ diverso nomen idem retineant. *Dentibus* carere hoc genus piscis Rondeletius asserit, horumque vice os palati medio infixũ planum habere, læve, triangulare: ex adverso, in parte inferiore ossa duo incisa, in gulam recurva. Bellonius vero Cyprinum dentes quidem in ore non habere ait, sed tantum in ingressu faucium: & Gesnerus intra fauces eius dentes latere asserit, sed neque vel oculis diducto ore, neque tactui immisso digito apparere. Esse autem in maxillæ recurvæ medio dentes qui nos fere accumulatos, chæradum instar, situ & magnitudine inæquales tres maiusculos, duos exiguos præduros, cavos, superficie summa lata sive plena, obtusa, sed lineis quibusdam exasperata, unum tantum & candidiorem cæteris & superficie lævi in mucronem brevissimum fastigiata. Idem Gesnerus lapillum in capite habere tradit iuxta linguam, candidum, durum, ad minimi numismatis magnitudinem, interdum paulo maiorem. Habere & in medio capitis substantiam quandam maiusculam, crassum, cordis fere figura, duram sed tenacem & flexilem, dum recens est, sub dentibus mordentis, tanquam in acetabulo quodam repositam, similiter ut Leuciscus fluviatilis, quem Gardonum vocant Galli. De hac forte sensit, (inquit) Encelius, & improprie lapidis nomine appellavit, his verbis: In Carpæ faucibus reperitur gemma seu *lapis*, forma triangulari, magnitudine proportione piscis, coloris candidi extra, intus flavi, *Oculis* est mediis, ante quos sunt foramina. *Pinnis* natat latis. Duæ sitæ sunt ad branchias magnæ, in medio Ventre duæ: inter quas & caudam alia est unica: quæ serrato aculeo & valido innititur: inter hanc & præcedentes est excrementi meatus. Ex medio dorso unica erigitur, ad caudam ferè continua, robusto etiam incisoque aculeo fulta. Cauda lata est ex nigro rubescens, ut & postrema pinna. Ipse vero colore est flavescente, maxime cum senuit. Iunior enim colore magis est ad fuscem inclinante. *Branchias* utrinque quaternas, duplici ordine, novissima excepta habere Cyprinum testatur Aristoteles: Gesnerus vero quaternas in ea se reperisse tradit, sed omnes duplices. *Squamis* magnis, validisque tegi, ideoque Lepidotum Dorioni vocari. Eas etsi ἀργυρεῖς, id est, argenteas vocaverit Orpheus, docti haud necesse propterea esse putant, alias esse statuendum, cum de coloribus Poetæ sæpe loquãtur improprie, & epithetis aliquando abutantur; creditque Gesnerus commune hoc squamarum epitheton esse, quod ut facile credo, ita hic ἀργυρεῖς si quis splendentes vertat, eũ peccaturum non puto. Ipsæ autem ad aureum inclinant. Sunt qui hunc piscem

Aristot. H. A. l. 4. c. 8.

Bellon. Aquil. l. 1.

piscem pro sua magnitudine, plus sanguinis habere dicunt, quam cæteri pisces, ideoque minus frigidi temperamenti esse probabile videri. *Vēriculum* mediocrem habet; *Hepar* subrubrum, cui sub nigra *fellis vesica* hæret, & *intestina* admodum pinguia, *splenem* magnum. Crebro quinque & sex librarum pondere reperitur, aliquando etiam viginti: Iovio vero teste in Lario lacu ducentarum quoq;, Maximum enim aiunt, qui in eo nascuntur piscium. De *loco* non convenit inter authores. Plinius marinum facit, Oppianus littoralem. Aristoteles inter fluviatiles reposuit, Ælian. in Danubio quoque capi scripsit. Dorion inter fluviatiles & Lacustres collocat. In Lario lacu admirandæ magnitudinis capi, Iovius author est. Larius, inquit, lacus, ob longitudinē à Virgilio maximus nuncupatus, pisces longe omnium maximos gignit. Troctas (Trutas) centum aliquando librarum pondere, & Bulbaros ducētarum; Sed Bulbari illi ingentes videri potius liquidis ac perspicuis in undis quam capi retibus possunt, cū ea impotenti impetu plerumque dilacerent. Subeunt solstitij dieb. umbrosos specus in rupibus Licinianis, quæ sunt in adversa Larij ripa contra Insulam, Euripumq; illum gemmeū à Cœcilio Plinio celebratum. Eos industrius quidam sacerdos sagittis arcubalista emissis, cum in profundo quiescentes fuscinis atque tridentibus attingi nō possent, vulnerare conabatur, neque tamen sagittæ longo alligato funiculo, nisi aversi officiebant, cum illa squamarum serie thoracati earū ictus facile repellerēt. In lacubus Allobrogum maximi quoq; proveniunt. Alicubi in piscinis & vivariis includuntur, alicubi in paludes & stagna coniiciuntur, in quibus plurimum proficiunt. Ut vero scribit Albertus: Hic piscis in aliquibus aquis generat, & in aliquibus grassatur & crescit, sed optime valet in fundo argilloso, tritico primo seminato, & postea argilla desuper spersa, & postea aqua superfusa. De *partu* & quæ circa ipsum eveniunt, isthæc fere Aristoteles prodidit. Cyprini &c. vide Scaliger. Sponte etiam *nasci* & Rondeletius & experientia comprobant. Vidi inquit ille, in aquis, in cava loca & montibus septa receptis, & collectis sponte generatos Cyprinos, in q̄ loca nec rivus, nec stagnum, nec palus, nec lacus, nec fluvius ullus, nulla deniq; aqua præter cœlestē influxisset. Fœminam *lac* ore suscipere, inde futura ova concipere falsum est. Herbis, luto, muro, & aliis *vescitur*. Athenęus carnivorū dixit. Astu plurimū valere, & ut reti capiendus evadat, varia machinari Albertus atq; autor de natura rerum tradunt: primum n. circumeuntem, foramē quærere: hoc nō reperto transilire conati, vibrato in aerem corpore: aliquādo sub reti, suffodiēdo sc. in fundo, effugium quærere: alias herbam aliquam ore tenere, atque ita retinere sese, ne trahatur à reti: alias caput fundo ingerere, haud ignarum, rete, dum nisi caudam tangit, elidi. Refert Gesnerus se cognovisse ex homine fide digno, in Palatini regione Germaniæ, in loco cui nomen à Michaele & campo vel agro, in fossa circa arcem Carpam esse, quæ centesimū vitæ annum attigerit, unde longævū piscem esse coniicere possumus. *Carne* sunt in universum molliore, nec tamen ita insalubres, quod humiditas non sit viscosa, præsertim eorum, q̄ in rapidis & puris aquis nascuntur. Martio inprimis cōmendantur. Majo & Iunio, quod geniturā vel emittat vel recens emiserit, non item. Mas fœminæ præstat, maiusculus minori. Caput à ganeonibus expetitur, propter linguā forte, quæ si assetur, prædulcis est, & bene cum succo citri apparatur. Ex ovis Caviarium rubrum apparatur, quod Iudæis dicatum est. *Medicinam* si spectes, lingua vim augēdæ Veneris habet. Lapillus de capite, crudo pisce extractus, febricitantiū æstum sedat, & sanguinis è naribus fluxum cohibet.

CAPUT VII.

De Cyprinis Monstrosis.

TAB. XXVII. 10 *Aldrov. de Piscib. l. 5. c. 41.*

MIram hanc piscis speciem Lugduni in foro piscatorio vivam aliquando venditam, nullus fuit (inquit

quit Rondeletius) qui non demptis capite & Rostro Cyprinum esse iudicarit. Nam squamarum figura & Colore, pinnis earundem situ, cauda idē plane est cum Cyprino. Pinna dorsi initio aculeum incisum habet, ut in Cyprino. Eundem aculeum habet alia pinna quæ excrementorum meatum sequitur, quæ rubescit, item caudæ pars ei respondens. Tota cauda lata est, ut in Cyprino. Duas alias pinnas habet ad branchias, similiter duas in ventre. Caput habet non protensum ut Cyprinus, sed Delphini capiti simile, rostrum satis lōgum, sed obtusum, quale revera pictura repræsentat. Ex superiore rostri parte iuxta oris scissuram appendix carnosa utrimq; una dependet, ut in Cyprino, hac superior est alia brevis & vix apparēs, nisi propius inspicias utrimque ēt unica. Hæc Rondelet. *Similem huic monstroso Cyprino*, sed barbulis insignem, quas in suo Rondeletius non expressit, Gilbertum Cognatum Nozerenē ad se misisse testatur Gesnerus, in Nozerethano stagno repertū, anno salutis 1554. In Cognati vivario novem tātum diebus vixisse. Verum longe pulcherrimum fuisse nec specie colorib. ratum & admirandum Cyprinum illum, qui anno Domini 1546. Omburgi in Ditione Comitis Palatini, Marchionis Ioachimi Brandeburgensis captus & Augustā missus est ad Carolum V. Cæsarem in comitiis illic agentem, qui eum Sorori Mariæ donavit, coctum etiam colores retinuisse. Picturā eius sibi cōmunicasse Io. Thannmyllerum iuniorem chirurgum Augustanum peritissimum, in qua longitudo, inquit, apparet trium dodrantum: latitudo digitorum novem, quæ est in medio dorso ad ventrem medium. Pinnæ dorsi initiū partim aureo, partim rubro colore est, deinceps v. pulcherrimè cærulea: reliquis pinnis omnibus color aureolus, ut capiti ēt magna ex parte ac ventri, sed passim etiam rubedo intervenit, quæ barbulas quoq; quarernas tingit. Dorsum ex viridi cæruleum, latera superius viridia, inferius aurea, &c. In summa suavissimis floridissimisque coloribus vndequaq; adeo eleganter pictus atq; distinans est, ut vel cum rubri maris elegantissimis quibusdam, maximiq; variis piscibus certare posset. Narrat item captum esse aliquando apud suos Cyprinum hermaphroditum, in quo utriusque sexus notæ (hoc est & genituræ & ovorum vasa) comparuerunt. In piscinis vero contrarium quandoq; reperiri, nempe neutrius sexus Cyprinos, nec mares nec fœminas, & hos forte esse, quos sponte nasci Rondeletius author est. Idem Gesnerus hac quoq; forma Cyprinū alium captum esse testatur in Acronio sive Constantiense lacu, prope Retz, duos fere dodrantes longum in præsentia illustris & Generosi viri Comitis Wolff de Schamburg, anno salutis 1545. idibus Novemb. Picturā ad se misisse Archillem Pyrminium Gassarum medicum eo tēpore præstantissimum. Pronam partem nigro colore pictam fuisse, latera fusco, supinam luteo. Spectabilem in eo præcipue faciem, æmulam humanæ latitudine sua, nec non oculis, ore, naso buccis ac mento. Hæc scripserat, cū eundem piscem Raphael Scilerus juvenis Augustanus clarissimi medici Geryonis filius, cum omnimoda eruditione, tum iuris scientia & comitis Palatini dignitate nobilis, pictum ad eum dedit, cum descriptione huiusmodi. Piscem hunc omnino qualē depictum mitto, fuisse captum in flumine Austriæ (quod vocant die Eris) in ditione comitis Iulij de Hardegg prope urbem Retz anno 1545. mense Octobri, viri quidam eruditi & graves, mihi veluti testes oculati confirmaverunt. Faciem non aversam, prout reliqui, vel obtusam sed repressam, ob aliquo in planum aspectu tendente, cum temporibus utrimque latis, oculis binis, naribus, ore, mandibula, omnia effigie humana habuit. Pinnis, squammis, cauda, totoque corpore posteriore, ipsaq; adeo magnitudine atque colore Carpam præ se tulit. Rete captus est solus, & ob raritatem ac maxime quod sensibus etiam ignotus esset, diu conservatus, & veluti miraculum quoddam passim asportatus.

CAP.

CAPUT VIII.

De Cyprino Lato Rondeletii.

TAB. XXIX. 5. Aldrov. de Piscib. l. 5. c. 42.

CYprinus latus Germanis *Bresem*, Italis *Scarda* seu Scardula dicitur. Bellonius *Abramidem* veterum nullo fundamento adiecto arbitratus est. Cyprino adiungitur, quia est squamis, corporis specie & vita similis. Piscis est maximus & latissimus, *capite* parvo, p corporis magnitudine, dorso repando & cultellato, corpore cõpresso, *squamis* magnis tecto. Linea à branchiis ad caudã ducta curva est. Ad branchias pinnæ duæ sunt, in medio ventre duæ aliæ, ab excrementi meatu alia ad caudam continua. Huiusmodi pisces in lacubus maximis *nascuntur*. Vidit Rõdeletius in Arverniæ lacu quodã istiusmodi pisces, qui binum cubitorum, pedum totidẽ latitudinem æquarent. Nostro in foro copiosissimè prostant: minores Scardas, maiores propter dorsum insigniter repandũ Gobbos quasi gibbosos nuncupant, suntq; pedales plerumq; bipedales rarissimi. Scribit Gesnerus *vadum* amare argillosum, vel albicãti argillæ simile: ideoq; in lacu Tigurino nõ passim, sed superiore eius parte capi. Stagnantibus a. aquis præcipuè delectantur, illicque muco, luto, herbisq; *vescuntur*. Quare in iis tantũ capiuntur fluviis, qui tardius fluũt, turbidaq; sunt, & crassiore aqua, qualis est Araris: multi itẽ in Gallia Belgica: nec in his ad eandem unquã magnitudinem accrescunt, ad quã in lacubus & stagnis. Mirum q narrat idem Gesnerus, nimirum quẽdã in Polonia permultos horum piscium coniecisse in piscinam quæ mox superveniente hyeme tota congelata esset: & cum parendi convivii causa, remoto gelu pisces capere vellet, ne unum quidẽ invenire potuisse: sequẽti a. vere rursus omnes apparuisse. Ad hosce latos Cyprinos referri debet piscis huiusmodi è Polonia missus, ubi Kloszcz dicitur, totus ex subcæruleo ad violaceum vergens, exceptis pinnis & cauda quæ albicant. Pinna quæ ab ano est longiorem & in exortu latiorẽ quam pars est, à pictore puto, expressa est. Habentur à quibusdam in pretio in Arvernia imprimis, ubi in lacu quodam magni & pingues capiuntur. Nonnulli partem in eis mediam expetunt; alii plus molestiæ ob minutissimas spinas inter edendum quam voluptatis afferre arbitrantur.

CAPVT IX.

De Cyprino lato alio, & Ballero.

TAB. XXIX. 5. Aldrov. de Piscib. l. 5. c. 43.

GEsnerus ex relatione Kentmani, *tria* huiusmodi piscis *genera* in Albi reperiri tradit. *Primi generis* pisces esse parvos, tenues, latos, colore subaureo, cui circa dorsum fuscus admiscetur. Dupla eis ad latitudinem longitudo, caput parvum. Pinna dorsi & cauda fusci coloris sunt: reliquę verò quinq; pinnę, è fusco punicei. *Squamæ* ut in Cyprino. Genus hoc Miseni parvum cognominant, *kleinkarass*, vel à colore *Giblichen*. Vivaces sunt admodum. E piscinis & stagnantibus aquis in Albim veniunt. Raro octo digitos longitudine excedunt. Vescuntur gramine & argilla, ut & reliqui huius generis pisces: quamobrem magis amant piscinas, quàm fluentes & lapidosas aquas, propter vadum herbosum & argillosum. Itaque rarius in Albi reperiuntur. In piscinis quidem multiplicari eos non patiuntur domini, impediunt enim incrementa & saginationes Cyprinorum, quos à pabulo depellunt. *Alterius verò generis karas*, aliquanto crassiores & longiores sunt. *Squamas* similiter ut prædicti vel ut Cyprini, è gilvo seu flavo nigricantes habent: vocantur autẽ Halbkarass, id est dimidii Carasi, quoniã è Carasso & carpa veluti compositi videtur. Hi quoq; ut primi generis Carasi, & piscinis aut stagnantibus aquis Albim ingressi, pariunt in eo & crescunt. Vtrisque caro est subflava, & in cibo viscosa, quomodocunq; parata.

Quo diutius verò in Albi immorantur, eo sapidioris solidiorisque carnis evadunt. *Tertii demum generis* Carasi tenuiores & latiores sunt, quā dimidii nunc dicti, similes primis sed maiores & pulchri, cādoris argentei, habentq; pinnas parte supina rubentes, superior vero pinna cū cauda obscurius è fusco punicea est. Hi pisces in Albi nascuntur, non aliunde (ut prædicti) ingrediuntur. *Pariunt* primū Iunio mense, secundò Ianuario, sicut & superiores, quibus temporibus etiam pręcipuè capiuntur. Mediocriter augentur, ut sesquilibres aliquando aut bilibres capiantur. Assari solent & in pretio habentur. Fœminę ovis gravidæ, elixæ etiam in aqua ad juris ferè consumptionem, vel copioso butyro ad jus sub finem adiecto, non displicuerint. Est in Frisia orientali piscis, quem *karutz* appellant, Carpa multis partibus minor, tergo magis arcuato & gibboso. Sexies in anno parere unanimiter affirmant, qui ipsum in vivariis servant.

TAB. XXVII. 7. *Aldrovand. de Piscibus l.5.c.44.*

DE BALLERO ita Aldrovandus. Aristoteles Ballerum inter fluviatiles & lacustres bis meminit. Ballerus, inquit, & Cyprinus & cæteri fere omnes, cum parturiunt, undis se intrudunt. Et alibi: Ballero & Tilloni lumbricus canis exortu innascitur, qui debilitat, cogitque ad summa stagni efferri, qua æstu intereunt. Hunc Rondeletius eum esse conjicit, qui à Lugdunensibus, & lacuum qui in Allobrogibus sunt, accolis Bordeliere nominatur, quod littora semper sectetur & quærat. *Bord* enim littus significat. Cæterum cur Ballerum faciat, nullum adducit argumentum, nisi quod vita & moribus à Cyprino, quo cum nominatur ab Aristotele, non differat. Vilis est piscis. Strymonis amnis accolæ vulgo *Plestyam* teste Bellonio vocant, in Macedonia ad Pischiacum lacum, ubi plurimus est, modo *Platanes*, modo *Plestyam*, modo *Platogniam*. Hollandi, apud quos cum ob copiam, tum quod per se insipidus sit, vilissimus habetur, *een Bleye*. Bramæ, inquit Rondeletius, tam similis est, ut parum cautis pro Bramis sæpè vendatur, sed ab iis magnitudine corporis & squamarum differt & pinnarum & caudæ colore. Est igitur Ballerus capite brevi, ore parvo, sine *dentibus*, sed horum loco ossa habet aspera: sine lingua, sed *palato* carnoso: Pinnas duas habet ad Branchias, duas alias in medio ventre, ab excrementi meatu unicam ad caudam usque in dorso aliam. Posteriores pinnæ cum cauda rubro colore perfusæ sunt, ut in Percis fluviatilibus videre est; quæ in dorso est, nigricat. Linea à branchiis ad caudam curva producta est. Branchias quaternas habet, os in medio palato, ex adverso sita sunt ossa duo loco inferiore, altera parte serrata, quibus contrario occursu cum palati osse herbæ atteruntur. Ventriculum parvum habet, intestina pinguedine oblita, hepar ex albo rubescens, in quo fel viride splenem rubrum. Multis spinis abundat, frequentes *squamas* habet, rotundas & tenues. Tergus eius nigricat, venter candicat. Oculorum pupillam Bellon. non ut in aliis nigram, sed veluti crystallinam esse asserit, iridem vero albissimam, ac tredecim squamarum ordines utrinque in lateribus habere. *Bell. de Aq. l.2.*

CAPVT X.

De Tinca.

TAB. XXIX. 7. *Aldrov. de Piscib. l.5. c.45.*

TIncam vulgatissimum ubiq; terrarum piscē, à solo inter veteres Ausonio memoratum, ab aliis quod nullo in pretio fuerit, neglectum, Iovius existimat. Bellonius Aristotelis ψύλλωνα, quē Gaza *Fullonem* vocat Dorionis apud Athenæum γναφεα, id est Fullonem dici, credit: metuo ne perperā. Non tantum n. Tincæ decocto, sed & aliorum glutinosorum pisciū, Ichtyocollæ, Anguillæ, &c. maculæ eluuntur. Fullo quoq; Aristoteli marinus piscis est, Tincā inter fluviatiles & Lacustres reponimus. *Manā* non esse, ꝓ Platinæ placet, vel ob ultimā hanc rationem, quia marinus est, certū est. Quid si verò, inquit Aldrovandus, Romanam vocem esse dicamus, à qua

à quasententia idem Iovius non videtur declinasse. Celebratur enim apud Ciceronē, quidam facetus orator Placentinus cognomine Tinca, fortassis, inquit, ab hoc pisce cognominatus, quemadmodum Florentiæ Laurentius Medices senior, uti erat perurbanus, cuidam celebris familiæ civi, se domi Tincā ingentem exquisita arte coctam falso jactanti, Tincæ cognomen, quod illi postea fuit æternum, indidit. Quemadmodum Merula ob similitudinē cum Tinca, item Callarias noster, Tinca marina vocari meruerunt, quid vetabit, si Tincam etiam Merulam palustrem dixerimus? Hoc sanè nomine usus est doctissimus Scaliger his verbis: Ausonius sui temporis secutus plebem, usitatis nominibus, pulcherrimū poëma non est veritus inficere potius, quam aut ipse in ambiguo versari, aut jactare Authorem in obscuro: sic Alosam pro Clupea sive Thrissa, Tincam pro Merula fluviatili posuit. Habet quibus cum Cyprino similis est, habet item quibus cum plurimum ab eo discrepat. Corporis enim specie, pinnis earumq; situ, & palato carnoso cum eo convenit: squamis verò nō item. Hæ Cyprino maiusculæ, Tincæ vero perquam exiguæ tenuesque & muco semper obductæ: adhæc Tinca juxta oculos circulum habet rubrum qui in Cyprino flavescit. Color omnibus haud idem, aliquæ enim subalbidæ sunt; plurimæ ex albo flavescentes, nonnullæ virides, quæ verò in maris degunt paludibus, ut in multis Hollandiæ locis, subnigræ sunt. Ausonius viridem dixit, cū plerumq; flavescat potius. *Rostrum* habet breve ac retusum: os fere rotundum, ad vērtrem inclinans, planè edentulum, at pro dentibus serrata ossa. Ex utroque oris latere, ubi inferius labrum superiori committitur, appendix pendet, ut in Cyprino, cutacea, rotunda, brevis, mollis, ac lubrica adeò, ut nunquam explicetur, conspicuave fiat, in digitis comprehensa extendatur. *Oculi* sunt magni & aurei. Pinnæ binæ sunt ad Branchias, totidem aliæ in ventre, à podice una, in dorso alia brevis sine aculeo. Cauda in latam pinnam desinit. Branchias habet quaternas duplices, lapillos in capite Auratæ & reliquorum marinorum more, binos exiguos. Stagnantes potius quam currentes aquas amat, ideoque in stagnis, lacubus ac paludibus quàm in fluminibus frequentior, & inter arundines ulvasque plerumque victitat, omniqueanni tempore hisce in locis capitur. Et vis a. flumina maiora quandoque intrat, sed degunt maximè, ubi vadosa sunt, vadūque ipsum limosum. Gregalis est, putrescentis limi sordibus vescitur; carne nequaquam. De *amicitia* eius cum Lucio supra dictū est, quibus si lubet, adde, q; cum Lucius in cęteros tyrannidem exerceat, à Tinca quasi beneficii memor, prorsus abstinet. Cū occiditur, diu supervivere fertur. *Vsum* in cibis quod spectat, insuavē habent carnem, quia impurum & damnatum alimentum: ideo commune est apud Italos mulierculas diverbium: *Nessuno mangia Tenca, che febre non sente*, & Ausonius vulgi solatia dixit. Diebus tamen canicularibus inprimis noxiæ putantur, quanquam Marsicana è Tucino lacu, qui nunc Celanus, quæ labio inferiore trito, quod saxoso eius loco volutentur, à vulgaribus distinguuntur, laudantur: nec non illæ, quas parvus lacus quarto decimo ab urbe lapide, apud Bacanam sylvam, profert. Hac teste Iovio, nobilis quidam propinalis lautitiæ studiosissimus, autumno captas, allio laridoque contritis, additisque odoratis oleribus & multo aromate, in teganis ad vaporem tepidioris furni felicissime percoxit. Laudatur deniq; Thrasymena Tinca, de qua idem Iovius: Cum in cœna Leonis X. Pontif. discumbentes, pelagios pisces vario judicio certatim atq; impensius laudarent, nobilis quidā Florentinus Tincis fortasse solum assetus, extollatis, inquit, convivæ, ut lubet marinos pisces: ego certè Trasymenam Tincam conditam leucophago, his vestris Triglis, Spigolis & Rhombis prætulero: quo suo insulso dicto lachrymas omnibus præ risu excussit.

Vete-

Veteres medici (inquit Medicus quidam apud Gesnerum) ad sopiendos capitis & artuum dolores, torpedines admovebant, quarum loco à mediterraneis Tincæ forsan usurpari potuerunt. Sunt qui non febrientium modo æstus Tincis pedibus subditis, seu alligatis vivis temperari, sed idē remedium adversus arquatum etiam morbum proficere putent. Iovius quoque scissas per dorsi longitudinē, pedum & manuum plantis applicatas, ardentis febris ardoribus plurimum adversari, quosdam tradit putare ex secta Iudæorum, qui quanquam sordidæ admodum, inquit, & ridentibus aliis talia experirentur, aliquando tamen ipsis æstuantibus exoptata blandimenta feliciter attulisse comperti sunt. Monet vero Rondeletius, ut id opportunè fiat, quod alioqui non modo nihil profuerit, sed contra maximè obfuerit. Frigiditate siquidem intro repellente ac magis constringente augeri incendium. Alii ictericorum jecori aut umbilico vivam imponunt. Ictericis aliqui Tincam viventem alligant umbilico, donec immoriatur, postridie rursus aliā alligant, idque etiam certo die repetunt. Tinca immortua intus ac foris veluti croco tincta redditur, & plerique hoc remedio restituūtur. De *felle* hoc ex libro Germanico manuscripto habet Gesnerus: Fel de Anguilla, Thymallo, Tinca & porcello lactante, misce ad aurium remedia. Hoc enim infuso, pelliculas rumpes, fluxiones curabis, vermes aurium occides.

CAPVT XI.

De Lota Gallorum.

TAB. XXIX. 10. *Aldrovand. de Piscibus l.5.c.46.*

LUgdunenses, inquit Rondeletius piscem qui in Arari invenitur, *Lotam* vocant, qui à Gebennensibus *Motella* quasi Mustella nominatur. Si quis Mustellam lacustrem vel fluviatilem appellaverit, non ineptè mea quidem sententia fecerit, modo non eam accipiat, quæ ex mari fluvios petit, qualis est Mustella Ausonii, qui Mustellæ nomine Lampretam nostram describere videtur. Lota Piscis est fluviatilis & lacustris. Mustellæ marinæ vulgari, de qua alibi diximus, similis admodum, nisi esset corpore rotundiore & spissiore. Ex maxillæ inferioris extremo pilus unicus veluti ex mento barba propendet, nullus in superiore eminet, ut in marina. (Gesnerus tamen in suis putat etiam supra duos pilos esse, sed in mortuis ferè latere, ut in maxima observavit.) *Pinnis* quatuor natat, duæ sunt ad Branchias sitæ, duæ in ventre, ab ano unicam continuam habet ad caudam, huic æqualem & similem in dorso, quam præcedit alia pinnula. *Cauda* mucroni gladii figura similis est. Parvulis *squamis* corpus tegitur, quod è ruffo fuscum est, & maculis nigris undulatim dispositis conspersum. *Dentes* parvulos & tenues habet. Muco oblita & lubrica Lota est, ut Anguilla. *Ventriculum* parvum habet cum multis appendicibus, intestina convoluta; *hepar* albicans, in quo fellis vesica, quæ ex viridi flavescit, splenem rubrum, *vesicam* oblongam aere plenam, branchias quaternas & duplices. *Nascitur* in lacubus & fluviis leniter fluentibus, ut in Arari. *Hepar* pro corporis ratione magnum est, & delicatum habetur. *Ova* noxia, quemadmodum ova Barbi, quæ ventriculum lædunt & alvum turbant. Caro tota à Lugdunensibus habetur in pretio.

TITULUS IV.

De Piscibus lacustribus.

CAPVT I.

De Umbla vulgari, & Rondeletii.

INter *Lacustres* pisces censentur, *Vmbla, Trutta, Lacustris, Carpio, Lavarelus Allobrogum, Bezola, Albula, Albus Salviani, Farra, Pigus, Sarachus,* TAB. XXX. 1.2.

rachus, & Schilus. Umbla, quasi umbra, quod haud exiguam cum umbra fluviatili similitudinem habeat, dicitur. Rondeletius *Salmonem lacus Lemani*, quod corporis specie, pinnarum numero, situque & partibus internis. Salmonem referat, vocat. Helvetii à Colore circa ventrem rubicundo, *Rotele* nomen indidere. Duo eius esse *genera* magnitudine maxime differẽtia in Lucernensi lacu Gesnerus tradit. Majorem circa Bielam Rott, alicubi Roote appellari: à Sabaudis *Routte*; circa Lemanum vero Umble minorem diminutivo nomine Rotele privatim dici. (Est & alius in Suevia & circa Augustam Rotele dictus, sed fluviatilis, non lacustris piscis, Truttis quoq; affinis, Germanis cæteris ferè Huch nuncupatus, quo de suo loco diximus) Sabaudiæ circa Bielam *Ronson* vel *Bondelle*, illo nomine colorem indicari, hoc forte bonitatem. Denique piscem qui in lacu Bavariæ Ammersee vocatur, Germanice ein Pitzling/non aliũ quã Umblam minorem videri: conferri enim Salmoni parvo; & à dorso usq; ad media latera coloris lutei esse dici, adeoque tenerũ, ut statim *extra aquã* exspiret, nec in alio ullo eius regionis lacu inveniri. *Vmbla maior* corporis forma partibusq; omnibus Salmonibus & Truttis similis est. Os habet magnum, *dentes* vero nõ solũ in maxillis, sed etiã sex magnos in lingua. Caput livescit, branchiarum opercula argentei sunt coloris in extremo aurei. Magis albicat q̃ minor. Nullis suggillatur lituris, unicã esse parvam tergoris pinnã Bellon. scribit: Rõdel. tamen nõ lõge à caudç exortu aliã sed admodũ exiguã depingere videtur, & ipse Bellon. eandẽ in icone exprimit, & mox puto apophysim carnosam vocat. Idẽ Bellonius juxta vẽtrem, pinnã (in impressis codicibus branchia legitur sine sensu) utrinque unã esse ait, sed quã nec ipse, nec Rõdeletius quoq; pingit: duas sub vẽtre huic oppositas, omnes sine aculeis: postremas piscẽ in duas æquales partes intersecare, sed partẽ quæ ad caput est, paulo lõgiorẽ esse. *Cutim* adeo glabrã esse, ut squamis carere videatur. Tergus præ multo livore opacum apparere: ventrẽ præ albedine uti argentũ micare: apophysim carnosam habere supra *caudã*. Umbræ, Truttarũ, &c. more. Quaternis præditã esse *dentiũ* ordinibus in palato serpentiũ more, *linguã* ostendere aduncis in gyrum dentibus, crenatis, exertis & hamatis senis, vel eo pluribus cõmunitã, præter hoc maxillã etiã inferiorem parvulis aliis exertis & parũ falcatis in ambitũ vallari, brãchias habere utrimq; quatuor: latera eius virgula recta secari utrimq; p̃ mediũ corpus, parũ repandũ versus ventrẽ. Tres aut quatuor dodrantes plerumq; longa est. In Lucernensi lacu brachii fere longitudine excrescere Gesnerus testatur, & Rõdeletius duos aliquando cubitos longas à Lemano lacu Lugdunum advehi. *Minor Vmbla* (ut idem Gesnerus refert) dodrantalis plerũq; aut brevior, pedẽ raro excedit, aut si amplius, increscit. Vidi n. inquit, aliquando palmos quinq; longã. Octobri mense in Lacu nostro captã corpore latiusculo, nunquã tamen Umblæ majoris magnitudinem attingit. *Ventre* turgidulo aliquãdo spectatur, ꝓpter *vesicã* nimiũ inflatã. Est a. vesica ei oblonga, ut Albulis, non distincta per mediũ. *Dorsum* totũ cum dimidia laterũ parte subroseum: Inferiora latera albicãt. *Venter* albissim⁹ est: caudæ color idẽ, q̃ dorsi pinnulam mollẽ & parvam, ut Truttæ, dorso extremo gerit. *Maxillis* est dentatis. Spinas etiã ceu dentes in *lingua* habet. Pinnæ omnes partim subalbẽt, partim crocei coloris sunt. Branchiæ quaternæ. *Lapillos* in cerebro habet. *Mares* ventre, pinnis & caudã magis rubẽt, fœminæ candicant: eædem capite superius & dorso magis virent. Non tantum in Lemani lacu, sed & in aliis capitur. *Vescitur* pisciculis, quisquiliis & aliis. Si vel parũ *saucietur*, velut moribunda supernatat. Capta quã primũm aquas reliquerit, exspirare traditur. *Carne* est suavi, sicca, & cũ senuerit dura, & quæ multorũ judicio Asellis, imo saxatilibus succedere queat. Pinguis potissimum apud Allobroges capitur tantiq; fit, (inquit Bellonius,) quanti ditiorũ bursa æstimare potest. Commendatur ab Helvetiis Novembri mense,

Bellon. de Aquatil. l. 2.

mense, & aliàs circa initiū Decēbris: quo tēpore Gesnerus *ova* habere ait bona & solida, tardius vero caro eius insulsa, pinguiuscula & flaccida apparet, & ova diluriora sunt. Tēpore partus mensis inepta est. Cū elixatur, vino prius fervido injicitur, ne nimis mollis reddatur. Apud Allobroges pastitiis includi Bellonius refert.

Facit Rondeletius alterius mentionē, quā Lemani lacus accolæ *Vmble chevaliere* forte ob magnitudinem, præstantiā & robur nominant. Neq; verò à superiore solū differt, vel sexu, vel ætate, ut ex sequenti descriptione perspicuum fiet. Est igitur hic piscis Salmonibus & Truttis, q̄ vulgo Salmonatę dicuntur, similis, *rostro* recurvo, quo à superiore differt, id n. longius habet & acutius. Maxillæ inferioris extremum incurvum in maxillā superiorē, eius rei gratia excavatum recipitur ut in Salmonibus videre est. Maxillæ lineis multis distinctæ sunt. *Dorsū* ex cæruleo nigricat. *Venter* aureo colore est. *Hepar* flavescit, in eo fel: *splen* nigricat. *Ventriculus* gulæ subjectus est, longus, spissus, cuius innumerabiles sunt appendices, quemadmodum in superiore. In insignē magnitudinē excrescit. Carne est sicca & dura: in assulas dividitur, q̄ Caryophyllis confixæ in craticula assantur, & oleo sive butyro irrigantur Paratur etiam hic piscis Truttæ modo. Caput maxime commendatur, ut Salmonis.

CAPUT. II.

De Trutta Lacustri.

TAB. XXX. 3. *Aldrov. de Piscib. l. 5. c. 59*

QUam nos Truttā Lacustrem vocamus, eā Galli *Truttā Salmonatā*, Rondeletius *Salmonē lacustrem* vocat, cumq; Truttis vulgarib. grandior sit, Salmone minor, *Sarionem* ab Ausonio dici Bellonius & Rondeletius opinātur. An sit *Anchorago* Cassiodori, quod Gesnerus opinari videtur, superius diximus. Ex Truttarum genere esse. Salmoniq; similē cū ex corporis forma, partiumq; externarum & internarum similitudine, tum ex nomenclatura Gallica notū est. *Differt à Salmone* magnitudine & maculis. Minor n. & maculas in lateribus purpureas, multo quā Salmo copiosiores habet Truttę, itē q̄ in fluviis rapidis & limpidis inveniuntur, nō sunt adeo maculosæ, magnitudineq;, succo, carnis colore & substantia multo inferiores. Umbla vero nullis ut dictū est litturis suggillatur. *Gesnerus hunc piscē diligenter intuitus, his verbis describebat: Squamulis* tegitur minimis, bene dentatus est, & *lingua* ēt utrimq; dentibus munitur. Caput colore nigro, cæruleoq; mixto, dorsum partim glauco, partim subnigro, partim cęruleo, partim subviridi. In lateribus puncta nigra. Pinna in medio dorso multis nigris maculis variatur, reliquæ albent. Habet & ultimā illā dorsi mollē *pinnulam*, ut reliquæ Truttæ: Brāchias quaternas. *Appendices* nō toto circuitu intestini, sed ab una tantū parte magnas, oblōgas, bipartitas, utrimq; circiter 18. habet, & alias sex separatim ex opposito, ventriculū seu majus intestinum versus. Hæc ille. Ad duum triumve cubitorum *magnitudinē* accrescit, in Lario lacu ad 50. quinimo, Jovio authore, ad 100. etiam libras. Initio æstatis *caro* eius rubere incipit, duratq; is color usq; ad Augustum, vel saltem ad Divi Jacobi diē, quo tēpore partu jam absoluto, colorē rubicundum amittit. Gesnerus loco differre invicē istiusmodi lacustres testatur; alias n. in vado ipsius aquæ degere, præsertim argilloso, hasq; magis pinguescere, & palato sapidiores esse, alias circa sumas aquas, ubi muscas appetunt, minus pingues & vilioris pretii: illas apud suos **Grundforinē**/ has **Schwabforinen** appellari. Duo itē *genera* capi in mōtanis lacubus quos Athesis facit, quorum unum ab aureo colore **Goldforinen**/ alterum à nigredine **Schwartzforinen** appelletur.

De loco & natura huius piscis ita Aldrovandus. Lacustris piscis est, sed qui ex lacubus fluvios quandoq; subit certo tēpore, instante nempe partu. E Lemano in Rhodanum *ascendere* ajunt vere, inquit Gesnerus, ut & circa Sedunum capi: at in Tigurino & Acronio lacubus neq; eodem tempore migrare putat. Acronii lacus incola *paritura* ad Rheni influentis ostiū ascendit, ubi cum pepererit, rursus descendit.

dit. Conferri ajunt hunc piscem junipero, nam sicut hæc tertio demum anno fructum perficit, ita etiam eius fœtus ad tertium usq; annum crescens, perficitur: *parere* plerumq; Julio & Augusto, alias citius tardiusve, prout cœlum magis minusve calidum fuerit. Jam vero magno licet sit corpore, suâ tamen naturâ agilis quoque est, aliarum Truttarum more. Tradit Jovius sese audivisse majores istas Truttas lacus ripis lascivo excurso extremos arenæ margines aliquãdo justi passus longitudine ꝓsulcasse. Laudantur vehementer *in cibis*, *Carnẽ* habẽt solidã, rubicundam, & saporis optimi: aliquando tamen præ nimia pinguedine nauseã movent, & mortuæ paucissimis horis, ꝙ pinguis illa teneritudo quam sæpissimè cõputrescant, gratiã saporis amittunt. Larianæ multo succo corpora replent, & genitalẽ humorẽ copiosè suggerunt. Præferuntur, si Jovio credimus, Soranæ aliis, in Acronii lacus parte inferiore captæ, illis quę in superiore parte capiuntur: item quæ circa fundum pascantur, iis quæ circa summam aquam. Ab Helvetiis Februario commendantur, ab aliis simpliciter æstate, dum pulpæ earum rubent. Spinæ dorsi & Caudæ assæ, vel principum mensis inferuntur.

CAPUT III.

De Carpione.

TAB. XXIX. 2.3. *Aldrov. de Piscib. l. 5. c. 50.*

QUi sit apud Veteres Carpio, ignoratur, Moderni quidam in solo Benaco lacu reperiri, & à carpendo auro dici ajunt. Alii ablatâ priori syllabâ, *Pione* vocatum fuisse, ac tandem *Carpione* ꝙ cum quidam piscem edisset, careq; supputanti solvisset, carè se Pione edissere diceret, perhibent Fracastorius à carpo nauta, à Saturo Benacum trajecturo, ꝙ aurum ipsi extorqui vellet, in carpionem mutato derivat. Lacustri potissimum Truttæ cõgener statui potest. Nam & corporis figurâ, partium numero & carnis substantiâ ei similis est: punctisque similiter nigris notatur, ac denique pinnulam dorsi posteriorem mollem, ut illa habet. Evidentibus tamẽ ab eâ interstinguitur notis. Prominentiori enim rostro, majoribus oculis, candidiore & turgidiore ventre, ac nigricantiore dorso est: *magnitudo* Truttæ lacustri duorum triumve plerumque cubitorum, cum Carpio pedem excedere nunquam visus sit. *Dentes* habet non in maxillis solum, sed etiam in palato & lingua, *squamis* tegitur tenuibus. Ventrem habet candidum atq; argenteum, dorsum subnigrum. Qui ab Aldrovando exprimitur, lateribus est ferè rubicundis, intensius verò rubet lineâ corpus dividens. Ventre pinnisque candicat, *Tergus* ad cæruleum inclinat. Solius Benati lacus alumnum esse omnes ajunt: negatque Petrus Bembus alibi capi, huncque piscem capere atque cognoscere Friderico Imperatori voluptati fuisse. Atqui Salvianus revera reperiri nasciqueasserit in parvo & limpido lacu, haud procul ab Alvito Campaniæ oppido ex-oriente, (vulgo illago della posta appellato) ex quo Fibrenus fluvius exoritur: esse tamen Benacinis minores, & vix libram unam implere. Profundiora aquæ *loca* amat. Pisciculis *vescitur* & quibusdam lacus recrementis. Bellonius Phryganii edacem esse tradit. Auro *vesci* paulo ante negavimus. Carne est duriuscula, siccaq;, minime glutinosa, rubescente, Truttis & Salmonibus simili. Plus æquo servatos contabescent & deteriores fieri ajunt, id ꝙ & multis aliis piscibus accidit, maximè iis qui delicatiore & friabili sunt carne quamobrem Benaci accolæ, in sartagine frixum, foliis involutum, aceto in quo aromata priꝰ ebulliierint, irrigatum, per ꝓximas urbes circumferre, quem condiendi modum vulgus ab hoc pisce acarpionare, alii amarinare nuncupant. Platina spinam in capite gerere scribit pernitiosam, eamq; inter edendum cavendã: cujus tamẽ apud alios nulla mentio est.

CAPUT IV.

De Lavareto Allobrogum, & Bezola.

TAB. XXX. 4. *Aldrov. de Piscib. l. 5. c. 51.*

LAvaretus à munditie & candore, quod nunquam sordidus sit, nomen

men sortitus est. Bellonius ex Truttarum genere esse ait, at Rondeletius, Salmonum, Truttarumque generi adjungendum suaderet, inquit, pinnula illa dorsi posterior adiposa Salmonum & Truttarum generi propria nisi multa alia reclamarent, ut oris constitutio Thtissis quam Salmonibus similior. *Os* sine dentibus, caput compressum, corpus *maculis* carens, caro mollis & cādida. Quamobrem Lavaretum inter Salmones (Truttasque) & Alosas, ambigere judicat. Bellonius exactissimè delineavit his verbis: Piscis Lugduni satis cognitus, Umbrę similim[9], nisi *simus* esset, *dentibusque* omnino careret: *Bisulam* (Bezolam) tamen vulgarem magis refert: sed Lavaretus nunquam pedem excedit, neque crassior est eo quod pollex & index capere possunt. Capite est oblongo, *squamis* tenuibus, albis, atque ut in Trutta parvis exiguam in tergore gerit pinnam, duas ad ventris latera utrimq; circa branchias, ac totidē sub vētre ei oppositas, quæ tergoris fastigium occupat: aliā quoq; parvam in eo interstitio, quod est inter caudam & anum, quæ omnes nigricantes apparent. *Linea* à supercilio subrubra per latera ad caudam protensa insignis est: *cauda* bifurna, pinnisque ad extrema nigris, fimbriatis ac laciniatis. Ventre laxo & prægrandi, ut in Trutta. Hoc item à Cæteris piscibus differt, quod *nare* est recurta, atque (ut in Harengiis ac Logiis) ossiculis quibusdam prominentibus insigni, labiis nullum *dentium* rudimentum ostendentibus, appendice glabra ac carnosa *caudæ* insidenti, in Umbræ modum. Neq; tamē *dentibus* caret: ossicula n. ad eius fauces atque œsophagi ingressum utrimque conspiciuntur, senis hinc inde denticulis, ut in Themolo, cōminuta. *Branchiæ* illi sunt utrinque quaternæ ac simplicissimæ, quarum extrema, quæ capiti inhæret, reliquis sane minor est, nullis lateribus maculis est insignitus, totumq; huius piscis corpus, dempto tergore argentum est. Verū tamen si ad eius internas partes advertas, *costas* quinque & triginta utrinque connumerabis, cernesque *cor* illi esse pallidum ac trigonum, pericardio inclusum: *hepar* album, unius tantum lobi, ut in Exocæto & Delphino, in cuius latere dextro fellis vesicula adfuta est. *Lien* à sinistris apophysibus & stomacho incumbit. *Intestina* nullas habent revolutiones. Nā gula usque ad ventriculi fundum deducitur, qui per piscis longitudinem delatus, ac sursum quidem reflexus, duodenum parit à dentibus suffultū, in cuius gibbo innumeræ apophyses spectantur: ex quibus vena oritur, per quam sanguis defertur ad hepar Apyloro sequitur aliud intestinum, quod nullis anfractibus circumductum, rectà ad anum tendit. *Vulvam* utrimque bicornem habet, tenuibus *ovis* conspicuam. Cætera in congeneribus piscibus describentur. Lacum Allobrogum, ut Burgetii & Æquibeletii proprium Rondeleti[9] facit. Bellonius ex Lemano quoq; adferri scribit. Caro ei candida, mollis, suavis, minimè glutinosa, boni succi, mediocriter nutriens. Bellonius in tantis in Gallia delitiis haberi scribit, ut regiorum œconomorum chartæ frequenter inscriptum habent.

Bellon. de Aquatil. l. 2.

BEZOLÆ nomen huic pisci lacus Lemani accolæ dedere, Bisulam Bellonius dixit. Latine *Cephalum* vel *Mugilem Lacustrem*, vel potius *Leuciscum Albulamve* lacustrem appellare licebit. Bellonius semel tantum huius piscis meminit, Lavaretum Bisilam magis quam Umbram referre inquiens. Sed Rondeletius exactius, ut Lavaretum, inquit, Lacus Burgetius, & Æquibeletius ferunt, ita Lemanus Bezolam vulgo dictam, non admodum dissimilem, nisi quod colore minus est candido ad cæruleum inclinante: rostro acutiore, capite minore, ventre latiore & prominentiore. Nullum piscem reperias, cum quo melius cōparari possit, q̄ cum Harengo, quam in marinis depinximus. Carne est molliore quam Lavaretus, & ab eo saporis suavitate & succi bonitate multum separatur, nec in pretio habetur. Proprius est Lemani lacus.

TAB. XXV. 5.

Aldrov. de Piscib. l. 5. c. 52.

CA-

CAPUT V.

De Albula parva, & minima Gesneri.

TAB. XXX. 7.8. *Aldrov. de Piscib. l.5.c.53.*

ALbulam parvam non sui generis piscem esse, sed Albulam sive Bezolam cæruleam secundo tertiove suæ ætatis anno ita vocari, quidam opinantur, quibus piscatores nostri, inquit Gesnerus, contradicunt quod cæruleos observarint secundo etiam ac tertio anno forma coloreque à genere Albularum (de quibus hic loquimur) differre. Cognatus est hic piscis cæteris lacustribus albis. Nam & species & sapor fere omnium non dissimilis est. Albula magis quam Bezola albicat: cauda tamen & reliquæ pinnæ, præter eas quæ juxta branchias sunt, nigricant in extremitatibus. *Dorso* color glaucus: alicubi tamen purpurei quiddam & cærulei mixtum videtur. Caput ex glauco cæruleum. Inter caput & dorsum color viridis, ceu gemma relucet. Branchiæ ei quaternæ. Hyeme aliquando memini me videre hunc piscem *squamis* per latera exasperatum, eminentibus per singulas squamas veluti tuberculis. Ajebant hoc indicium esse recentium & vivarum. *Capiuntur* Albulæ in summa parte Tigurini lacus, juxta locum quem Buchberg vocant, diebus ferè quatuordecim post diem divi Martini, & ad oppidum Rappersullam circa ipsum divi Martini diem. A *partu* in lacum nostrum descendunt (sed non tam procul ut cæteræ Albulæ) usque ad Ver: deinde rursus ascendunt tota æstate, usque ad divi Martini diem. Capiuntur etiam in Gryphio agri Tigurini, multo majores quam in nostro, & in Halvillensi Bernensis agri. Augusti & Septembri mensibus præcipue laudantur, quod suaviores eo tempore solidioresque sint. Postea enim pariunt, & mollior earū caro fit, & succus in fœturam consumitur.

De ALBULA MINIMA sic Gesnerus: Albulam minimam hunc piscem voco, inquit idē Gesnerus, quē nostri Hagele vel Haling, quasi Haleculam appellant. Friburgi Helvetiorum (ut audio) Pfarren/ Lucrenæ Nachtfisch/ quod noctu fere irretiatur ut quidam putant. Sed mihi piscator Lucernensis affirmarit, Nachtfisch vocari Albulam cæruleam anno primo, cum circa diem divi Johannis æstate jam ad digiti longitudinem excrevit. Tota specie accedit ad illam quam proxime albulam parvam nominavi, sed plerumque minor est, & in capite minus viridis. Si piscem erectum inspicias per dorsum aliquid coloris purpurascentis in lateribus apparebit. Branchiæ ei quaternæ sunt, pinnulæ albent. Ore aperto superioris mandibulæ extremitas deorsum tendit. Os habet longiusculum, *dentes* nullos. Julio *coëunt*. Noctu tantum *capiuntur* retibus ad passus quadraginta aut quinquaginta demissis. Cum cœlum serenum est, altius descendunt cum nubilum, ascendunt. Densissimis gregibus præ cæteris Albulis capiuntur, non passim in lacu nostro, sed maxime à pago Vædesuilla, usque ad Insulam & versus alteram ripam à loco Surenbach usque ad arborem longam. Diebus quatuordecim fere à natali Domini capi incipiunt & immixtæ eis Albulæ cæruleæ aliquot, & mox expirant. Cum captæ mox expirent, ut recentes habeantur matutino tempore potius ad prandium coëmuntur, & assi in craticula quam calidissimi à gulonibus devorantur, qui eam ob causam non universos, sed paulatim alios assari jubent, ut statim assumtis prioribus, fervidi posteriores mensis afferantur. Embamma additur ex aceto, sapa, pipere, sale & potri aut cepæ foliis concisis. Placet item recens in jure albo frigido, apio copiose insperso, maxime per mensem Decembrem. Sale idem conditus infumatusque comendatur.

Aldrov. de Piscib. l.5. c.54.

CAPUT VI.

De Albo Salviani & Farra.

TAB. XXX. 9. 10. *Aldrov. de Piscib. l.5.c.55.*

ALbus Salviani, *Capto lacustris* Gesneri est. Quamvis Squalo Alburnove appellato pisci persimilis sit, ab ab eo tamen evidentibus quibusdam notis facilè internosci potest. Primum enim etsi uterque latitudinis ratione oblongus appareat, eadem nihilominus utriusque existente latitudie, Albus paulo longior Alburno conspicitur. Deinde rostro acutiore, oculis majoribus ac dorso magis repando Albus est. Nam cum Alburni sensim atque modice, Albi repente ac plurimum à capite extuberat *dorsum*. Pinnarum autem tum in lateribus, tum in dorso ac in imo ventre existentium, situ ac numero ei cum Alburno conveniente, earundem colore ab invicem discrepant: subnigras enim Albus: subrufas verò Alburnus eas habet. Postremò amplioribus *squamis* albus tegitur. Ventreque atque lateribus, æquè atque Alburnus candidus atque argenteus est: capite vero ac dorso magis quam ille subviridis. Magnitudine non differunt. Uti enim Alburnus, sic & Albus pedalis, frequens: bipedalis verò aliquando tantum reperitur. Lacustris piscis est, non tamen in lacubus omnibus aut eorũ quam plurimis, ut Tinca, Lucius, Squalus ac Barbus, sed eorum nonnullis solùm reperitur. In Trasymeno enim lacu, ubi etiam Albo vulgo vocato, frequens satis in fine veris *capitur*. In fluminibus eum reperiri huc usque non observavimus: estque advertendum, ne quispiam eum in fluminibus etiam reperiri contendens, Squalum pro Albo nobis ostendat, in mari nec nascitur, neque ex lacubus fluminibusve ad id descendit. Duram *carnem* habet Albus, & propterea ægre coquitur. Insipidus adeo est, ut piscium omnium jure vilissimus censeatur. Nec enim ulla condiendi ratione sapidus effici potest. Torrefactus tamen paulò minus ingratus est palato, solumque in aliorum piscium penuria eo vesci solemus.

FARRA, Fora & Pala quoque dicitur. Lavaretos vel Thrissas refert, ut scribit Rondeletius, magnitudine cubitali, ore parvo, sine dentibus ut in Thrissis, colore cinereo, corpore depresso & lato, *squamis*, pinnarum situ & numero Lavaretis similis, linea à branchiis ad caudam recta & candida ducta est. Pinnulam dorsi mollem pinguemque habet, caudam latissimam. *Carne* est candida & suavi, quæ Laveretorum Truttarumque carni non cedit. TAB. XXV. 11. 12. *Aldrov. l.c.cap.55.*

Æstate & autumno *capitur*, hyeme in altis gurgitibus latet. Sale conditur & servatur in hyemem. Sic ille. Cæterum monendus est Lector in Rondeletii codicibus diversum piscem, quem in Lemano Vangeronem vocant, huic capti haud recte per librariorum incuriam præfigi.

CAPUT VII.

De Pigo, & Schilo.

PIsci, quem descripturi sumus, Verbani Lariique lacus accolæ *Pici*, *Pigi* & *Picqui*; quod clavis suis seu aculeis pungat, nomen imposuere. Rondeletius *Cyprianum clavatum*, Albertus *Vergiliadem*; quod Vergiliarum ortu apparent, dixit. Cypriano, describente Rondeletio ita est, similis, ut demptis aculeis Cyprianum esse affirmes. Est enim eodem corporis habitu, pinnas totidem eodem in loco sitas, os, oculos, eodem modo carnosum, interna omnia similia habet. Vita item, moribus, sapore, succo Cypriano similis, nisi quod paulo melior est. *Salvianus diligenter sic descripsit.* Pigus piscis est capite rotundo: rostro obtuso, nec admodum extento, ore mediocri & edentulo. TAB. XXX. 13. 14. *Aldrov. l.c.cap.57.*

Bran-

Branchias habet utrinq; quaternas, & juxta eas, pinnas binas, utrinq; vnã: aliasque in imo ventre, caudæ magis quã capiti vicinas. In dorso ferè medio una haud magna, nullis aculeis armata reperitur: Imo vẽtri ꝓpè caudã alia una etiã minor hæret. *Cauda* ipsa in falcatam pinnã desinit. Totius *figura* ni paulo lõgior esset, ovata censeri posset. *Squamis* magnis tegitur, ex quarum medio albi & pyramidati *aculei*, in fine veris & ineunte æstate, enascuntur. Quibus cum primis 40. æstivis diebus horreat, æstate procedente imminuuntur primũ, demũq; prorsus delitescunt. Quapropter primis illis æstivis diebus demptis, reliquo anni tempore prædictis pyramidatis aculeis omninò caret: unde cũ Plinius scribat: Duo lacus Italiẹ in radicibus Alpium Larius & Verbanus appellãtur, in quibus pisces omnibus annis vergiliarum ortu existunt squamis conspicui crebris atq; præacutis clavorum caligarium effigie, nec amplius quã circa eum mensem visuntur. Dubio ꝓcul Pigum piscem, etsi innominatum eum relinquat, describit, cũ is (ut infra monstrabimus) Larii & Verbani lacus alumnus sit, & (uti diximus) in prima æstate (quoquidem tempore vergiliæ exoriuntur) eius squamæ parte media, clavorum caligariũ instar, præacutæ fiant. Habent enim caligares clavi, qui à caligis militaribus, quibus suffigebantur, dicti sunt, pyramidata capita. Eiusmodi aculeos, sicuti Majo & Junio tantum mensibus, in dorsoq; solum & lateribus; & nõ in vẽtre, Pigo enasci asseverant omnes, sic nõ fœminas, sed mares tantum inhorrescere, testantur nonnulli: Venter ex albo languide rubet: tergus ex cæruleo nigricat. Quod ad interanea attinet, nil habet præ cæteris piscibus peculiare atq; animadversione digum. Cum maximè excreverit, quinas aut senas libras nõ excedit. Solius Larii atq; Verbani lacus accola est. Nemo enim in alio lacu flumin eve eum reperiri hucusq; (ꝓ sciam) animadvertit. Et licet frequentiores in prima æstate, cum clavis illis caligaribus insigniti apparent, in iis lacubus capi soleant, reliquis etiam omnibus ferè anni temporibus, in eisdem, etsi non æque crebro, capiuntur. Majo Mense circa lacus littora *parit*. Sapore & succo Cypriano est similis, paulo tamen melior. Salvianus ei carnem tribuit teneram atque sapidissimam, ideoque cum optimis quibuscunque dulcis aquæ piscibus conferri posse & maxime in æstatis principio captum: hoc enim tempore nulli piscium esse secundum, & quovis denique modo conditum, probe semper sapere.

SCHILUM, qui & *Nagemulus*, ita describit Gasserus. Nagmaul piscis est in Ambronis lacu Bavariæ, qui raro capitur, quoniam raro altius natando evehitur. Longissimus ulnam æquat. Formâ non dissimilis est Lucio, nisi quod in aqua subviridis, extra aquam verò dilutior apparet: oculis albicantibus, ore retro juxta maxillas minus lato. Squamarum magnitudine, ordine & asperitate Percam refert. Pinnæ dorsi erectæ, *aculeis* tres fere digitis rigent. Præter dorsi spinam paucas alias & parvas habet. Parit Martio. In cibo quidem optimus est Majo & Junio. Elixatus, assatus & frustratim concisus etiam frigi solet. Pinguis est admodum, & carnem etiam coctus albissimam servat. *Aldrov. l.c. cap. 59.*

CAPUT VIII.

De Saracho.

PIscem quem Albanenses *Sarachũ*, Ichtyopolæ *Sarachinũ* vocant. Bellonius *Agonum*, Jovius & Salvianus *Aconem*, Fracastorius & Jovius *Aquonem* vocant, ab osiculis sine dubio illis acutis, quæ asperam spinosamque in eius ventre lineam constituunt, & veluti acus quidã sunt. Rondeletius *Chalcidem*, quem Gaza *Aericam* vocat, dici opinatur, alicubi fortè *Sardanella* dicitur. De ipsorum Generibus ita Bellonius. Tres sunt apud Insubres lacus in quibus piscem vulgari Mediolanensium idiomate, Agonum nominatum capiunt, varium quidem eum. TAB. XXX. *Aldrov. de Piscib. l. 5. c. 58.* *Bellon. de Aquatilib. l. 2.*

Larius

Larius enim lacus, qui hodie Comensis cognominatur, Agonos educ. t exiguos ac magis populares, Sardis similes, dempto quod ventre sunt latiore: neque alio quam Mediolanum transferuntur, aut saltem rarò Mantuam prætergrediuntur. Eos doliis muriâ conditos adservant, quanquam etiâ mediocriter sicci sine muria cõperiantur. Verbanus lacus, quẽ lacum majorẽ cognominant, multo majores Agonos quã Larius educat. Indi enæ urbiũ, quæ ad eius litus sitæ sunt, Aronan, Palencza, Cornobio, Locaria & Eugudræ vocatos pisciculos magno proventu capiunt, mediâ magnitudine inter Larios & eos ex lacu Lugaræ, quos Indiginæ urbium nominant *Campignon* & *Buisson*. Benacus autẽ Lacus magnitudine insignes Agonos profert. Sed nec Urbani aut Benaci Agoni muriâ condiri solent, ut minores. Hæc ille; & mox rursus de Saracho. Duo, inquit, tresve lacus sunt in Epiro, in quib. Sarachi capiũtur, quos ubi sale condierint, exiccaverint, & fumo infecerint, Venetias, Anconã & aliò navigiis transvehunt. Quorum eos maximè in pretio habere solent, quos de la Boiane huius nominis flumine ac lacu cognominant. Horum verò duo comperiuntur *genera*, alterum minus, alterum autẽ Clupeæ ferè magnitudinis. Minores Sarachi quadrante longiores non sunt, maiores pedalem implent longitudinem. Ambo eâdem linea sub ventre præditi sunt, quâ Clupea insignita est. Cæterum Agoni omnes (inquit idẽ Bellonius) *squamas* habent levi contactu decidentes, tenues, latas & transparentes: corpora argenteo coloro nitentia, sed parum nigricant in tergo. *Desquamati* super argentum tersissimum refulgent. Oris rictum habent grandiusculũ sine *dentibus*: pinnâ in tergo simplicem, parvam, duas in lateribus sub branchiis, quarum omnium exterius tegumentum spineum in medio crenatum est. Oculos valde grandes proferunt, caudam in penicilli modum discissam. Utrinque nonnunquam lituris duabus, rotundis, ac nigris, interdum pluribus sigillatur in tergo. *Lineam* sub ventre habent serratam, ad anũ desinentẽ. quam si digito in adversum cõfrices, cultri modo acutam percipias *Branchias* habent utrinque quatuor, internâ parte veluti fimbriatas, quod etiã Harengis, Celerinis & id genus piscibus accidit. *Cor* ut semen Cicerculæ trigonum inter anteriores pinnas sub branchiis occultatum. *Hepar* subrubrum sinistro stomachi lateri & œsophago incubans, ipsumq; pylorum amplectens. *Stomachi* figura in conum turbinatur, à cujus superiore parte pylorus exit, multis apophysibus cœcis ac circundatur. *Lien* dextræ Stomachi parti, inhæret ruber, à pyloro intestinũ non reflectitur, sed recta ad anum tendit. Triginta sub ventre *ossicula* acuta, asperã in hoc pisce lineam constituentia, connumerare potes. Hæc omnia itaque Bellonius, quibus addi potest, Hosce pisces ita pinguescere referente Rondeletio, ut cum in craticula assantur, pinguitudo veluti oleũ distillet, adeò ut ab hac pinguedine, sint qui *Liparim* appellent. *Carnivori* sunt, & pulices aquaticos venantur. De *generatione* prodit Salvianus, Acones fœminas ovis gravidas, maribus semine refertis consequentibus, ad saxosa litora Majo mense adnatare, ibique illas parere sua ova, hos suo semine fœcundare, moxque pusillos inde procreari pisciculos, q. intra paucos dies ad digiti augeantur magitudinẽ, tuncq; vulgo *Antesitos* vocari. A qua exempti mox *emoriuntur*. Gregatim *vivunt*, & temerè in retia incidũt. Adeo sunt *timidi*, ut vel à tremula umbra terreantur. A Luciis, Cyprinis & Truttis adeo sibi metuunt, ut aliquot aliquando millia, insequentem inimicum longo per lacũ tractu pavidi fugiant, jucundo intuentibus spectaculo. Alosis sapore persimiles, vere graciles, autumno optimos Jovi' facit. Salviano Julio, Augusto, Septẽbri & Octobri mensibus probantur. Crassiusculũ tamẽ succũ gignunt, difficulter concoquuntur, & mediocriter nutriunt. Cum saliendi causa exenterantur, *oleum* ex interaneis ad lucernarum usum colligitur.

HISTO-

HISTORIÆ NATVRALIS

De Piscibus

LIBER IV.

De Piscibus Exoticis.

TITULUS I.

De Piscibus squamosis.

CAPUT I.

De Tajasica, Paru, Pira-Acangata, & Acarauna.

POterant quidem & isti, quos hoc libro trademus pisces, ad sua genera in præteritis referri : verùm cum tardè nimis ipsorum descriptiones & icones in manus nostras pervenerint, coacti sumus eos peculiari libello includere.

TAB. XXXII. 1. 2. Marcgrav. Hist. Brasil. lib. 4. c. 2.

Tajasica itaque prout Brasiliensibus vocatur: piscis est octo aut novem digitos longus, corpore obterete & pyramidali, extenuatur enim versus caudam. *Caput* est illi grossiusculum & compressum : *Oculi* eminentes & nigri, circello aureo : os edentulum. Sex habent pinnas ; nimirum sub qualibet branchia unam oblongam, sub his in medio inferius unam breviorem: unam in medio dorso, aliam longiorem versus postremam dorsi partē, & è regione huius unam in infimo corpore: septima est cauda, oblonga & in exitu rotundata. Tegitur squamulis parvis, coloris hyalini pallidi, maculis variis fuscis vermiculatis variegatus per totum, exceptis pinnis postbranchialibus & infimo ventre, quæ ex pallido subflavescunt. Cauda est undata fusco. Latet in arena absconditus; ideoque capitur pedibus, eos ponendo super arenam ubi latet.

Coctus atque assatus bene sapit & convenit cum Hollandorum Post/ est enim carne albissima & friabili.

PARV, Piscis est latus & subrotundus, verum haud crassus, novem aut decem digitos longus ab ore ad pinnam caudæ quæ duos & semis digitos longa & totidem lata : latitudo piscis septem digitorū. *Pinnas* obtinet sex: duas magnas ac latas duos circiterditos; unam in dorso, alteram in ventre, quæ utrobique ad caudam extendūtur; habetque quævis pinna in fine prominentiam instar funiculi, ea videlicet, quæ in dorso quinque digitos, quæ in ventre tres digitos longam. Post branchias in quolibet latere etiam pinna est duos digitos longa, unum lata; & duas in inferiori ventre sub his, duos digitos longas, angustissimas. *Capite* est parvo, ore elato, angusto, minutissimis dentibus albi coloris; oculis conspicuis, flavo circulo circumdatis. Totum corpus vestitur squamis mediocribus, quarum dimidius numerus niger est, dimidius autem flavescit, ita ut lunulas flavas in nigricante corpore gestare videtur. Circa branchias flavedo est, & in initio pinnarum , post aures macula flava in qualibet.

Piscis est edulis.

PIRA ACANGATA, id est, piscis duro capite: Percæ mediæ magnitudine, septem aut octo pedes longus, ore haud amplo, oculis nigris, circello nigricante aureo & ruffo colore mixto. *Pinnas* habet sex & septimam pro cauda : duas postbranchiales, duas in infimo ventre junctas, unam versus posteriora in ventre, & unam per totius dorsi longitudinem usque ad caudam extensam & erectam, firmis spinis suffultam quam in vaginam recondere potest. Pinna caudæ furcata. Tegitur squamulis argenteis, aureo & igneo colore transplendente, præsertim in dorso: in ventre in argenteo thalassinus color translucet.

Pinna dorsi argentea transplendens & maculis fuscis insignita. Pinnæ laterales albæ, quæ in ventre cæruleſcentes. Caudæ quoque pinna in extremitate cæruleſcit. Est edulis.

ACARAVNA, Piſcis magnitudine exæquat Paru, ſed non est ita latus, & ſquamulas habet nigricantis coloris. Cauda est bifida, pinna tres digitos longa, duos lata. Pene utramq; branchiam etiam pinnam habet, inferius in antica parte duas anguſtas. Per totum dorſum & per ventrem etiam pennam utrobique extenſam, acutam, continuam, in poſtica parte corporis circiter unum digitum latam. *Os* parvum, anguſtum, denticulis minutiſſimis. *Oculi* haud magni. In utroque latere prope caudam acutiſſimum habet aculeum; quos in latera poteſt recondere & evaginare & alios piſces lædere: quilibet aculeus ferè digitum longus oſſe piſcino conſtans.

Piſcis est edulis.

CAPUT II.

De Guaperua, Piranema, & Acarapucu.

TAB. XXXII. 3. *Marcgrav. Hiſt. Braſil. lib. 4. c. 2.*

GVAPERVA Braſilienſibus. Piſcis est corpore lato & compreſſo, quatuor digitos longo, tres lato, ubi latiſſimus. *Ore* parvulo, denticulis minimis. *Pinnas* habet ſex: poſt quamlibet branchiam unam, parallelogrammi figura: in infimo ventre duas oblongas: in dorſo & inferiore ventre extremo longam ac latam, quæ in acumen deſinunt, ſubulæ figura. *Cauda* quadrata ſeu potius parallelogramma, unum digitum longa, duas tertias digiti lata. Tegitur ſquamulis coloris nigri, ſplendentis inſtar bombycini, quarum oræ (non omnium ſed quarundam) fimbrias flavas habent inſtar ſemilunularum. *Pinnæ* ſunt nigræ, Circa os linea craſſa purpurei est coloris, & illi perpendiculariter altera ſuppoſita Corpus tres lineæ latæ ambiunt, quarum duæ per latus & poſticas pinnas extenduntur. Caudam etiam talis ſecat linea & ejuſdē coloris; una pro fimbria ipſi est oculorum pupillâ nigra, circulo aureo.

PRANEMA, Piſcis mediocris Capionis ſeu Percæ magnitudine; novem, decem aut undecim digitos longus; latus, ubi maxime, tres digitos aut paulo amplius, *Os* habet amplum, ſubrotundum, edentulum quidem, ſed acutiſſimis prominentiis aſperum: *oculos* magnos inſtar ſolidi Hollandici, pupilla cryſtallina, circulo aureo ſplendente, qui ſuperius ad dimidiam partem coloris est miniati. Branchias habet admodum amplas. Pone has in quolibet latere pinnæ digitum quidem longæ ſed haud latæ, & ſubter has in ventre duæ ſibi propinquæ duos digitos longæ & ſeſquidigitum latæ, triangulares, ſpinis ſuffultæ. A ventris medietate ad caudæ exortum uſque pinna protenditur tres & ſemis digitum longa, unum lata, itidem ſpinis intertexta, quam abſcondere fere poteſt in rima ad hoc comparata: per univerſum dorſum ab occipitis fine ad exortum caudæ pinna extenditur quinque digitos longa, paulum plus digitum lata, tenui membrana conſtans, duabus & viginti ſpinis intertexta, quam erigere atque deprimere & fere abſcondere poteſt in rima. *Cauda* quæ à corpore protenditur ſeſquidigitum est longa, unum lata, pinnam habet tres & ſemis digitos latam, & pluſquā ſeſquidigitum longā. Calor totius piſcis est argenteus laccatus lacca florentina. Squamulas habet minutulas quaſi triangulares: in ventre plus albicat, ſeu argenteo minus laccæ intermixtum cernitur.

Capitur in mari & boni est ſaporis, edulis.

ACARAPVCV, fluviatilis piſcis, in ſeſquipedalem longitudinem excreſcit, ubi latiſſimus quatuor aut quinque digitorum. *Os* acuminatum circiter

citer duos digitos longum, haud amplum, labia abſcondere & contrahere poteſt ut ſolum hiatus appareat, nullos habet dentes. *Oculi* magni, pupilla nigra ſplendente, circulo ex albo & fuſco mixto. *Pinnas* habet ſeptem: unam per dorſi longitudinem ad caudam fere extenſam, non latam, quam erigere & ſpinis ſuſtentare, atque recondere poteſt: poſtbranchiales duas, totidem in infimo ventre, unam poſt anum: Septimam pro cauda, furcatam quatuor aut quinque digitos longam. Totus ſplendet ſquamis argenteis minoribus: in dorſo tamen aliquid aurei admixtum: & in quolibet latere ſex oblongæ maculæ cæruleæ ruteſcentes, non ita conſpicuæ. Pinna dorſi & canda dilutè cinerei ſunt coloris, ut & laterales: duæ in infimo ventre flaveſcunt paulū, ut & ea quæ prope anum. Edulis eſt.

Caput III.

De Pudiano vermelho, Pudiano verde, & Iuruucapeba.

Tab. XXXII. 4.5.6. *Marcgrav. Hiſt. Braſil. lib. 4. c. 3.*

Pudiano *Vermelho* vulgo, ſed rectius *Bodiano:* Braſilienſibus *Aipimixira*, & *Tetimixira*, Piſcis mediocris Percæ magnitudine. Latitudo corporis, ubi maxima, duorum digitorum prope caudam unius aut paulo plus. Corporis fere æqualis latitudo eſt. *Caput* parvum, *os* acutum, ſuperius in anteriori parte tres denticuli acuti, minimi, inferius item, & verſus interiora in utraque mandibula alii minimi denticuli. *Oculos* habet paululum eminentes, pupilla nigra, exteriori albo, hinc flavo circulo. *Pinnas* habet ſeptem: nimirum duas plus digito longas, haud latas, poſt branchias in utroque latere unam: ſub his duas junctas in ventre: aliam in ventre verſus caudam duos digitos longam, ſecundum longitudinem adnatam: unam item talem in dorſo, tres & ſemis digitos longam: & ſeptimam pro cauda, q̃ eſt quadrata, digitū longa & lata. Tegitur piſcis ſquamis ſubtilibus, ita arctè cōplicatis, ut ad tactū glaber eſſe videatur. *Color* totius corporis flavus cum aureo mixtus. Summitas autem capitis & totum dorſum ad media utrimque latera, & fere uſque ad finem dorſalis pinnæ purpurei eſt coloris egregii cum lacca mixti: extrema ora pinnæ majoris in ventre verſus caudam etiam purpuraſcit ut & pinnæ illi junctæ totaliter: reliquæ pinnæ flavæ cum aureo colore mixtæ, ut & totum reliquum corpus. Pars ultima pinnæ majoris in dorſo etiam flava ut & cauda. Piſcis eſt edulis.

Pudiano Verde Luſitanis. Piſcis oblongus, nimirum decem digitos ab oris extremo ad caudæ initium; corpus tres digitos latum, circa caudam autem ſeſqui. *Os* acuminatum, haud amplum, anterius in ſuperiori mandibula habens duos dentes acutos, longos; & ſeriem denticulorum minimorum: inferius in anteriore parte quatuor, longos, acutos, & ſeriem minutorum candidorum. *Oculos* habet parvos, pupilla nigricante, circello primum aureo, dein exterius albeſcente. *Pinnas* obtinet ſeptē, nimirū unā per dorſi longitudinem extenſam, ſex & ſemis digitos longam, dimidium latam, quam ſpinis erigere & ſuſtinere poteſt: poſt utramq; branchiarum unam, duos digitos longam, paulo plus uno latam: ſub ventre duas parvas junctas: à medio autem ventre inferiori una tendit pene ad caudæ exortum, quatuor digitos longa, unum fere lata: Septima pinna eſt cauda, quæ eſt quadrata aut parallegrammi figura, ſeſquidigitum longa, duos lata,

Totus piſcis veſtitur ſquamis latis quæ ita compoſitæ ſunt, ut meri cubi ſibi appoſiti videantur; lutei ſeu aurei coloris ac per totum ambitum linea ſeu fimbria elegātiſſima azuri ſeu cærulei caloris. *Caput* ſuperius aureum eſt cum magna macula coloris ex viridi thalaſſini, circumdata azureo & azureis flavis ſubviridibus & albicantibus

tibus ſtriis variegatum. *Pinnæ* duæ laterales ſeu poſtbranchiales & duæ in ventre albicant, in laterali ambitu cærulea lineola præditæ. *Pinna* dorſalis aurei eſt coloris & ſtriis undulatis cæruleis ſecundum longitudinē notata, quæ in ventre major ex ruffo ad brunum vergit colorem, ſtriis itidem cæruleis ſecundum longitudinem. *Cauda* rufeſcit ſtriata thalaſſino ac cæruleo ſecundum longitudinem, in extremitate autem paululum vireſcit.

Piſcis inſignis coloris & edulis. Capitur in mari.

Iuruucupeba, aut etiam *Itaiara*: Piſcis longus ſeptem aut octo digitos, duos aut tres latus, ubi latiſſimus: *ore* ſatis patulo, & ex triangulari rotundo lingua anguſta, brevi, denticulis minutiſſimis: *oculis* rotundis, pupilla cryſtallina & circulo rubro. Poſt branchias in utroque latere habet pinnam ſeſquidigitum longam, quadratam & exterius circinatam: ſubter has, duas in inferiori vente junctas; paulo poſt occipitium incipit pinna anteriori medietate ſpinis ſuffulta, poſteriori mollis, quæ tendit ſecundum longitudinem dorſi ad caudam uſque, & ſemper fit latior, prope caudam digitum lata. In inferiore corpore verſus caudam etiam pinnam habet haud amplam. *Cauda* conſtat pinna ſeſquidigitum longa, plus uno lata & quadrata.

Squamatus piſcis, ſed ſquamis ita complicatis ut lævis eſſe videatur. Piſcis univerſi color egregiè ruber, in ventre autem ex rubro & albo maculatus; in lateribus autem conſtanter maculas habet puniceas, nigras, varias, majores & minores. *Pinnæ* omnes ſunt rubræ & nigro maculatæ.

Pinguis eſt piſcis & boni ſaporis, optimus tamen aſſatus. Capitur in mari inter ſcopulos. Parieti recens appenſus noctu toto corpore clare lucet.

CAPUT IV.

De Iaguaraca, Carauna, Cururuca, & Guatucupa Iuba.

JAGVARACA. Piſcis eſt mediocris Percæ magnitudine, *ore* acuto, edentulus. Oculos habet magnos, pupilla cryſtallina nigra, magna & ampla, circulo coloris argentei, & ſuperius maculam ſanguineam habente. *Pinnas* habet in lateribus & infimo ventre ſimiles præcedenti piſci: per dorſum verò ſecundum longitudinem extenditur pinna digitum lata, uſque ad unum digitum ab initio caudæ, conſtans tenui membranula undecim ſpinis acutiſſimis ſuffulta, quam poteſt elevare & ſubſternere pro libitu: atque non ſolum componere, ſed & abſcondere in rima cui pinna inſidet. TAB. XXXII. 7.8.9. *Marcgrav. Hiſt. Braſil. lib. 4. c. 3.*

Hanc ſequitur alia contigua unum digitum lata, pertingens ad caudæ exortum, duos digitos longa, triangularis & ſuperius deſinens in acumen. *Caudæ* autē pars reliquo corpori ſubtenſa rotunda eſt, ſeſquidigitum longa, continens pinnam furcatam, cuius pars inferior duos digitos longa, ſuperior paulo longior. Ad branchias in utroque latere, in quolibet duos habet aculeos, in quorum medio alii ſunt minimi: his branchiis & aculeis ferit & vulnerat: ferit etiam cum ſpina dorſali & cum iis quæ ſunt in infimo ventre, ad quarum ſingularum latus aculeus eſt ſatis longus, & quidem in pinna prope caudam in infimo ventre ſpina eſt unū digitū longa.

Totus piſcis tectus eſt ſquamulis elegāter diſpoſitis; & quælibet ſquamula in ambitu minutiſſime eſt ſerrata. Color totius corporis eſt aureus, in ventre plane albicat. *Caput* ſuperius incarnati eſt coloris, & hiſpida teſta munitum. *Pinnæ* omnes coloris ſunt dilute incarnati: ea autem quæ in dorſo ſpinis ſuffulta, prope ſpinas auro eſt umbrata.

Caro

Caro pinguis & boni saporis; præsertim si piscis assetur. Capitur in mari inter scopulos.

Carauna. Magnitudinem & figuram habet ut *Iuruuca peba*, differt tamen capite & colore corporis. *Pinnas* quoque eodem modo positas habet ut ille. *Os* autem obtinet lunatum; dentesque habet acutissimos, sed minutos: *Branchias* amplas, quæ aculeis in postica parte sunt munitæ. *Oculi* versus summitatem capitis in lateribus positi non longe ab invicem haud magni, pupilla ovali nigra, quam ambit circulus ruber. Squamulis in vniversum vestitur lunatis, coloris miniati per totum, & ubique punctula nigra, magnitudine seminis papaveris insparsa, habet, præterquam in ventre.

Capitur in mari inter scopulos: estque edulis, molli admodum carne atque boni saporis.

Cururuca, species *Corvinæ*; Piscis fluviatilis, sesquipedem longus, corpore oblongo; ore satis amplo, oculis mediocribus, nigris. *Pinnas* habet septem: unam per dorsi longitudinem ad caudam ferè protensam, quæ divisa est & prior pars latior, tres digitos ferme; & totidē longa, triangularis, spinis suffulta, posterior longior, sed exilior. Cauda fere quadrata. Squamas habet mediocris magnitudinis argenteas cum auro & subfusco pauco mixtas, præsertim in dorso & lateribus. Pinnæ in dorso & lateribus ac cauda, cinereæ; in medio ventre flavescunt, & fuscescunt. Edulis est.

Guatacuba Iuba, in duorum pedum longitudinem excrescit, dorso paulū incurvato. *Os* habet triangulare, acuminatum, dentes parvos acutissimos. *Oculos* magnitudine stuferi Hollandici, pupilla magna, nigra, splendente circulo rubro. *Pinnas* habet molles sine spinis in lateribus; nimirum unam in quolibet latere, post branchias, angustam, duos & semis digitos longam: duas tales junctas & ventre subter illas unica spina munitas: & unam propeanum digitum longam ac latam, unica quoque spina armatam. Ante medium dorsum versus occiput, incipit pinna desinens ad caudæ initium; quinq; digitos longa, unum fere lata, quæ duabus & vigiriti spinis erigitur: cauda duos pene digitos lōga, unū lata, pinnā habet plus uno digito longā & quatuor latam paululumque exterius versus interiora arcuatam. Vestitur squamis paulo majoribus, coloris argentei & striis flavis & ex argenteo rufescentibus secundum longitudinem extensis à capite ad caudam usque. In utroque latere etiam à capite ad caudam eminens linea tendit. *Caput* ex argenteo, rufo, flavo mixtū. Pinnæ albæ sive argenteæ, caudæ pinna ruffa: venter albus.

Idem. Lib. 4. cap. 4.

Capitur in mari inter scopulos. Boni est saporis, & lingua & caro circa mandibulas longè optimi ut in Carpione.

CAPUT. V.

De Pira Iurumenbeca, Tamoata, Acara, & Pira Pixanga.

PIRA IVRVMENBECA vulgo *Boca-molle*, quia molli ore & aquis extractis statim moritur: vivit in mari in cœno: oblongus piscis haud latus: novem aut decem interdum pedes longus, duos & semis latus, ubi latissimus. *Os* habet elevatum; quod ampliare & rotundare potest: oculos magnos, pupilla crystallina, circulo ex argenteo & brunno mixto. *Septem* habet pinnas, duas angustas post branchiales, duos digitos longas: duas in infimo ventre junctas, duos fere digitos longas, unum latas: unam post anum firma spina suffultam: sextam per dorsum extensam & bisectam; anterior eius pars sesquidigito longa, unum lata, triangularis, quam erigere & in rimam recondere potest, mollis & translucens, altera pars usque ad caudam fere porrecta, tres digitos longa, semidigitum lata, itidem mollis. Septima est cauda, duos fere digitos longa, sesquidigitum lata, figura pentagoni cuius basis inserta in corpus.

TAB. XXXII. II. 12. *Idem lib. 4. c. 4.*

Pinna dorsi argentea transplendens & maculis fuscis insignita. Pinnæ laterales albæ, quæ in ventre cæruleſcentes. Caudæ quoque pinna in extremitate cæruleſcit. Est edulis.

ACARAVNA, Piſcis magnitudine exæquat Paru, ſed non est ita latus, & ſquamulas habet nigricantis coloris. Cauda est bifida, pinna tres digitos longa, duos lata. Pene utramq; branchiam etiam pinnam habet, inferius in antica parte duas anguſtas. Per totum dorſum & per ventrem etiam pennam utrobique extenſam, acutam, continuam, in poſtica parte corporis circiter unum digitum latam. *Os* parvum, anguſtum, denticulis minutiſſimis. *Oculi* haud magni. In utroque latere prope caudam acutiſſimum habet aculeum; quos in latera poteſt recondere & evaginare & alios piſces lædere: quilibet aculeus ferè digitum longus oſſe piſcino conſtans.

Piſcis est edulis.

CAPUT II.

De Guaperua, Piranema, & Acarapucu.

TAB. XXXII. 3. *Marcgrav. Hiſt. Braſil. lib. 4. c. 2.*

GVAPERVA Braſilienſibus. Piſcis est corpore lato & compreſſo, quatuor digitos longo, tres lato, ubi latiſſimus. *Ore* parvulo, denticulis minimis. *Pinnas* habet ſex: poſt quamlibet branchiam unam, parallelogrammi figura: in infimo ventre duas oblongas: in dorſo & inferiore ventre extremo longam ac latam, quæ in acumen deſinunt, ſubulæ figura. *Cauda* quadrata ſeu potius parallelogramma, unum digitum longa, duas tertias digiti lata. Tegitur ſquamulis coloris nigri, ſplendentis inſtar bombycini, quarum oræ (non omnium ſed quarundam) fimbrias flavas habent inſtar ſemilunularum. *Pinnæ* ſunt nigræ, Circa os linea craſſa purpurei est coloris, & illi perpendiculariter altera ſuppoſita Corpus tres lineæ latæ ambiunt, quarum duæ per latus & poſticas pinnas extenduntur. Caudam etiam talis ſecat linea & ejuſdē coloris; una pro fimbria ipſi est oculorum pupillâ nigra, circulo aureo.

PRANEMA, Piſcis mediocris Capionis ſeu Percæ magnitudine; novem, decem aut undecim digitos longus; latus, ubi maxime, tres digitos aut paulo amplius, *Os* habet amplum, ſubrotundum, edentulum quidem, ſed acutiſſimis prominentiis aſperum: *oculos* magnos inſtar ſolidi Hollandici, pupilla cryſtallina, circulo aureo ſplendente, qui ſuperius ad dimidiam partem coloris est miniati. Branchias habet admodum amplas. Pone has in quolibet latere pinnæ digitum quidem longæ ſed haud latæ, & ſubter has in ventre duæ ſibi propinquæ duos digitos longæ & ſeſquidigitum latæ, triangulares, ſpinis ſuffultæ. A ventris medietate ad caudæ exortum uſque pinna protenditur tres & ſemis digitum longa, unum lata, itidem ſpinis intertexta, quam abſcondere fere poteſt in rima ad hoc comparata: per univerſum dorſum ab occipitis fine ad exortum caudæ pinna extenditur quinque digitos longa, paulum plus digitum lata, tenui membrana conſtans, duabus & viginti ſpinis intertexta, quam erigere atque deprimere & fere abſcondere poteſt in rima. *Cauda* quæ à corpore protenditur ſeſquidigitum est longa, unum lata, pinnam habet tres & ſemis digitos latam, & pluſquā ſeſquidigitum longā. Calor totius piſcis est argenteus laccatus lacca florentina. Squamulas habet minutulas quaſi triangulares: in ventre plus albicat, ſeu argenteo minus laccæ intermixtum cernitur.

Capitur in mari & boni est ſaporis, edulis.

ACARAPVCV, fluviatilis piſcis, in ſeſquipedalem longitudinem excreſcit, ubi latiſſimus quatuor aut quinque digitorum. *Os* acuminatum circiter

citer duos digitos longum, haud amplum, labia abſcondere & contrahere poteſt ut ſolum hiatus appareat, nullos habet dentes. *Oculi* magni, pupilla nigra ſplendente, circulo ex albo & fuſco mixto. *Pinnas* habet ſeptem: unam per dorſi longitudinem ad caudam fere extenſam, non latam, quam erigere & ſpinis ſuſtentare, atque recondere poteſt: poſtbranchiales duas, totidem in infimo ventre, unam poſt anum: Septimam pro cauda, furcatam quatuor aut quinque digitos longam. Totus ſplendet ſquamis argenteis minoribus: in dorſo tamen aliquid aurei admixtum: & in quolibet latere ſex oblongæ maculæ cæruleæ rufeſcentes, non ita conſpicuæ. Pinna dorſi & canda dilutè cinerei ſunt coloris, ut & laterales: duæ in infimo ventre flaveſcunt paulū, ut & ea quæ prope anum. Edulis eſt.

CAPUT III.

De Pudiano vermelho, Pudiano verde, & Iuruucapeba.

TAB. XXXII. 4.5.6. *Marcgrav. Hiſt. Braſil. lib. 4. c. 3.*

PVDIANO *Vermelho* vulgo, ſed rectius *Bodiano:* Braſilienſibus *Aipimixira*, & *Tetimixira*, Piſcis mediocris Percæ magnitudine. Latitudo corporis, ubi maxima, duorum digitorum prope caudam unius aut paulo plus. Corporis fere æqualis latitudo eſt. *Caput* parvum, *os* acutum, ſuperius in anteriori parte tres denticuli acuti, minimi, inferius item, & verſus interiora in utraque mandibula alii minimi denticuli. *Oculos* habet paululum eminentes, pupilla nigra, exteriori albo, hinc flavo circulo. *Pinnas* habet ſeptem: nimirum duas plus digito longas, haud latas, poſt branchias in utroque latere unam: ſub his duas junctas in ventre: aliam in ventre verſus caudam duos digitos longam, ſecundum longitudinem adnatam: unam item talem in dorſo, tres & ſemis digitos longam: & ſeptimam pro cauda, q̄ eſt quadrata, digitū longa & lata. Tegitur piſcis ſquamis ſubtilibus, ita arctè cōplicatis, ut ad tactū glaber eſſe videatur. *Color* totius corporis flavus cum aureo mixtus. Summitas autem capitis & totum dorſum ad media utrimque latera, & fere uſque ad finem dorſalis pinnæ purpurei eſt coloris egregii cum lacca mixti: extrema ora pinnæ majoris in ventre verſus caudam etiam purpuraſcit ut & pinnæ illi junctæ totaliter: reliquæ pinnæ flavæ cum aureo colore mixtæ, ut & totum reliquum corpus. Pars ultima pinnæ majoris in dorſo etiam flava ut & cauda. Piſcis eſt edulis.

Pudiano Verde Luſitanis. Piſcis oblongus, nimirum decem digitos ab oris extremo ad caudæ initium; corpus tres digitos latum, circa caudam autem ſeſqui. *Os* acuminatum, haud amplum, anterius in ſuperiori mandibula habens duos dentes acutos, longos; & ſeriem denticulorum minimorum: inferius in anteriore parte quatuor, longos, acutos, & ſeriem minutorum candidorum. *Oculos* habet parvos, pupilla nigricante, circello primum aureo, dein exterius albeſcente. *Pinnas* obtinet ſeptē, nimirū unā per dorſi longitudinem extenſam, ſex & ſemis digitos longam, dimidium latam, quam ſpinis erigere & ſuſtinere poteſt: poſt utramq; branchiarum unam, duos digitos longam, paulo plus uno latam: ſub ventre duas parvas junctas: à medio autem ventre inferiori una tendit pene ad caudæ exortum, quatuor digitos longa, unum fere lata: Septima pinna eſt cauda, quæ eſt quadrata aut parallegrammi figura, ſeſquidigitum longa, duos lata,

Totus piſcis veſtitur ſquamis latis quæ ita compoſitæ ſunt, ut meri cubi ſibi appoſiti videantur; lutei ſeu aurei coloris ac per totum ambitum linea ſeu fimbria elegātiſſima azuri ſeu cærulei caloris. *Caput* ſuperius aureum eſt cum magna macula coloris ex viridi thalaſſini, circumdata azureo & azureis flavis ſubviridibus & albicantibus

tibus ſtriis variegatum. *Pinnæ* duæ laterales ſeu poſtbranchiales & duæ in ventre albicant, in laterali ambitu cærulea lineola præditæ. *Pinna* dorſalis aurei eſt coloris & ſtriis undulatis cæruleis ſecundum longitudinē notata, quæ in ventre major ex ruſſo ad brunum vergit colorem, ſtriis itidem cæruleis ſecundum longitudinem. *Cauda* rufeſcit ſtriata thalaſſino ac cæruleo ſecundum longitudinem, in extremitate autem paululum vireſcit.

Piſcis inſignis coloris & edulis. Capitur in mari.

Iuruucupeba, aut etiam *Itaiara*. Piſcis longus ſeptem aut octo digitos, duos aut tres latus, ubi latiſſimus: *ore* ſatis patulo, & ex triangulari rotundo lingua anguſta, brevi, denticulis minutiſſimis: *oculis* rotundis, pupilla cryſtallina & circulo rubro. Poſt branchias in utroque latere habet pinnam ſeſquidigitum longam, quadratam & exterius circinatam: ſubter has, duas in inferiori vente junctas; paulo poſt occipitium incipit pinna anteriori medietate ſpinis ſuffulta, poſteriori mollis, quæ tendit ſecundum longitudinem dorſi ad caudam uſque, & ſemper fit latior, prope caudam digitum lata. In inferiore corpore verſus caudam etiam pinnam habet haud amplam. *Cauda* conſtat pinna ſeſquidigitum longa, plus uno lata & quadrata.

Squamatus piſcis, ſed ſquamis ita complicatis ut lævis eſſe videatur. Piſcis univerſi color egregiè ruber, in ventre autem ex rubro & albo maculatus; in lateribus autem conſtanter maculas habet puniceas, nigras, varias, majores & minores. *Pinnæ* omnes ſunt rubræ & nigro maculatæ.

Pinguis eſt piſcis & boni ſaporis, optimus tamen aſſatus. Capitur in mari inter ſcopulos. Parieti recens appenſus noctu toto corpore clare lucet.

CAPUT IV.

De Iaguaraca, Carauna, Cururuca, & Guatucupa Iuba.

JAGVARACA. Piſcis eſt mediocris Percæ magnitudine, *ore* acuto, edentulus. Oculos habet magnos, pupilla cryſtallina nigra, magna & ampla, circulo coloris argentei, & ſuperius maculam ſanguineam habente. *Pinnas* habet in lateribus & infimo ventre ſimiles præcedenti piſci: per dorſum verò ſecundum longitudinem extenditur pinna digitum lata, uſque ad unum digitum ab initio caudæ, conſtans tenui membranula undecim ſpinis acutiſſimis ſuffulta, quam poteſt elevare & ſubſternere pro libitu: atque non ſolum componere, ſed & abſcondere in rima cui pinna inſidet. TAB. XXXII. 7.8.9. *Marcgrav. Hiſt. Braſil. lib. 4. c. 3.*

Hanc ſequitur alia contigua unum digitum lata, pertingens ad caudæ exortum, duos digitos longa, triangularis & ſuperius deſinens in acumen. *Caudæ* autē pars reliquo corpori ſubtenſa rotunda eſt, ſeſquidigitum longa, continens pinnam furcatam, cuius pars inferior duos digitos longa, ſuperior paulo longior. Ad branchias in utroque latere, in quolibet duos habet aculeos, in quorum medio alii ſunt minimi: his branchiis & aculeis ferit & vulnerat: ferit etiam cum ſpina dorſali & cum iis quæ ſunt in infimo ventre, ad quarum ſingularum latus aculeus eſt ſatis longus, & quidem in pinna prope caudam in infimo ventre ſpina eſt unū digitū longa.

Totus piſcis tectus eſt ſquamulis elegāter diſpoſitis; & quælibet ſquamula in ambitu minutiſſime eſt ſerrata. Color totius corporis eſt argenteus, in ventre plane albicat. *Caput* ſuperius incarnati eſt coloris, & hiſpida teſta munitum. *Pinnæ* omnes coloris ſunt dilute incarnati: ea autem quæ in dorſo ſpinis ſuffulta, prope ſpinas auro eſt umbrata.

Caro

Caro pinguis & boni saporis; præsertim si piscis assetur. Capitur in mari inter scopulos.

Carauna. Magnitudinem & figuram habet ut *Iuruuca peba*, differt tamen capite & colore corporis. *Pinnas* quoque eodem modo positas habet ut ille. *Os* autem obtinet lunatum; dentesque habet acutissimos, sed minutos: *Branchias* amplas, quæ aculeis in postica parte sunt munitæ. *Oculi* versus summitatem capitis in lateribus positi non longe ab invicem haud magni, pupilla ovali nigra, quam ambit circulus ruber. Squamulis in vniversum vestitur lunatis, coloris miniati per totum, & ubique punctula nigra, magnitudine seminis papaveris insparsa, habet, præterquam in ventre.

Capitur in mari inter scopulos: estque edulis, molli admodum carne atque boni saporis.

Cururuca, species *Corvinæ*; Piscis fluviatilis, sesquipedem longus, corpore oblongo; ore satis amplo, oculis mediocribus, nigris. *Pinnas* habet septem: unam per dorsi longitudinem ad caudam ferè protensam, quæ divisa est & prior pars latior, tres digitos ferme; & totidē longa, triangularis, spinis suffulta, posterior longior, sed exilior. Cauda fere quadrata. Squamas habet mediocris magnitudinis argenteas cum auro & subfusco pauco mixtas, præsertim in dorso & lateribus. Pinnæ in dorso & lateribus ac cauda, cinereæ; in medio ventre flavescunt, & fuscescunt. Edulis est.

Guatacuba Iuba, in duorum pedum longitudinem excrescit, dorso paulū incurvato. *Os* habet triangulare, acuminatum, dentes parvos acutissimos. *Oculos* magnitudine struferi Hollandici, pupilla magna, nigra, splendente circulo rubro. *Pinnas* habet molles sine spinis in lateribus; nimirum unam in quolibet latere, post branchias, angustam, duos & semis digitos longam: duas tales junctas & ventre subter illas unica spina munitas: & unam prope anum digitum longam ac latam, unica quoque spina armatam. Ante medium dorsum versus occiput, incipit pinna desinens ad caudæ initium; quinq; digitos longa, unum fere lata, quæ duabus & viginti spinis erigitur: cauda duos pene digitos lōga, unū lata, pinnā habet plus uno digito longā & quatuor latam paululumque exterius versus interiora arcuatam. Vestitur squamis paulo majoribus, coloris argentei & striis flavis & ex argenteo rufescentibus secundum longitudinem extensis à capite ad caudam usque. In utroque latere etiam à capite ad caudam eminens linea tendit. *Caput* ex argenteo, rufo, flavo mixtū. Pinnæ albæ sive argenteæ, caudæ pinna ruffa: venter albus.

Idem. Lib. 4. cap. 4.

Capitur in mari inter scopulos. Boni est saporis, & lingua & caro circa mandibulas longè optimi ut in Carpione.

CAPUT. V.

De Pira Iurumenbeca, Tamoata, Acara, & Pira Pixanga.

PIRA IVRVMENBECA vulgo *Bocamolle*, quia molli ore & aquis extractis statim moritur: vivit in mari in cœno: oblongus piscis haud latus: novem aut decem interdum pedes longus, duos & semis latus; ubi latissimus. *Os* habet elevatum; quod ampliare & rotundare potest: oculos magnos, pupilla crystallina, circulo ex argenteo & brunno mixto. *Septem* habet pinnas, duas angustas post branchiales, duos digitos longas: duas in infimo ventre junctas, duos fere digitos longas, unum latas: unam post anum firma spina suffultam: sextam per dorsum extensam & bisectam; anterior eius pars sesquidigito longa, unum lata, triangularis, quam erigere & in rimam recondere potest, mollis & translucens, altera pars usque ad caudam fere porrecta, tres digitos longa, semidigitum lata, itidem mollis. Septima est cauda, duos fere digitos longa, sesquidigitum lata, figura pentagoni cuius basis inserta in corpus.

TAB. XXXII. 11.12. *Idem lib. 4. c. 4.*

Squamas habet toto corpore argenteas, splendentes, mediocris magnitudinis: in dorso viridis & aureus color transplendet. Pinnę argenteæ & in medietate exteriore aureæ. In quolibet latere tinea tendit paulum elata, etiam argentei coloris ut reliquum corpus.

Edulis est & bonisaporis.

Idem lib.4. c.5. TAMOATA, Lusitanis soldido (quia armatus) piscis fluviatilis seu aquæ dulcis, edulis. Longitudo corporis ab occipitio ad initium caudæ trium & semis digitorum; longitudo capitis unius digiti; latitudo paulo major. Crassities corporis; ubi maxima, nimirum post occipitiū, trium, circa caudam duorum. *Caput* latum ranæ ferme modo; *os* haud amplum; ad cuius quodlibet latus filum habet unū digitum longum instar barbæ, os edentulū. *Oculi* minimi crystallini, magnitudine seminis papaveris, circello aurato cincti. Pinnas obtinet octo; ad quamlibet branchiam unā, digitum longam, firmam instar cornu in uno latere, directe à latere protensam: duas in infimo ventre, non ita firmas at eiusdem magnitudinis: unā in medio dorso, alteram in eodem dorso prope caudam, minimā: unā parvam in infimo ventre prope caudam & octavam pro cauda, digitum longam & latam. Totum caput superius tegitur testa dura instar clypei: & universum corpus vestitum est lorica ex oblongis squamosis corporibus composita: suntque hæc corpora per ambitum minutissime serrata & quadruplici ordine tota lorica disposita: id est, coeunt partes seu squamæ loricæ in utriusque lateris medio, in dorso & in infimo ventre. Color totius piscis obscure ferreus, præsertim in capite. Carne bona est.

Piscis hic aqua carens influvio ubi est, tempore sicco, per terram abit ut aquam quærat.

Idem. lib.4. c.6. *Acara Pinima.* Piscis est latus, dorso incurvato, sex aut septē digitos longus, quatuor latus, ubi latissimus, parvi Carpionis figura aut verius Percæ misnicæ. *Os* habet haud amplum, denticulos minutissimos: oçulos satis magnos pupilla nigricante transplendēte, circulo rubro, fusco & albo: *Pinnas* septem; unam per totum dorsum extensam & continuam versus anteriora minus uno digito latam, versus posteriora latiorem: huius pinnæ medietas anterior spinis suffulta est & illam in rimam potest recondere: post branchias in utroque latere unā duos digitos longam, haud latam, in medio ventre duas junctas semidigitū ferme longas firma spina sustentatas: inter anum & caudā inferius itidem unam firma spina munitam: Septima pro cauda est furcata, plusquā sesqui digitum longa, totidem lata.

Totus vestitur squamulis argenteis ex auro splendentibus: in quolibet latere septē magnas habet strias secundum longitudinem ad caudam usque extensas, coloris fusci splendentis (in quibusdam aurei seu lutei) à summo item capite per utrumque oculum ad extremitates oris, in quolibet latere capitis lata stria nigra descendit, ad cuius orā aliquid cęrulei admixtum est. Vltra harum striarum exortum in dorso, nimirum ubi pinna dorsi initium sumit, itidem per quodlibet latus descendit nigra stria usque ad exortum pinnæ lateris seu oram branchiarum. Omnes pinnæ & cauda coloris sunt lutei seu aurei splendentis. Capitur in mari inter scopulos: & est edulis atque boni saporis.

Pira Pixanga, Belgis Gatvisch/ quia in initio antri inter scopulos degit in mari. Longus est novem digitos, ab initio oris ad exortum caudæ. *Cauda* duos digitos longa. *Os* sesquidigitum amplū, minutis sed acutissimis denticulis præditum. *Caput* haud magnum: oculi magni, prominentes, pupilla coloris instar Turcoidis optimi, circulo nigro, cū aureo & sanguineo mixto. Branchiæ in triangularem figuram desinunt, ampla & acuta spinula præditæ. *Pinnas* habet septem: unam per totius dorsi longitudinem extensam, unum ferme digitum latā, & in postica parte latiorē, cuius prior medietas undecim firmis spinis sustinetur, posterior est mollis.

Post

Post branchias in utroque latere unam, duos digitos longam & totidem latam, subrotundam & carnosam: duas junctas in medio pene infimo ventre, unica spina singulas firmatas: unam mediocrem post anum spina munitam. Septima est pro cauda, duos fere digitos longa & totidem lata, nõ secta sed extremo ambitu subrotunda. Tegitur squamulis parvulis per totum corpus, ad tactum glaber nisi à cauda versus caput digitis fricetur. Totum corpus, caput, pinnæ, cauda ex albo flavescunt: & per totum variegantur maculis sanguinei coloris diluti; rotundis, magnitudine seminis canabis: quædam etiam in ventre majores. Pinnæ eodem modo maculatæ in ambitu suo obscurius rufescunt. Figuram ferè Auratæ habet. Edulis est ac boni saporis.

Captus per trihorium extra aqum potest vivere: bihorium postquam mortuus esset, aperiebam illum & cor adhuc movebatur exemptum: cor situm erat statim post fauces, & aspera arteria in id inserebatur, eratque digitum remotum à reliquis visceribus per mediastinum; minimum utique & vix granum tritici æquans etiam quando spiritu inflatur.

CAPUT VI.

De Vubarana, Capeuna, & Acarapitamba.

TAB. XXXIII. 1. 2. 3. *Idem H. B. lib. 4. c. 7.*

VVBARANA. Piscis figurà corporis Trutæ nostrati similis, ubique ferm e æqualis crassitiei, paulum tamen in dorso exaltatus, versus caudam autem angustior. Corpore oblongo, quadrãte cylindraceo: pedalis longitudinis, semipedem crassus. *Caput* acuminatum seu coactum, haud magnum: oculi stuferi magnitudine, pupilla nigra, circulo primum aureo, exterius argenteo: *Os* edentulum & lapis illi pro lingua. In medio dorso unicam habet pinnam duos pene digitos longam, unum anterius latam, trapezii figura, non tamen duris spinis firmatam. Post branchias in quolibet latere versus inferiora parvam pinnam oblongam & angustam obtinet & duas tales laterales ad infimum ventrem è regione dorsalis: prope anum unam parvam. *Cauda* constat pinna furcata instar harengi plus duobus digitis longa. Squamulas habet ordine lineari secundum longitudinem corporis positas, ita affabre ut ad tactum quaqua versus glaber videatur. Supernè si aspiciatur olivacei est coloris, ateminus aut lateraliter si intuearis plane argenteus ac splendens videtur, & dorsum cæruleſcit ex argenteo: venter plane albus: branchiæ ita glabræ sunt ut laminæ argenteæ videantur.

Assatus boni est saporis, nec opus est desquamare: coctus non ita commodus ob multitudinem spinarum per carnem dispersarum.

CAPEVNA. Piscis corpore oblongo non lato qui in septem digitorum longitudinem excrescit. *Os* illi obtusè acuminatum; habetque in superiore atque inferiore mandibula unam seriem minimorum denticulorum: tota cavitas oris cum lingua sanguinei coloris insignis: *Oculi* illi parvi, stuferi magnitudine, crystallini, circulo partim argenteo colore variegato. *Pinnas* obtinet septem; in quolibet latere post branchiam unam oblongam, tenuem quasi triangularem: duas triangulares in infimo ventre; unam post anum firma spina munitam: unam per dorsi longitudinem excurrentem, cuius anterior medietas spinis munita, quem recondere potest, posterior mollis & sine spinis: cauda bicornis, molli pinna, Tegitur squamulis parvis argenteis, in quibus aliquid aurei transplendet. In quolibet latere habet duas lineas crassas aurei coloris, unam à summitate oris per oculos & medium latus tendentem ad caudã, alteram magis superius per dorsi latum pergentem. In summitate capitis livescit. Pinnæ omnes sunt cineræ: *Venter* albus ut & eius pinnæ.

Co-

Coctus boni est saporis. Capitur in mari inter scopulos.

Idem. Lib. 4. cap. 8. ACARA PITAMBA, Piscis oblongo corpore ut mullus seu barbus, in duorum pedum aut etiam majorem longitudinem excrescit: *Os* habet minutum & dentes: *Oculos* amplos, pupilla crystallina, circulo miniato: *Pinnas* septem; unam à summitate dorsi tendentem ad exortum caudæ fere, spinis suffultam; digitum latam aut paulo amplius: post quamlibet branchias unam tenuem & longam; subtus in ventre duas junctas, & prope anum unum: *Cauda* constat pinna quinque digitos longa, quæ in duo obliqua cornua desinit. *Squamis* totus vestitur modo Carpionis, eleganter ex purpureo cæruleis. In utroque latere in medio ab oculis ad caudam tendit linea sesquidigitum lata; aurei coloris, per totum autem dorsum & latera usque ad hanc lineam puncta aurea majuscula habet: sub linea in lateribus subtiles lineas aureas seu flavas, secundum longitudinem. Venter albicat. Pinnæ laterales & ventris ex albo flavescunt. Dorsalis pinna & tota cauda aurei sunt coloris.

Optimè sapit assatus, & melius quam coctus. Pinnæ ejus lucent noctu. Capitur in mari.

Hic piscis à crustaceo quodam animalculo vexatur, sesquidigitum longo, digitum crasso, figuræ oblongæ, ut cauda Gammari & eodem modo formato & crustato: constat autem semptem juncturis, & habet quatuordecim brevia crura, unguiculis acutis prædita, in quolibet latera septem: anterius corpusculum paululum ampliatur. *Corpus* molle est sub crusta instar cochleæ lenta cute obductum: nec oculi nec os apparent. Hoc animalculum ori piscis se ingerit & unguiculis suis arcte faucibus inhæret, nec unquā piscis se ab illo liberare potest. Postero die adhuc vivebat capto pisce & pridie mortuo; in totum albi est coloris.

CAPUT. VIII.

De Iaguacaguare, Curimata, Tareira, & Alto, & Tareira de Rio.

JAGVACAGVARE, Lusitanis *Iaqueta*, id est, interula, à colore, qa nigritæ ejusdem coloris amiciuntur. Piscis instar Percæ nostræ latus & obrotundus, ad summum octo digitos, quinque aut sex latus, *Os* habet parvum, cum minutulis dentibus ordine digestis: *Oculos* mediocres crystallinos, circulo fusco: *Pinnas* porro septem, unam à medio dorso ad exortū caudæ protensam, spinis suffultam, anteriorē quidem parte semidigitum latam, posteriori latiorē & trianguli figuram desinentē. Duas postbrāchiales, duas in inferiori ventre; unā post anum latiusculam: caudam deniq; duos digitos longam, parellelogrammi figura, quæ in duo cornua desinit. Squamis vestitur, instar percæ, majusculis; quæ è cinereo cæruleſcunt. A dorso autē per latera latæ lineæ descendunt ad ventrē nigræ, in quolibet latere quinque. Superius caput quoq; nigrescit; venter verò albescit arq; erubescit. Pinnæ omnes è cinereo cæruleſcunt & quodamodo nigricāt versus extremitates. Tota deniq; cauda nigra est. Edulis est piscis. TAB. XXXIII. 4.5.6.7. Idem lib. 4. c. 8.

Haud malè convenit cū Mormyro Gesneri, nisi quod Icon in eo differat, quod in Mormyro Gesneri plures lineæ nigræ vel pullæ à dorso ad ventrem per latera descendant.

CVRIMATA. Piscis Carpioni, figura, colore, carne valde similis: sesquipedem longus, quatuor & semis digitos latus: *capite* Carpionis; *ore* rotundo & edētulo: *corpore* oblōgiori, & squamis majusculis. *Pinnas* habet septem præter caudam; nimirum duas postbranchiales, duas in medio ventre inferiori, unā post anū, & unā plane parvulam parallelogrammā huic oppositam in dorso; unam denique in medio dorso, magis longā quam latam. Totus piscis coloris est argentei ut Carpio, & ejusdem saporis. Non capitur nisi in dulcibus aquis.

TA-

Idem H. B. lib. 4. c. 9. TAREIRA d'ALTO, id est marinus, piscis tereti corpore, decem digitos longus (reperiuntur & maiores) quinq; crassus, ubi crassissimus, nam versus posteriora sensum minuitur. *Caput* habet colubrinũ, supra oculos in duo tubera elatum: oculos pupilla nigra, circulo flavescente; os acuminatum satis amplum, interius flavum denticulis acutissimis munitũ, quales & lingua habet. *Pinnas* obtinet octo, nimirũ in quolibet latere post branchias unam, uno plus digito longam, trientem latam, directè à latere protensam: post has interstitio pene sesquidigiti in infimo ventre duas junctas figura trapezii, duos digitos longas & totidẽ fere latas in extremitate: versus caudam in infimo ventre unã duos digitos longã in corpore extensam, sed plane angustã, supra hanc in dorso parvula est instar cuspidis cultelli: in medio dorso una pene quadrata, duos digitos lata, plus uno longa: Octava est cauda vix sesquidigitũ longa & furcata. *Pinnæ* a. instar foliorũ papaveris sunt tenues, & mollib. spinis sustentantur. *Squamulis* vestitur peltatis, ita affabrè compositis ut ad tactum glaber videatur. Vẽter totus albicat: latera & dorsum secundum longitudinem lineas habent alternatim flavas & virides. *Oræ* squamularũ circumcirca brunnę sunt, & videntur quasi rhõbi ordine positi essent brunnis lineis circumscripti, & ac si per unum ordinem tenderet linea, flava, per latera viridis. Pinna in dorso secundũ longitudinẽ striias habet brunnas reliquæ flavas. *Cauda* itidem striata brunno. Caput superius maximam partem brunnum. Piscis assandus, nam coctus non ita bonus est. Sapore autem multo antecellit Tareira do Rio, qui multas habet spinas.

TAREIRA do Rio, i.e. fluviatilis, oblõgo corpore, dorso recto, ventre paululum protuberante: inferior illius mandibula lõgior superiori: dentes habet acutissimos & inter eos duos longiores in medio inferioris mandibulæ & quatuor tales in superiore: mordet vehementer: *Oculi* satis magni, prominuli, pulchri, pupilla atra, cætera nigri. *Caput* Lucii capiti parum simile. Longus est piscis quindecim aut sedecim digitos. *Pinnas* habet sex: nimirum duas oblongas post quamlibet branchiam unã, duas junctas oblongas in infimo ventre, unam post anum parallelogrammi figura; unã in medio dorso magnã, rectam, parallelogrammã, plus tribus digitis longã, duobus latã. *Cauda* parallelogramma pinna constat, duos & semis digitis longa, sesquidigitum lata, in extremitate circinata. Totus tegitur squamis satis magnis, fuscis in dorso & lateribus; verũ in lateribus fuscum argẽteo est variegatum, ut ita per fuscum argenteũ videatur. *Caput* tegitur dura testa fusca. Venter totus albicat. Pinnæ omnes fuscæ, sed nigro undulatæ transversum ut Nisi cauda: itidem & cauda. Capitur in fluviis. Edulis est, sed multas habet spinas.

CAPVT VIII.

De Piratiapia, Ceixupira, & Piquitinga.

PIRATIAPIA piscis est oblõgo corpore & satis crasso, interdum tantam magnitudinem acquirit ut quinquaginta libras æquet: *Oris* pars inferior lõgior superiori. *Denticulos* habet acutos, inordinate positos & tota oris cavitas cum lingua est rubra. *Oculi* prominẽtes, pupilla crystallina ovali & circulo rubro. Ante utrumq; oculum habet foramen. *Branchiæ* desinũt in triangular. figuram, & sunt amplæ. A summitate dorsi ad caudam usque extenditur pinna, quæ ad medietatẽ anteriorem spinis surrigitur, reliqua medietas est mollis. In inferiori corpore prope anum etiam pinnam mollem habet obrotundam: in quolibet latere post branchias unã, & duas in infimo ventre junctas, oblõgas. *Cauda* fere quadrata est, at in extremitate paulo latior quam in exortu. *Squamis* vestitur parvis. *Dorsum* & infimus venter cinnabrii sunt coloris, latera ex gryseo fuscescunt. TAB. XXXIII. 8. 10. Idem Hist. l. 4. c. 9.

In totum præterea est maculatus, & in dorso quidẽ maculas habet maiores

res nummo misnico, ex gryseo fuscas, in lateribus vero & infimo ventre minores eiusdem coloris. *Pinnæ* omnes cinnabrii coloris, in extremis oris lineam albissimam habentes, adque eam fimbriam latam nigerrimam. Postbranchiales pinnæ totaliter cinnabriæ sunt sine fimbria nigra aut alba. Dorsalis pinnæ medietas anterior tota rubra, reliqua fimbriata albo & nigro ut reliquæ. Optimi saporis carnem habet si coquatur.

CEIXVPIRA, acquirit interdum longitudinem novem ac decem pedum, atq; crassitiem corporis humani corpore oblongo & capite atq; figura corporis Tuberoni haud absimilis. Quem describo tantũ duos pedes erat longus cum semisse. Erat illi *caput* cõpressum & latum, septẽ digitos longum & fere quinque latum: *Os* haud inamplum pro mole corporis, parabolicæ figuræ, edentulũ, prominentiis tamen acutissimis confertim repletum: lingua lata: oculi albi haud magni, paulò maiores duplo stufero Hollandico, pupilla crystallina. *Brãchias* habet satis amplas: *Pinnas* septẽ, nimirum post quãlibet branchiam unam, directè à latere protensam triãgularem, semipedẽ longam, duos & semis digitos latam, ubi latissima. Interstitio ferè sex & semis digitorũ ab occipitio in medio dorso incipit pinna quatuordecim digitos longa, in initio triangularis, & quatuor digitos alta, hinc sensim minuitur & ad caudam ferme pertingit, ibiq; triangulo desinit. Huic opposita est eiusdẽ figuræ una in infimo ventre, undecim digitos longa, desinens cum superiore, sed non cum illa incipiens. Infra duas postbrãchiales in infimo ventre duas habet junctas, quamlibet tres & semis digitos longã & sesquidigitũ latam. Septima pinna est cauda, incipiens duorum digitorum interstitio à fine dorsalis & ventris, bicornis, superius cornu fere octo digitos longum, inferius paulò brevius, nimirũ septem digitorum. Pinnæ omnes anterius spinas habent, sed molles. In interstitio inter occiput & dorsalem piñam, octo osseos triangulares aculeos prominentes obtinet, quos recondere in carne & erigere potest, ac pro armis usurpare. Ante quemlibet oculũ, intervallo unius digiti foraminulũ habet duplex. *Caput* osseum & glabrum. Totum corpus exiguis squamulis vestitur, ita ut totus piscis glaber videatur. Colore totus est niger, excepto tamen ventre, qui albissimus instar cretæ; in lateribus (inter album & nigrum) paululũ canescit nigredo, cætera, ut dictum, nigerrima. *Pinnæ* omnes nigræ, exceptis duobus infra post branchiales in infimo ventre quæ albæ sunt, oris nigricantibus. In utroq; latere piscis linea quædam profundior reliquis squamulis tẽdit ad caudã usq; eiusdem cum corpore coloris.

Piscis gravis ac pinguis est, ac pro optimo habetur inter omnes in Brasilia, præsertim quãdo adhuc mediocris est magnitudinis. Capit. in Mari.

PIQVIINGA est duos, aut paulò plus digitos lõgus, figuræ pene ut Parabucu à quo non multum differt ut dicam. *Os* habet parvulum, sed q; ample aperire & rotundare potest: *Oculos* satis magnos, nigros, circulo argenteo: branchias amplas: pinnas sex & septimam pro cauda: nimirum duas postbranchiales, triangulares, inferius positas: duas junctas in medio infimo ventre: unam triangularem in medio dorso, unam post anum: cauda constat pinna furcata. Color capitis argenteus splendens superius olivaceo imbutus. Tegitur squamulis albis, in dorso tamen olivaceus color translucet. Pinnæ omnes albæ. Differt à *Piabucu*, quod ille paulò maior evadat, & linea illius lata non splendeat, cum reliquum corpus splendeat, quod in hoc contrario se habet. *Piabucu* etiam pinnam habet in dorso prope caudam, qua hic caret. Cæterum caro similis, edulis. *Idem l.4. c.10.*

CAPVT IX.

De Camuri, Gvaracapema & Miivipera.

CAMVRI Lusitanis *Robalo*, piscis est duos pedes longus. Lupo nostro figura corporis similis atq; etiam ore, cras- TAB. XXXIII *Idem lib.4. c.10. & 11.*

crassus plus uno pede, ubi crassissimus: *caput* sesquipedem pene longũ: *os* semilunare, in medio paulum acuminatum, sex digitos longum, sed quod magis dilatare atque rotundare potest, ita ut circumferentia eius fiat tredecim digitorum: *oculos* habet dupli stuferi magnitudine, pupilla crystallina, circulo aureo: *Pinnas* octo; nimirum duas in dorso, priorem tres digitos longam & paulo plus latam, firmis spinis sustentatam, quam in rimam recondere potest: alteram huic magnitudine parem, sed spinis destitutam, nec habentem quo condatur: duas postbranchiales, paulo plus tribus digitis longas, duas in infimo ventre quatuor digitos longas, duos & semis latas, unam talem post anum; octavã pro cauda, quæ est furcata, quinque digitos longa, sex lata. *Squamas* habet ut Carpio, coloris argentei, splendentes, in dorso autem & lateribus aureus admiscetur. Venter plane albicat: Pinnæ sunt aurei coloris, quibus aliquid fusci admixtũ est, in quolibet latere superius à fine branchiarum usque ad medium exortus caudæ, ductam habet lineam crassam, nigram.

GVARACAPEMA mas est Doradæ. Piscis compresso corpore & latus, licet non ita crassus. *Caput* desinit in figuram quadratam, estque in fronte ita in aciem eductum, ut facilius fluctus maris natando secare posset. In sex aut septem pedum longitudinem excrescit: latitudo sive altitudo, ubi maxima, nimirum versus anteriora & pone caput, sesquipedalis. *Os* habet haud ita amplum, pro magnitudine corporis, mandibulas cõpressissimas, denticulos acutos. Paulo supra os & quidẽ versus eius interiora oculi positi inferiori loco, ne nimirum in aquis imperiose ageret, qui alius linceus. *Oculi* autẽ sunt magni, rotundi, pupilla crystallina, cęterum argentei coloris. Branchias habet amplas: *Pinnas* septem, nimirum unam insignem à summitate capitis per totũ dorsum extensam usque ad caudæ exortum, latam in medio septem aut octo digitos, quæ sensim minuitur, constans membrana ad tactum coriacea, & spinis mollibus interius sustentata: hanc natãs in æquore erectam tenet. A medietate infimi ventris ad caudæ initium itidem pinna producitur, sed vix unum digitum lata, in exitu triangulata: post utramq; branchiam pinnam habet oblongã octo vel novem digitos: sub his in infimo ventre duas propinquas paulo longiores. *Cauda* circiter sesquipedem longa in duo cornua ampla distenditur. Squamulis minimis vestitur totus, quæque ad tactum vix sentiuntur; ita ut glaber videatur. Color in capite, dorso, lateribus ex viridi & argenteo mixtus, uti & in pinnis, in ventre vero albicat. Per totum autem corpus (nimirum latera, dorsum, caput) maculis variegatus cæruleis, variæ magnitudinis, milii, grani hordeacei, erui. Carnem habet siccam, boni saporis.

Velocitate natandi superat porcos marinos, & eodem modo saliendo progreditur. Vescitur pisce longo vulgo *Petumbo* appellato.

MIIVIPIRA & PIRABEBE Brasiliensibus, *Peixe volador* Lusitanis. Piscis est volans, vel hirundo piscis: variæ est magnitudinis: maior erat *Halece*, quem hic describo, & formæ rarioris. Figurã corporis habet (instar Zãdat Pomeranorum) teretem & posteriora versus acutiorem. Totius longitudo ab ore ad finẽ caudæ tredecim digitorum; crassities, ubi maxima, nimirum circa exortum alarum, septẽ fere digitorum, ad exortum a. caudæ duorum. *Caput* crassum habet, superius cõpressum & latum, nimirum superius fere duos digitos & quasi in tubera supra oculos elatum, os non ita magnum, edẽtulum, at ossa eius paulum serrata instar limæ. *Oculi* magni, rotundi, stufero Hollandico ęquales, pupilla nigra, circulo flavo, & exterius altero fusco. *Pinnas* habet sex cũ cauda; duas in dorso, unam parvulã in medio, paulum tamen versus anteriora, alterã post hanc duos digitos longam, sesquidigitum latam, tenuẽ, at octo spinis suffultã; duas robustas in infimo ventre, subter illa, duos & semis digitos longas, firma spina cõ-

stantes sed angustas,& unam parvam in inferiore corpore ex opposito maioris in dorso;septima est cauda,duos digitos longa, totidemq; lata & furcata. Præterea habet duas alas magnas,in quolibet latereunam,habentes exortum suum sesquidigitum fere post oculos, post branchias paulum; estq; alarum longitudo septem digitorum,latitudo in exortu plus uno,in extremitate sex digitorum : constant alæ tenui membrana instar chartæ puræ(Postpapier)ex albo seu cinereo subfusci coloris:habent a. aliquot plicas&sustentantur spinis tenuibus per longitudinem extensis. Ad utramq; alam in initio eiusdem parva quasi ala exit,duos & semis digitos lõga,sed planè angusta & sua spina munita. Totum caput cum initio dorsi(ab ore nimirum ad quinq; digitos numerãdo)vestitur testa ossea,dura,quę versus suum finem dupliciter divisa in duos aculeos desinit quasi spinas. *Branchiæ* a. ad duos digitos extẽduntur in aculeos usq; sub alis. Totum a. corpus vestitur squamulis elegantibus, ordine dispositis, quæ in ventre triangulares,in lateribus & dorso verius ellypticæ figuræ. In ventre a. ita dispositæ sunt ut piscis ad tactum glaber videatur : at in lateribus & dorso quęlibet in sui medio habet tuberculum,ita ut ordine naturæ dispositæ in recta linea,repræsentẽt lineas rectas, elatas, tuberculatas. In toto ventre albicat, in lateribus & dorso subfuscus,& splendens ut Harengus. Spinę quæ alas sustinent, & per eas extenduntur etiam albicãt. Alæ ipsæ ex cinereo fuscescentis sunt coloris , maculis,nigricantibus variegatæ. Volat hic piscis super aquas instar Hirundinis per spatium quantũ sclopeto pertingi potest:nimirum usq; dum siccescãt alæ, tunc n. iterũ aquæ se imittit alas humectãdi gratia & denuo volat. Natura a. huic pisci alas dedit, ut se salvare posset, dum hostis eius Dorada magna catervaipsum persequitur. Sæpissime mille eorum simul volãtes vidi in Oceano Tropicis interiecto: interdum etiam volando incidunt in naves, ut nobis etiã factum memini. Caro boni est saporis cocta. Actum & de Hirundinibus superius , sed quia huius Icon ab illis diversa, addere & hanc placuit.

CAPVT X.

De Guaibi Coara, Guaperua & Piraya.

GVAIBI COARA Brasiliensibus, *Buraco de Velha* Lusitanis; Piscis est corpore latiusculo; dorso elevato & à capite arcuato, duodecim aut quatuordecim digitos lõgus,quatuor latus, ubi latissimus. *Caput & os* acuminatum,satis amplum, habens in utraque maxilla seriem minimorum denticulorum,linguam conspicuam;quę una cum cavitate inferiori oris, sanguinei est coloris : *Oculos* stuferi magnitudine crystallinos, circulo coloris ex aureo & fusco mixti. *Pinnas* obtinet septem, nimirum post brãchias in quolibet latere unam, quasi triangularem, mollem : in infimo ventre duas junctas: unam post anum duplici spina munitam: per dorsum a. una extenditur, cuius medietatem anteriorem undecim spinę erigunt,quam recondere potest in cute , posterior medietas mollis & sine spinis. *Cauda* constat pinna bicorni , & parallelogrammi figura à corpore extenditur. *Squamas* habet mediocres,instar Percæ,argenteas,quæ per oras sunt melini coloris , & aspectu referunt meros cubos : in occipitio & dorso summo squamæ ex argenteo cæruleſcunt, & per oras itidẽ sunt melini coloris. Totum a. caput superius & ad latera est aurei coloris , striis cæruleis secundũ longitudinẽ variegatũ. Pinnæ omnes melini sunt coloris , exceptis duabus in infimo ventre,quę magis albescũt: platus a. utrumq; versus dorsũ secundũ lõgitudinẽ tendit linea melini coloris ad caudã usq;. Piscis boni saporis coctº: capitur in mari inter scopulos. TAB. XXXIV. *Marcgr. H. Brasil. l.4. c.12.*

GVAPERVA Brasiliensibus, *Peixe Porco* Lusitanis, Græcis κάπτεν. Ab ore ad initium caudæ quindecim digitos longus,in medio ubi latissimus, octo latus : corpore paulum compresso ac lato : dorso arcuato , ventre adhuc magis curvo : capite porcino: dentibus caninis,albis,longis;octo in

qua-

qualibet mandibula, duo medii tam inferius quam superius longiores sunt reliquis: dentes inferioris mandibulæ aliis quasi brevioribus sustentantur. *Os* subrotundum, angustum: quatuor fere digitorum interstitio ab ore superius sunt oculi, sesquidigitum à se invicem distantes, maiores grosso misnico (& ante eos quasi vestigium foraminis) pupilla crystallina, circulo aureo maculato cęruleo. Branchiarum loco rimam habet duos digitos longam, plus uno latam. In dorso tres penè digitos post oculos, duo habet cornua, unum pennam olorinam crassum, tres digitos longum, quod versus posteriora paulum inclinatur, alterum parvum per membranam alteri adnexum, utrumque in rimam recondere potest demissum. Trium & semis digitorum intervallo post hæc pinna est, in initio fermè triangularis, hinc magis magisque angustatur ad caudam fere, quinque digitos longa, initio paulo plus duobus lata: & è regione in infimo ventre talem, initio duos & semis digitos latam, magis magisque arctatam versus caudam. *Cauda* quadrata figura à corpore extenditur, & pinnam habet quatuor digitos latam, duos longam, quæ in duo cornua dilatatur, ut totius longitudo sit quatuor digitorum. In medio inferioris corporis parvam habet pinnam & ante eam cornu sesquidigitum longum. *Pinnæ* omnes sustentantur spinis & sunt cærulei coloris; venter albicat. Squamis vestitur elegantibus, in superficie sua punctulis thalassinis cum cæruleo indico umbratis, in dorso magis cæruleis. Ab oris summitate in utrumque latus ad pinnas postbranchiales, semilunari figura, duæ lineæ crassæ cæruleæ, unius digiti intervallo, ducuntur. Comeditur assatus, coctus non valet.

Dedimus huius & in superioribus descriptionem, sed quæ cum isto non convenit.

PIRAYA & PIRANHA Brasiliensibus: Piscis pedalis longitudinis, lato corpore circiter sex digitos, ubi latissimus: dorso incurvato, capite obtuso ut Dorada. *Oris* hiatus parabolicus, quod exactè claudere potest, habet labia parva quibus dẽtes tegit; obtinet enim tam superius quam inferius ordinem dentium triangulatorum, alborum, acutissimorum, quatuordecim in qualibet mãdibula (minores habent duodecim) quibus uno morsu partem carnis ex quacunque parte hominis potest abripere quasi novacula esset abscissa: Si quis ingrediatur aquam vel saltem immittat pedem vel manum, statim ab illo lædi potest, ita sitiens est sanguinis & cupiens carnis humanæ, quare caute ab illo cavendum. *Oculos* habet rotundos, parvos, crystallinos pupilla nigra, & inter illos duo foraminula seu spiracula: branchias amplas, exterius duras & osseas: sex pinnas & septimam pro cauda; duas nimirum postbranchiales paulum elatas à ventre infimo, duos digitos longas, unum latas: in medio infimo ventre duas junctas parvulas, vix unum digitum longas & angustas: è regione harum in medio dorso incipit pinna, & ad duorum & semis digitorum longitudinem extenditur versus posteriora, paulo plus uno digito lata: duorum autem digitorum interstitio à parvulis in infimo ventre incipit pinna firma spina anterius munita, cætera mollis & maximam partem squamulis tecta & paulo plus duobus & semis digitis longa, extenditurque ad exortum caudæ, unum digitum lata: exortus caudæ sesquidigitum longus, ipsa bicornis, & quodlibet cornu in exitu arcuatur. *Squamulis* tegitur: tota summitas capitis dorsũ & latera usque eo si linea ducatur à postbranchiali pinna ad medium pinnæ squamosæ, coloris est cinerei diluti cum pauco cæruleo mixti, ac squamula quælibet fimbriam habet ignei & cærulei coloris transplendentis, reliquum laterum seu inferior pars & venter coloris sunt flavi obscuri, ut & capitis inferior pars, ac pinnæ postbranchiales & omnes infimi vẽtris.

Pinna dorſalis & cauda coloris eſt è cinereo cæruleſcentis.

Edulis eſt, & carnem habet albiſſimam, paululum ſiccam & boni ſaporis. Sæpiſſimè comedi. Hæc ſpecies maximè gaudet cænoſo fluvij fundo.

Pyrayæ alia ſpecus hic reperitur magnitudine & figura plane ſimilis priori, excepto quod parvulam adhuc pinnam habeat ſquamatam inter dorſalem & caudam, & quod colore differat: nimirum ſummitas capitis, totum dorſum & laterum ſuperior pars eo uſque ſi linea ducatur à pinna poſtbranchiali ad medium pinnæ ſquamoſæ, coloris ſunt aurei cum cinereo mixti, & cæruleo tranſplendente.

Capitis inferior pars, reliquum laterum & infimus venter inſigni colore croceo fulgent, cui aureus perſplendet. Eiuſdem coloris croceo aurei ſunt pinnæ poſtbranchiales & infimi ventris. Dorſales duæ & cauda cinerei diluti cum pauco cæruleo mixti, ut & dorſum.

Hæc ſpecies magis gaudet arenoſo fluvij fundo. Edulis eſt ut prior.

Reperitur & alia *Pyrayæ* ſpecies alba, figuræ ut antecedentes, ſolum caput non ita obtuſum, ſed os paulum prominet figura conica: color ventris & laterum argenteus: dorſum & caput argentei coloris cum pauco cæruleo tranſplendente: pinnæ omnes argentei coloris cum gryſeo mixti.

Dentes habet parvulos triangulares ordine diſpoſitos, nec ita mordet ut cæteri. Paulò minor quoque eſt reliquis ſpeciebus, cæterum non minus edulis, quam illæ.

CAPUT XI.

De Amore Guacu & Guacari.

TAB. XXXIV. 4. 5. *Idem l.4. c.13.*

AMORE GUACU Braſilienſibus; in ſemipedis longitudinem excreſcit; corpore oblongo, capite craſſiuſculo, branchiis amplis, minutiſſimis in ore denticulis: *Oculi* illi parvi nigri circello aureo. *Pinnas* habet ſeptem: nimirum duas poſtbranchiales oblongas, quaſi triangularis; duas ſub his junctas; duas in dorſo, anteriorem minorem poſteriore; & è regione poſterioris unam in infimo ventre. *Cauda* oblongiuſcula, parallelogramma, in extremitate circinata. Tegitur ſquamis pro ſua magnitudine majuſculis. Piſcis in totum ferrei coloris, in ventre tamen paululum è ferreo albicat. Eſt edulis.

GUACARI, piſcis ſubrotundo ſeu pyramidali corpore, pedalis vel paulo majoris longitudinis; octo digitorum craſſities, ubi maxima eſt. *Caput* inferius planum, lateribus ellypſin deſcribit, ſuperius ſubrotundum.

Os parvum rotundum habet ſubter in plano capitis: loco dentium in utroque latere proceſſus habet quaſi ſetis equinis factos: inferius labium explicatum, lunatum, membrana conſtans, quæ in lateribus oris in ſuis extremitatibus in cirrhum deſinit, triennem digiti longum, qui cirrhi pro barba ſerviunt. *Oculi* parvi, rotundi, nummi miſnici magnitudine, cinerei fuſco maculati, ſuperne poſiti & inter quemlibet foramen, diſtans dimidium digitum ab oculo verſus interiora. *Branchiæ* anguſtæ inferius verſus & ante quamlibet proxime corpuſculum parallelogrāmum, ſemi fermè digitum longum, quod extendere & recondere poteſt, ita ut reconditum vix videatur. Continet illud corpuſculum in extremitate denticulos acutos ſetaneos, quibus alios piſces pungit. Et poſt branchias in quolibet latere inferius ad planum, triangularem quaſi pinnam, quatuor digitos longam pene, plus uno latam, oblongam, ſpina oſſea in extremitate laterali ſuſtentatā & aliis minoribus ſecundum longitudinem diſcurrentibus: ſpatio autem ſeſquidigiti verſus poſteriora directè poſt has iā deſcriptas, iterū duas inferius pinnas habet quadratas, in quolibet latere unam, duos & ſemis digitos longas, duos latas, eodem modo

modo spinis hispidis osseis sustentatas. Post anum in infimo ventre angusta est pina, parallelogramma, duos digitos longa. In medio dorso pinna est, quatuor digitos longa, duos longa, spinis hispidis ordine dispositis sustentata, ac anterius spina dura crassiore suffulta, post hanc prope ortum caudæ superius parva quædam est pinna, membranosa, quæ anterius corniculata spina fulcitur. *Cauda* constat pinna tres digitos longa inferius, duos superius, bicornis, spinis firmis suffulta. Totum caput testa vestitur dura ad tactum hispida: totum corpus squamis triangularibus, versus anteriora majoribus, ordine positis.

Sunt autem squamæ omnes ad tactum asperæ, quasi exsculptæ, quælibet in sui medio extuberantiam habens: scilicet totum corpus loricatũ est, & quælibet pars loricæ habet quatuor angulos, & in quolibet existit tuberculum, ita ut in quolibet latere sit quadruplex ordo tuberculorum. *Color* totius piscis croceus dilutus, in ventre saturatior; ac per totũ maculatur maculis rotundis, magnitudine seminis sinapi, fuscis. Maculæ hæ in lateribus & pinnis paulo sunt maiores, in capite minores, ac in summitate capitis maculæ ruunt quasi rivuli. Posterior medietas ventris nullas habet maculas. *Pinnæ* omnes ut corpus coloratæ & maculatæ, excepta pinnula prope caudam, quæ constat membranula nigra, corniculata autem illius spina crocea est & maculata ut reliquæ.

Diu vivit extra aquam, ad quinq; horas. Editur defracta lorica, sed paucam habet carnem: intestina lõgissima, æqualis omnia crassitiei, instar crassioris fili quo vela consuunt. Habebat unus piscis quindecim digitos longus, intestina viginti octo pedes longa, quæ dimensus sum.

Reperitur & hic *Guacari*, magnitudine & figura plane similis priori, qui in flumine S. Francisci capitur solo colore differens & bonitate carnis: est enim totus umbræ coloris obscuri, & per totum maculis adspersus obrotundis, nigris, seminis sinapi magnitudine. Caro huius boni est saporis.

CAPUT XII.

De Piraumbu, Acaraja & Acara.

PIRAUMBU Brasiliensibus; *Chayqvarona* Lusitan. Piscis Carpionis magnitudine & figura, decem digitos longus ab ore ad initium caudæ, paulo plus quatuor digitos latus, ubi latissimus: versus caudam angustior & æqualis latitudinis, duorum nimirum digitorum. *Os* habet instar Carpionis, oculos magnos prominentes, pupilla crystallina, circulo aureo cũ albo mixto. *Pinnas* obtinet octo, nimirum unam in medio dorso, paulo plus tribus digitis longam & unam latam, quam in rimã recondere potest, & erectam novem firmis spinis sustentare: huic contigua est alia tres fere digitos longa, minus uno lata nullis innixa spinis: post utramque branchiam unam habet tres digitos longam, unam latam in exortu: in infimo ventre duas junctas, duos digitos longas, vix unum latas, firma spina munitas; post anum unam, digitum latam, dimidium longam, itidẽ firma spina sustentatam: octava est pro cauda, tres digitos longa, totidem lata & furcata. Squamas habet maiores, instar Carpionis, argentei splendentis coloris, pauxillo aureo mixti: quælibet autem squama mediam partem usque ab insertione sua coloris est *feuliemort*: sub capite & vẽtris priore parte magis argenteus est: Omne pinnæ dilutè cinerei sunt coloris. In ore superius & inferius lapidem habet, denticulis minimis præditum, vix sensibilibus.

TAB. XXXIV. 6. 7. 8. *Marcgrav.* *H. Brasil.* 4. c. 14.

Edulis est ac boni saporis.

ACARAIA vulgo corrupte *Garanha*: Piscis qui trium pedum longitudinem adipiscitur, figura Carpionis. *Dentes* in inferiori mandibula habet acutos, instar acicularum: in superiori duos longos paulo crassiores, quibus interjacent minutissimi vix sen-

vix sensibiles. *Oculi* ipsi magni sunt, pupilla crystallina, circulo sanguineo primum, hinc argenteo. *Pinnam* longam habet per dorsi longitudinē expansam, cuius mediam partem versus anteriora spinis surrigere, & in rimam recondere potest: reliquas quinque pinnas communes habet cum aliis piscibus: septimā pro cauda, quæ lata & penè bicornis est. *Squamis* vestitur argenteis, mediocris magnitudinis, quæ sanguineo colore umbratæ sunt, ita ut maximā partem sanguineus videatur, argenteo colore transplendente; in ventre totus est albus, ut & sub faucibus. Pinnæ omnes sanguinei coloris, exceptis iis quæ sunt in infimo ventre, quæ albæ sunt, in extremitatibus tamen sanguineæ.

Edulis est piscis. Sale etiam conditur & servatur.

ACARA piscis palmum longus, dorso curvo, & alto corpore ut Perca. *Os* habet angustum, & dentium loco limam. *Oculos* habet magnos, nigros, circulo aureo. *Pinnas* obtinet sex, nimirum sub qualibet branchia unam longam, triangulum acutum referentem: à summitate autem dorsi pinna extenditur, firmis spinis sustentata & in triangulum acutum prope caudæ exortum desinens. *Cauda* oblonga est, parallelogramma, in extremitate recta. Vestitur squamis satis magnis, argentei coloris, sed in capite, dorso, & lateribus ita umbra mixtis, ut fuscus videatur. Venter albicat. Pinnæ omnes & cauda fusci sunt coloris ex umbra. In medio quolibet latere magnam habet maculam nigram, ut & prope exortum caudæ.

Edulis est piscis, & capitur in dulcibus aquis.

CAPUT XIII.

De Guaru-Guaru, Cucupu-Guacu, & Maturaque.

TAB. XXXIV. 9.10.11. GUARU-GUARU piscicul est minutus, nunquam maior sesqui digito, exili corpore, oblongo, instar minimi Eldritz. Capitulum habet compressum: ocellos nigerrimos, circulo aureo: pinnulas quinque, nimirum duas postbranchiales, & duas subtus ferè in infimo ventre, & unam in posteriore medietate dorsi. *Cauda* constat pinna parallelogramma, in extremitate circinata. Vestitur squamulis, & totum caput superius, & dorsi anterior medietas sunt fusci coloris, posterior & latera aurei, squamulis umbratis umbra: caput inferius & venter albi splendentis ut mater perlarum, pinnulæ flavæ. Prope caudam utrimque maculam habet nigram. *Idem l.4. c.14.*

Edulis est & capitur in lacubus & stagnis.

CUCUPU-GUACU Brasiliensibus, Lusitanis *Meros*, Belgis Iacob Everzen: ingens fit piscis: habui, inquit Marcgravius, quorum corpus cum capite quinque pedes erat longum & cum cauda sex. Corporis ambitus quatuor pedum, octo digitorum, altitudo unius & semis. *Caput* & *Os* magnum habet, quod apertum in rotūdum dilatat, edentulum: oculos mediocres, pupilla crystallina nigricante, circulo flavo: *Branchias* in ambitu rotundas, medio autem in triangulū desinentes: Pinnas quinque; nimirum unam à summitate dorsi incipientem & non ita longe à cauda desinentem, ad anteriorem partem seu medietatem plane angustam & acutis spinis munitam; posterior autem medietas lata est, & semilunata in ambitu, spinisque haud firmis erigitur: prope anum unam eiusdem figuræ, cum medietate posteriore dorsalis, sed dimidio minorem: Post brāchias prope infimum ventrem duas longas & latas, tenuioribus spinis intertextas. *Cauda* magnam pinnam habet quadratam, in extremitate latiorem, quam in exortu. *Squamas* habet parvas. Totum caput, dorsum ac latera cinerei sunt coloris cum umbra mixti, & versus dorsum paulo saturatioris. *Venter* albicat. Pinnæ omnes cum cauda dilutè brunnæ. Per totum caput, dorsum, latera & pinnas post-

postbranchiales maculæ parvæ nigræ, seu puncta frequētissima dispersa. Venter verò & reliquæ pinnæ cū cauda his punctis carent. Bonam habet carnem. Capitur in mari.

MATURAQUE piscis est corpore oblongo, & fermè parallelogrammo, figura scilicet *Tamoatæ*, Quinque aut sex digitos longus, sesquidigitum latus ubi latissimus. *Caput* habet latiusculum, dura testa tectum. Oris pars inferior paulò longior superiori: & in inferiori sex denticulos acutissimos habet, in superiori aliquot minimos: Branchias satis amplas: oculos rotundos, nigros, circello aureolo, exterius fusco: Pinnas sex, nimirum duas postbranchiales oblōgas, haud latas: duas tales in medio infimi ventris, & unam post anum trapezij figura, & similem in medio dorso. Cauda constat pinna quadrata, unum ferè digitum longa, in extremitate circinata. Tegitur magnis squamis ordine positis. Totum caput superius, dorsum & latera nigra sunt, venter ex albo obscurè canescit. Pinnæ omnes nigræ.

Capitur solum in lacubus & paludibus, non in fluviis. Boni saporis est.

CAPUT XIV.

De Carapo, Piaba, Piabucu, & Nhaquunda.

Tab. XXXIV. 12.13. *Marcgrav. l.4.c.15.*

CARAPO prima species, corpore oblongo figura cultri, dorsum nimirum crassum & obtusum, venter acutus ut culter: posterius autem corpus desinit in acumen: unum pedem circiter longus, duos digitos latus, ubi latissimus. *Caput* acuminatū, sed compressum, inferius labiū paulò longius superiori, os angustum, inferius ordinem denticulorum minutorum, superius nullos habet. *Oculi* minimi, nigri, vix grani papaveris magnitudine. Branchiæ angustæ, & post quamlibet parvula pinna oblonga. Unius ferè digiti intervallo à capite in infimo corpore incipit pinna tenuis, angusta, & per totum ventrem æqualiter porrigitur ad finem corporis: nam caudam nullam habet, nec ullam aliam pinnam in toto corpore. Squamas habet mediocres. Totus piscis est coloris ex fusco & pauco rubro mixti, ac in dorso & capite magis nigrescit. A branchiis in quolibet latere linea tendit ad finem corporis usque, quasi cultri acie tracta, & sub hac linea maculæ nigræ per corpus dispersæ, seminis sinapi magnitudine.

Capitur in lacubus & est edulis.

In flumine S. Francisci capiuntur Carapo huic priori speciei similes, excepto quod longiores sint, & in extremitate acuminati instar subulæ, ad trium digitorum longitudinem squamulas parvas habent.

CARAPO secunda species, priori figura, colore & lineis lateralibus similis, excepto quod dimidiæ tantum sit latitudinis, nec ullas maculas habeat. Capitur in lacubus. Caro spinosa, sed boni saporis.

PIABA magnitudine *Phoxini*, pisciculus duos aut tres digitos longus (interdum quatuor aut quinq; quando maximus) ocellos habet nigros, circello aureo. Squamulis vestitus. In medio dorso pinnula erecta triangularis: post quamlibet branchiam unam habet oblongam; duas in medio infimo ventre & post has unam, quæ ad caudę exortum protenditur: cauda est furcata. *Caput* ad latera auro & argento splendet: totum dorsum argenteo viridi & multo Indico: medium laterum secundum longitudinem argenteo & Indico mixtū: *Venter* aureo & argenteo & pauco Indico. Post quamlibet branchiam maculam habet rotundam, satis magnam Indici coloris, & statim post hanc eiusdem coloris maculam lunæ corniculatæ figura, eiusdem coloris oblongam in quolibet latere ad caudæ exortum. *Pinnæ* omnes & cauda aurei coloris, quæ in infimo ventre rubræ. Capitur in omnibus fluviis currentibus Brasiliæ, ac summa vi contra aquæ cursum nititur.

Brasiliani involvunt foliis arborū,

& cineribus condunt, desuper ignem imponentes; sic præparatos comedunt. Saporis sunt haud contemnendi.

PIABUCU piſciculus ſex digitos lõgus, ſeſquidigitum latus, ubi latiſſimus, ventre paululum extuberante, oculis elegantibus, pupilla cryſtallina, circulo argenteo, cui ſuperius parum rubri admixtum. *Septem* habet pinnas, octavam pro cauda furcatã: nimirum poſtbranchiales duas in infimo ventre, unam in medio dorſo, circa anum unam longam extenſam verſus caudam; & è regione huius in dorſo parvulam. Tegitur ſquamulis argenteis ſplendentibus. Per mediũ laterum ſecundum longitudinem tendit linea alba lata, nõ ſplendens. Dorſum autem ad hanc lineam olivacei eſt coloris, cui viridis hyacinthinus perſplendet. Pinnæ albæ.

Capiuntur facillimè aciculis, vel corbe, aut olla immiſſa in aquam, cui parum farinæ de mandioca, aut mica panis intrita. Cocti comeduntur & frixi. Si quis velleviter vulnerato uno aut altero membro, vel ulcuſculum tenens aquam ingrediatur, ſtatim hic piſcis vulnus petit mordendo, ita ſitiens eſt ſanguinis humani.

NHAQUUNDA: Mas & fœmina reperitur. Mas corpore eſt oblongo, ferè ubique æquali, ſeptem, octo, aut decem digitos longus, duos altus, ubi altiſſimus: *Caput* & os ferè *Lucij* habet, ſuperius labium extendere, & oris hiatum rotundare poteſt: Dentiũ loco habet limas, linguam tenuem, branchias amplas, oculos conſpicuos, pupilla nigra, circulo fuſco: ſeptẽ pinnas, poſt quamlibet branchiam unam, duos ferè digitos longam; ſub his in infimo ventre duas junctas, & poſt anum unam penè quadratã. Ab initio ferè dorſi una propenditur penè ad caudæ exortum, tres digitos longa, unũ ferme lata, æqualis, mollibus ſpinis ſuffulta, quæ in fine paulo latior, & in triangulum deſinit. *Cauda* teſta dura tegitur nigra. Totum corpus ſquamis mediocris magnitudinis veſtitur, ac totum dorſum & latera obſcuri gryſei ſunt coloris cum argenteo tranſplendente. Venter albus. In utroque latere unum ordinẽ habet macularum, rotundarum, nigrarũ, piſi magnitudine, & inter has diſperſa pũctula multa cęrulea. Pinnæ omnes aureæ, ut & cauda: & pinna dorſi inſuper variegatur per totũ punctulis cæruleis. In utroque latere per ordinem macularum nigra tẽdit linea, incipiens à fine ſuperiore branchiarum, & ad regionem finis pinnæ dorſalis deſinens, & ſemidigiti ferè interſtitio ſub huius fine, alia linea incipit, ac in medio exortus caudæ deſinit. Lineæ hæ elatæ ſunt ac aureæ.

Capitur in fluviis, ac boni eſt ſaporis.

Fœmina mari per omnia ſimilis, excepto quod punctulis cæruleis in lateribus & pinna dorſali deſtituatur, & quod venter circa anum rubeſcit. Comeditur ut mas.

CAPVT XV.

De Amore Pixuma, Amore Tinga, Guara Tereba, Piracoaba & Corocoro.

AMORE PIXUMA Braſilienſibus, vulgo corrupte *Amorea* piſcis magnitudine *Tamoatæ*, capite lato, ore amplo, & edentulo, corpore oblõgo, ita ut fere *Tamoatam* referat. Coloris eſt obſcure ferrei; in ventre, qui extuberat, albi. Tegitur cute molli: pinnas habet ſeptem & octavam pro cauda in ambitu circinatam. Carne eſt ſicca & bona, ut *Tamoata*. TAB. XXXV. 3.4.5.6. *Marcgrav. H. Braſil.* 4.c.17.

AMORE TINGA Braſilienſibus, piſcis eſt eiuſdem plane figuræ cum *Amore Guacu*, ſed tantum minor: habetque ſquamas in *totum* albicantis, ſeu pallidi coloris, & in totum maculatur maculis fuſcis, ut *Tajaſica*. Cauda tamen illius eſt fuſco undata. Edulis eſt ut præcedentes.

Guara Tereba. Piſcis magnitudine ſeptem aut octo digitorum: capite obtuſo, oculis cryſtallinis, circulo aureo: os

reo: os denticulos habet minimos: Branchias amplas: dorsum incurvatum, unde & *Corcovado* minor potest appellari. *Pinnas* obtinet septē: post quamlibet branchiam, unam longā: sub his duas junctas in infimo ventre: in medio autem ventre duas spinulas acutas, quæ membranula coniūguntur; & post has triangularem, quæ deinceps angustata ad exortum caudæ extēditur: in summitate dorsi triangularem mediocrem, & post illam aliam similem majorem, quę angustata ad exordium caudæ porrigitur. *Cauda* in duo cornua extenditur. A branchiis linea tendit ad medium piscis, quæ dein obliquè deorsum vergit, & directe usque ad caudam porrigitur: hæc posterior lineæ medietas hamulis posterius versis armatur, & utroque latere triangularibus vestitur squamulis, quæ minimæ sunt, ut ad tactum glaber videatur. Coloris est in dorso & lateribus usque ad medietatem longitudinis ex hyalino cæruleſcentis: reliquum laterum & venter albicat, sed aureus color transplendet. *Pinnæ* vētris albæ, reliquæ cum cauda aurei sunt coloris.

Edulis est piscis.

Piracoaba piscis pedalem longitudinem adipiscitur, corpore oblongo, ut *Zandat* Pomeranorum. *Os* habet acuminatum, amplum, edentulum; mandibulam superiorem longiorem inferiore, & superior pars oris prominet in rotundum conum è cartilagine constantem: *Oculi* illi satis ampli, pupilla crystallina, circulo aureo. *Pinnas* habet octo: nimirum duas in dorso triangulares erectas, interstitio sesquidigiti: post quamlibet brāchiam unam longam, angustam; duas his breviores in infimo ventre junctas, & prope anum unam triangulatam; octava est cauda furcata. Sub qualibet pinna postbranchiali barbā habet sex pilis crassiusculis constantem, tres digitos ferè longis, estque eius exortus prope exortum pinnarū, vergens retrorsum. Totus vestitur squamis mediocris magnitudinis argentei coloris, & in dorso ac summitate capitis paulum canescit. Pinnæ quoque omnes cani, seu cinerei sunt coloris: postbranchiales tamen nigredine dilutæ sunt. Barba alba. Capitur arenosis locis in mari. Boni est saporis.

CORO CORO piscis dorso incurvato, capite & ore obtuso: pedalis longitudinis. Denticulos habet parvos, haud acutos: branchias satis amplas, quarum anterior pars in spinam desinit acutā: sex pinnas: nimirū in quolibet latere post branchias unā tres digitos longam, subtus in infimo corpore duas triāgulares fere, sed in extremitate circinatas & anterius firma & acuta spina suffultas, post anum una crassa, dura & acuta spina nixam, cui parvula spina antistat. A summitate dorsi pinna incipit, q̄ arcuatim ad medium dorsum tendit, firmis ac acutis spinis sustentata, hinc desinit & contigua illi est mollis, quæ & arcuata fere est, & pene ad exortū caudæ protenditur. *Cauda* duos digitos lōga, quatuor lata. *Squamis* majusculis vestitur totus argentei coloris, sed in toto dorso, & eius summitate diluta umbra mixtis & per latera trāsversim (non tamen ad ventrem usque) in quolibet octo striæ, digitum latum crassæ, ex diluta umbra descendunt: venter totus albus, ut & illius pinnæ. Pinna dorsalis, postbranchiales & cauda ex argenteo & diluta umbra mixtæ. Pinnam autem anteriorem dorsalem in rimam potest recondere. Capitur in mari, & est edulis.

CAPUT XVI.

De Guatucufa, Vribaco & Guarerva.

GUATUCUFA Brasiliensibus, *Balabolla* Congensibus, *Corvina* Lusitanis. Piscis corpore oblongo, dorso paulum, ventre minimum curvo: lōgitudinem duorum pedum non raro adipiscitur. *Os* habet acuminatū, cuius inferior pars paulo longior superiore, quodque ample potest diducere; *dentes* minimos, linguam conspicuam, branchias amplas; *oculos* struferi magnitudine, pupilla nigra, circulo argen- TAB. XXXV. 7.8.9. *Idem ibid.*

argenteo. Pinnas obtinet septē; post quamlibet branchiam unam oblongam; duas sub his in infimo ventre paululum versus posticam partē, unam post anum triangularem, unam triangularem ac latam in summitate dorsi, duriusculis spinis suffultam, & huic fere contiguam alterā in posteriore parte dorsi oblongam, quæ æqualis fere latitudinis, atq; ad exortū penè caudæ protenditur. *Cauda* constat pinna fere quadrata & lata. Parvulis rotūdis squamis totus vestitur, coloris per totum argentei splendētis, cui tamen in dorso aureus transplendet, & ad tactum videtur lævis. Pinnæ & Cauda ut & venter albicāt. A summitate autem branchiarū per medium latus ad caudæ exortum tēdit linea argentei coloris. Capitur in mari, ac optimi est saporis.

URIBACO piscis dorso incurvato, ventre protuberante, quindecim aut sedecim digitos longus, quinque, aut sex altus, ubi altissimus. *Caput* & *os* obtusum, conum referens triangularē: dētes parvuli, acuti, lingua lata: brāchiæ amplæ in triangulum desinentes: Oculi dupli stuferi magnitudine: pupilla crystallina, circulo argenteo, cui aliquid cinnabrii mixtum est. *Pinnas* habet sex, nimirum post quamlibet branchiā, unam longam triangulum acutum referentem, sed exterius paulum circinatam: sub his in infimo ventre duas triangulares, anterius firma spina munitas: post anum unam oblongam, in exteriori ambitu circinatam, molliusculis spinis per medium suffultam, anterius autē dura & acuta spina: à summitate autem dorsi ad exortum fere caudæ pinna latiuscula, latitudinis fere ubique æqualis, & acutis spinis sustētata. *Cauda* itidem lata in duo veluti cornua distenditur. *Vestitur* squamis magnis, in totum argentei coloris, sed cui parum cinnabrij translucet. Pinnæ laterales, & infimi ventris albæ seu argenteæ, dorsalis & cauda plus cinnabrij, quā argentei habent. A summitate deniq; branchiarū ad caudā usq; (paulum arcuatim) tendit linea rubra, & supra eam in posteriore parte corporis, in utroq; latere, maculā habet nigram magnitudine grossi milnici. Capitur in mari. Edulem habet carnem & bonam.

Guarerva, piscis corpore lato, compressoq;, quatuor digitos longo, tres lato, ubi latissimus, *ore* patulo, denticulis minutis. *Pinnas* habet sex; nimirū post branchiales duas, parallelogrāmi figura; duas oblongas & latas in superiori dorso, & infimo ventre posteriori, quæ in acumen desinūt, figura subulæ. *Cauda* quadrata, seu potius parallelogrāma, unum digitum longa, & duas tertias partes digiti lata. Squamulis tegitur nigri coloris splendentis instar bombycini, quarū ore (quarundā tātum, non omnium) fimbrias habent flavas instar semilunularum. Pinnæ omnes nigræ. Circa os linea crassa est ferrei coloris, & alia illi perpendiculariter superposita. Corpus tres lineę latę ambiunt, quarum duæ per latas & posticas pinnas extenduntur; (caudam etiam talis linea secat, & eiusdem coloris) una pro fimbria ipsi est. Oculorum pupilla nigra, circulus aureus.

CAPUT XVII.

De Camaripuguacu, Piratiapua, Curema, Parati, & Aramaca.

C*Amaripuguacu* piscis dorso recto, ventre paululum extuberante; pinguis ad tactum & revera. *Caput* habet anterius acuminatum, *os* amplū, edentulum, quod in rotundum diducere potest, nimirum superiore mandibula, inferiori immota permanente, ita ut duos pugnos humanos iuxta se, vel etiam humanum caput possit admittere. *Linguam* habet conicā, crassam, superior autem mandibula brevior est inferiori, ita ut clausum os superius habeat: *Oculos* latiores Imperiali, rotundos, crystallinos, & argenteos, branchias ampliffimas. Longitudinem adipiscitur undecim aut duodecim pedum, crassitiem viri. *Pinnas* obtinet septem; duas haud procul diffitas à branchijs, in lateribus proximè ventrem anteriorem, longas, triangulares; cuilibet autem harum parvula subest, quæ tamen natan-

TAB. XXXV. 10. *Marcgrav. H. Brasil. 4. c. 18.*

natando vix videri potest: in medio inferiore ventre itidem duas coniunctas, triangulares, latiores prioribus, sed breviores: has versus posticā partem corporis inferioris sequitur alia solitaria pina, triangularis, lata, squamata, quæ appendice continua, angusta, protenditur ad caudæ ferè exortum: in dorsi altera medietate versus posteriora, pinna est elata triāgularis, lata, quæ appendicē habet versus posticam partem vergentem, elevatam, triplo longiorem, instar funis crassioris. Septima pinna est pro cauda, quæ secta est, & in amplam extenditur furcā. Squamis vestitur magnis, obrotundis seu peltatis, maioribus Imperiali, in dorso tamen minoribus materia squamarum alba, pellucida instar matris perlarum; sunt autem arctè sibi impositę squamę, ita ut quadruplices aut quintuplices jaceant, ac de qualibet ante aliam prominet pars figura lunæ bisectæ, quæ argenteo obducta est (revera repræsentat argētum) & rivulos hinc inde discurrentes monstrat argenteos in argenteo campo; ita totus piscis argēto obductus videtur, prętерquam in dorso, ubi cæruleus est, argēto tamen translucente. Pinnæ omnes argenteę, prętер dorsalem, quæ eundem colorem habet cum dorso. Carnem habet lentam, quæ diu coqui debet, multæ in carne spinæ, sed satis crassæ, ut facilè inter edēdum extrahi possint. Magis aspectu quam esu piscis delector.

Comedi sæpius eius carnem, sed lenta est, & tantū famelico conveniens. Os superius ossa habet duritie æqualia ossibus alicuius animalis.

Piratia Pua ingentē adipiscitur magnitudinem, ut *Capu ripima*. Inferior mandibula paulo longior superiori: dentes acuti in tota mandibula inferiori, in superiori solum in medio, qui longiores, quemadmodum & mediū in inferiori: *Os* ampliare amplissimè potest in rotundum foramen. *Oculos* obtinet non ita longos pro corporis mole, pupilla crystallina. Branchias amplas, duras seu armatas. Corpore a. est oblongo, dorso paulū incurvato versus caput, & ventre mediocriter amplo. Pinnas habet septem: Vnam à summitate dorsi (incipientem versus capitis ferè exortum) ad caudæ usq; initium protensam, quoad medietatem anteriorem spinis suffultā, quoad posteriorem mollem sine spinis, in medio a. sui angustiorem, anterius latiorem, posterius adhuc magis latam & quasi circinatam in extremitate. In quolibet latere post branchias, unam latam, & in extremitate circinatam, cætera quasi quadratam: sub his in infimo ventre duæ propinquę sunt oblōgæ, haud latæ, firmis spinis nixæ: prope anum unam habet satis amplā, itidem circinata fimbria posterius, uti ea quæ in dorso. Corpus posterius quadratè extenditur, & continet septimam pinnā pro cauda, quæ ampla est, & figuræ penè quadratæ. Squamulis vestitur parvulis, ita ut ad tactum glaber videatur, etiā si antrorsum mulceatur. Coloris est per totū corpus ex obscuro aureo epatici, qui tamen obscurior in dorso & sumo capite huic a. colori per totum retis in modum cinerei coloris liturę obtenduntur. Pinnæ omnes eiusdem cum corpore coloris, laterales a. prætereа fimbrias habent aureas, reliquæ epaticas. Carne satis probata est, si junior sit, nimirū sex, septē aut octo pondo; & assatus magis quam coctus, nam pinguis est: adultior verò ducentorū aut plurium pōdo carnem habet pro baiulis; nec delicatiorē carne *Camarupim assu*, nimirum lentā, tenacem, ac difficilis coctionis. Capitur in mari.

Curema species *Tainhæ* grādis & crassa. Piscis marinus, in duorum pedum longitudinē excrescens, corpore oblongo, ferè cylindraceo, more Trutæ fluviatilis, crasso & prępingui. *Caput* in conum obtusum desinit, superius cōpressum & latum, durum, squamis duris tectum. *Os* pro mole corporis parvum, parabolicū, labio superiori conspicuo, mobili, inferius a. os triangulare, obtusum discūbit, & paulo brevius est superiori, edentulū. *Oculi* magni, rotundi, anterius positi, nigri, circulo argēteo. Duo narium foramina supra os. Branchiæ semilunares, haud amplæ. Pinnas habet septem (octavā ,p cauda, quæ in duo cornua desinit) nimirū duas postbranchiales, triāgulatas

latas duas, magis versus posteriora in infimo ventre, junctas: in summo dorso parvam, tribus suffultam duriusculis spinis: post anum unam bicornem, & illi oppositum in dorso eiusdem ferè magnitudinis. Tegitur squamis magnis clypeatis, planis: color totius piscis in summitate capitis, dorso & medietate laterũ obscurè cinereus, cui hyalius transplendet: reliquum laterum, venter & caput inferius argentei splendentis coloris, uti & pinnæ ventris, reliquæ pinnæ cum cauda eiusdẽ cum dorso coloris. Præpinguis est & coctus vel assatus sine oleo vel butyro comedi potest. Salit⁹ & in sole siccatus asservatur magna copia. Salitus quoque & in muria servatur. Optima illius pars venter.

TAB. XXXVI. 1.2. *Parati* Lusitanis *Tainha*, piscis est in longitudinẽ pedis excrescens, figura corporis ut *Curema*, cui per omnia similis est excepta magnitudine, & ꝙ circulum aureũ habeat circa oculos. Carne est sicciori, & quæ inter coquendum pinguedinem flavam de se fundit. Magna copia saliti in sole exsiccantur & recõduntur. Capiuntur retibus, ut & *Curema*, transiliunt a. retia eleganti spectaculo, quando illud trahitur: quando malacia est magno numero ex aquis exsiliunt.

Aramaca Lusitanis *Lingoada* & vulgo *Cubricuncha*, soleæ est species cõpresso corpore, & figurã habens soleæ q̃ Belgæ vocant Tonge. *Os* denticulis acutis p̃ditum: caret lingua: *Oculos* habet duos in uno latere (ubi lapidei est coloris) in altero nullum, pisi magnitudine, unum ꝓpe latus posterius oris, alterum superius & magis versus posteriora vergentem, pupilla lunata, crystallina, hyalinocolore transplendente. Branchiæ satis amplæ, in quolibet a. latere post brãchias est pinna una, duos digitos lõga, angusta, superius in pilum tenuẽ desinens; ad brãchiarum finẽ in infimo corpore sunt duæ parvæ pinnæ junctæ. Per totum a. corpus tam superius, q̃ inferius secundum longitudinem habet piñam usq; ad caudã extensam, tenuem, vix semidigitum latam; cauda ferè quadrata cõstat pinna tenui. Vestit squamulis parvulis, & in toto sinistro latere, ubi oculos habet, lapidei est coloris, in latere dextro albi, vivit in mari interarenas. Edulis est & bonisaporis.



TITVLVS II.

De Piscibus Exoticis Lævibus.

CAPVT I.

De Piscibus in totum lævibus.

ARTICVLVS I.

De Guamaiacu, Ape & Petimbuaba.

PIsces Exotici læves sunt in duplici differentia: Vel enim sunt in totum lęves, vel cum aliqua lævitate spinosi. Ex istis sunt quos hic describemus. TAB. XXXVI. 3.4. *Marcgr. H. Brasil. l. 4. c. 1.*

GVAMAIACV APE Piscis triangularis; duplex est, unus cornutus, alter sine cornibus. Cornutus ab ore ad initium caudæ septem digitos est longus, (interdum & longior) à ventre ad dorsi summitatem tres digitos latus seu altus: venter vix duos digitos latitudine complet: cauda unum digitum lata, desinens in pinnam duos digitos longam & totidem latam. *Os* ipsi parvulum, & pisi tantum capax: habens in superiori mandibula duodecim denticulos angustos, acutos, in inferiori quinque. *Caput* ab ore ad cornua usque in gibbum assurgit, convexitate sesquidigiti; dorsum autem ad eundem modum in gibbum arcuatur: & unicam tantum habet pinnam in postica parte versus caudam, & quidem exilem. *Oculos* habet satis amplos, diametro trientis, supernè in capite in fronte positos prope cornua, ab ore circiter sesquidigiti intervallo: & ante singulos oculos foraminulum unũ. *Pinnas* in universum obtinet quinq; unã in extremo dorso, ut jam dixi, & in quolibet latere unã, lõgè infra oculos versus posticam corpo-

corporis partem paulum vergentes, unum digitum longus: & prope utrãque rimã, unam plus semidigito longam, branchiarum loco: unã denique pinnã inferius in ventris extremitate ppe exortum caudæ, unum pene digitum longam, dimidium latã: quinta facit caudã. *Cornua* duo directè ante se protensa in fronte gerit prope oculos, magnitudine calcario galligallinacii, duo itidem æqualis magnitudinis in infimo vẽtre versus quartam pinnam. Caret squamis, sed tegitur densa cute, in ventre quidẽ alba, reliquo a. corpore fusca, atque in ventre & lateribus usq; ad altitudinem oculorum figuris trigonis, tetragonis, pẽtagonis, sexagonisque mirè distincta & notata. Vbique a. (excepto infimo ventre) eadem cutis variis maculis nigricantibus est insignita. De altera specie superius egimus.

Idem H. B. lib. 4. c. 4. *Petimbuaba* piscis tres aut quatuor pedes longus: corpore instar Anguillæ. *Os* edentulum acuminatum, superiori mandibula breviori quam sit inferior: estque lõgitudo oris sesquidigiti, amplitudo, ubi maxima, vix unius. *Caput* novem digitos longum est ab oculis ad oris extremum, crassities eius post oculos quinque digitorum, hinc paulatim minuitur, ita ut prope os sit trium tantũ digitorum. In summa a. longitudo capitis à fine branchiarum ad oris extremum est unius pedis & unius digiti. *Oculos* habet satis magnos, magnitudine nucis avellanę & pene figura, pupilla splendida cæruleſcente, quã tunica ambit argentea, in parte anteriori & posteriori macula miniata notata. Post branchias in utroque latere, pinna directè ptenditur à latere sesquidigitum lata & longa rufescentis coloris: hinc sex & semis digitorum intervallo versus posticam corporis partem, duæ pinnæ parvę rufescunt in quolibet latere una, sed magis versus ventrem.

Post has pedis intervallo sequitur pinna rufescens duos digitos longa, sesquidigitum lata: sub hac autem eiusdem magnitudinis & coloris una in infimo ventre: demum à fine harũ intervallo fere quinque digitorum, sunt adhuc duæ pinnæ rufescentes paulo minores superioribus, una sursum, altera deorsum elata; & inter has ortum sumit cauda instar murenę tenuis, teres, sex digitos longa. Corporis a. longitudo à fine branchiarum ad caudæ initium est duorum pedum & trium digitorũ. Cute est instar Anguillæ glabra, coloris in toto corpore & lateribus ab ore ad caudam, hepatici, in dorso triplici, in lateribus unica serie macularum cærulearum magnitudine nummi Misnici ferè: hæc maculę à medio corporis in lateribus ad caudã usq; in lineas coeunt: inter omnes a. maculas cæruleas ordine intercedunt maculæ virescentes. In inferiori corpore tam sub capite quã ventre albescit, & videtur aliqua rubedo inspersa. Corpus a. universum non exactè teres est, sed compressum & latiusculũ, ventris n. latitudo prope secundum par pinnarum, ubi latissimus, duorum digitorũ, crassities ibidem totius corporis sex digitorum. Hinc paulatim attenuatur, donec prope exortum caudæ sit sesquidigitum paulo plus aut minus crassum. Edulis est piscis. Potest Acus piscis vocari. Iconum quas supra dedimus, nulla cum hac convenit, nisi fortè Acus minor Bellonii.

ARTICVLVS II.

De Nhambdia & Guaperua.

NHAMBDIA Brasiliensibus, *Bagre do Rio* Lusitanis, piscis corpore oblongo, obeso, ventre molli, versus posteriora angustiori. *Capite* cõpresso, & *ore* parabolicæ figuræ, & denticulis minimis prædito. Est autem corpus duodecim aut quatuordecim digitos longum, duos & semis altum, ubi altissimum. *Oculi* parvuli, paululum protuberantes, rotundi, pupilla nigra, circulo ex auro & umbra mixto. Branchiæ satis, amplæ, & barba sex filis constans, duobus supra & quatuor infra os: Eorum quæ supra os versus latus stant

TAB. XXXVI. 5. 6. Marcgrav. lib. 4. c. 5.

ſtant quodlibet craſſitiem habet fili, quo literæ obſignantur, quinque digitos longum, & poſt cuiusque exortum fovea eſt oblonga, in quā barbæ initium incumbit, vertēdo illam poſtica parte, ut ſemper facit: quatuor inferiorum quodlibet exterius duos & ſemis digitos longum, interius ſeſquidigitum; ſuntq; inferiora fila barbæ non ita craſſæ ut ſuperiora. *Pinnas* habet ſeptem, & octava eſt ꝑ cauda: nimirum poſt quamlibet branchiam unam oblongam, firmiſſima & acuta ſpina munitam (quemadmodū & in exortu ipſius poſt branchiam os durum eſt, triangulare) ad medietatem corporis ante anum duas junctas oblōgas, in extremitate circinatas: verſus caudam in inferiore ventre unam ferè quadratam & in extremitate circinatam: in ſummitate dorſi magnam quadratam multis ſpinis ſuffultam & poſt illam unam longam anguſtam, cute carnoſa conſtantem, qua & corpus eſt tectū. *Cauda* biſecta eſt, & quęlibet pars in exitu circinata. *Cute* tegitur non ſquamis.

Caput dura teſta tectum, osque ſuperius totum umbræ coloris: dorſum & latera cinerei cum pauxillo cæruleo mixti: Venter albus: pinna dorſalis prior prope exortum eiusdem coloris, cætera in totum nigri, ſpinis cinereis: poſterior eiuſdem coloris cum dorſo & lateribus: pinnæ poſtbranchiales totæ nigræ: barba nigra, uti & pinnæ ventris & cauda, licet in exortu paululum ruffæ. A ſummitate branchiarum per quodlibet latus tendit in medio linea rubra uſque ad caudæ initiū. Capitur in fluviis, & eſt optimi ſaporis, vulgoque comeditur.

Guaperua piſcis cuius longitudo ab initio oris ad exortum caudæ paulo plus duorum digitorum (reperiuntur tamen & duplo maiores) corporis medii craſſities, ubi maxima, trium: laterum quodlibet unum digitum altum. Caret omnino brāchiis: *os* habet ſatis amplum & elatum, proiectum inſtar canis, minutiſſimis denticulis; loco linguæ lapidē habet inſtar Carpionis: ocellos vix grani milii magnitudine, colore egregii turcoidis. Inter ocellos in medio ſuperioris labii, ſeu in fronte corniculū gerit ſurſum erectum, & paulū retrorſum verſum, & ante illud corniculum etiam filum tenue, & dimidium fermè digitū longū verſus anteriora directè ꝑpenſum paululum tamen elevatū, cui appendiculum adhæret ut in Liliis: filū hoc retrò recōdere poteſt: nam poſt corniculū fovea eſt in vertice, hinc parva eminentia & iterum vallis, tunc ad uni⁹ digiti longitudinē pinna in dorſo porrigitur quadrantem lata. *Cauda* pinnulā habet plus ſemidigitum longam: à cauda interſtitio aliquo verſus anteriora circa ani regionem iterum pinnula eſt ſemidigitum longa & duę parvulæ in inferiori corpore ſub pectore. In medio a. ferè corpore, magis tamen verſus anteriora, in quolibet latere brachium obtinet, deſinens in pinnā duas trientes digiti longam, & penè ita latam, pinna a. brachiorum octo conſtat ſpinis, quæ per pinnæ lōgitudinem diſparguntur, & anterius prominent inſtar octo unguiculorum acutorum. Brachiū quodlibet unica conſtat junctura ac verſus anteriora deflectit, ut ita naturæ piſcis cōmodius ſerviat. Caret in totum ſquamis, ſed tegitur cute in ventre molli, reliquo corpore ad tactum aſpera & ſcabra, ut in Tiburonibus. *Color* cutis eſt obſcurè rubricans, cui fuſcus admixtus, & per totum corpus maculas habet nigras, figura undarum. Pinnæ & brachia etiā eiuſdem ſunt coloris cū fuſco mixti. Sed piña in dorſo in quolibet latere quatuor habet maculas nigras maiores: cauda verò & omnes pinnæ minores eleganter variegatæ ſunt. Ventriculū habet duos digitos longum, cum orificio tres digitos lōgo, & duos circiter amplo, ꝙ in ipſas fauces inſeritur: Vnde ventriculum inflare inſtar utriculi poteſt. Caro eius non comeditur. Ad orbium claſſem pertinet. Veſcitur ſquillis: natans egregie explicat pinnas & inflat ſe, ut inſtar orbis, ſeu pilei appareat rotundus. Habui alium totum colore differentem, duos & ſemis digitos longum qui totus erat coracini coloris ſplendentis, & ſe inflabat. *Cutis* horum piſcium facilè detrahi poteſt, & tomento impleta ſervari.

ARTI-

ARTICVLVS. III.

De Curvata Pinima, Puraq; & Pisce innominato.

TAB. XXXVI. 7.8.9. Marcgrav. Hist. Bras. lib.4.c.5. & 6.

CVRVATA PINIMA, *Lusitanis Bo-into*. Piscis est *Cordcovadi* magnitudine, vel etiam maior, corpore oblongo, satis tamen lato & crasso, amplis branchiis, oculis grandibus argẽteis. Caret *squamis*, & regitur solummodo cute præterquam in medio laterum: nam cuiuslibet lateris mediũ à branchiis usq; ad caudam permeat lata linea aurei coloris; hinc à branchiis incipiẽs alia parallelos superius ducitur ad duas partes totius longitudinis; hinc hæc parallela secat oblique auream, & pergit parallelos usq; ad caudam: linea hęc parallela aureæ anterius, & usque dum auream secat, duplici squamularum serie minimarum insignitur, & tota est glabra, postica parte, ubi secat auream, & infra itidem duplici serie squamarum notata, sed maiorum, & linea ipsa nõ est glabra, ut anterius, sed aculeata quasi denticulus piscium. Color piscis in dorso & lateribus subvirescens, in vẽtre albus & splendens. *Pinnas* habet septẽ, nimirum post quamlibet branchiam unam oblongam: duas sub his versus posteriora junctas in infimo corpore: unã in medio ventre, & huic oppositam unam in summo dorso, & adhuc in dorso unã magis versus anteriora. Ab ultima dorsali & ventris pinna continua, haud lata, acuta utrobiq; abit ad exordium caudæ: quæ furcata est. Capitur frequentius in mari, & boni est saporis.

PVRAQVE, Lusitanis *Piexe viola*, ob figuram quam cum Cithara communem habent qua ludunt Lusitani. Piscis est latus, non crassus, cartilagineus. Longitudo eius ab initio capitis ad finem caudæ unius pedis, & novem digitorum. Ab initio seu acumine capitis ad octo digitorum intervallum versus posteriora, cordis lati figuram habet, uti pingi solet, latitudo eius, ubi maxima septem digitorum, excurritque ibi in latere in pinnas instar Raijæ, estque penè transparens cum luci obvertitur. Caret branchiis. *Caput* in coni figuram desinit. Ab acumine capitis tres digitos & semis retrò numerãdo, occurrunt oculi unum digitum ab invicem distantes, rotundi, prominẽtes, mediocris avellanæ magnitudine, pupilla nigra, circulo aureo. Ad utrumque oculum versus posteriora habet fistulam, minimi digiti apicem capientẽ, per quam aquã evomere potest. Sub oculis, in inferiori tamen corporis parte, os habet, distans tantum ab initio capitis quantum oculi, sesquidigitum amplum, edentulum, & duo spiracula sesquidigitum post os versus posteriora: In quolibet latere quinque incisuras habet, ut Raijæ & Tiburones.

Post anteriorem illam cordiformem corporis partem reliquũ corpus teres, aliquantulum tamen compressum, & ibi latũ tres digitos, & in quolibet latere habet pinnã mollem, tres digitos longam, & sesquidigitum latam: hinc angustius fit corpus usq; ad caudæ pinnam, ubi digitum est crassum. *Caudæ* pinna fermè duos digitos longa, paulo plus uno lata, superius longior, q̃ inferius, ut in Tiburonib⁹. Inter duas a. illas pinnas secundas laterales versus caudam in dorso, distantia duorum digitorum ab invicem adhuc duas pinnas erectas habet, ad tactum instar membranæ crassioris; triangulares, duos digitos longas, sesquidigitum latas. Tegitur cute molli, nullis squamis, ac in toto inferiori corpore in medietate anteriori est albus, in posteriori incarnati coloris cum albo mixti. In dorso, aut superiori corpore glutinis est colore, fuscis maculis variegato, insperſaque egregia varietate puncta ex albo cærulescentia. Pinnæ quoque glutinis habent colorem, ac in lateribus aliquid rufescentis mixtum. Acumen capitis cartilaginis colorem obtinet, qua etiam constat. Per totius dorsi longitudinem ad tactum spina dorsi, quasi tuberculis minimis eminet. *Caput* illius recens lucet noctu. Caro eius non comeditur. Sed si comeda-

tur, asserunt piscatores, per tres horas semifatuos reddi homines, dein sponte ad se redire. Vnius attactus, crepitum articulorum manus, & brachii causat, qui tamen statim desinit: & si in medio tangatur, artuum tremorem efficit.

Capitur mensibus pluviosis, quando tempestuosum est in Bibribi fluvio, longè ex terra adveniens, cum Raijs & Pastinacis.

Piscis Innominatus in septē digitorum longitudinem excrescit; figura similis illi, quem vulgo Harder appellamus; pinnis tamen aliter firmatis: duæ enim quæ in infimo ventre anteriore sub branchiis sunt, magnæ & latæ, duæ post branchias in lateribus parvæ, in dorso duæ mediocres, & in inferiori ventre posteriori parva. *Cauda* constat pinna furcata. *Os* parvum, oculi magni. *Cutem* habet glabram, sine squamis: in dorso nigricantem, ac in utroq; latere quatuor nigricantes maculæ magnæ à dorso protenduntur, in ambitu suo violacei coloris: Inter maculas autem versus dorsum prominet thalassinus color: reliquum corpus argenteum. *Pinnæ* nigricantes cum violaceo mixtæ, & duæ illæ magnæ sub ventre quinque argenteis maculis singulæ insignitæ. Insignis coloris piscis, quando natans videtur. Victitat venenis illis Besaenen.

Articvlvs IV.

De Mucu, Abacatuaia, & Acaramucu.

Tab. XXXVII. 1.2.3. *Marcgrav. H.Bras. l.4. c.14.*

MVcv Brasiliensibus, piscis tereti corpore, ut *Enneopthalmus*, vulgo *Lampreta*, Germanis Neunauge/ nec crassiori: circiter duos pedes fit longus, magis aut minus: Capitulum habet acuminatum, conicum; ocellos parvos nigros: os item parvulum: guttur inflare aliquo modo potest. Caret pinnis: per latera lineas obliquas nigras habet, angulos obliquos per medium laterum invicem facientes.

Edulis est & capitur in lacubus & paludibus. Iconem eius Nobilissimus de Laët in Americæ descriptione, sub nomine *Vbirre* dedit verum descriptio *Mucu* cum icone non satis convenit, ideo non est mirum, quod diversum à *Mucu* esse sentiat.

Abacatuaia, Lusitanis *Peixe gallo*. Faber & Gallus marinus. Passeris magnitudinem habet, altus & latus instar illius, subrotundus, neq; illo crassior: *Os* illi est haud amplum, edentulum; *Oculi* nigri, circulo argenteo. *Pinnas* habet quinque, unā in dorso, unā in ventre, utramque descendentem, & continuam ad caudam usque: itidem post branchias utrimq; unam: *Cauda* constat pinna furcata. Præterea habet duo quasi fila in longum extensa ab inferiore corpore, & unicū tale in dorso ante pinnam dorsalem. Caret squamis, sed tegitur cute lęvissima, splendente, coloris argentei; totusq; est illius coloris, exceptis filis illis, quę nigra sunt. Carnem habet boni saporis. In descriptione Americæ sub nomine *Avvah kattoe*, sive *Iavvke* datur. Icon superius data, non in totum convenit, ideo repetimus.

Acaramucu Piscis *corpore* est cōpresso, nec crasso, verum oblongo, decem enim digitos longus est, quatuor latus, ubi latissimus. *Os* illi parvulum, angustum, rotundum, apicem minimi digiti admittens, ut piscis triangularis. Superius & inferius in anteriori parte oris utrimq; dentes triangulatim acuti. *Oculi* stuferi magnitudine, crystallini, pupilla nigra. Distāt oculi ab ore, duos digitos & semis, plane in alto positi, tres quartas partes digiti à dorso sub utroque oculo, in quolibet latere, branchiarum loco fissurā habet oblique factam, unum digitū longam, trapezii figura. In dorsi sumitate directè supra oculos, instar fili maioris, seu crassioris cordæ violæ, corniculum habet oblique erectum versus posteriora, quatuor digitos longū & teres. In postica corporis parte inferius & superius utrimq; pinnam habet tenuem, tres digitos & semis longam, tres quadrantes digiti latā, quæ desinunt circa caudam, quæ parallelogrammi figura exoritur à corpore, habet

Idem Hist. l.4.c.12.

habetque pinnã sesquidigitum longam, paulo plus duobus latam. Caret squamis, sed tegitur cute glabra, parum tantum hispida, ut Xiphiæ, coloris albicantis, cui cryseus est admixtus, & in dorso paulum fuscus; pinnæ quoque grysei coloris. Non est edulis: in ventriculo algę seu musci marini multum inveniebam. Parieti appensus noctu clarissimè lucebat in tenebris.

ARTICVLVS V.

De Punaru, Timucu, & Guebucu.

TAB. XXXVII. 4.5.&c. *Marcgr. H. Brasil. l.4. c.13.*

PVNARV piscículus est quatuor digitos longus, corpore oblongo, capite crassiusculo, & anterius obtuso. *Os* habet parvum, in maxilla inferiore duos solummodo denticulos, longos, acutos instar acicularum: oculos superius & in fronte positos, pupilla nigra, circello aureo: & supra hos duo rubra fila brevia, prominula; branchias amplas: utpote quæ una ei est è duabus conflata. Pinnas postbranchiales duas oblongas, & sub his duas plane angustas. Paulo post occiput incipit pinna, quæ ad caudam usque producitur, spinulis prominulis suffulta. In medio infimo ventre incipit similis, ferme ad caudam usque pertingens. *Cauda* a. longiuscula, & parallelogramma. Tegitur cute fusca, & pinnæ sunt eiusdem coloris.

Reperitur hic & alia PVNARV species, figura corporis priori similis, sed mandibulas habens rostratas, quasi è minimis denticulis compositas. A sumitate capitis pinna latiuscula extenditur usque ad exortum caudæ, quæ mollibus texitur spinis non prominulis. Postbranchiales habet ferè ut prior, ut & in ventre & cauda. Color ut prioris, sed variegatus est in lateribus lineis curvis obscurè purpureis. Vtraque species inter scopulos vivit, & intrat etiam testaceorum domicilia.

Idem H. B. lib.1. c.14. TIMVCV Lusitanis *Peixe agulha*, Piscis duos est pedes longus, corpore tereti instar Anguillæ. *Rostrum* habet osseum, tres vel quatuor digitos longum, acuminatum, utrobique dentibus minimis refertum: inferior rostri pars paulò longior superiori, & id quod prominet molle, non osseum; caret lingua. *Oculos* habet rotundos, crystallinos, circulo argenteo: sex pinnas, nimirum duas oblongas postbranchiales, duas junctas in infimo ventre ante anum parvas, post anum unam, quæ ferè ad exortum caudæ porrigitur, & similem huic oppositam in dorso. *Cauda* pinna quasi bisecta constat. Caret squamis, sed tegitur cute. Sumitas capitis & rostri ac dorsi cum medietate laterum olivacei est coloris: inferior medietas cum ventre argentei. Per utrumque autem latus secundum longitudinem linea tendit virescens, distinguens olivaceum ab argenteo. Pinnarum color respondet parti cui appositæ sunt.

Edulis est. Capitur in mari, & fluviis salsis. Boni est saporis, præsertim frixus butyro: Caro eius non est spinosa.

GVEBVCV Lusitanis *Bicuda*, piscis rostratus; oblongo & fermè tereti est corpore, ut *Dorada*: capite porcino, rostrato, cauda in duo cornua diducta ut *Albacara*, *rostrum* acutum, osseũ, durum: partis superioris longitudo sedecim digitorum, inferioris decem. Crassities totius prope insertionem septem digitorum: utramque autem rostri partem movere potest. Branchias habet amplas: *Os* interius orbicularis figuræ, in medio sui hyperbolico foramine; lingua oblonga, alba, dentibus omnino caret. Oculos habet solidi magnitudine, pupilla crystallina, circulo argenteo. A rostri insertione caput in altum assurgit, ut in *Dorada* mare: Est autem caput ab oculis ad occiput longum septem digitos, novem altum. Corporis longitudo ab occipitio ad caudæ exortum quatuor pedum, & altitudo lateris post occiput unius pedis; in medio autem corporis decem digitorum, & prope caudam duorum. *Cauda* in duo cornua extẽditur & ampliatur, quodlibet octodecim digitos longum, ad cuius exortum in quolibet latere duę *Idem lib.1. c.15.*

auriculæ membranaceæ. *Pinnas* habet sex: proxime post quālibet branchiam unam, directè à latere protensam, dura membrana constantem ut in *Tiberone*, figura trianguli acuti, undecim digitos longam, & in exortu, ubi latissima, duos tantum latam: è regione harum in infimo ventre duo bacilliformia corpora juncta habet, ex ossè nigro constantia, dura, plane ut os *Sepiæ*, quodlibet novendecim digitos longum, utrumque junctum, in rima longa, profunda recondere potest, quæ à natura secundum longitudinem ventris facta est ad caudam usque. Interstitio duorum pedum à fine huius fissuræ seu ano, in infimo corpore pinnam habet triangulatam sex digitos longam, latere anteriori firma spina munitam; etiam hanc in rimam quandam recondere & rursus surrigere potest: Octo digitorum interstitio ab hac pinna, parvam habet versus caudam, in acutum triangulum versus posticam partem desinentem, & è regione huius similem & æqualem in superiore corpore, has duorum digitorum intervallo sequitur cauda, quam supra descripsi. Maxima a. omnium est pīna dorsalis, incipiens à sumitate occipitis, quę ꝓtenditurꝑ dorsum in trium pedū longitudinē, constans membrana pergameni æmula, costis intertexta, hanc quoq; totā demittere potest ac in ꝓfunda rima cōdere: lata est sesquipedē, ubi latissima, & versus posteriora paulū angustatur. *Cute* crassa, subaspera vestitur, tota subfusca: spinulis oblongis, trientē digitis longis, ut ita solida sit & aspera, cum squamis careat. Venter & caput inferius albicant, latera cinerei & argentei coloris: dorsum ex cinereo argenteo obscurè fuscū, ut & caput superius & rostrū; reliqua rostrū cinerescit flavo. *Pinnæ* omnes cū cauda ex cinereo argenteo fuscescunt, ut & dorsalis, quæ præterea maculis orbicularibus, numi misnici magnitudine est variegata, illa post anum paulū undulata maculis fuscis: Carnem copiosam habet, non spinosam, pinguē; non glutinosam, ideo ad comedendum aptiorem, quam caro Marsorum. In ventriculo interiore multos integros pisces pedales inveniebat author.

ARTICVLVS VI.

De Bagre aliquot Speciebus.

BAGRE piscis sex ponit author Species. *Prima* est oblongo corpore, initio dorsi paulum elevato, capite acuminato seu conico, q̄ dura testa est tectum ad initiū elevationis dorsi, pedalis longitudinis: Barbā habet sex cirrhis constantem, quorum quatuor inferiores sesquidigitū longi, duo superiores longitudinem totius piscis æquant. *Pinnas* obtinet septem, octavā pro cauda: nimirum duas postbrāchiales loco inferiori positas, & ante quamlibet fortem aculeum, dentatū osseum, unā in summitate dorsi elevatā, & ante illam item aculeum fortem, ęqualis cum pinna longitudinis: duas junctas in medio ferè infimi vētris, magis tamen versus posteriora, unam membranaceā sine spinis versus caudam, & huic oppositā mediocrem mollibus spinis suffultam. *Cauda* constat pinna furcata, caret squamis, sed tegitur cute per totum argentei coloris splendentis. Pinnæ omnes argentei sunt coloris, ut & barba & caput. Per medium utriusq; lateris tendit linea argentea ad caudā usq; constituta ex 77. protuberantiis. *Oculi* nigri satis amplios parvulum, edentulum, labiis elevatis. Piscis est edulis, si quis ab eo læsus fuerit, difficulter sanatur, & magnos patitur dolores. TAB. XXXVIII. 1.2.3.4.5. *Marcgrav.* *H.Bras. l.4 c.16.*

Secunda corpore oblongo, capite compresso & plano, ore inferius parabolicę figurę, obtuso, edentulo. *Caput* octo digitos longū, testa dura pūctulata tectum. *Oculi* parvi, rotundi, crystallini, quatuor ferè digitos abinvicem distantes. Barbam habet sex cirrhis constantem, quorum exteriores longiores, quatuor digitorum, reliqui breviores: septem illi pinnæ, octava pro cauda: una nimirū in summitate dorsi, firma spina anteriꝰ munita, erecta, tres digitos longa, totidē lata: duæ postbranchiales, itidem firma spina munitæ, quatuor digitos longæ, duos latæ, Interstitio sex & semis digitorum post branchiales

chiales in infimo ventre (qui paulum extuberat) duæ junctæ, tres digitos longæ, duos latæ, in ambitu circinatæ: septem digitorum intervallo à dorsali, alia in extremo dorso, carnosa, sesquidigitum longa, unum lata, in extremitate mollibus spinis munita, & sub hac in infimo ventre alia paulo major cauda sequitur trium digitorum intervallo, in duo cornua diducta, crassa seu molli membrana constans duos & semis digitos longa, in quolibet cornu duos lata. Totũ caput superius, & ad latera, dorsum totum & latera ad protuberantiam ventris usq;, candidi cum diluto flavo & aureo mixti est coloris, in testa capitis etiã aliquid viridis transplendet: *Pinnæ* omnes & cauda gryseæ sunt: Venter & laterum inferior pars & caput inferius (quod planum est) albi coloris. Caret squamis, sed vestitur cute. Bona satis est carne, melior quam Camarupi, cuius magnitudinem ferè æquat.

Tertia figura & magnitudine ut præcedens, sed barbam habet quatuor tantum cirrhis constãtem, duobus nimirum longis octo digitos, & latiusculis instar ligulæ, duobus brevibus: ad pinnam dorsalem similis ligula novem digitos longa, & postbranchiales pinnas eodem modo: cætera similis præcedenti.

Quarta Belgis vulgo *Clipbagre* decem digitorum longitudinem habet; corpore oblongo: Capite lato & cõpresso: ore parabolico, edẽtulo. Barba constat sex cirrhis, quorum quatuor inferiores unum digitum, superiores duos longi. Oculos habet parvulos, cæruleſcentes, quatuor digitorum interstitio ab ore in summitate dorsi tegitur testa dura ossea, & post branchias in quolibet latere pyramidalis testa angusta tegit latera. Pinnas habet septem, & octavã pro cauda: nimirum unam in summitate dorsi, elevatam, mollem, sesquidigitum altam, plus uno latam, anterius spina ossea crassa dupliciter serrata, duos & semis digitos lata sustentatã. In medio ventre infimo duas parvas: in fine penè dorsi, carnosam, parvulam, angustam, & è regione huius inferius aliam parvulis spinis suffultam; cauda diffisa in duo cornua sesquidigitum longa. Tegitur cute: ac in capite, initio dorsi & lateribus, ubi testaceus est, umbræ est coloris, per reliquum totum dorsum & latera umbræ dilutioris, & fuscis maculis mediocris magnitudinis variegatur: in ventre albicat. A testæ latiore fine ad caudam usque in quolibet latere, per lineam tectam tendit ordo denticulorum acutorum, posterius versorũ, qui clypeo duro serrato in medio insunt, nam anguli obtusi figura positi sunt usque ad caudam hoc modo 7.

Edulis est, sed pauca carne, quæ non magni fit.

Quinta præcedenti similis, & maculis nummi misnici magnitudine variegatus: Verum caret denticulis illis in lateribus: lineam solummodo habet: & duos cirrhos, & sex longiores quam alter. Hæc species habet carnem bonam & pinguissimam.

Sexta magnitudine & figura similis illi, quem secundo loco descripsimus: sed barbam habet tantum quatuor cirrhis constantem, duobus nimirum longis octo digitos & latiusculis instar ligulę, duobus admodum brevibus. Ad pinnam dorsalem similis ligula est novem digitos longa; & ad postbranchiales eodem modo; cætera per omnia similis illi, quem diximus; nam & ventrem ita protuberantem habet.

ARTICVLVS VII.

De Ajereba, Iabebirete, Niqui, & Guatacupu.

AIEREBA Brasiliensibus *Raja* species, piscis planus, circinatus, unum pedem & novem digitos longus, & totidem latus (reperiuntur & duplo maiores.) Quatuor digitorum interstitio ab anteriori circumferentia in superiori superficie duo foramina habet satis ampla, tres digitos ab invicem distantia, prope caudæ ex- TAB. XXXIIX. 6.7. *Marcgrav. H. Bras. l. 4. c. 16.*

dæ exortum orbicularis incisura est in quolibet latere: *cauda* teres, quatuor pedes longa, & circiter in medio sui, duas osseas spinas crassas retro dentatas habet, quibus pungit, quando ad spiracula apprehenditur, caudam incurvatam supra corpus levando. *Os* inferius habet, haud amplum, edentulem, incisuræ quasi parabolicæ. *Cute* tegitur in superiori corpore ferrei coloris, & in medio dorso insignitur tuberculis nigris, parvis: inferius corpus totum album. Caro nihili æstimatur in cibis.

Iabebirete Rajæ species, ejusdem magnitudinis cum *Ajereba*, figura autē obtusi vomeris ad latera extuberantis: sectiones prope caudam ut in illa, & præterea duo corpora cylindracea digiti crassitie protuberantia. Cauda longa. Color piscis superius è cinereo fuscus, inferius albus, carne probata est & bona.

Reperitur hic & alia *Rajæ* species præcedenti similis; excepto quod processibus illis cylindraceis prope caudam destituitur. Color totius corporis superius umbræ, punctulatus per totum maculis nigris, seminis sinapi magnitudine: *Cauda* aculeis caret. Carnem habet bonam.

Reperiuntur hic & *Rajæ*, quarum caudæ tres & semis pedes longæ, crassæ in initio tres digitos, & in fine plane acuminatæ, plenæ tuberculis nigricantis in totum coloris, flexiles ut scutica.

TAB. XXXVII. 8. l.1.c.17. NIQUI Belgis Pieterman: Piscis est capite crasso, ore ranæ amplo, edentulo, crassa lingua, inferiore mādibula paulo longiori quam superior. Anterior corporis medietas est paulo latior, posterior angusta & teres: estque ut plurimum sex aut septem digitos longus, latus anterius quidem sesquidigitum aut paulō latior: Ocelli ipsi parvi quidem, sed exserti, cylindracei more cancrorum terrestrium, pupilla nigra, circulo è cinereo fusco. Branchias habet amplas, & post quamlibet pinnam unam, digitum longam & latam, in ambitu circinatam: in ventre sub his paulo inferius duas junctas: à medio dorso pinna ad caudam pene continuatur, semidigitum lata, at in fine paulo angustior, cui respondet similis in infimo ventre: *Cauda* plus digitum longa, minus lata, parallelogrāmi figura, in extremitate circinata. Ante exortum pinnæ dorsalis duos habet aculeos fortes, & supra postbranchialem utramque unum acutum. Tegitur cute, cujus color ex nigro & umbra, gryseoque mixtus, nimirum in toto dorso, capite & lateribus, pinnisque omnibus; Venter albicat, & in lateribus etiam plus albi, quam nigri aut grysei est. Per totum dorsum, caput & latera, puncta nigra, magnitudine seminis papaveris, dispersa.

In arena absconditus jacet prope littus Maris, ac incedentes vulnerat.

Edulis est, si jecur & fel bene separetur, aliis lethalis.

Guarapucu Lusitanis *Cavala*, Belgis **Koningfisch**/ est corpore oblongo, fere æqualis ubique crassitiei, excepto versus posteriora, ubi magis magisq; attenuatur. Ut plurimum in septem pedum longitudinem excrescit, & crassitiem corporis humani. *Caput* & *os* habet acuminatum, dētes acutos, rotundos, ordine positos, oculos magnos crystallinos, circulo argenteo: *Pinnas* octo, videlicet post quamlibet branchiam unam triāgularem, directè à latere protensam: unam tenuē angustam ferè in initio dorsi, post hāc unam in eodem dorso triangularem erectam; sub hac in infimo ventre triangularem; duas mediocres triangulares in infimo vētre subter postbrāchiales. *Cauda* constat magna pinna in duo cornua amplè extensa. A pinnis autem triāgularibus, tam in dorso, quam infimo ventre, parvulæ ordine pinnulæ oblongæ sunt dispositę usq; ad caudam. Vestitur cute argētei coloris, cui in ventre paulum cærulei, in dorso multum miscetur, ut color resplendeat. In quolibet latere linea subtilissimis squamulis contorta describitur ad caudam usque. Boni est saporis. Est quidem *Scomber*, sed quia Icon quàm supra dedimus, non cōvenit, ideo & hāc adijcere placuit. TAB. XXXIX.r.

CAP.

Caput II.

De Piscibus non omnino lævibus.

Articulus Unicus.

De Guacucuja, Guamajacu guara, & Guamajacu Attinga.

Tab. XXXIX. 2.3. *Marcgrav. H.Bras.l. 4.c.1.*

Guacucuia, *Monoceros* piscis: *Vespertilio* Aquaticus posset appellari. Corporis figura anterius est instar vomeris: *Corpus* octo digitos longum, quinque latum in medio, ubi latissimum: medietas autem corporis posterior rotunda est, & versus caudæ pinnam fastigiatur in conum: medietas autē anterior vomeris seu lati cordis figuram obtinet. Piscis autem non crassus, sed latus; caput vix prominet seorsim à corpore, estque illi inter oculos supra os cornu impositum, durum, duos pene digitos longum, conicum. *Oculos* habet nummi misnici magnitudine, pupilla crystallina lenticulari, reliqua pars variegata maculis, & lineis flavis albisque. *Oris* hiatus castaneam potest capere, ipsum edentulum est. Supra os carnea prominentia est instar tonsillæ humanæ ferè. In utroque latere in medio piscis, brachium eminet, quatuor digitos longum, una junctura constans, inferior medietas brachij duos digitos longa est, unum lata in infimo ventre inter brachia duas habet pinnas sesquidigitum lōgas, quæ quasi pedes sunt. *Cauda* cōstat pinna duos digitos longa, sesquidigitum lata, ac fere quadrata. In inferiore corpore, sesquidigiti interstitio à cauda etiam pinnulam habet parvam, & talem etiam in dorso, trium digitorum intervallo à cauda. *Cute* tegitur, non squamis, quæ superius fusca est, multis tuberculis duris, per dorsum insignita versus anticam partem, & utrumque latus. In utroque autem latere undecim nigras habet maculas lentis magnitudine & figura, binas ac binas juxta se positas. Prope insertionem utriusque brachij etiam multas ejusmodi maculas nigras habet, & ibidem in quolibet latere foramen parvum in corpus.

In summa, in lateribus, circa oculos, in extremis branchiis, mirè variegatur punctulis albis, nigris, lineisque itidem albis & nigris, ut vix exprimi possit à pictore. In toto autem inferiori corpore egregij miniati est coloris, atque ibi cutis æqualis, verum ad tactum paulum hispida.

Tab. XXXIII. 9. *Idem l.4. c.10.*

Guamaiacu Guara, Lusitanis *Peixe porco* & *Diabe*: Orbis est species. Longitudo ejus ab initio oris ad pinnæ exortum in cauda quatuordecim digitorum: pinnæ caudæ longitudo plus duorum digitorum: Rotundo est corpore, & crassities eius duorum & viginti digitorum. Caret squamis, tegitur cute, per totum corpus ex fusco ochræ coloris pallidi, in ventre albi. Totum corpus aculeis munitum est, qui in lateribus longiores, in reliquis partibus breviores (longiores autem sunt duorum digitorum) teretes, in extremitate valdè acuti, & singuli tribus insertionibus, quasi triquetris cuti infixi. Inter aculeos cutis ubique maculis nigris scatet, excepto ventre. Oculos habet magnos eminentes: Os parvum obrotundum, edentulum: pinnas tantum quatuor, duas in lateribus duos & semis digitos longas: unam in dorso versus caudam eiusdem magnitudinis, & minorem sub ano.

Potest orbis muricatus Gesneri dici.

Habui inquit author, alium minorem vivum Mense Febr. anni 1639. item alios duos mense Septembri vivos. Cutis eorum erat è fusco virescens, in ventre nigricans: aculei ut prioris, & planè similis figura corporis: prope quamlibet pinnam, maculā habebant nigram, ut & utrimque ad latera prope os. Pinnarum color erat flavus: oculorum pupilla nigricās, circulo luteo. Supra utrumq; oculorum cornu exile, satis longum, molle, cutacea substantia constans,

quod

quod præ se fert natans, quando autem extra aquam est, flavescit. Inflare se potest & iterum considere. Sonum edit Vlch/Vlch. Si velis ut se inflet, trahe pinnam quæ in dorso est.

Idem l. d. c. 14. *Guamaiacu Attinga* Brasiliensibus, Marcgravio *Orbis muricatus* Ranæ rictu, septem digitorum longitudinem habebat, & corpus oblongum: *os* Ranæ simile, & loco dentium tam superius, quam inferius; os durum; oculos magnos, rotundos, protuberantes, pupilla crystallina circulo flavo: Branchiarum loco foramen in utroque latere digitum admittens, & pone hoc pinnam trapezii figura, unum digitum longam, duos latam: In extremitate dorsi versus caudam etiã pinnam oblongam, haud amplam, & è regione huius similem in infimi vẽtris extremitate. Cauda constat pinna sesquidigitum longa, unum lata. Totum corpus tegitur cute spinosa, quæ in capite in duram testam abit. Spinæ illæ constant duris ossibus & acutis: in infimo tamen ventre caret spinis, sed mollis est instar Ranæ. Totum corpus & caput superius ex gryseo & fusco est maculatum: magis tamen suffecit, inferius totum ex albo flavescit, ut & spinæ totius corporis. Pinnæ omnes flavescunt. Post utrãque pinnam post branchialem maculam habet nigerrimam stuferi magnitudine, & supra hanc utrobique, paulum tamen magis versus anteriora aliam minorem nigerrimam. Ad utrumque latus exortus pinnæ dorsalis etiam similem habet, parvulas item sub oculis & ore. Vtris modo se inflare potest. Edulis est, & capitur in fluviis dulcibus.

CAPUT III.

De Narinari, Tiburone, & Iperuquiba.

TAB. XXXIX. NARINARI. Sunt aliquot illius species, hæc quam hic describimus, appellatur *Narinari pinima:* Lusitanis *Raja*, Belgis Piilsteert vel *Deicle*. Pastinaca marina. Corpus habet magnum, latum, fermè triangulare: constãs ad utraque latera latissima pinna triangulari, carnosa: & prope caudam habet duas pinnas, palmi magnitudine, subrotundas æqualis longitudinis: caput magnitudinem habet medioeris porci, crassum, compressum, in medio quasi fossam habens. *Os* triangulo subrotundum, cõpressum paulò & in promuscidem desinens: nam oris hiatus quinque distat digitos ab extremitate promuscidis versus ventrem: amplitudo oris duorũ & semis digitorũ; edentulum, sed loco dentium os habet linguę figura inferius in ore, quatuor digitos longum, sesquidigitum latum, ad fauces usque pertingens, & simile os superius, transversim positum, duos digitos longum & totidẽ latum. Inferius os constat è septendecim ossibus, albis, duris literæ U figurã habentibus, quæ arctè per mẽbranas coniunguntur, hisce alia septendecim subiacent, singula singulis, spongiosa ad aspectum, nec ita dura, superius os constat quatuordecim ossibus literæ J figura, quæ eodem modo per membranas sibi invicem agglutinantur, iisque etiam alia quatuordecim ossa superiacent: duo autem illa ossa per membranas annectuntur aliis ossibus capitis. *Cranij* cavitas sex circiter digitos longa est, vix duos lata, in qua cerebrum latet. Promuscis tantum constat cartilagine. *Oculos* habet parvos, nummi misnici magnitudine: post oculos in quolibet latere spiraculum amplum, pomi vulgaris capax; intra hæc branchiarum folia recondita jacẽt: ad latera inferius à fine capitis in quolibet quinque oblongas inscissuras. *Color* totius superius ferreus, maculis albis per totum insperſis, magnitudine nummi misnici, inferius totum album. *Cutis* tota glabra lævisque. *Corporis* longitudo ab occipite ad exortum caudæ sesquipedalis, latitudo inter extremitates pinnarum triangularium, trium pedum, & decem digitorum.

Pinna-

Pinnarum prope caudam longitudo ſeptem digitorũ, latitudo quatuor. *Capitis* longitudo decem, latitudo ſeptem digitorum, craſſities ſeſquipedis. *Caudæ* longitudo quatuor pedum & trium digitorum: craſſities ſeſquipedis. *Caudæ* lõgitudo quatuor pedum & trium digitorum: craſſities in exortu quinq, digitorum, quę ſenſim gracileſcit. Paulo poſt exortum caudæ ſuperius parvam pinnam curtam habet, paulo plus digito longã, & mox poſt eam duos hamulos ſibi invicem ſuper erectos, piſcatoriis hamulis ſimiles & incurvatos, longitudine trium digitorum. Caro boni eſt ſaporis, ſufficiens quadraginta hominibus ſaturandis.

TAB. XXXIX. *Tiburonis* ſpecies minor. Belgis een Crupshape, à figura. Convenit eum majore, excepto capite, quod triangulare habet ſeu prout cor vulgo pingitur. *Oculi* parvi ad latera ipſius capitis. *Os* parvum, triangulare longe infra poſitum, triplici ordine dentium minorum, unde ita nocere non poteſt, os quippe habens anguſtum. Caro melius ſapit, quàm majoris.

TAB. XXXIX. *Iperuquiba*, & *Piraquiba*. Luſitanis *Piexe pogador* & *Piexe piolho*, noſtratibus *Dupger*, quia Tiburoni adhæret ſugens. Octodecim digitos longus, ferè teres, quatuor digitos craſſus, ubi craſſiſſimus, in poſtica parte attenuatur. *Os* habet triangulare, cuius pars ſuperior brevior inferiori, etiã linguam. *Caput* ſuperius ad dorſum uſq; duos digitos longũ, circiter planum & figuratum, ut palatum alicuius piſcis ſtrijs tranſverſis, hac parte Tiburoni firmiter adhęret in ventre, & capto illo ſimul capitur. *Oculi* parvi, flavi, pupilla nigra, ſemicirculo flavo. *Dentes* nulli, ſed eorum loco multæ minutiſſimæ prominentiæ. Poſt branchias utrobique pinnã obtinet triangulatam, duos & ſemis digitos longam, ſubter in ventre duas junctas: à medietate corporis tam ſuperius, quam inferius, etiam pinna extenditur anguſta uſque ad caudã, quæ pinna conſtat ſeſquidigitum lõga. *Cute* tegitur per totum corpus cinerei coloris.

TITULUS III.

De aliquot aliis, & inter hos monſtroſis piſcibus.

CAPUT I.

De piſce ἀνθρωπομόρφῳ & Remoranti.

PIſcem ἀνθρωπόμορφον, ita deſcribit Kircherus. Capitur certis anni temporibus in mari Orientali Indiæ ad inſulas Viſſajas, quas inſulas Pictorum vocant, ſub Hiſpanorum dominio, piſcis quidã ἀνθρωπόμορφος, id eſt, humana prorſus figura, quam ideò Peche muger vocant, ab indigenis Duyon. Caput habet rotundum, nulla colli intercapedine trunco cõpactum. Extremæ aurium fibræ, quæ & auriculæ nominantur, ex cartilaginea carne eleganter veſtita, quarũ interior pars ampliſſimis formata anfractibus, veram hominis refert aurem; Oculos ſuis ornatos palpebris, ſituque & colore non piſcis ſed hominis iudicares; naſo nonnihil aberrat: malam inter utramque non uſquequaque eminet, ſed levi tramite bipartitur; ſub eo verò labra magnitudine ſpecieque noſtris ſimillima. Dentium non quales inſunt piſcium generi ſerratilium, ſed plenorum & candidiſſimorum continua ſeries. Pectus alba cute contectum, hinc atque hinc paulò latius quàm pro corpore in mammas extuberans; neque eas ut fœminis pendiculas, ſed qualis virginibus globoſas, plenas lactis cãdidiſſimi. Brachia non longa ſed lata ad natandum apta, nullis tamen ipſa Cubitis, ulnis, manibus, articuliſve diſtincta. In adminiſtris ſoboli propagandæ membris, in utroque ſexu nulla ab humanis diſtinctio: poſthæc in piſcem cauda deſinit. Hactenus ingenioſiſſimus Kircherus. Oſſa huius piſcis inſignem vim ſanguinem ſiſtendi

TAB. XXXX. I. *Kircher. Artis Magnet. l. 3. par. l. 6. p. 675.*

ſtendi & attrahendi habent: viſa, ita ſanguinem currẽtem ſtringere, quaſi vena ligaretur. Efficaciora tamen fœminarum, & ex his quæ maculis ad nigrorem accedentibus diſtinguuntur. Alius quidã dicit, carnem carni hominis applicatam, ita omnes ſpiritus ad ſe attrahere, ut hominem veluti ſtupidum reddat. De *Remoranti piſce* apud Hugonem Linſchotanum habemus. Hiſtoria talis eſt. Navis quædam Luſitanica per Morambiquem in Indiam decurrebat. Vento hæc adeò ſecundo & optato utebatur, ut vela omnia pleniſſima navem proferre feliciſſimè viderentur. Diebus ergò quatuordecim integris curſum verſus Lineam æquinoctialem nautæ tenentes, & quotidie altitudinem metientes, tandem obſervarunt, gradus ad metam propoſitam, non minui aut pauciores fieri, verum quotidie multiplicari, ſeque ab æquinoctiali Linea quam lõgiſſime diſpelli & arceri. Quæ res non ſaltẽ præter omnes naturæ cauſas eſſe videbatur, ad admirationem univerſorum, verum etiam qui in navibus erant, certis ſe præſtigiis & incantamentis agitari, liquidiſſimè rebantur, cum ſcirent, illius loci mare huius appulſus neutiquam cauſam eſſe, & vela ſecundis ventis interim nihilominus ex voto turgida procedere. Seſe ergò anxiè invicem contuentes, partem terrore, partim anxia vi & admiratione diu exercebãtur; dum tandem, neſcio quo caſu, nautarum quidam, attentis & ſollicitis in undam oculis deſpectans, latam & ingentem quandam caudam proræ intortam innexamque contuitus eſt, qua piſcis quidam navem firmiter prehenderat, reliquumque corpus per navis longitudinem exporrexerat, adeò ut caput ipſius poſt puppim promineret. Hoc ille ſitu navis omnem molem ita violenter torquebat, ut illam contra violentiſſimum quoque reflantis venti impetũ vi & robore ſuo immenſe retroageret, ſecumque tot diebus rapide proferret. Iam itaq; hoc pacto cauſa repulſus præcognita, adactis ſudibus furciſque & organis, conferentibus cæteris, ad arcendum eum tamdiu ſtudioſiſſimè laboratum eſt, donec tandem, cauda plicatili avulſa, navem ille deſtitueret, cum iam diebus quatuordecim integris illi agglutinatus adhæſiſſet, & violento reniſu eamdem, omni impetu ventoq; contrario ſpreto, natando ſecum abripuiſſet. In æternum itaque memoriæ ſignum hiſtoriam hanc Pro Rex in atrio ſuo depingi accuravit: quã effigiem his meis oculis perſæpe egomet cum magna admiratione uſurpavi, & circumſtantiis ſupradictis ſubnotatis diligentiſſime perlegi.

Nieremb. H.N.l.II. c.4.

CAPUT II.

De piſce Goenſi.

DẽHugo narrat, ex flumine quodam Goæ, cujus oſtium hyberno tempore pro loci more obſtructum erat, piſcatores quoſdam monſtroſũ piſcem extraxiſſe, cuius ſimilem nec in India nec in aliis locis uſpiã videre contingit: qui ob novitatem Archiepiſcopo, ejus juſſu à pictore ad vivum exprimebatur cujus Icon ſeu effigies Regi Hiſpaniarum poſtmodũ tranſmiſſa eſt. Animal illud mediocris magnitudinis erat, canem domeſticum vulgarem altitudine haud excedens, cujus roſtrum porcino ſimile protuberabat. Oculi ei parvi erant; nullæ aures, quarum loco duo ſaltem foramina hiabant. Pedes elephantinis (reſpectivè tamen) per omnia ſimiles erãt. Cauda ad dorſi fines lata, ſenſim in acumẽ deſinebat. Per atrij pavimentum curſitans, ſuũ porcorumve grunniebat ritu. A capite ad caudam univerſum corpus ſquamis, pollicis articulum prioris ęquantibus, conſtitutum erat tam ſolidis ac firmis, ut nec ferrum, nec æs plus reſiſterent. Grandibus & frequentibus, non ſecus ac incus quædam à nobis plagis contuſus, nihil aliud quam convoluebatur, & echini more caput caudamq; intro condebat, ut globi exquiſitam rotunditatẽ præ-

Nieremb. H.N.l.II. c.5.

præstaret: nemine interim junctura-rum proportionem satis observante. Conglobatus, nulla, vel vi, vel machina divelli aut expediri poterat; relictus tamen, sponte se iterum pandebat aut explicabat, & qua via patebat errabat.

CAPUT III.

De pisce ludicro, Pusta, & Michipillin.

Nieremb. H.N.l.11. c.13.

ILluvies menstrua, & ludicrus gestus, unde nomen meruit, commēdant *Axototl*, h. est, lusum aquarum. Genus quoddam est piscium lacustrium molli cute intectum, ac lacertarum more quadrupes, dodrantis longitudine pollicemq; crassum, etsi interdum cubitum excedat. Vulvam habet muliebri simillimam, ac vēter eius maculis fuscis distinguitur, corpore medio ad caudam usque, nempe prolixam & quæ juxta finem tenuissima sit, paulatim ac sensim gracilescit. Pro lingua est cartilago brevis ac lata. Quaternis natat pedibus, in totidem digitos, persimiles ranarum, fissis. Caput depressum est, & reliqui corporis proportione magnum. Hiscens rictus, aterque color. Huic mēstrua singulis quibusque mensibus fluere observatum sæpe sæpius est, haud aliter ac mulieribus; tum venerem abunde excitare, haud secus ac scinci facere solent, quos terrestres crocodilos quidam vocant, ad quorū genus fortasse pertinet. Salubre ac gratum præbent alimentum, nec dissimile anguillarum carni. Multis modis parari solent, frixi nempe, assi, elixique. Verum ab Hispanis magna ex parte ex aceto mulso, addito pipere, caryophillis, atque siliquastro Indico: à Mexicanis vero siliquestro solo, seu intacto, seu integro, familiarissimo illis ac prægrato condimento.

Nieremb. H.N.l.11. c.14.

Pustæ capiuntur in fluminibus Panucinorum, minimi digiti vix æquantes longitudinem atque crassitudinem, sed ventre ranunculorum instar paulo protuberantiore, quibus simul eum miltomame permixtis & admotis, subvenitur passis erisypelata, brevitate & facilitate mirabili.

Nieremb. H.N.l.11. c.41.

Michipillin seu ova piscium, dicitur genus quoddam lacustre, album, quod ex omni piscium in lacu degētium Mexicano conflatur multitudine, unde factum est illi nomen. Statis anni temporibus eadem capitur palude, haud aliter quam thynni, trichiæ, scombri, similesque pisces, alij gregatim vagantes in Oceano. Agmen pisciculorum esse creditur, haud lendibus majorum. Medio id procedit alveo, in neutrum littus inclinans, tā numerosū à multitudine, ut quinque cubitorum intervallum aut amplius occupet. Non prætermittunt occasionem piscatores, sed diligenti observatione & cura vagantes pisciculos captant excipiuntve retibus, atque ita non mediocris solet sæpenumero fieri captura. Coquuntur ijdem alienis fictilibusve vasis, ferculisque ubi opus est, adiiciunt, addito siliquastro chillive: quo apparatu neque modico neque ingrato cibo constant, sed quo non modo Indi, verum advenæ quoque Hispani sæpenumero vesci gaudeant.

CAPUT IV.

De Ambiza & pisce mulari,

Nieremb. H.N.l.11. c.55.

ADnectam quod Philippus Pigafeta scribit de quodā pisce Zairi, qui membra duo habet manus humanas referentia, & caudam clypei & forma & magnitudine. Vocatur hic ab incolis *Ambize angulo*, id est, *porcus aquatilis*, propter pinguedinem qua porcum refert. Caro, quæ ab incolis fumo induratur, & ad lautitias reservatur, & gustu & odore est grato. Aquam dulcem non relinquit. Pabulum ejus est gramen, & omnis generis herbæ in littore enatæ. Ore bovem refert. Tantæ interdum &

magnitudinis, ut quingentas libras pondere elevet. Capitur à piscatoribus non ut pisces, sed fere ut bos. Observato enim loco diligenter, ubi pasci solet, scaphis suis exspectant, & advenientem contis aut remis occidunt: occisum ad aulam regiam deferunt; aliter enim capitali proposita pœna (ut & alios pisces, qui hinc Regij dicuntur, nempe trutas, & cacongo piscem singularem, salmonem figura referentem, sed colore diversum, caro enim ea est alba; & tam pinguem, ut prunis superimpositus eas extinguat) vendi non potest. Unde diligenter ne impunitas audaciores reddat, observantur piscatores ab Aulicis, & deprehensi absque ulla remissione plectuntur. De *pisce mulari* sic scribit Niembergius. *Nieremb. H.N.l.11. c.62.*

Sub Philippo II. visa in Oceano bellua duabus velificans alis, navis specie. Fregit unam bombardæ ictus. Irrupit per fretum Herculeum bellua furens, & horribilibus frendens mugitibus atq; illapsa per mediterraneas Hispaniæ oras, Valentiam appulit, ubi demum exanimata, centum & quinquaginta dodrantes prolixa, molis circuitus centum, vacuitas cerebri septem homines capiebat.

Eques in os consistere posset. Maxillæ servantur in Escuriali usque ad decem & septem pedes porrectæ, viginti armatæ dentibus duorum dodrantum, minimi unius. Genitalia immodica. Appellatum idcirco monstrum piscis mularis. Aliqui eruditi lamiam fuisse putarunt ob fauces & ingluviem. Duo cadavera in stomacho reperta. Creditum quoque aliquibus huius generis belluam devorasse Ionam Prophetam. Quis certo sciet?

CAPUT V.

De Pisce tauriformi & Amilotl.

Piscis tauriformis est Francisco Hermando pisculus vix duos palmos longus, sed pinna munitus caudæ instar, sed pæne prolixa digitos: corio intectus duro, fusco, sed circa ventrem candenti, & ubique pentagonis sex angulisve distinctos figuris. Os est minimum, sed longiusculis munitum dentibus: Oculi magni, pinnæ circa aures binæ satis parvæ, quemadmodum & aliæ duæ, quarum altera circa extrema ventris est, altera verò juxta postremum dorsum; mirum est, in hoc pisciculo duas prominere juxta frontem spinas acuminatas, infractæ duritiei, instar corniculorum, ac totidem alias eadem magnitudine & forma circa ventris postrema. Vide an ad Boopa vel Acanthiam referri possit. *Amilotl* vero est piscis teres, lacustris, squamosus, candescens, maculis aspersus pullis, sesquidodrantem longitudine, & pollicem crassitudine excedit. Binas pinnas habet in dorso, totidem in ventre, utrimque unam, ac infra ventrem alteram. Caput est oblongum, rostrum acuminatum: sed inferna maxilla prominentior. Oculi sunt nigri, iris aurea. Aureum caput, venter luteus, adeoque reliquum pænè corpus? Victum eius sic commendat Franciscus Hermādus. Optimum & concoctu facile præbet alimentum; nam & ovis capitur magna ex parte onustus, adeoque gratum, ut cum gravem quamdam evasissem ægritudinem, mihique nutrimenta omnia, à sanis hominibus & sagacioris palati vehementer expetita, forderent displicerentque vehementius, hoc uno cibi genere suavissime usus sim, & ad vires instaurādas non mediocriter adjutus. Sed magnitudo ipsa adeo gratiam commendat, ut quo in majorem amplitudinē adoleverit, eo majori habeatur in precio, expetatur avidius, rarius inveniatur venalis, inventusque ematur carius. *Nieremb. H.N.l.11. c.24.* *Nieremb. H.N.l.11. c.26.*

HISTO-

HISTORIÆ NATVRALIS

De Piscibus,

LIBER V.

DE CETIS.

CAPUT I.

De Cetis in genere.

CEtorum nomine sæpè tam apud Græcos † quàm Latinos ingentis molis pisces intelliguntur; hic pro illis duntaxat sumimus, qui pulmones, arteriam, collum & alia membra cum terrenis quadrupedibus communia habent, quibus omne propriè dictorum piscium genus destituitur. Specialius aliquando, seu pro Pistrice, seu pro Balæna sumi, apud Ciceronis Aratum, & Oppianum videbis. Integuntur *corio*, qui Macedonibus, dum è Mesambria Tocam navigarent, visus, corio squammoso, tam crasso ut cubitum æquaret, ostreisque patellis, & algis oppletus, pro monstroso habendus est. Lora ex eo fiunt, quibus maxima pondera per cochleas sublevantur, simili duritie & nervos esse, & chordas ex iis ad bellica instrumenta confici, prodidit Ælianus. *Pulmones* habent, quod plus caloris, quia ingentis molis animalia, ut possint moveri, requirunt. Branchiis † ideò carent, sed *fistulas* (ora vocat Plinius, nares Ovidius, Cardanus oscula) accepere. Ductus hæc ab ima palati ad extimam parte duplex, septo distinctus, & nostrarum narium foraminibus ad palatum deductis, proportione quodammodo respondens. Vnicum in extima parte literæ C. figura foramen apparet, quod carne pingui, tanquam operculo, tegitur. Respirationis gratia datas, vel exinde colligas, quod obturatis, citius moriantur, quod in Delphino Rondeletius observavit. *Os* ipsos subter habere, Aristoteles & Plinius reliquere, ut dum resupinantur, pisces quos captant, evadendi tempus habeant, in promptu habere, observavit Rondeletius. Resupinatos tamen cibum capere, tum ob dictam causam, tum propter longam & multum infra descēdentē oris scissuram. Carent quidam *Dentibus* instructi quidam, serratis, planis, exertis, aliquando hominis similibus. Eboris instar candidos, ad opera firmos, anteriores latos, ne hæreret cibus, posteriores acutos, ut promptius divideretur, apud Cardanum legimus. *Mammas* fœminæ habent; detractos aliquando ex una in Aquitanico littore duo lactis cados, Rondeletius prodidit. Audire certum, & nulla manifesti instrumenti vestigia, ut putat Aristoteles, Rondeletius tamen in Delphini cranio, meatum qui ad cerebrum usque excurrit invenit. Vehementer *pinguescunt*, quod piscium carne alantur, & moveantur tardissimè, quod tardo motu digeri posset, densitate corii præpeditur. *Internas partes* verbis Rondeletii describam. Sub peritoneo, inquit, partes quæ ad nutritionem & generationem conformatæ sunt, ad quadrupedum terrestrium magis quam ad piscium partes accedunt. Nam *Epiploon* habent, sed minus pingue, quo ventriculus & intestina incalescunt, & foventur. *Ventriculum*, magnum, cum ad justam magnitudinem accreverint: in recens natis exiguus est, & geminus videtur. Eius fundo *pancreas* hæret, desinit in *intestina*, quæ in multos gyros convolvuntur, eadem ferè ubiq; crassitudine, præterquam in extremis, quæ mediis paulò sunt latiora. *Mesenterium*, vertebris annectitur, glandulas nigras, venas, arteriasque intertextas habens. *Renes* venæ magnæ trunco, arteriæque magnæ per emulgentes annectuntur, sunt inter epar & testes siti. *Vrina* per ureter-

† Galen. 3. de Alim. facult. c. 21. & 37.

Ælian. H. A. l. 17. c. 6.

† Plin. H. N. l. 9. c. 7.

Aristot. H. A. l. 9. c. 2. & 4. de partib. c. 13.

Cardan. variet. c. 37.

Arist. H. A. l. 4. c. 8.

ureteras in vesicam percolatur: quæ terrestrium animalium vesicis similis, sita est inferiore ventris parte. In iis qui utero adhuc gestantur, in urachum desinit, per quem urinam deponit in allantoidem tunicam ad diem usque partus. Editi in lucem, per pudendum urinam veluti terrestria emittunt, & per musculum sphincterem retinent. *Vracho* arteriæ umbilicales adhærent, arteriæ magnæ inferioribus ramis insertæ. Utrinque sunt *testes* oblongi, quibus præparantia vasa præposita sunt, infiniti scilicet venarum arteriarumq; è magna vena ortarum ramuli, qui post varios & multiplices anfractus, in epidymin inseruntur. Cum enim magna sanguinis copia, multo semini generando necessaria sit, quæ longo vasorum ductu, ob spatii brevitatem transmutari & elaborari non potest, solerter admodum natura gyros illos vasorum constituit, ut illis, id quod longitudini deest, pensaretur, & quibus singuli meatus capreoli intorti dependent, & glandulosa corpora radici pudendi adnata desinunt; ex quibus meatu urinario, nervo cavo *genitale* constat humano simile, cuius extremum foris propendet, in glandem tenuem linguis avium similem desinens, quæ præputio non omninò integitur: intus replicatum latet, ad veneris usum exoritur. Venas suas, nervos, arterias, idem pudendum habet. Ossi innititur, quod ossi pubis proportione respondet. *Thorax* costis veris ac mendosis, sterno, vertebris, musculis constat: cuius capacitatem *pulmones* magni complent, densiore substantia quam in terrestribus: crassitudine & colore hepar quadrupedum referunt, tum, ne aqua in rariorem substantiam penetrans, ejici non posset; tum ne in magnis exspirationibus, quibus in aquis ferè semper coguntur, tenuior substantia ferè disrumperetur. Hi in duas partes divulsi sunt, parte inferiore adeò gracilescunt, ut membranam esse affirmes. Undique *Cor* complectuntur pericardio conclusum, in medio thorace locatum, nulla in re porcorum cordi absimile: duos sinus, totidem auriculas, denique omnia similia habet. Ad hæc, asperam arteriam, Oesophagum, musculos & quæcunque in terrestribus corporibus sunt, clavicula exempta, reperire est. *Caput*, cum vertebris articulatur. *Cerebri* dispositio diversa. Nam in anterius & posterius divisum est, nõ in dextrum & sinistrum, ut in homine. *Nervorum* coniugationes ex eo nascuntur, plexus χυροειδὴς, in eo rete mirabile, meninges duæ pro integumento. *Vulva* in fœminis cervicem palmum unum longam habet: ea deinde in ramos duos distribuitur, veluti in quadrupedibus terrenis videre est, testes ad uteri cornua positi, pudendum inter umbilicum & podicem. De *Magnitudine* in singulis speciebus dicetur. *Locum* si spectes, in solo nec tamen omni mari (Pontus Euxinus nullos habet) reperiuntur. Semperque ferè in alto versantur. Circa solstitia maximè visuntur, quod tunc illic ruant turbines, tunc imbres, tunc delectæ montium jugis procellæ ab imo vertant maria, pulsataque ex profundo, belluas cum fluctibus volvant. Aliàs in fundo maris ferè degunt, molis suæ pondere. *Cibus* ipsis pisces, harengi inprimis, quos quandoque tam avidè persequuntur, ut in littora vadosa impingant. *Generant* intra se, & catulos enituntur. Hi teneri sequuntur matrem, quod à nautis visum. *Motu*, ob corporis molem, & ventris ingluviem tardo feruntur. *Visus* & *auditus* ipsis hebetior. Hinc curiosæ omnium naturæ beneficio, pisciculo, si credere fas est, tanquam duce utuntur. Odore picis adeò delectantur, ut sese navi affricent. Strepitu terreri Arrianis in rebus Alexandri M. prodidit. *Vsum* in cibis, apud Ichtyophagos, prodente antiquitate invenere.

Præparationem vide apud Aldrovandum.

CAPVT

CAPVT II.

De Cetis in specie.

ARTICVLVS I.

De Balæna.

TAB. XLI. TAB. XLII.

ET hæc de Cetis in genere sufficiant, in specie jam de iisdem agentur. Numerantur autem inter eos, *Balæna, Balæna vulgi, Physeter, Pristis, Orca, Delphinus, Phocæna, Scolopendra, vitulus marinus, & Manati Indorum.*

BALÆNA, Græcis φαλαίνα, vel ἀφὸ τὸ βάλλειν, id est emittere, quod maris aquas per fistulas emittat, vel à φάλον quo vocabulo Græci meatum in galeis militaribus, cui plumas inserebant, indigitant, vel à Chaldæo בלע, quod & devorare dicitur. Ingentis est magnitudo. Visa in Indico mari, quaternum jugerum, seu nongentorum sexaginta pedum longitudine. Centum & quinquaginta cubitos obtinebat, quem Nearchus eiectum vidit. *Describitur* à Bellonio, Rondeletio, & Aldrovando. De *suo* scribit Bellonius, adipem eius velut oleum non concrescere: pinnas habere utrinque unam & tertiam in dorso, qua totum corpus dirigit. Caudam lunatam, Corium nigrum, cui pinguedo pedis altitudine subsit, laridum quadragesimale appellant. Lingua eidem aliquot librar. pondo. Ante oculos prætenturæ, seu tenues quædam assulæ, quatuor ulnas longæ, ac sesquipedem latæ, longissimis villis prēditæ, quibus iter prætentat. Ossa tam magna, ut postes ex iis fieri soleant. *Rondeletius* suæ parvam linguam, & quæ quatuor duntaxat vel quinque vasa salsamentaria adscribit. Alibi, penem se unius vidisse, qui à procero homine humeris deportatus terram contingeret, scribit. In eius quam *Gesnerus* describit ventriculo tria dolia crudorum pisciculorum, inter quos salmo unius ulnę longitudine, inventa sunt. Pelle nigro undique tegebatur, nisi quod maculæ duæ candidæ, utrinq; supra medium oculi inciperent, & retro tenderent. Tota maxilla inferior erat candida, & pars quædam sub ventre. Plura apud Gesnerum vide. *Aldrovandi* prior colore erat subcæruleo, tota maculis nigricantibus conspersa, ventre candido. Altera, quam Bufalinam vocat tota nigricabat. Capta erat An. M.D.LXXVII. in Scaldi decem ab Antverpia milliaribus monstrosa, quam Pareus descripsit. Longitudo eius erat pedum octo & quinquaginta, altitudo sexdecim. Cauda quatuordecim pedes lata, ab oculo ad extremum rostrum intervallum sexdecim pedum, Maxilla inferior senum in singulis lateribus pedum erat, viginti quinq; dentibus armata, qui totidem foraminibus in superiore dentibus omninò carente excavatis, recondi poterant. Tot dentium longissimus sex pollices non excedebat. *Locus* ipse procul à terra ubicunque degit. Plurimas autem circa Islandiam, Gronlandiā, & vicina Septentrioni loca, à Biscainis, Anglis Hollandis, circa æstivum inprimis solstitium, quo tempore sinus recessusque maris pacatiores quærunt, capiuntur. In Taprobanæ mari Thunnis insidiari, apud Ælianum legimus: in Gaditano Oceano non ante brumam conspici: statis temporibus in quodā sinu placido & capaci, mirè gaudentes ibi parere, condi, Plinius prodidit. *Victus* ipsis pisces, visus qui quadraginta asellos devoraverat, eosque adhuc recentes, quos oculatus testis dissectos & sale conditos ad solem siccavit. Sunt qui comedere masticando negent: pisces deglutire integros, eosque minutos, quod interna gutturis membrana nil magnū ingredi sinat, dicunt. Quidam carne vesci negant, quod in captæ visceribus præter mucum & spumam nihil reperiatur. Pisciculum Lodel venatoribus dictum, si copiosè voravit inobviatur quasi, & in furorem

Vossius de Idol. l.4. c.32.
Plin. H.N. l.9.c.3.
Schonfeld. in Ichtyol.
Ælian. H. A. l.16.c.18
Plin. H.N. l.9.c.6.
Schonfeld. in Ichtyol.

rem acta, nec hominibus nec æqualibus suis parcit. De *Coitu partuque* (verba sunt Schonfeldii) venatores referunt, Balænas contracta societate & consuetudine in amorem mutuum, quem coniunctione, saltatione, aliisque affectuum coniugalium significationibus inter se testantur coire; hinc unà natare semper, amicitiamque cæptam conservare, donec accensa ad libidinem fœmina, erecto ad perpendiculum & in caudam corpore, marem eodem positu obviam, pinnis suis, tanquam brachiis duobus amplectatur, mutuoq; complexu per horæ dimidiam, vel integram utræque hæreant: Inde coniugium & conversationem ad mortem usque colere. Fæmellæ fœtum autumno inter Octobrem & Ianuarium pariunt, unicum, tauro non minorem, imò maiorem pro matris quantitate, qui sub maternarum pinnarum præsidiis & tutela tutas, non deserit parentes, nisi ablactatus. Philostratus faucibus ab eis filios abscõdi, si quando maiorem belluam fugere contigerit, prodidit, quod & apud obscurum de natura rerum authorem invenies. Terræ defectu aquæ affinis, aquâ ore recepta & ejaculata succurrere, fide eiusdem dicitur. *Dormire* edita per summa, fistula Aristoteles author est: stertentes audiri, Plinius: in siccum exire ut à Solis radiis calescant, Oppianus & Ælianus. *Inimicitiam*, cum Delphino, Thunnis & Orca gerit. A gladio pisce ut septem diximus vehementer timetur. Ziglerus castoreo aqua diluto & in mare effuso adeò terreri, ut totus grex dissipetur prodidit. De *venatione* & *captura* vide Schonfeldium. *Vsus* adipis, in lucernis, ad inungenda coria, curruum rotas, & alia. Cardanus viscera quia pinguia, & sapore & violæ quasi odore commendari scribit. Galenus eis mucosum saporem tribuit. Viginti balænarum *genera* apud Harteniuminveniuntur, ex quibus *Primum* quot Ninting vocatur hominem fugit, & comestibile est. *Decimum*, quod Fiscraake, haleces versus terram fugat. *Vndecimum*, quod triginta ulnarum, ultra septuaginta dentes habet, & eos tam magnos, ut inde tabulæ ac manubria cultellorum fiant. *Duodecimum*, non habet pinnas in dorso. *Decimum quintum*, quod Rodkemling vocatur, subvertit naves, & XL. est ulnarum. *Decimum sextum*, quod Nahwal, anterius in superiore mandibula, dentem longitudinis septem ulnarum, adeò exactè tortum in circuitu, ut humano ingenio melius fieri non posset, habet. *Decimum septimum*, quod Skeling, octuaginta ulnarum, diversos superciliorum supra oculos habet ordines. *Decimum octavum*, quod Nordhwal, nonaginta ulnarum, non vivit nisi de pluvia & rore cœlesti, quod fabulosum credo. *Vicesimum*, quod Haffnegruffiæ, magis insula esse videtur quàm piscis. Fides sit penes authorem.

Philostrat. l. 2. de vita Apollonii.

Aristot. H. A. l. 4. c. 10. Oppian. Halieut. l. 1. v. 404. Ælian. H. A. l. 9. c. 50.

Galen. l. 3. Alim. Schonfeld. in Ichtyol.

ARTICVLVS II.

De Balæna vulgi, & Physetere.

BEllua hæc ut plurimum triginta sex cubitos longa est, octo alta, ut Rondeletius describit. *Oris* scissura ad duodeviginti pedes porrigitur. *Dentes* in eo nulli, sed horum loco in utraque maxilla, corneæ sunt laminæ nigræ, sensim in pilos suillis similes desinentes, quæ in anteriore & posteriore sive interiore oris parte breviores sunt, in media longiores. Ab interioribus *Lingua* intus continetur & coërcetur: inde abducta vel abscissa ita diffunditur, ut in eundem locum iterum recipi non possit. *Oculi*, quatuor ulnarum spacio à se distant, foris parvi apparent, intus capitis humani magnitudinem superat. *Pinnas* duas maximas in lateribus habet, quibus natat, & catulos in metu occultat, in dorso nullam habet. *Cauda*, situ caudis Delphinorum similis est, figura non multum absimilis, quam cum movet, ita mare agitat, ut naviculas submergat. *Rostro* est

Aldrov. de Cetis c. 7.

est brevi. *Fistula* caret. *Corio*, duro, nigro, integitur, sine pilis, cui lepades, & ostrea hærentia aliquando reperiuntur. *Internæ partes*, veluti in Delphino. In ventriculo mucus, spuma, aqua, alga fœtida, ambra inveniũtur, ut exinde Carnivorã nõ esse colligas. Vitulos vivos parit. Carnis nullus *in Cibis* vsus, sola lingua commendatur, sale condita. Viginti tria sæpe vasa eâ implentur. Μοσίκηπον Aristotelis esse, vel exinde colligitur, quod pro dentibus setas, quibus intus os hirsutum est, habeat. Plinius musculum manuum benè dixit, sed pro duæ Balænæ malè posuit.

Aristot. H. A. l. 3. c. 12.

Plin. H. N. l. 11. c. 37.

PHYSETER, qui & Physalus, ἀπὸ τοῦ φυσᾶν, id est à flando dicitur, quod copiosiorem aquarum eluviem præ cæteris efflare scribatur. Gesnerus edem vel saltem affinem cum Pusti, qui πρεστὴς, πρῆστις, & πρῖστις dicitur, facit, quem vide. Diversum esse à Physalo maris rubri, ex descriptione videre est. Magnitudine hic adulti Gobionis, sine ore, cum branchias tamen habeat, perniciem ei qui gustaverit creat. Intumescit enim, tandemque ventris profluvio vita finitur. De *Descriptione* inter authores non convenit. Plinius ingentisq; columnæ modo se attollere scribit. Solinus super antennas navium velis quondam diluvium eructare addit, quod Strabo commune cetis in mari extero circa Turdetaniam facit. Turnerus portentosæ magnitudinis cetum facit, & singulos se eorum tantum aquæ è fistulis, quas in capitibus habent ejaculantes vidisse, ut singulisingulas naves aquarũ copiâ in profundum submergerent, adjicit. Bellonius hoc solo à Balænis differre, quòd nullas prætenturas habeat, neque tam vastâ corporis mole, figuraque sit magis tereti. Rondeletio est ore maximo, dentibus acutis, serratis, linguâ carnosâ & magnâ, fistula longè quam reliquis crassiore, pinguedine multa.

Ælian. H. A. l. 3. c. 18.

Plin. H. N. l. 9. c. 4.

Strabo Geogr. l. 15.

ARTICULUS III.

De Puste & Orca.

PUstes à secãdo, quod pernicissimè natet, dictus est. Perperã à Bellonio capite vasto, rotundo, & cacabi figuram exprimente describitur, quo modo namque aquam velociter secaret? Rondeletio est rostro, valdè longo, osseo, utrinq; aculeato. Aculei validi sunt, & Delphinorum dentibus similes. Aloysius Cadamustus serram aquaticam vocat, eaque in assamenta secari ligna scribit. Clusius ipsius formæ ratione inter Galeos seu caniculas reponi debere affirmat: eumque ita ex pictura describit. Erat hic piscis, inquit, corporis formâ & colore Galeorum generibus, aut Caniculæ Aristotelis valdè similis: nullis tamen maculis ut illa, conspersam cutim habens, perinde tamen rudem, & instar Zygænæ cutis asperam, fusci in dorso coloris, in ventre candicantis, & sex pinnas habet; in lateribus, medio videlicet pænè corpore binas, &c. Caput in longum & angustum, planum & firmum rostrum porrigebatur, utrinque cum iis dentibus, sive osseis firmisque & rectis spinis, ex adverso sitis serræ instar munitum, viginti vel etiam pluribus, &c. Binos oculos in prona capitis parte habebat, binas nares in supina, & infra illa oris scissurã, *ut Zygænæ* ferè transversam. Reperitur plerumq; in Oceano occiduo.

TAB. XLIII.

Aldrov. de Cetis c. 5.

Bellon. de Aquatilib. l. 1.

Aloysius l. 6. Navigat.

Clusius Exot. l. 6. c. 19.

ORCA Latinis à vasis olearii aut vinarii similitudine dicitur. Quodnam apud Græcos habeat nomen, vix cõpertum, nisi vocabulo Orygis apud Strabonem, quẽ in mari extero circa Turdetaniam ponit, veniat. Bellonius ocrynũ Oppiani esse credit, sed perperam. Thunni enim hic genus maximum. Delphino est corpore toto vigesies crassior, potissimum circa ventrem: Toto tergore atra, ventre ex albo roseo, ad latera ferè cærulea. *Rostrum* habet simum, sursus repandum; cuius labri inferioris tanta est crassitudo, ut à superiore sejungatur

Aldrov. c. 6.

Strabo Geogr. l. 3.

dum piſcis pronus eſt, quadraginta truculenti in eo dentes, quorum anteriores obtuſi & graciles, poſteriores acuti & craſſi ſunt. *Oculi* eidem ſunt parvi, pinnæ pro corporis magnitudine puſillæ. *Cutis* glabra & politiſſima. *Cauda* lunata, & ulnam diſtenta excedens. *Pudendum* mari in medio ventre abſtruſum, duor. pedũ longitudinem excedens; in fœmina ano vicinum eſt, ad quod utrinque duorum digitorum intervallo, quædam foramina viſuntur, in quibus mammarũ papillæ deliteſcunt. Sæpe octingentas, aliquãdo & mille libras excedunt. *Lienem* unico orbiculari globo in placentæ formam effectum habet. Plurimum aquæ per fiſtulas ejaculari, Plinius author eſt. *Orca*, inquit, *in portu Oſtienſi viſa eſt oppugnata à Claudio Principe. Venerat tunc exædificante eo portum, invitata naufragiis tergorum è Gallia advectorum, ſatianſque ſe per complures dies, alveum in vado ſulcaverat, accumulata fluctibus in tantum, ut circumagi nullo modo poſſet, & dum ſaginam perſequitur, in littus fluctibus propulſa, eminente dorſo, multum ſuper aquas, carinæ vice inverſæ. Prætendi juſſit Cæſar plagas multiplices inter ora portus, profectuſque ipſe cum prætorianis cohortibus, populo Romano ſpectaculum præbuit, lanceas congerente milite, è navigiis aſſultantib. quorum unum mergi vidimus reflatu belluæ oppoſitum unda.* De earum & Balæna pugna ita quoque Plinius. Balænæ & in noſtra maria penetrant. In Gaditano Oceano non ante brumam eas conſpici tradunt. Condi autem æſtatis temporibus in quodam ſinu placido & capaci mirè gaudentes ibi parere. Hoc ſcire orcas, infeſtam his belluam, & cujus imago nulla repræſentatione exprimi poſſit alia, quam carnis immenſæ dentibus truculentæ. Irrumpunt eò in ſecreta, & vitulos earum & fœtas vel etiamnum gravidas lancinant morſu, incuſſæque ceu Liburnicarum roſtris fodiunt. Illæ ad flexum immobiles, ad repugnandum inertes, & pondere ſuo oneratæ, tunc quidem & utero graves, pariendive pœnis invalidæ, ſolum auxilium novere in altum profugere, ſeſeque opponere, & cautium anguſtiis trucidare, in vada urgere, ſaxis allidere. Spectantur illa prælia ceu mari ipſo ſibi irato, nullis in ſinu ventis, fluctibus verò ad anhelitus ictuſque, quantos nulli turbines volunt.

Hucuſque Plinius.

ARTICVLVS IV.

De Delphino.

PIſcis quem Latini Delphinum vocant, is Græcis δελφὶς & δελφὶν & ſi minutus δελφινιςκός, plæriſque Europæ nationibus, Porcus marinus dicitur. Ex Cetis eſſe, quòd branchiis careat, pulmonemque & arteriam habeat, Ariſtoteles reliquit. Repando dorſo incurvum eſſe plæriſque proditum, unde incurvè cervicum pecus Pacuvius vocavit, ſeu quod talis oculis noſtris, dum abundis exſiliens in mare præceps fertur, propter celeritatem motus appareat; ſeu quod, quia branchiis deſtituitur, revera corpus, cum ſe vibrat, incurvet, ut promptior in gurgitem pronus feratur. TAB. XLIV. *Aldrov. de Cetis c. 7.*

Roſtrum ei eſt ſimum, unde Simonis nomine gaudere Plinius ſcribit. *Linguam* mobilem, brevem, latam, carnoſam, exertam in ambitu ſerratam, ſuillæ non abſimilem. *Dentes* parvos, acutos, pectinatim coëuntes. *Oculos* magnos, ſed cute adeo tectos, ut pupilla ſolum appareat, non longe ab oris ſciſſura, quin in eadem propemodum linea ſitos. De *Fiſtulæ* ſitu non convenit inter authores. In dorſo eſſe ſcribunt Ariſtoteles & Plinius, ante cerebrum Rondeletius, cuius verior ſententia, inter oculos Bellonius. In dorſo eſſe creditum veteribus, quod magis ad poſteriorem partem quam in balæna ſpecter. *Pinnis* duabus validis natat, quæ veluti hominis brachia cum omoplatis articulis junguntur. Earũ muſculi quatuor robuſti dorſi pectoriq; annectuntur. Hę in v ẽtre ſunt, ita ſitę, ut nõ ſolum nata- *Plin. H. N. l.* *Ariſtot.*

natatum, sed & motum, quo sursum se effert respirandi causa, adinvenit. In dorso quæ est, aculeatam Plinius, & Pausanias faciunt, propter duritiam sine dubio. Nam rigidam satis esse Rondeletius testatur, duæ quæ in cauda, ex ejusdem lateribus, altera dextram, altera sinistram partem versus, ita ut cauda, quæ lunata, aquam latitudine sua verberet. *Sextum* si attendas, pudendi in *fœmina* orificiū, ano vicinum est ad terrestria animalia accedens; binas eædem, si Plinium sequimur in ima alvo papillas tantum gerunt, nec evidentes, & paulò in obliquum porrectas. Aristoteles mammas propè genitale continere ait, papillas quadrupedum more conspicuas habere negat, sed velut alveolos quosdam humoris duos esse scribit, utroque de latere singularem, è quibus lac fluit, quod ore catulorum parentem sectantium excipitur. *Vulva* cervicem palmum unum longam habet, quæ deinde in ramos duos veluti in quadrupedibus terrenis videre est, distribuitur. Testes ad uteri cornua, pudendum inter umbilicum & podicē gerit. *Mari* foramen quoddam in medio ventre apparet, è quo pudendū quadrupedibus simile exit, quod in congressu erigitur, & extra eminens profertur. Ideò fortè Aristoteles genitale foris esse dixit, testes intus, qui secundum Plinium prolongi, ad alvum necti. *Felle* omninò caret. *Locum* si spectes, nullum ferè sine Delphinis mare; adeò ut & in Ponto, quem nulla piscibus inimica belluâ ingreditur, reperiantur; & in Adriatico quamvis raro capiantur, sed & aquas dulces subit, & Nilum ipsum, ibique piscibus aliquandiu pascitur. Illos tamen non esse, quos Solinus serratas cristas habere. Crocodicolos studii ad natandum elicere, demersosque astu fraudulento tenera ventrium subternatantes secare & interimere, scribit, facilè mihi persuaderi patior, quod Marcellinus non Delphinos, sed Delphinis similes vocat. Accepit à Græcis qui circa Propontidem salitant Bellonius, eosdem instar aliorum piscium migrare, è mari mediterraneo videlicet Septentrionem versus, Hellespontum & Propontidem emetiri, Euxinum ingressos certo tempore immorari, tum denuo loca prius relicta repetere. *Cibus* Delphino pisces, in quos crudeliter grassatur, habetque Cepphos aves comites, quæ ab eo occisorum sanguine pascuntur, ut Oppianus scribit. *Vita* satis lōga, ad tricenos sæpe annos producitur, fortè quod felle careat. *Coitus* humano similis, illeque paulò quam piscium qui attritu ventrium coëunt, diuturnior. Aristoteles tamen cæteror. more congredi scribit. Gestat utero * decem mensibus, & singulos uno partu, interdum & binos edit. Parere æstate, nec ullo alio in vulgatis Plinii codicibus legimus. Rondeletius fœtum verè aliquando extraxit, alterā fœminā Octobri dissecuit, inque eius utero tum demum formari cœptū fœtum invenit. Chorio amnio & allantoido tunicis, is in utero involvitur, sanguine per venas umbilicales nutritur, & spiritum per easdem arterias recipit. Proles celeriter adolescit, quippe quæ annis decem ad summam magnitudinē perveniat, ut tradit Aristoteles. Pro *voce* ipsis gemitus est humano similis, ut Plinius prodidit. Rondeletius stridorem edere scripsit, vocisque nonnihil. *Visum* habent acutissimum, ita ut piscem etiam sub lapide vel in caverna aliqua latitantem videant. Omniū tum terrestrium tum aquatilium velocissimos Aristoteles dixit, ocyores volucre, ocyores telo. Nam cum fame concitati fugientem in vada ima piscem, diutius spacium continuere, ut arcu emissi ad respirandum, emicant; tantaque vi exiliunt, ut plærumque vela navium transvolent saltu. Perniciei sæpe causa ista velocitas. Nam aliquando, dum Mugiles persequuntur, nec incitatum cursum inhibere possunt, terræ impacti, præda fiunt; quod & tum fit, cum vel asylo infestantur, ut Rondeletius observavit, vel nimio piscatorum strepitu gravantur. Plinius telluere tactas mori ait, repugnante experientia. Nam &

Plin. H. N.

Solinus Polyhist.

Aristot. H.A. l. 5. c. 5.

* Aristot. H.A. l. 6. c. 13.

Vid. Aristot. Hist. Anim. 9. p. m. 510.

Aristot. H.A. l. 9. c. 48.

Plin. H. N. l.

Ælian. H. A. l. 12. c. 12.

Plin. H. N. l. 9. c. 8.

Aristoteles extra aquam mutientem & anhelantem cæteror. spirantium more reliquit, & Gesnerus Arimini captum tres dies in terra vixisse scripsit, & Rondeletius vivos à Monspeliensib. Lugdunum usque deportari affirmat. Gregatim ex ætatum ratione dispositi natant. Parvuli præcedunt, adultiores sequuntur. Hoc singulari in prolem amore fit, quo etiam motus tenellos in fauces recipere, ut Solinus dicit, vel saltem eos in faucibus aliquando gestare, quod Oppiano & Gesnero visum, solet. De ipsorum *somno* ita Plutarchus. *Delphinus dormiens de summo per altum demittitur, tantisper dum in vadum impingat, solumque sentiat: Hic excusso somno ronchoque edito ad summum rursus meat, rursusque demittitur, ac pronus fertur, imo quodam mirabiliter composito quietem captans. Ingenium singulare* resipit, quòd parentes senio confectos alant, suique corporis nisu natatum eorundē promoveant, totam nationem tanto amore prosequantur, ut sæpe aliquem * ex se captum ad portum usque comitentur, mortuum verò quasi ad sepeliendum efferant; quod Hesiodi à latronib. interfecti in mare projectum cadaver, * ad Rhium & Molycriam deportasse legantur, quòd navib. in qua aliquis ex delphinicidis, coorta tempestate, quasi in ultionem perniciem struant, quod à Græcis, Italis, Venetis inprimis nautis creditur; quòd Serapidem & Dyonisium, jussu Ptolomæi Soteris revehentibus, & supra Maleam abreptis, ducem se ad stationem præbuerint; quòd Simonis nomine miro modo gaudeat, ut post Plinius, Gillius cū ad Antipolin provinciæ Narbonensis urbem navigaret expertus scribit; quòd captus miserationem gemitu moveat, ut auritus testis Gillius prodidit, quòd denique cantu & Musicâ, unde illa de Arione in mare injecto & à Delphino liberato, seu fabula, seu Historia, oblectetur. Tempestates lasciviendo præsagire * nautæ, Bellonio refragante affirmant, & à nobis cū ex Anglia Scotiam aliquando peteremus observatum est; seu quod aëris mutationibus non aliter ac ægri afficiantur; seu q procellâ exsurgente, consurgentes ab imo maris exhalationes, calorem in Delphinis excitent, quem ut temperent, crebrius erumpūt. Piscatoribus Euboicis in piscatione subsidio esse, authoribus proditum est: Verùm rectissimè Bellonius, non suopte ingenio sed fortitudo id facere, observavit. Si enim in Celerinorum aut Sardiniarum greges inciderint, capitib. absumptis, truncos capientibus relinquunt. Pisces verò irruentis Delphini impetu consternati, postquàm in aërem exiliissent, tam denso interdum in mare agmine relabuntur, ut pluviam repræsentent. Quæ de Delphinor. in pueros amoribus dicuntur, apud Gellium & Ælianum invenies. *Inimicitias* cum Balæna, ut apud Philen legimus, Pompilo, & Amiis gerit. Ex piscicuiis, Pediculum parasitum habet, de quo ita Aristoteles. Maris quod à Cyrena in Ægyptum panditur, piscis Pediculus nomine circa Delphinum est, qui omnium pinguissimus fit pabuli copiâ, quæ Delphini operâ suppeditatur. *Vsus* ejus quibusdam gentibus in *Cibis*, & quidē tantus, ut in mensas Principum veniat. Maximè tamen hepar & lingua commendantur. Illud tenerum, sed mali succi. Hæc, tenerior pinguior & hepati præferenda. Cardanus viscera non solum sapore sed & odore quasi violæ commendari scribit. De Usu *in Medicina* pauca occurrunt. Kiranides ventrem siccū & tritū spleneticis prodesse, *jecur* assum & in cibo sumptum, tertianam & quartanam integre sanare scribit. Plinius febrium circuitus tolli ait, si ante accessiones degustatum fuerit. Dentium cum melle Cinis infantium gingivis dentitionibusque confert. Alligatus, pavores repentinos tollit.

Plutarch. l. utra animalia.

* *Aristot. H.A. l.9. c.47.*

* *Plutarch. in Sympos.*

Plutarch. l. utra animalia.

* *Plin. H. N. l.8. c.35.*

Gell. Noct. Atticar. l.7. c.8. Ælian. H. A. l.6. c. 15. l.8. c.13. & l.2. c.6. Aristot. H. A. l.5. c. 31.

Plin. H. N. l.32. c. 10.

ARTICULUS V.

De Phocæna & Scolopendra Cetacea.

TAB. XLI.

PHocæna Delphini species est. Rōdeletius quidem diversum à Tursione facit; sed Gaza, motus sine dubio

Plin. H. N. l.9.c.9. bio Plinii verbis, qui Turſiones Delphinorum ſimilitudinem habere ſcripſit, Phocænã Turſionẽ vertit, & pro iiſdem, Scaliger, Bellonius, Geſnerus, Jovius & alii agnoſcunt. Differt tamen & ab eo qui Athenæo θυρσάον dicitur, & à *Plataniſta*, quem Plinius in Gange Indiæ roſtro & cauda Delphini, magnitudine verò quinque cubitorum, facit. *Deſcriptionem* ſi attendas, ita de iis Plinius. *Delphinorum ſimilitudinem habent, qui vocantur Turſiones. Diſtant & triſtitiâ quidem aſpectus: abeſt enim illa laſcivia; maxime tamen roſtris. Canicularum maleficentia aſſimilati.* Nobis ex Bellonio & Cardano, iſta placet. Phocæna Delphini eſt magnitudine, breviore tamen craſſioreque corpore. Captus aliquando in Neuſtria, qui mille libras pendebat, adeò pinguis ut teres videretur. *Caput* habet obtuſum, *Roſtrum* tam ſimum ut cum capite ferè rotundetur; *Meatus auditorios* admodum obſcuros ſi reperire volueris, ab oculi majore cantho, ſex digitor. intervallo caudam verſus accuratè diſquirere, illucque grandem culmum inſerere oportebit. *Pinnæ* eidem ſolidæ ac nigræ. Tergoris color ex cæruleo in obſcurum livens, *Cauda* lunata. Cardanus eum qui Diepæ in Neuſtria captus erat, *fiſtulam* in medio per quam aquam effunderet, digiti magnitudine habuiſſe ſcribit: *dentes* quoq; obtuſos, & hominis molarib. ſimiles. Minxiſſe, ore aperto reſpiraſſe & ſuſpiraſſe; *Lachrymatũ* fuiſſe, ꝑ fluentib. ex oculis guttulis; diuque ſupervixiſſe, quamvis ſanguis è vulnere, nõ ſecus ac vinum è ſiphunculo flueret, addit. Nullius non maris eſt incola. Bellonius ſæpius in Oceano Gallico quam Delphinos capi ſcribit. Rondeletius etiam in Ponto vivere, & in loco illo, Ariſtotelis, ἔξω γὰρ φαλκίνας καὶ δελφῖνος οὐδὲν ἐστὶν ἐν τῷ Πόντῳ, &c. φωκαίνης pro φαλαίνης ex eodem Ariſtotele, qui antea Phocænam in Ponto naſci ſcripſerat, legendum eſſe putat. Hoc alii de vitulis marinis accipiunt. *Parit* magna ex parte binos vel ſingulos ut Ariſtoteles prodidit. Bellonius in for. Pariſiis, diebus Veneris inprimis adferri reliqt. Delphino tamen eſt deterior, quia pinguior.

Plin. H. N. l.9.c.3.

Cardan. in variis.

Ariſt. H. A. l.8.c.13.

SCOLOPENDRÆ CETACEÆ, Ælianus ſolus meminit. Exerunt aliquando totum è mari caput. Narium pilos magna excelſitate apparere, caudam perinde atque locuſtę latam conſpici, reliquum corpus aliquando in ſuperficie æquoris ſpectari, & cum triremi juſtæ magnitudinis conferri poſſe: Permultis pedibus, utrinque ordine ſitis, tanquam ex ſcalmis appenſis natare. Addunt inquit harum rerum periti ac fide digni, ipſos etiam fluctus ea natante leviter ſubſonare. Pro hac Cetacea Scolopendra, hanc quam exprimi curavimus Aldrovandus exhibet. Tota ad colorem cæruleum vergebat; ad latera tamen & in ventre nonnihil ruffeſcebat.

Ælian H. A. l. 13. c.13.

ARTICVLVS VI.

De Phoca, ſeu Vitulo marino.

TAB. XLI.

ETſi Phoca animal ſit amphibium, quia tamen humore potiſſimum victitat, nec diu extra aquas vivere poteſt, inter aquatilia referre placuit. Græci φώκην dicunt, ſeu ex βώκη beatu quem edit, unde Servius apud Virgilium, Phocas, *marinos boves* interpretatus eſt, ſeu aliunde ducto vocabulo. Plinius & Gaza vitulos marinos; ille, quandoque Vitulos ſimpliciter dixit. Feſto *Bocas*, ut Geſnerus cõiicit, vocatur. Varinus ἐνάλιον κῆτος, Oppianus θῆρα ἐνάλιον dixit. Differt *Corporis figura* ab omnibus tum piſcibus, tum Cetis, adeò ut quadrupedem vocaverit Ariſtotel. Habet quippe, ut oculatus teſtis Rondel. ſcribit, veluti *brachia* ſine cubito, ſine ulna, breviſſima: Quod ſequitur, Carpo noſtro reſpondens, ex multis oſſibus conſtat: Metacarpium verò, ex quinque oſſibus quæ pelle tantum teguntur: inde tanquam manus indiviſa, præterquã in extremo, in quo quatuor linearum diſtinctiones, tantum ſpectantur; ungues autem quinque diſtincti. Quia pinnarum vicem agunt, ideò Homerus φώκας νέποδες cognominavit. *Corio* tegitur duro, ſolido, pilis nigricanti-

bus & cinereis, quædam maculas parvas albicantes in ventre habent. Plinius *Cartilagines* non ossa habere scribit, sed Aristoteles carne abundare mollemque esse, & cartilaginib. ossibus cõstare, author est. *Caput* est breve, & pro corporis magnitudine parvum. *Collum* longius, quod pro arbitrio extendit & contrahit. Inferior *maxilla* Lupinæ similis est, superior q̃ in lupo latior, hacque & naribus vitulis terrestribns affinis est. Oris scissura mediocris. *Superciliorum* locum & superius labrum pili duri aliàs nigri, aliàs albi tegunt. *Dentes* sunt serrati & lupinorum similes. *Oculi* splendent & subinde in mille colores ut hyænæ transeunt. *Lingua* est scissa, id est bisulca. Plinius duplicem facit, Rondeletius latã esse addit. *Auribus* caret, quod vitam in humore traducat, partes verò aurium meatibus additæ, ut motus aëris à longè delatus servaretur: sed loco eorum meatus angustissimos & exiguos habet, qui in viventib. sunt evidentes, in mortuis difficillimè inveniuntur. Lato est *pectore*. Omoplatas enim habet quaternis musculis conexas, superiore vel posteriore in parte quam canes terrestriaque alia animantia, quæ in lateribus eas habent. *Fel* in hepate habere negat Aristoteles, omninò habere, Bellonius. *Plinius* tribuit, sed partem non exprimit. *Renes* ei sunt firmissimi & solidissimi, cum reliquor. omnium magis minusve cavi. *Genitale*, maribus oblongum, fœminis ad terrestria accedens. Aristoteles simile Rajæ esse ait. *Locus* Phocæ aqua & terra. Nec penitus illa carere potest, nec in ipsa agere secus, nisi per intervalla quædam respiret.

Aristot.

Vescuntur piscium carnibus, & in vivaria immissè, furibundi in eos sæviunt; apud Troglodytas extra sinũ Arabicum piscium capturæ non minus ac homines intenti. In retia delapsi, dilacerant eadem, & piscibus una capitis effugiendi ansam præbent. Leporum & aliorum retro mingentium ritu *mingunt* & *coëunt*, nempe aversi, inque medio coitu cohærent. *Pariunt* in terra pecudum more, nunquam geminis plures, ut scribit Plinius. Secundinas emittere scripsit Aristoteles. Prolem circa duodecimum à partu diem in mare deducunt, quod Calpurnius inter impossibilia recensuit. Maxima ex parte per littora vagantur, & vicinos agros, vineta & pomaria deperdunt. Si quando colliculum ascenderint, indeque secedere coguntur, pedibus ac capite in ventrem contractis, ac toto corpore in globum constricto, maximo impetu in mare devolvuntur. Non procul tamen à littore recedunt, quod ipsis difficilis pedum in terra usus sit. Difficulter *interficiuntur*, nisi capite eliso, quòd corpus totum carnosum sit. Extra aquam ad solem in arena littoris vel super saxa *dormiunt*, ut liberius respirent. Nullum animal graviora somno premi author est Plinius. Nos aliquoties, cum Andreapoli in Scotia studiis operam daremus, tam prope ad stertentes accessimus, ut lapidibus infestari potuerint. Postquam se in aquas conjecissent, elato ex undis capite nos intuebantur. Inter dormiendum tam altè stertunt, ut mugitum edere videantur, quod Aristoteles quoque & Plinius meminere. In causa pituitosus humor, qui in aspera arteria, inspirando & exspirando exagitatur. Sed & in aquis fortè dormiunt. Nam & ranæ, quarum more sub aquis diu urinantur, longissimo anni tempore, sub aqua latere possunt, ne quicquam de *pulmone* dicam, qui exiguus, spumosus, nec sanguineus *Ingenium* si spectes. Sæpissimè mitescit, & naturam ferinam deponit, & quod mireris, accipit disciplinam, voceque pariter & visu populum in spectaculis exhibitus salutat, & incondito fremitu, nomine vocata, respondet, sed & in hominem amore fertur, hac in parte nihil à Delphini natura abhorrens. Visus aliquando vitulus marinus, qui ad principis Christiani nomen gaudio perfundi videbatur, obmutescebat ad Turcæ. Is etiam cuius Rondeletius iconem dedit, in Lerini insulæ Cœnobio, nullo metu cum hominib.

Plin.

Plin.

Iuvenal. Satyra 3.

per

per multos dies versabatur, adeò ut & gradus ascenderet. Damnis apud Philostratum, Phocam à piscatoribus captum, filium quem in cavea pepererat, ita deplorare mortuum vidit, ut per triduum à cibis abstinuerit. Tzetzes verò testatur, cum suis catulis mori, istos cum suis matribus, parentesque senio confectos, in natando juvare. Summa ipsis cùm mari *Sympathia*. Pili enim excoriati si mare turbatum in fluctus surrexit, similiter eriguntur; si desedit, in planum sternuntur. Quod cum non crederetur, facto in Indico mari circa Hispaniolam insulam periculo, non amplus fabulosum haberi Cardanus asserit. Plinius sensum æquorum retinere, semperque æstu maris recedente inhorrescere scripsit: Rondeletius verò mutationes aëris significare, austrinis ventis surrigi, borealibus ita desidere, ut nullos planè affirmes, sæpius observavit. Fulmina & grandines corium prohibere Plutarcho & Palladio proditum. Ideò, & summas velorum partes eo obtegi, & Augustum Cæsarem pellem vituli marini perpetuo circumferre cõsuevisse, & Severũ Imperatorẽ cãdẽ tectũ voluisse legitur. Grandini verò obviare Palladius credit, si per possessionis terminos circumferatur, & in villæ aut cortis ingressu suspendatur, cum malum videris imminere. Ursos metuere Oppiano debemus, congressos aliquando cum iisdem in spectaculis, Lycostæ rustico apud Calphurnium; fugere & arietes marinos, & forti anhelitu è cavernis extrahi, Æliano. Negligitur etiam ab infima plebe in *Cibis*. Caro enim ipsius, mollis est, spangiosa, & pinguis, adeò ut liquetur si diutius manibus contrectetur. In *Medicina*, dextra pinna capiti subdita somnum adfert, quòd nullum animal graviore somno prematur. *Pellis* à podagra præservat, si ex ea calceos gestaveris. Adeps in muliebribus morbis vehementer ab Hippocrate laudatur. *Coagulum* quod evomere dicunt, ne in hominum manus incidat, cum panace, vel succo punici, Comitiales morbos sanat. Cælius Aurelianus tamen id reprehendit.

Philostr. l.2. de vita Apollonii.

Plutarch.

Sueton. in Augusto.

Pallad. R.R.

Ælian.

Plin.

Plin. Theoph. H. l.9. c.12.

ARTICVLVS VII.

De Manati Indorum.

TAB. XLIII.

HUjus piscis nemo veterum meminit, nisi fortè Bos sit Aristotelis, quem in Historiis inter Cetacea reponit. Belgæ vaccam marinam vocant. Nec in congruè iste dicetur, cũ quòd capite terrestrem bovem referat; tum quòd ejusdem more herbis in terra pascatur. Utri est similis, ideò fœdissimus aspectu. *Caput* habet bovis instar, *Oculos* exiguos, *Pedes* circa caput binos, crassos tanquam alas brachiorum loco, quibus natat. *Aurium* loco duo foramina exigua quibus audit. *Lapides* seu ossa in cerebro bina parvæ pilæ palmariæ magnitudine, orbicularia. Circa *caudam* strictior est & quasi præcinctus, quæ etiam ab inde ad extremum tota conspicitur nervosa. Fœminæ duo sunt ubera in pectore, quibus catulos lactat. *Corium*, quo integitur est simile ustulati porci corio, digitum densum, cineraceo colore, rarisque pilis præditum. Adeò magnus est, ut jugo boum opus sit ad unum vehendum. Nonnunquam quatuordecim aut quindecim pedum longitudinem superat, octo verò palmarum crassitudinem. Circa insulam Hispaniolam in mari capitur. Subit tamen & flumina, & secundum ripas eorum herbas depascitur. *Mansuescit* aliquando. Aluit quendam per viginti sex annos in lacu Gvaynabo Caramatexi Regulus, tam mansuetum, licet jam grandem, ut nomine Matonis inclamatus, è lacu egrederetur, & ad ædes cibi sumendi gratia perreptaret, iterumque in lacum remearet, pueris atque viris, quorum cantu delectari videbatur comitantibus. Idem denos simul pueros tergo exceptos ex una lacus parte in oppositam transvehebat. Cum quidam ex Hispanis hastam in eum vibrasset, etsi non læsus, nunquam tamen imposter. emergere voluit, si viros vaste indutos, & barbatos conspexisset. Intumescente fluvio Hayboaico, & in lacum illum se effundente, in mare regres-

Arist. H. A. l.6. c.11.

Lopez Hist. Gener. c.13. Clus. Exot. l.6. c.19.

regressus est. *Vsum* & in *Cibis* & in *Medicina* præstat. Caro enim ejus resiccata, Anglicæ bubulæ similis est, & diutissimè incorrupta manet; cocta Thynni carne est præstantior. Cauda in partes concisa, & soli per quinque dies exposita, tandem in patella cocta, multa pinguedo elicitur, quæ, quia rancorem non contrahit, ad ova in sartagine frigendo adhibetur. *Ossa* in capite colicæ passioni & doloribus nephriticis valdè adversantur, si primò adusta, contrita & per cribrum transmissa, in vino drachmæ unius vel alterius pondere, assumpta fuerint. Ex Corio cingula etiam & calceorum soleæ fiunt.

ADDITA-

ADDITAMENTUM

De

CANE ARISTOTELIS.

Nieremb. H.N.l. 11. c.20.

PIscis qui hodie Tubero dicitur, Canis Carcharias esse vulgò creditur. At quia ille quem Franciscus Hernandus describit, exactè descriptioni, quam attulimus, non respondet; ideò placet & hanc apponere. Cetaceus inquit piscis est, ex genere oblongorum, Oceani incola, quindecim interdum dodrantes longus, voracissimus, cursu velox, nec omninò stupidus, & bina humana corpora sæpenumerò crassus; ore quòd rostro unciarum decem intervallo subjacet, lunato, vallatoque supernè trino dentium præacutorum, ac sese mutuo serræ modò subintrantium, ac quaterno infernè binum dodrantum rictu, & brachiis utrimque quinis: rostro ranæ obrotundo, pinnis singulis utrimque juxta branchias, totidem juxta pudenda, juxta caudam unicâ alterâ omnium maxima imminente dorso statim à branchiis, alteraque juxta caudam modicâ, à contrario alterius parvæ, sed in oppositam partem vergente caudâ magnâ, crassâ, faleataque, & superna parte triplo aut quadruplo longiore atque latiore, & juxta exortum quibusdam parvis cavitatibus insigni: oculis modicis longo inter sese distantibus intervallo: pupillâ magnâ, & sub lutea iride, corio verò ceterorum cartilagineorum, cum sese tendit, nullis ictibus penetrabili: dorso ac lateribus cæruleis exsaturatis, ac ventre candenti. Mirum est, bina pendere mari, ossea pudenda, cava, alba, dodrantem longa, & ternis singula, glandis loco, longiusculis noxia acuminibus, quibus novaculæ modo facilè quidvis obvium abscindit. Maleficum animal est, atrox, ac hominum devorator: adeò vivax, ut in perquam tenues etiam divisum apalectos, affixumque veru, ac vitam adhuc videatur mordicus retinere. Mediocre præstat, & quale alii congeneres pisces, dum parvum est alimentum; sed provectius, durum, ingratum, insalubre, & fluxum alui ciens. Vnicum est illi intestinum, satis amplum; unde tam improba contigit voracitas. Cor parvum subalbidum, laxum, & usque adeò vivax, ut eductum, & in varias partes sectum, diutius conspiciatur moveri, ventriculisq; distinctū. Stomachus vastus est, hepar candens, in duas partium tænias, quatuor dodrantes longas, ac decē uncias latas. Splen verò jocinoris longitudine, sed duas tantum uncias longus.

Nieremb. H.N. l. 11. c.19.

Cæterum solent circa tuberones piscículi quidam natare *Romeri* dicti, de quibus ita Hernandus. Piscis est spinosus, Oceani Septemtrionalis alumnus, dodrantem plus minus longus, tres uncias crassus, corio tectus molli & pæne teres. Lunatâ constat caudâ, & rostro resimo atque compresso, oculis magnis, si magnitudini corporis comparentur, pupillâ nigrâ ac luteâ iride. Senis natat pinnis, quarum altera medio pænè dorso in caudamusque procedit, sensim sese attenuans, & à quibusdam præacutis spinulis sumens exordium: altera à pudendo pænè ipso in caudam ferè descendit, utrimque à brachiis singulæ, binæque paulo ante initium ventris.

Color

Color universi ex albo in cæruleum tendit, quamquam dorsum caputque cyaneo exsaturato videantur nitere, universumque corpus senis pavonini coloris transversi in discurrentibus orbibus ambiatur. Extrema corporis caudam contingentis quadrata sunt, & quaternis veluti dorsis distincta quarum bina quæ in latera excurrunt, desinunt in acumen. Caudæ initium pavonino exsaturato splendore. Micant mediæ utrimque partes, dilutiores sunt sequentes exsaturatæ, ac demum postremæ candentes.

DE GLAVCO ÆLIANI.

Nieremb. H.N. l. II. c. 21.

AD Glaucum Æliani videtur referri debere, & hic quem Clusius exenteratum & reficcatum ita describit. Erat, inquit, corpore longo, trium ferè pedum longitudinem explente coloris (reficcatum enim & exenteratum dumtaxat conspiciebam) ex cineraceo fusci, in quo tamen quidam candor, præsertim in tergore, adhuc eluceret: vivum enim & recenter captum argentei pænè coloris fuisse intelligebam. Medii corporis ambitus pedis, hoc est, duodecim unciarum longitudinem æquabat.

Cartilagineus verò erat, & lævi cute prædicatus; rostro lato, sed in obtusum deinde acumen desinente. Oculi magni erant, è quorum infima parte enata erat membrana, quæ sursum sese attollens, velut nubes caliginem illis offunderet.

Oris rictus non valde latus, in supina capitis parte maxillas in obtusum angulum desinentes habebat, ferè ut simiæ: quaternis autem dentibus os præditum erat, binis in superiore maxilla, totidem in inferiore: iisque firmis, quorum singuli quibusdam sulcis erant distincti, ut pluribus dentibus armatum os esse videretur. Corpus à cervice sensim gracilescebat: spina sive aculeo in eâ parte, quâ dorsum cervici connectebatur, sito, eoque sex uncias longo, infimâ parte lato & cavo supernâ autem valdè acuto. Pinna surrecta innitebatur quatuor pænè uncias longa. Binas dumtaxat in lateribus branchias valdè apertas observabam, utrimque videlicet unam, cum aliorum galeorum genera denas habeant, in singulis lateribus quinas.

Has sequebantur duæ pinnæ ad natandum idoneæ, longiores quam in ullo galeorum genere conspexerim, novem videlicet unciarum longitudinem æquantes. Binas alas habebat ex utraque podicis parte, quatuor uncias longas, illasque bifidas, hominumne industria sic fissas, an à natura nihil pronunciare possum.

Alia deinde pinna in dorso paullò infra eam, quæ ad aculeum erat, exoriebatur, ad extremam ferè caudam usque inæqualiter porrecta, hoc est, ad eam usque caudæ partem, quæ tenuissima, & septem uncias longa, muris caudam quodammodò æmulabatur. Podici, qui in supina parte, ut in reliquis piscibus, situs, vicina apparebant bina foramina, in quem usum, ignoro.

Capitis porro cutis siccitate adeò erat contracta, ut nulla circa oculos, nulla ante eos, foramina observare potuerim.

De Pisce Gibbo.

HUic similis est *Acacana*, qui est dodrantalis piscis, insignis prolixitate inferioris labri, & eminentia gibbâ, quæ à capitis exordio usque ad os, quod perexiguum est, arcuato descendit flexu. Nieremb. H.N. l. II. c. 25.

Dorsum lateraque cyanea sunt, venter ac laterum pars alba, ac præter duas pinnas quæ circa branchias sunt utrimque, unicam angustam & longam, & aliam parvam, duæ aliæ visuntur breves, altera à medio ventre, altera vero à dorso in caudam usque procedens.

Squa-

Squamosus non est, & tamen bono constat alimento. Mare illum ad me misit Australe; etsi quidam referant, in Septentrionali quoque reperiri.

De Ostracione Gesneri.

Nieremb. H.N.l.11. c.15.

OStracioni affinis est *Catan* qui piscis est quindecim pedes, cùm in perfectam magnitudinem adolevit longus, cortice rectus durissimo, laminis rhomboidis figuræ, paucisque contexto, testaceæ pænè duritiei, nitidis, ac circa ilia elatis, qui vicem loricæ præstare posset. Rostrum est prælongum & acutum, serrati dentes, & quaterno ordine dispositi, ac pinnæ crassissimæ binæ juxta branchias, ac juxta caudam unica. Vivit in lacubus aut magnis fluminibus provinciæ Panucensis. Salubri constat nutrimento: sed cum parandus est, hic piscis, spoliatur corio. Vivit ex aliorum piscium canumve raptu, homines quoque interdum aggreditur.

Editur vero assus, non coctus aut elixus.

Ad Librum V.

De Phoca.

De Laet. Ind.Occident. l.2. c.6.

PHocarum generis est Wallrus seu Mors, animal amphibium, quod Vorstius apud Delaetium ita describit. Belluam hanc marinam vidi, magnitudine vituli, aut canis Britannici majoris. Phocæ non dissimilem: capite rotundo, oculis bovillis, naribus depressis ac patulis, quos modo contrahebat, modo diducebat, aurium loco utrimque foramina; rictu oris rotundo necita vasto, superiore parte aut labro mystaca gestabat setis cartilagineis, crassis ac rigidis constantem. Inferior maxilla trigona erat, lingua crassa brevisque, atque os interius dentibus planis utrimque munitum, pedibus anterioribus posterioribusque latis, atque extrema corporis parte Phocam nostratem planè referebat.

Pedes anteriores antrorsum, posteriores retrorsum spectabant cum ingrederetur.

Digiti quinque membrana intersepiente distincti, eaque crassa. Posterioribus Digitis ungues impositi, non prioribus caudâ planè carebat. Postica parte repebat magis quam incedebat.

Cute crassa, coreacea, pilisque brevibus ac tenuibus obsita vestiebatur, colore cinereo. Grunnitum apri instar edebat, seu crocitabat voce gravi & valida. Repebat per aream extra aquam, quotidie per semihoram aut amplius dolio aqua pleno immittebant, ut se ibi oblectaret. Catulus erat, ut ferebant qui attulerant ex nova Zembla, decem hebdomadarum, dentes seu cornua exerta, ut adultiores, nondum habens, tubercula tamen in superiori labro præcipiebantur, unde brevi proditura facile apparebat. Ferum & validum animal calebat ad tactum, valideque per nares spirabat.

Pulmentarium ex avena, milioque comedebat lentè & suctu magis quam deglutiendo, herumque gestantem cibum ac offerentem magno nisu ac grunnitu accedebat, sequebaturque, nidore eius allectus. Lardum eius gustantibus haud insuave visum est.

Conspiciebantur ibidem duo majorum capita, dentibus duobus exertis Elephantorum instar, longis ac crassis & albicantibus munita, qui deorsum versus pectus spectabant. Eorum coria cccc. aut Ib. pondo pendisse ferebant Angli qui attulerant.

Hisce dentibus rupes ascendere seque sustinere ajebant. Et prodeunt in continentem seu terram ut somnum ibi capiant gregatim.

Pabu-

Pabulum ajebant illis esse folia oblonga ac magna, herbæ cuiusdam è fundo maris nascentis. Nec piscibus vivere, aut carnivorum esse. Vidi ibidem penem ejusdem animalis osseum, rotundum, cubitum & amplius longum, crassum ponderosum ac solidum, in fine propeglandem longe crassiorem ac rotundiorem. Hujus pulvere ad calculum pellendum Mascovitæ utuntur

Finis Historiæ de Piscibus.

BENEVOLE LECTOR.

EA est scriptorum qui longè à prælo remoti sunt, infelicitas, ut alienis & oculis & manibus, in perlustrando & corrigendo typo uti cogantur. Hinc fit, ut multa in contextum irrepant sphalmata, quæ non irreperent, si opera ad manus essent. Non est ergò quòd mireris idem & mihi contigisse, qui per tot terrarum spacia à Francofurto remotus sum: ut verò videas me omnino dedisse operam, ne quis nævus superesset, (commata, puncta &c. hujusgeneris excipio) en Tibi sequentem erratorum catalogum. Dabimus interim operam, ut sequentes tomi, emaculatiores prodeant.

Errata.	*Correcta.*
p. 5. nfinito	infinito
p. 6. veteres, Geographos.	veteres, præter Geographos.
quasi scripta	quasi in eorũ scripta,
illa præcipuè	ubiq; illa,
alii	aliis tno
p. 7. a. le uâ	seu à
b. avenâ	arenâ.
p. 8. a, post linguam	post linguam,
ossa:	ossa
retusa	retuse
b. Rondeletio	Rondeletio
p. 9. a. minimo.	minima
veluri,	veluti
nationis,	natationis
b. pinnis	pinnas
in primo	in supremo
per	quæ per
p. 10. a. unam	unum
ut post illa	ut post in illa
fretificavere	fœtificavere
b. se falsò	sed falsò
p. 11. a Sclopace	Scolopace
b. Locum	Glaucum
id id	id est
p. 12. a. revrrsum	reversum
b eidem destinato,	eadem distincta,
asseret	asserit
M. DC. LXV.	M D LXV.
pedem	pedum.
p 13. a. nistigatur	instigantur
tantum	tantam
tepore	tempore
p. 13. b. Capi.	capti
Cordus	tardus
Scordulas	Cordylas
Auxiades	Auxidas
utraq;	utroq;
p. 15. a. neq;	inq;
figura	figuram
pascuum	passuum
p. 16. a. ne	nec
mediterranea	mediterraneo,
b. facultatis	facultas
quæ unicam	quæ in unicam
Carina	carinæ
b. indiciorum	judiciorum
p. 18. a quibusdam	in quibusdam
Claudienus	Claudianus, ut
prodidere	superius dictum
p. 19. b. de eodem	ab eodem

Errata.	*Correcta.*
p. 20. a. terrefactæ	torrefactæ
Latini	Latinis
liteis	luteo
albo nigris	albo & nigro
simillimus	simillima
b. spino acuto	spina acuta
p. 21. a. flutautur	fluitant
stimlis	stimulis
congregi	Congredi
a ij	ali j
viper amare	vipera mare
b. in varijs	in vivarijs
p. 22. a. Hujus villam	intra hujus villam
qnam	modicam
p. 23. a. ad notandum	ad natandum
b, gemini	gemini lobi
p. 25. a. arenerum	aranearum
b qubsdam	quibusdam
p. 26. a. umbilica	umbilici
p. 29. a. ecxludit	excludit
facile stmils	facile similis
b. mano	magno
retunditate	rotunditate
p. 30. b. multo	multa
Noclo	Noctu
p. 31. a. eminis	geminis
b. narceticam	narcoticam
masculis	musculis
jucudam	jucundam
p. 32. ea.	de ea
corpora	Corporè
b. branchias	branchiæ
augustum	angustum
aliud	in aliud
p. 34. b. in superiore	in superiore parte
p. 35. a. meserjterium	mesenterium
p. 37. a. nomine	nomen
b. gingivanum	gingivarum
p. 38. a. cilcumvolata	circumvoluta
numerars	numerari
b. insula	insulsa
ferina	ferini
p. 39. a. olfactu distincta.	olfactui destinata
p. 39. a. ebore	ebur
anulum	angulum
p. 40. a. crematis	crenatis
b. Onisio	Onisco
p. 41. a. ovi ea	ovum earum
colli itur	colligitur
b. Capitis	Captis
p. 42. b. Colli paræq;	Colli Pavonis,
p. 43. a. fusa sunt,	fusa est,

Errata.	*Correcta.*
uri	aurei
apurpura	purpurea
b. sinapum	sinapi
p. 44. a. cæruleos	Cæruleis.
rotundes	rotundos
b. differtiunt	differtiunt
p 46. b. museo	musco
Reges	Regis
p. 47. b. quodam	quadam
p. 48. b. an Bellonia no	an competant Belloniano
impostum	impositum
p. 49. a. decidius	deciduis
minutum	munitum
algæ	algâ
b. ad eum	ad eam
viscatur	vescatur
Calorem	colorem
p. 50. a. iliud	illud
b. pecnliares	peculiaris
easdem anni	eosdem amni
& Dorione	ex Dorione
p. 51. b aqua	à qua
p. 52. a & gtaciliores quæ	graciliores q;
p. 53. b verguni	vergunt
tam amplis	tam maculis
amethistin,	amethystino aureo
oaureo	
p. 54. q- nigra	nigram.
p. 55. a. nocivis	nocivus
b Dorynicij	dorycnij
pondent	pendunt
p. 59, a modo	modi
p. 64. b. arbitrantur	arbitratur
p. 66. a. tantum	tantam
dicitur	ducitur
b. porum	parum
p. 67. a. omittit	emittit
retundiore	rotundiore
accendente	accedente
Crystallinum	crystallinam
p. 68. b. rinula	rimula
adnotant	adnatant
p. 69. b. quem cubili	quem cum è cubili
venter	ventriculus
firmiatori	firmatiori
p. 71. a. ramorum tu,	ramorum tutela
p. 73. b. virescentes	virescentia
Loum	Locum
p. 74. a. in hunc pi- cem	an hunc piscem
b. Inoos	Indos

ad tan-

Errata.	Correcta.
ad tantum	ad tantam.
tæniæ	tenue
procopius	per Corpus
p. 75. a. è ſtrangurio-ſis	à ſtranguriosis
tum exceptum,	lanâ exceptum
b. exentetato	exenterata
ad hoc.	ob has
tum quod	tumquoq;
p. 76. a. pædido	fœtido
imis	ima
p. 78. a. aſper, ſo	aſperſo
judicae	judicat
b. ingne	igne
p. 79. a. obijditur	obijcitur
p. 80. a. à beata	à boatu
quem	quam
p. 81. a. ali Umputo	alium puto
b. prlvarum	privatim
p. 82. b. ſuperbius	ſuperius
p. 83. b. alio	allio
p. 85. a. membrata	membrana
p. 87. b. reſpiciente	reſipiente
p. 89. a. Capite vertice	Capitis vertice.
p. 90. a. recenſentes.	recentes
in ambientibus	id ambientibus
b. multæ operæ ſtu-dijsq;	multum operæ ſtu-dijq;
in eo medio	in ejus medio
p. 92. a. venatum	Venenatum
p. 93. b, aliæ	alia
p. 95. b. arborum	abortum
p. 96. a. abjectu.	objectu
b. peno	penè
p. 101. b. certum	centum
p. 102. a. aquæ	aqua
b. Saxis	Saxis
damnatur	damnantur.
p. 103 b. hnc	hinc
p. 104. a. panitendo	penetrando
cibar j;	cibati
b. Callo	collo
p. 107. b. obſervavis	obſervavit,
p. 108. a Nrſum	Nilum
p. 109. b qui tempore	quo tempore
p. 110 a. branchijs	branchias
p. 111. a. excidit	excedit
p. 112. a ſquamas	ſquamis
jugulum	juguli
ſummo	ſummè
p. 113 a. plaudem	palludem
b. tempore	tempora
p. 114. a. hujus	hunc
b. recipit	reſipit
aculei	aculeis
p. 115. b. Coro	Corio
p. 116. a. timidius	timidus
non ut	quoad
ſimilem.	ſimiles
Belgi, cum	Belgicum
b. tempare	tempore
p. 117 a. geniculo	panniculo
p. 118 a. dictum	dictum
b. ferram	ſerram
p. 119. b diſpenſato	diſpenſatori
p. 120. a. ſæpè	ſeſe
b. minutum	munitum
p. 121. a. immoraban	immolabantur

Errata.	Correcta.
tur	
p. 122. a. ventris	ventis
p. 123. a. multam	mulctam
ob inſolentem	ob inſolentiam
p. 124. b. orbem	in orbem
Niloos	Niloticos
p. 125. a. mortui	motui
portione	ratione
b. oſſa	oſſea
putaris	putavit
p. 126. b. hic	huc
humatis	hamatis
p. 127. a. altiſſimæ	altiſſimè
p. 128 a. influvijs	à fluvijs
b. pulchrè.	pulchris
undutæ	uncatæ
p. 129. a. iſt æc	iſthæc
b. facilè	ſolere
p. 132 a. Idem	eundem
parvum	parvum caput
p. 133. a. altero Ceraſa	altero quando Ceraſa
Cand da	Candida
aliquis	alioqui
vaſti	uaſis
p. 134. a. argenteo	argento.
p. 135. a. ſtatutionibus	ſtationibus
p. 136. a. purpureis	puerperis
ferebatur	ferebat
p. 138. a. vocc cavit	vocitavit
c. partione	ratione
p. 139. a. quod ad	quoad
p. 140. a. Rhe.	Rheni
p. 141. a. impeditu	impetu
Cocta	Coctos
b. Cognominatum	cognomen
quidam	quidem
p. 142. a. è latu	è lacu
fluite	fluitat
b. parvum]	parum
p. 143. a.	
b. detei	detegi
labo	lobo
p. 144. b. læſo	lato
p. 145 b. minutas	munitas
cum	eum
p. 147. a. portione	ratione
b. Cartilaginil	cartilagineas
p. 148. b. polum	potum
inter hoc	inter hos
p. 149 a. veſis	veſtes
b. quid	qnod
p. 151. b. tradit	tendit
ante ea	ante eam
maculis.	maxillis
nullo	nullæ
p. 153. a. à Colios	à colicis
animum	nimiam
p. 154. b. majorit	majores
quos	quas
Oppidumdum	Oppidum
p. 156. a. Vertriculus	Ventriculus
b. Parcæ Majori	Perca major
quos	quas
p. 187. b. uvis,	ovis
ſemiſſas	ſemiaſſas
p. 158. a eſſet	eſſe
qui	quia
intueatis	intuearis

Errata.	Correcta.
p. 159. a. teſina	reſima
b. homo	hamo
p. 160. b. duo	duæ
p. 161. a. ſanare	ſanari
b. tanta	tantæ
piſcatoros	piſcatores
p. 162. a. qui nos	quinos
b. craſſum	craſſam
ad fuſcem	ad fuſcum
p. 163. a. impotenti	potenti
p. 164.	
quarernas	quaternas
b. diſtinans.	diſtinctus
ob aliquo	obliquo
p. 165. a. illic quemucoillicq;	muco
b. lonßiorem	longior
latiorem	latior
parſ eſt.	par eſt
&	è
p. 167. a. Italos	Italas
p. 170. a. tardins	tardius
p. 171. a. edſſere	ediſſe
b. contabeſcent	Contabeſcere
p. 172. b. ſeparatur	ſuperatur
p 173. b. affirmarit	affirmavit
lapa	ſinapi
p. 174. a. Capto	Capito;
latitudie	latitudine
b. Capti	Capiti
apparent	appareat
p. 175. a. digum	dignum
flumin eve	flumineve
b digitis	digitos
quidam	quædam
p. 176. a. indi enæ	indigenæ
jitus	littus
pinna	pinnam
ſigillatur	ſugillatur
p. 177. b ditos	digitos
p. 178. a. pene	pone
pennam	pinnam
lonæ	longa
b. Pranema	Piranema
Capionis	Carpionis
calor	color
p. 179. a Canda	cauda
b. utima	ultima
p. 180. a. vente	Ventre
p. 181. a. Inruuca peba	Juruucupeba
Gvatacuba	Gvatucupa
p. 182. a. tinea	linea
p. 183. a. aqum	aquam
p. 184. a. branchias	branchiam
latara	latere
p. 185. a. ſenſum	ſenſim
b. triangular,	triangularem
p. 186. oectitur	veſtitur.
Capit.	Capitur
Parabacu	Prabucu
ampè	amplè
tringularem	triangularem
p. 187. a. alius	alias
b. at	&
illa	ilia
p. 188. a. fuſeſceeutis	fuſceſcentis
p. 190. a. ſpecus	ſpecies
b. triangularis	triangulares
p. 191. b. Omne	Omnes

Errata.	*Correcta.*
p. 194. a. sesquidi tum	sesquidigitum
p. 198. a. hialius	hyalinus
p. 199. a. calcario.	calcaris
p. 203. b. bisecta	dissecta
p. 204. a. digitis	digiti
p. 205. b. tectam	rectam
liulæ	ligulæ
p. 206. a. edentulem	edentulum
superior	superiore
p. 208. a. suffecit	fuscescit
b. triangulo	triangulum
p. 209. a. cum	cum
p. 210. a. partem	partim
p. 212. b. sed	sex
distinctos	distinctis
p. 213. a. hæc	hic
b. duo	duos

Errata.	*Correcta.*
p. 215. a. magnitudo	magnitudinis
salsamentario,	salsamétaria habeat
p. 216. u. obviam	obvium
horæ	horam
tutas	tutus
audiri	audire
septem	supra
p. 217. a. μοσίκηον	μυσίκηον
musculum me nuum	musculum marinum
duæ balénæ	duce Balenæ
edem	eundem
p. 219. a. necti	tecti
b. teluere	tellure
p. 220. a. motus	fætus
b. temporent	temperent
fortitudo	fortuitò
p. 221. a. for	forum

Errata.	*Correcta.*
b. beatu	boatu
p. 222. a. immisse	immissi
Capitis	Captis
b. graviora	graviore
p. 223. a. amplus	amplius
voluisse	volvisse
Cortis	horti
spangiosa	spongiosa
b. n oppositam	in oppositam
vaste	hasta
p. 224. a. frigendo	frigenda
p. 225. b. untias latas	uncias latas divisum
jocinoris	jecinoris
p. 226. a. transversi	intransversim
reffícatum	reficcatum
prædicatus	præditus
p. 277. a. Mystaca	mystacem
b. præcipebantur.	percipiebantur.

Reliqua, Benevolus Lector, *corriget, si occurrerint. In Græcis interdum invenire est, ϐυ pro ϐν: ζώων pro ζῶων: φυκίδια pro φυκίδια: ἀ]ϐεϊ' ζε]αι, pro ἀ]ϐεϊζε]αι, &c.*

1
Asellus. Cabeliau.
Bolch.
Callarias. Asellus minor.
Schol fisch. Rheinfisch.
2
Ein ander art Scholfisch.
Asellus alter sive Merluctus.
3
Meer Trüsch
Mustela.
4
Tinca marina.
Meer Schleye.
Hippurus. Rödenkopff
12
5
Harengus
Hering
6
Sparis
Schmalz fisch.
7
Aper
Meeraber
8
Scolopax. Meer Schnepff
9
Monoceros.
Meer Einhorn.
Glaucus.
Meer Stichleng.
11
10


1
Callarias. Asellus minor.
Schel fisch. Rheinfisch.
2
Ein ander art Schelfisch.
Asellus alter sive Merluctus.
3
Meer Trüsch
Mustela.
4
Tinca marina.
Meer Schleye.
Hippurus. Rödenkopff
12
5
Harengus
Hering
6
Sparis Schmalz fisch.
7
Aper
Meerober
8
Scolopax Meer Schnepff
9
Monoceros.
Meer Einhorn.
Glaucus.
Meer Stichleng.
11
10

Asellus minor.
2
Wijtingh.
Asellus mollis.
3
Asellus alius
4
indicus Anguilli formis.
Reuersus
5
Molva. ein art stockfisch.
6
Vrff. Erfle.
Rutilus
raplein
7
8
Coruulus.
Coruulus. räplein
9
Stockfisch.
Salpa.
10


Asellus. Cabeliau.
Bolch.
1
2
Callarias. Asellus minor.
Schelfisch. Rheinfisch.
Asellus alter sive Merluctus.
Ein ander art Schelfisch.
3
Mustela.
Meer Trüsch
4
Hippurus. Rödenkopff
12
Tinca marina.
Meer Schleye.
5
Harengus
Hering
6
Sparis
Schmalzfisch.
7
Aper
Meereber
8
Scolopax. Meer Schnepff
9
Monoceros.
Meer Einhorn.
Glaucus.
Meer Stichling.
11
10


Asellus.
Cabeliau.
1
Tabella. II.
Asellus minor.
Gulleken.
2
Asellus mollis. 3
Wytingh.
4
Asellus aliis
Reuersus
indicus Anguilli formis.
5
Molva. ein art stockfisch.
6
Rubilus
Vrff. erfle.
8
Coruulus.
raplein
7
Salpa.
Stockfisch.
10
9
Coruulus. räplein andre art.


Reuersus Indicus squamosus.
Iagfisch.
1
Thunnus.
Thunfisch. Meer Thunnen.
2
Pelamys Cærulea.
3
Thunn fisch.
Orcynius.
Waldthunn.
4
Pompilos
5
Ein Leit fisch.
Amia.
6
Streit thunn


1.
Gladius.
Schwerdtfisch. Meer Schwert.
2.
3.
Remora. Schiffhalter.
Leither der walfisch
Mysticetus
4.
Serpens Marinus. Meer Schlang.
5
Serpens Marinus verus. Meer Schlang
6.
Conger.
Meer Ahl.
7.


1
Serpens Marinus Norwegicus.
Norwegische Meer Schlang.
Ophidion Pliny.
2
3
Muræna masc.
Mural Mänlein.
Muræna fœmina.
Mural weiblin.
4
Myrus alter siue Serpens rubescens.
5
Rothe Meer Schlang.


1
Tænia altera.
2
Meer haub
Tænia.
Tænia Bellonij.
3
Tænia falcata Imperati
4
Canis Carcharias
Grosser Merhund.
Ein ander art.
Canis Carchariæ species alia
Meer oder Wallhunds.
5
Canis Carcharias. alius
6


Tab. VII.
Canis Carcharias dentium. Series. Meerhunds gebis.
Mandibula canis marini Des meerhunds gebiss.
2
Galeus Centrina. dictus.
Sawhund.
4
Vulpecula Marina.
Fuchs Hund. Meerfuchs.
3
alius. Galeus seu Centrina
Sauhund. 5 ander art.
6
Simia Marina.
Meeraff.
7
Simia
marina Danica.
8
Zigæna. Meerschlegel
Meerwag.
Zigæna seu Libella
altera.
9.


Catulus maior. grosser hundfisch.
1
Catulus. 2
Canicula Aristot.
Kleiner Meerhund.
Canis Marinus.
3
Canicula. 4
Galeus canis
ein art der kleinen Meerhund.
Mustelus Spinax. 5
Stachelhund.
Mustelus Laevis. 6
glatt Seehund.
Galeus. 7
hundfisch
Galeus Asterias seu stellatus
Sternhund.
8
9
Galeus Stellaris
Galeus Glaucus. Venetiarum Gesn.


Tab. IX.
1
Mola Peregrina
2
Mola
Zitterfisch
4
Torpedo maculosa
gefleckte Zitterfisch
3
Torpedo.
Zitterfisch.
5
Torpedo.
6
Torpedo.
8
Aquilla.
Adlerfisch.
Meer adler
Pastinaca.
Angelfisch
Meer angel.
7
9
Aquila species alia.
Meer Adlers. ander art.


Raia.
Roche.
2
Raia.
Roche.
1
Raia lævis
glatt
Roche.
3
Raia
Oculata
et lævis.
Glatt Spiegel Roche
4
Raia
Oculata
alia.
5
Gesneri.
Augen Roche.
Spiegel Roche.
Raia asperima.
Rauher Roch.
6
Hechel
Roche.
Raia Asteria
Asvera.
7
Raia Oxyrhynch
os maior.
Grosser Spiz
Roche Wall roch
Meer ochs.
8
Raia Oxyrhin
chos minor.
Kleiner Spiz
Roche.
9


Raia. Roche. Tab. XI
1
Raia Clauata. Roche.
2
Raia Clauata alia.
3
Raia spinosa. Doren Roche.
5
4
Raia Fullonica. Karten Roche.
Lauis Raiæ alia species.
6
Squatina. Angelus marinus.
7
Meer Engel.
8
Rana. Piscatrix. Siue Marina.
Meer Krotte. Meer Teufel. Fischer Krott.
Aldrouandi.
Rana Piscatrix.
9


Raia exiccata, et conaiuntata ad formam
1
Monstrosi Piscis Volantis.
icon.
2
Raia Olaij.
3
Oua Raiarum
4
Raia Lævis. Spiegel Roch.
5
Squatina.
meer Engel
6
Raia piscatrix
minor.
8
Kleine Meerkröt.
Oxyrinchus
minor. alius
7


Tab. XIII
Lumpus Anglorum.
1
Piscis Gibbosus.
Hoger
2
Lump.
Scarus onias.
Meer Brachsmen.
3
Scarus varius.
4
Turdus.
Kramet fisch.
5
Turdus
Meer Pfaw.
6
Turdus.
7
Turdus.
8
Turdus.
9
Turdus.
10
Pauo. Meer Pfaw.
12
Turdus.
11
Attagen. Lepras. Roter Kramet fisch.
Attagenus. alius.
14
13


Tab. XIIII.
Marzapanus.
1
Merula.
Mer Amsel.
2
Amselfisch.
Iulis.
Meer Lunckerlein.
3
Fuca.
Phycis.
Meer Egle.
4
Perca Marina.
Meer Barsich.
5
Perca Marina.
6
Perca
7
Perca Marina.
Meer Barsich.
8
Channe.
Hiatula.
10.
Perca.
9
Canadella.
Kleiner ginfisch.
11.
Channe.
Gin fisch
Gin maul.
12.
Hepatus.
13
Hepatus
leber Brasmen.
14
Melanurus.
Brand Brasmen
em ander art.
15
Melanderinus
Das erste geschlecht
der brant brasmen.
16


Alphestes Cinædus. Steinfisch.
Cinædus Alphestes.
Tab. XV
1
2
Coracinus.
4
Meer Rapp Sea rapp.
Cinædus alio
3
Coracinus niger.
5
Schwarzer Meer Rapp.
Coracinus. minor.
6
Ammocœtus. Exocœtus Sandaal.
Ammodites.
7
Adonis Exocœtus Belloni alaudis adnumerandus.
8
Glaucus.
10
Meer Bleuling.
Umbra.
Meer Schatten.
9
Gobius maior. Gosn.
Paganellus.
Groser Meer Gropp
11
acus.
Hornfisch Meernadel.
13
Gobius minor.
Kleiner Meer Gropp.
12
Acus. alia Species. ein ander Hornfisch. Meer Nadel.
14
Acus minor.
Kleiner Horenfisch.
15
Acus. maior
Meer Nadel der grossen.
16
Acus alia
Meer Nadel ein ander art.
17


Tab. XVI.
Anthias Rondeleti. rond Kopff.
1
Anthias Rond.
asellis conformis.
2
ein art bolch.
Anthias tertius.
5
Anthias prior.
3
4
Anthias. secundus.
Anthias quartus.
meertrostel.
6
Anthias Conger.
7


Tab. XVII.
Mullus Minor.
Kleiner Rotbart.
5
Faber.
1
Meer Schmidt.
Mullus maior.
Groser Rotbart.
6
Faber marinus
Meer Schmid.
2
Liparis
7
Schmalz fisch
Alauda.
3
Meer Lerch.
Pholis.
alaudæ Species
4
Schleim Lerch.
0
Cuculus.
Redfisch. Meerlyren.
10
Hyrundo.
8
Meer Schwalb
Cuculus.
11
Redfisch.
Milius.
12
Meer wyl.
Hyrundo. alia
9
Atherina.
15
Kleiner Hering art.
13
Phagrus.
Rote Meer Brasmen.
Chromis.
14
Kesten Brasmen.


Sphyræna, siue Studis. ein art meerhecht.
1
Piscis gutturosus.
3 dickhals.
Alauda non cristata. meerlerch ohne Kam.
2
Hirundo Plinij.
4
Mullus umbrbis. glatter rothart.
5
rother meer brasmen.
Erythrinus.
6
Acarnan.
fleck brasmen
7
müneh brasmen
ein ander rother
meer brasmen
8
Orphus.
Dentex.
zanbrasin
Synodus.
9
10
Synagris. zin brasm
ander art
Sparus.
Sparbrasm
11
Scorpis Scorpius minor
Scorpæna Klaner
meerscorp.
12.


Sargus.
Geis Brasmen.
Tab. XIX.
Aurata.
Gold Brasmen.
1
2
Mormyrus.
3
Marmd Brasmen
Iulia. Salu.
Doncella.
4
Cantharus.
Braun Meer Brasmen
5
Salpa.
6
Goldstein.
Scorpius Maior.
Meer schorp.
9
Scorpius
10
Minor
Blennus. Meer Gropp.
11
Fratola.
Meer Teppich.
8
Stromaeus.
Teppicher.
7
Aphia Phalarica.
Schmelthling.
12
Aphua Cobites.
Cepola.
Blennus Bellon
15
Meer Gropp.
Meer Seilen
Meer Grundel.
16
Hephetus.
Meer Bimbele
Membras.
Kleiner Heuring.
14
Enerasicholus.
Meer Sall.
Atherina.
Kleiner Heuring.
13
13 Apua Vera.
Spirling.
13


Sarda Flandrica maior
Scethon .Tab.XX.
1 Sarda. Sardthun.
2 Sardthun.
Mana.
4
Meerschiisser.
3
Sarda. Flandrica minor.
5
Smaris
Meer Baiser Bizling.
Smaris. alia. ein ander Bizling.
6
peregrina.
Smaris.
7
8
Boops.
Houtink
9
Boops pere grina
frembder Houteng.
10
Solea.
Pecten salu.
Meersol Meerzung.
11
Solea. Oculata.
Augsolen.
Solea lingulata. Mere Zünglein.
12
Citharus.
Meer. Harpf.
14
16
Rhomboides.
Winckelbutt.
15
Cilharus flauus.
siue Asper
Rauche Meerharpf.
13
Solea. alia.


Sandits Anglorum.
1
Tab. XXI.
Draco marinus. maior
2
Grosser Meer Drach.
Draconculus. arannei Species
4
Ein Art Mer Drach.
Draco minor.
Araneus Rondel.
3
Kleiner Meer Drach.
Araneus minor.
Araneus.
5
Meer Drach.
Draconculus.
6
Kleiner Drach.
Uronoscopus.
7
Sternseher.
Meerpfaff.
Scomber.
9
Macrell.
Trachurus.
Bastard Macrell.
8
Lacertus peregrinus vel Rubei maris.
12
Meer Heydex.
Macrell.
10
Scombrus. alius.
11
Saurus.
Meer Heydex.


Corax seu Corius
1
Meer Rapp.
Miluus aliis
Fliegender Rolfisch.
2
Miluus. 3
Fliegender fisch.
Miluus alatus. 5.
gefligelter fisch.
Miluus.
Schwalb fisch.
4
Boops.
Glatter Houtink.
6
Paſser
Blatteis. Meerbutt.
7
Paſser alius 8
Meer Butten ander geschlecht.
Rhombus. 10
Plateys. oder Meerbutt.
Paſser 3. 9
Blattoistein 3 geschlecht
Rhombus. alius
11
Rhombus Leonis uerus.
glat butt.
Rhombus. aculeatus.
12
Platteis. dornbutte
13


Tab. XXIII.
Salmo. Salm. Lachs
1
Salmo alius Salms. Ein ander geschlecht.
2
Mugil Meeralet.
4
3
Lupus. Meer Wolff.
Mugilis. Species alia.
5
6
Capito Anadromus. Elbnasen Meernasen.
Caper. capriscus
7
Sawfisch.
Acipenser Zeelandicus.
11
Stoer. Sturio.
Acipenser. i.
8
9
Acipenser seu Sturio. 2.
Stoer.
10
Acipenser. seu
Sturio. 3.


Tab. XXIIII.
Eperlanus.
Schmelt. Rolelein.
Galeus Rhodius.
ein art der Stör.
3
1
Lyra.
4
Redfisch.
Cataphractus.
Gabler.
2
ad tab. 15.
Lampreta. seu Lampedra
Lampret. nein aug
5
Lampreta alia.
6
Anguilla.
7
Aal.
Anguilla alia.
8
Aal.
Orbis. Gesneri
9
Meer Taube. Meerfläsch Kugelfisch.
Meer Taube.
10
Orbis. ex Rhinatz.
Gestacnelt
Orbis Stellatus. Slornflasch
Species alia Orbis.
Schnattfisch.
11
12
Orbib annumerandus piscis
Schnottolff
13
Orbis britannicus.
Orbib annumerandus pistis 2.
14
Seehas.


Huso
Hausen.
1
2
Huso seu. Antacæus stellaris.
3
Alius Huso. Hausen. ander art.
Antacæus Rond:
Ein ander art Hausen. Rond.
4
Orbis
Scutatus Rondel:
Schnottolff.
5
Ostracion prior Aldrou.
Schalfisch.
6
Schnottolff.
Ostracion alter Aldr.
7
Holosteun Bell. Ostracion Nilj.
Ostracion
Americæ
9
8


Trutta. Fario
Fordle Fore.
1
Trutta.
Rot Forel.
2
Aesche.
Umbra.
5
Aesch.
3
Thymallus.
Barba.
Barb.
6
Thymallus.
4
Asch.
Capito.
Alat.
Capito fluuiatilis. rapax
8
Iordling. Raubalat.
Orfus. Rutilus. S. Rubellus.
Urff.
9
Leuciscus.
10
Rotauglen.
Leuciscus. Condel.
11
Rotauglin.
Leuciscus.
12
Bliecke. laugeler
Oxyrinchus. Sphyræna.
Hautin. Spitznass.
13
Corvus Niloticus
14
Gobio fluuiatilis.
16
Kresling. Bachkress.
Nasus.
15
Nase.
Gobio.
17
Krasen.
Asper.
18
Pisciculus.
Rychling.
Gobitos. Grundel
02
Stein beisser
Asper Danubianus.
19
Zindel.
Gobitos Barbatus.
22
Bartgrundel.
Gobitos.
Gobitos aculeatus.
21
Schmerlein.
23
Stein beisser.
dorngrundel.


1
Pecten.
Araneus minor.
Peterman.
Alosa.
Elst.
2
3
Alosa seu Clupea.
Phoxinus Squamosus Maior.
4
5
Phoxinus Squam minor.
Blicca Ballerus.
Blieck.
6
7
Glanis.
ein art Welsen.
Barbota.
Ein ander art Trüsch.
8
9
Cyprinus monstrosus.
10
Cyprinus.
Karpf.
Cyprinus Aliis.
ein and art Karpfn.
11
12


Phoxinus.
Weüsslem Bambdäin.
Phoxinus.
Ehriz.
Phoxinus Lanis.
Müslling Erling
1
2
3
Attilus. Padi
Ein art Stör.
4
Mustela.
Trüsche
6
Antaceus Stellatus.
5
Gestirnter Stör oder hausen.
Mustela fluuiatilis. flus. Trüsche
6
Mustela fossilis.
8
Mustela. alia
9
Trüsche
Mustela Barbata.
7
Lambreta.
10
Neinaug.
Lambrete.
Lambri.
Prisk.
11
Salmerinus.
Salmling.
Perca.
Persch.
Perca.
Persch.
maior dicta.
Schrallus.
Schrollen.
Epelanus.
Rottelärn
Stichling.
Punctius
Stichling.


Lucius. Hecht. 1
Carpio. Spiegel Karpf. 2
Cijprinus 1. Karpf. 3
Cijprinus. 2. 4 Karpf.
Cijprinus. latus. 5
Cijprinus. 3 6 Karpf.
Lota. Gallorum. 10
Tinca. Schleije. 7
Cottus Gosn. Gobio Capitat. Grobbe. ad tab. 22. 11
8
Fundulus. Grundel. 12
Perca. Bersich.
Alburnus. Blieck. 13
Perca. alia Bersich. ander art.
Einart. Hausen. 14
Salar. Salmo parvulus. Salmling. 15
16 Exossiue. Ichtiocolla.


1 Vmbla maior.
Grose Rötelin.
2 Vmbla min.
Rötelin pißling.
Trutta Lacustris, Trutta Salmonata.
Grund föhrin Seeföhrin.
3
6 Albula. Lacustris.
Gang fisch.
Lauaretus Albula.
Adel fisch.
4
Alb. minima.
hegling.
Albula Carulea
Lacustris Bebola.
Blauling.
Bratfisch.
7
5
Albula Parua.
Albelen weiß ganofisch.
8
Carpio Benaci.
See föhrin.
13
Schillus
Schiell. Nagmul.
15
Alburnus Albus Sabiani
Weis. fisch.
9
SQualus.
Ein Art hering.
10
Clauatus cyprinus.
Pigo Dorni Brachymen
14
Farra albula lacustris species.
11
Farra. Alius. generis.
12
Agonus.
Welsche Agunen.
Chalcis altera Rondeletij.
Ein Heringart in Sissen See.
16
17


1
Porcus Supinus Saluiani.
Gobius Bottatricæ Salu.
2
Alburnus Salu.
4
Mesoro uel Blennus Salu.
5
Thijmus Salu.
6
Cijprinus Salu.
7
Salar et Varius.
9
Obris.
Rubellius Salu.
10
Barbus Salu.
11
Salmo Salu.
12


Taiasica. 1
Paru. 2
Guaperua. 3
Pudiano. Vermelho. 4
Pudiano Verde. 5
Iuruucapeba. Itaiara. 6
Iaguaraca. 7
Carauna. 8
Guatucupa Iuba. 9
Tamoata. 10
Pirapixanga. 12
Acara Pinima. 11


Tab. XXXIII.
Vubarana.
1
Capeuna.
2
Acarapitamba.
3
Iaguacaguare.
4
5
Curimata.
Tarcira. de Rio
Seu fluuiatilis.
6
Tarcira.
7
Guamaiacu Guara
10
8
Piratiapia.
Ceixupira.
9
Guaracapema.
11
Miiupira & Pirubebe.
12


Tab. XXXIIII.
1
Guaibi Coara.
Piraia et Piranha.
3
Guaperua.
2
Amore Guacu
4
Guacari.
5
Piraumbu.
6
Acaraaia.
7
8
Acara.
Guaruguaru.
9
Cugupu. Guacu.
10
Piaba.
13
Maturaque.
11
Carapo.
12


Piabucu.
1
Nhaquunda.
2
Guara Tereba.
4
Amore pixuma.
3
Piracoaba.
5
Corocoro.
6
Guatucupa.
7
8
Vribaco.
Guarerua.
9
10
Camaripuguacu.


Piratia Pua.
1
Aramaca.
2
Guamaiacu apé.
3
4 Petimbuaba.
Guapenua.
6
Nhamdia
5
Curuata Piruma.
7
Puraque.
8
9
Piscis innominatus.
Harder.


2 Abacatuaia.
1 Mucu.
3 Acaramucu.
Punaru.
4
Punaru.
5
6 Timucu.
Guebucu.
7
Niquy. Pietermn.
8


Bagre. 1
Alia Bagre. 2
Bagre. 3
Bagre. 5
Bagre. 4
6
Aiereba.
Iabebirete. 7


Guarapocu.
1
Guacucuia.
2
Guamaiacu Atinga.
3
Piraaca.
4
Cucuri.
5
Narinari.
6
Tiburonis.
7
Iperrquiba & Piraquiba.
8


Anthropomorphos.
1
2
Pracamo Brasil.
3
Piramelara.
4
Petim buaba.
Tabac pijpe.
5
Sallema seu Salema.
6
Camaripúguácu.
7
Leo marinus.
8
Frater Hugo.
9
Galerita.
See mönch.
10
Sijnagris.
11


Balæna.
Wallfisch
Balæna.
Wallfisch.
Balæna.
Monstrosa.
Balæna
Ein ander art Wallfisch.
Phocæna
Meer Schwein. Braunfisch.

Balena. Ein Grosser Wallfisch von 60. Schuch lang vnd 41 Schuch hoch.
Tab. XLII.

Balena. Ein Groſser Wallfisch. von 60. Schuch lang. vnd 41 Schuch hoch.
Tab. XLII.


Vtilis Piscis seream ad instar Priscis habens.
Delphinus prior.
Delphin
Delphinus aller.
Delphin.
Antiq
Metal.
Antiq.
Metal.
Delphinus
Delphin
femina.
Weiblein.
Ein ander art Delphin.
Delphinus alius.


Caput Delphini.
Delphins Kopf.
Tab. XLIV.
Gladius piſcis Soricæ
Der Kopf des Schwertfisch
Scolopendra cetacea.
Phoca ſiue
Vitulus marinus.
Vitulus
Seehundt.
Seehund.
Rosmarus.
Wallros.
Rosmarus.
Vetus.
Ein Alt Meer Ros,
Rosmarus iuuencus.
Ein Iung Meer Ros.


Cete admirabilis forme.
5
Galei genus.
Histrix piscis.
4
Orbis spinosa.
3
5
Orbis Rana ritu.
6
Piscis triangularis.
8
Scarus Cretens.
Orbis oblongus tertudinis Capite.
7
Sargus Aldrou.
9

Tabulla XLVI.
Albula nobilis.
1
Albula.
2
Asellus Virescens.
3
Asellus Varius
4
Cataphractus.
5
Tænia Cornuta.
7
Idem supinus.
6
Mustela marina Viuipara.
8


Tab. XLVII
Aculeatus marinus Maior.
1
Lupus marinus Schönfeldij
2
Lycostomus Balthicus.
3
Scorpius Marinus alter.
4
Idem Supinus
5
Spirinchus.
6
Siluri uera effigies.
7


Vtilis Piscis seream ad instar Priscis habens.
Delphinus prior.
Delphin
Delphinus alter.
Delphin.
Antiq. Metal.
Antiq
Metal.
Delphinus
Delphin
femina.
Weiblein.
Delphinus alius.
Ein ander art Delphin.


Crete admirabilis forme.
1
Galei genus.
2
Histrix piscis.
4
Orbis spinosa.
3
Orbis Rana ritu.
5
Piscis triangularis.
6
Scarus Cretens.
8
Orbis oblongus tertudinis Capite.
7
Sargus Aldrou.
9


Crete admirabilis forme.
Galei genus.
5
Histrix piscis.
4
Orbis spinosa.
3
Orbis Rana ritu.
5
Piscis triangularis.
6
Scarus Cretens.
8
Orbis oblongus tertudinis Capite.
7
Sargus Aldrou.
9

HISTORIÆ NATURALIS
De
EXANGVIBUS
AQVATICIS

LIBRI IV.

Cum figuris æneis.

JOANNES JONSTONUS
Med. D. concinnavit.

BIBLIOTEKA POTURZYCKA J.W.D.

FRANCOFVRTI
ad
MOENVM,
Impendio
MATTHÆI MERIANI.

M DC L.

VERE GENEROSO ET ANTIQUA
PROSAPIA INCLYTO, HEROI.
DOMINO

WILHELMO BONAR,

SERENISSIMÆ REGINÆ ET
REGNI SVECIÆ CHILIARCHÆ,
ET GLOGOVIENSIS IN SILESIA
PRÆSIDII
PRÆFECTO,

Non minus pacis quam belli artibus eximio,

Domino & Fautori suo singulari,

Hanc Naturalis Historiæ de Exangvib.
Aquaticis partem, honoris & grati animi ergò

D. D. D.

JOHANNES JONSTONUS
Med. D.

HISTORIÆ NATURALIS De EXANGVIBUS AQVATICIS

LIBER I.

De Mollibus, seu Molluscis.

TITVLVS I.

De Molluscis in genere.

Aristot. H. A. l.1.c.4. & 8. l.4. c.1.

QUATUOR Exanguium genera Aristoteles constituit, *Mollia*, nempe seu *Mollusca*, quæ carne molli foris obducta, solidum interius modo sanguinei generis continent. *Crustata*, quæ crustis collisis teguntur. *Testacea*, quæ testis duris fragilibus muniuntur, & *Insecta*, quæ Græci ἔντομα dixere, *Zoophyta*, hisce adnumerari meliori jure possunt, quàm ut inter plantas, numerentur.

Arist. H.A. l.4.c.1.

Nomen.

Mollusca præmittimus, tum quod nobiliora sint, & partium numero ac robore longè præcellant; tum quòd idem Aristoteles & Plinius fecerint. Nec malè Aquatica Piscibus subiungentur, cum & Plinio, ea, pisces nuncupare placuerit. Mollusca seu μαλάκια dicuntur, quòd neque asperam, neque testaceam cutem, neque squammam habeant, Athenæus πυδώδη, seu Loligini similia dixit. Dici & μαλακόδερμα Gazæ & Rondeletio visum: deceptos, & Cartilaginea Aristoteli talia dici Salvianus ostendit.

Plin. H.N. l.9. c.28. Galen. de Alim. facult. l.3.

Aristot. de Gener. l.1. c.10.

Naturam inter carnem & nervum mediam obtinent: fissilis hæc, in anfractum, ut ad vires commodior esse possit: loco ossium, quod piscium spinis proportionetur omnia, Polypum si excipias. *Exteriores partes* tres præcipuè habet *Caput*, *pedes* sive brachia, quos Aristoteles quandoque πλεκτάνας, Gaza crura, barbas, cirros vocat, & τὸ κύτος ἀδιόριστον, id est, *alveũ indiscretũ*. *Caput* omnibus inter pedes & ventrem, seu ut Aristoteles, ἐν μέσῳ τῶν πόδων τῶν καλουμένων πλεκτανῶν. In capite *Os* est & bini *dentes*, qui potius, cum immobiles sint, neque ad retinendam prædam firmè innitantur, ῥύγχος seu rostrum dicendi sunt. Est enim hæc pars, (os & dentes) adunco carnivorarum rostro per quam similis, ex duabus partibus composita, superiore & inferiore commissura pyxidata, ut loquitur Rondeletius, ita ut inferior superiori inseratur. Loco *linguæ* carnosum quiddam in ore gerunt, quo esculentorum voluptatem discernunt. In capite *oculos* binos grandiusculos, quibus exigua quædam cartilago, discrimen cere-

Descriptio. Aristot. de part. l.2. c.8.

Plin. H.N. l.9.c.28.

Aristot. de part. l.4. c.5.

brum parvulum continens, præstat. *Pedes* habent parti priori, circum caput, infra oculos circa os & dentes vinctos, quòd pars eius posterior ad priorem adducta sit, extremaque coëant ac confundantur, hinc fit ut excrementa meatu ori vicino infra emittant. Octoni hic sed singulis eorum generibus diversi. *Acetabula* sunt quibusdam, cirramentaque, implicamentis illis quibus digitos antiqui medici indere solebant, similia fibris implexa, quibus carunculas cæteraque cedentia trahunt. Aliis breves & inutiles, binæque promuscides prælongæ, quibus veluti anchoris innituntur, seque contra æstus marinos navigii modo stabiliunt. *Fistulam*, supra caput, & brachia ante alveum, gerunt, cavam, quam modò in dextram modò in sinistrā partem transferunt, & hac, mare transmittunt. Aristotele hæc modo, αὐλὸς modò μυκτὴρ. Gesnerus φυσητήρα legit, Gaza & Plinius narem transtulere. *Pinnulam* quoque habent circumdantem alveum, ut natare, & se in natando dirigere possent.

Arist. H. A. l. 4. c. 1. l. 8. c. 2.
Plin. H.N. l. 9. c. 12.
Aristot. de part. Anim l. 4. c. 10.

Alveus à capite amplioris capacitatis propendet, cuius caro non in directum, sed in orbem fissilis & cute integitur. Cutem tamen Salvianus denegat, & Plinius, nulla, Polypos vestiri scribit. *Capillamenta* in toto eorum latere conspiciuntur, quorum is, qui branchiarum in aliis piscibus, usus. Scholiastes Nicandri ὀσφίγγας, Aristoteles τριχώδη vocat. *Interiora* si spectes. Os *gula* excepit angusta, quam sequitur ingluvies, πεῶλος, ampliuscula, neque avibus absimilis, cui jungitur *venter*, tanquam ἠνυσῤον facie buccinorum claviculæ.

Plin. H.N. l. 9. c. 12.

Intestinum ab eo tenue, partem versus repens superiorum ad os fertur, quod laxius est quàm gula. De *Cerebro*, vel quod ipsi proportione respondet, superius diximus, *vesica* carent. *Mutis* adhuc superest, quam Aristoteles, principatum sentiendi obtinere dicit, ac si hæc cordi esset ἀνάλογον. Humida ea & corpulenta pars per quam gula in ventrem pertendit, adnata magis tergo. Ater humor, quem quidam τὸν θόλον, alii ut Athenæus & Dioscorides τὸ μέλαν vocant, pro sanguine ipsis inest, si Plinio credimus: pro bile, ut Rondeletio placuit. Non solet, scilicet, natura, id quod pro sanguine servat, in quolibet metu effundere: nec ullus meatus venæ proportione respondet, quo alendi corporis causa in universum corpus distribuatur. Secretus is ab alimento in vesica, seu tunica membranea; Aristoteles μήκωνα, Gaza Papaver appellavit; exitum finemque habente, qua alvi excrementa emittunt, parte quæ fistula vocatur, quæ in supinis posita est.

Aristot. de partib. l. 4. c. 5.
Plin. H. N. l. 9. c. 29.

In salsis aquis degunt: sed in potulentioribus non inveniuntur, idcò frustrà in Ponto quæras. Locus. Arist. H. A. l. 9. c. 28.

Vescuntur carnibus. Nec *sexus* ipsis denegatus. Aristoteles enim vulvas bifidas, ac testes geminos juxta genitale in omnibus reperiri ait. Cibus. Arist. H. A. l. 4. c. 1. de Gener. l. 1. c. 1. & 3.

Differunt fœminæ à maribus, quod mas prona sui corporis nigriora supinis, partesque omnes asperiores habeat quàm fœmina, & lineis intervenientibus varias, caudamque acutiorem. In mare quoque meatus quidam subditus gulæ, à Cerebro in ima alvei pertendit, idq; ipsum ad quod fertur, speciem mammæ imitatur: in fœmina duplex illud idem, supraque positum habetur. Sexus.

Generationem quod spectat, Tergis copulari, & diu in venere, quia frigida, morari, compertum. Ore coire, & renixu atque complexu mutuo brachiorum jungi, prodidit alibi Aristoteles. Generatio. Arist. de Gener. l. 1. c. 15 & l. 3. c. 8.

Semen per meatum emittunt, idque parte corporis supinâ, qua *putamen* distat, & mare illabitur, faciunt. Continent fœminæ primò ova indiscreta, mox discreta in plura: sed quia imperfecta excluduntur, augescunt more vermium, postquam vim vitalem ab asperso maris semine accepere. Sic glutino uvæ instar cohærent, & quam primum

primum vitale virus attigere, animalcula ex ijs nascuntur.

De *sensibus* nullum est dubiũ. Dormire & somniare apud Aristotelem habemus.

Vsus. *Arist. H. A. l.4.c.14.* *Arist. de Gen. l.1.c.19.* *Galen. l. de boni & mali succi cibis.*

Apponebantur olim mensis; & probabantur maxime gravida. Nec nunc à culina exulant, quædam Polyporum genera si excipias. Succum salsum exiguum crudum copiosum habere scripsit Galenus. Flatus parere, elixataque probiora effici, quod humor noxius eluatur, Diphilus. Ova an aliquando in cibo fuerint, dubium.

****

TITULUS II.

De Mollibus in specie.

CAPUT I.

De Polypo.

Tab. I. 1. Aldrov. Exangv. l.1.c.2.

ANTUM de Molluscis in genere sufficiat, iam in specie de iis agemus. Numerantur autem inter ea, *Polypus*, *Sepia*, *Loligo*, quibus *Leporem marinum* adijcimus.

Nomen.

Polypus, qui pro ratione Dialectorum, πολύπους, πουλύπους, πούλυπος, πώλυπος, & πώλοψ vocatur, à multitudine pedũ, nomen sortitus est. Antiphyllus Byzantius in quodam Epigrammate πουλυπόδην dixit. Lacones ἀνέσεον, alij ὄνον, seu asinum marinum, infimæ ætatis Græci Octapodia, seu Octapodos vocavere.

Descriptio.

Descriptionem quod attinet, *Ventrem* tum figura tum tactu, cũ Sepiis similem habere, stomachum nimirũ sive gulam ab ore prælongam, quam ingluvies excipit; tum ventrem coniungi, ac intestinum simplex ventri annecti, & usque ad exitum tendere, Aristoteles prodidit. *Cerebrum* in dissecto duplex conspici, citat ex Aristotele Athenæus, qui & *atramentum* eius subruffum esse, & in vesica, quã μήκωνα vocant, quoque supra ventrẽ, auctoribus Æliano & Scholiaste in Aristophanũ, sita est, contineri, scribit, minusque huius quàm Sepiam, & quidẽ ad mutim habere, quod brachia habeat coloremque mutet, ubi amissum est, accrescere, & nunquã eius copia desit, Aristoteles addidit. *Caput* ei prædurum quam diu vivit, & quasi inflatum est. Alveus id in cæteris mollibus dicitur, quod brevior & rotundior conspiciatur. *Oculi*, supra duos pedes: *Os* & dentes in pedum medio. *Pedes* habet ut reliqua octonos membrana interiecta magnos, non solum ad natandum, sed & ad ambulandum utiles, quorum medii quatuor habentur maximi, ut bina sæpe cubita superent, cum acetabulorum ordine duplici, quibus ori cibum admovẽt; reliqui quatuor, duo superne, totidem inferne, memini. A quibusdam brachia, ab aliis, Crura, Cirri, à Plinio barbæ, vocãtur. Acetabula Aristoteles πλεκτάνας, alij κοτυληδόνας, Antiphilus Bizantius ἕλικας, Antipater Thettalus πλοκμοὺς, Ovidius flagella, dixere, πρῆθμα à Hesychio & Varino dici, nonnulli credidere, alii id capiti tribuunt. *Dorsum*, Plinius partem lævem appellat, à qua acetabulorum ordo inchoatur. *Cervicẽ*, habet imbecillam, cum premitur. *Pinnulam* ipsi angustam, de medio ortam, quod parvum habeat alveum, quem pedibus suis dirigere possit, Aristoteles tribuit. Plinius ob eandem causam, habere negat. Tam esse exiguam, ut minimè aut vix conspici possit, experientia didicimus. *Fistula* ipsi in dorso, cava, qua mare transmittit: eamque modo in dextram partem, modò in sinistram transfert. *Rostrum* Psittaci, si Scaligero & Bellonio, fides. *Cutis* nulla, quamvis Bellonius pedes cute contegi reliquerit. *Caro* alba, cavernosa, meatuumque plena, quod apud Galenum & Plutarchum legimus.

Aristot. de part. l. 2. c.8. *Athen. Dipnosoph. l.7.* *Arist. de part. l.4. c.5.* *Aristot. H. A. l.9.c.37.* *Athen. Dipn. l.7.* *Aristot. H. A. l. 4.c.1.* *Arist. de part. l. 4. c.9.* *Arist. H. A. l.4.c.9.* *Plin. H. N. l.9.c.29.* *Scalig. Exerc. 218.* *Bellon. Observ. l. 1.c. 14.* *Galen. de sympt. caus. l.3.*

In *mari Adriatico* sunt frequentissimi. Thasus & † Caria optimos, Corcyra magnos alit. In exterioribus Cartejæ locis ad talenti pondus accedere, Strabo scribit. In Ponto Euxino non reperiuntur magni, si Oppianum sequimur: circa Hellespontum nulli, quod hoc mare ad Boreã spectans

Locus. *Plut. qu. natur. 19.* *† Athen. l.7.* *Strabo Geogr. l. 3.* *Oppian. Hal. l.1.*

ſpectans imbribus ferè ſit obnoxiũ.

Ariſt. H. A. l. 8. c. 2. *Victus* ipſis carnes cõchularum, quas complexu crinium frangunt: itaque præjacentibus teſtis cubilia eorum deprehenduntur, Carabi, Cancri, Paguri, Locuſtæ, quarum carnes quandoque exſugunt, & ſuccum exhauriunt; ſalſamenta, & piſces. Hæc omnia tanta aviditate devorant, ut ne à proprio quidem genere abſtineant, & ſi Æliano fides eſt, qui minores retibus incluſi capiuntur, majorum eſca fiunt. Humanas verò carnes inprimis appetit. Et refert Trebius Niger apud Plinium, ad conficiendum hominem, in aqua, nullum hoc atrocius eſſe animal, luctari cõplexu atque ſorbere, & numeroſo ſuctu detrahere, ac in naufragos urinantes impetum facere. Depaſci & arborum fructus, in ſiccum æſtivo tempore egreſſos, certum. Ex plantis autem olea maximè delectari eiuſque truncum flagellis ſæpiſſimè amplecti, præter Athenæum, Oppianus prodidit. Ficis ad mare natis affigi, & fructum mãdere, ex Clearcho habemus. An brachia ſua tempore penuriæ, ſub brumam comedant, quæ rurſum renaſcantur, dubium quidem eſt, à maximis tamen authoribus, Alcæo, Diphilo, Heſiodo, Oppiano, & Æliano, affirmatur, hinc κολοβόπους dici Iohanni Grammatico ajunt. At Ariſtoteles, Plutarchus id falſum cenſent, & ille, aliquos ſua brachia à congris habere, addit. Diſtingui *Sexu*, nullum dubium, & Marem à fœmina differre, quod ille capite eſſe productiore, & brachio ſuo gerit, quod genitalis ſpeciem referat, in quo duo ampliſſima acetabula habentur. Nervo id quaſi conſtare, porrectum ad medium uſque brachium confirmant, totumq; nari fœminæ annecti. Athenæus, acutius & ſolum albicans eſſe, parte ſui extrema bifurcatum, dorſoque annexum tradit. Plinius forte *caudam* vocat.

Victus. Ælian. H. A. l. 6. c. 32.

Ælian. H. A. l. 1. c. 1.

Athen. Dipnoſ. l. 7. Oppian. Halie. l. 4.

Oppian. Cyneget. l. 3.

Ariſt. H. A. l. 8. c. 2.

Sexus.

Ariſt. H. A. l. 5. c. 6.

Athen. Dipnoſ. l. 7.

Generatio.

De *Coitu* ipſorum hoc ſcimus, cum latent, (conduntur autem binis mẽſibus) idque hyeme coire, & ova parere. Os ori, acetabula acetabulis componunt. Cum eo, quod vocant caput, in terram reclinato, unus invitetur, brachiaque pandat, alter, paſſis item flagellis, adaptat ſeſe ita, ut acetabula continuentur. Edunt ova & quidem verno tempore, fiſtula. De Ovis ita Ariſtoteles. Deponũt aut in cavernis aut in teſtis, aliove cavo loco ſimile quiddam labruſcæ cirrulis, & candidæ populi fructui. Edita ova dependent ab ambientibus ſpecuum parietibus, tanta copia, ut exemta, vas implerint longè maius, quam caput ipſius, in quo ipſa continebantur. His quinquageſimo demum die diſruptis, puſilli polypi generantur: & magno agmine ſerpunt, phalangior. more. Ac quanquam nõ omnibus membrorum ſingulorum natura conſpicua eſt: tota tamen apparet forma. Multi autem propterea quod invalidi ſint, pereunt. Adeò verò aliquando exigui reperti ſunt, ut nihil haberent diſcretum; cætera diſcreti moverentur. Quod ita breviſſimè Plinius. *Polypi vere pariunt ova tortili ſimulata pampino, tanta fœcunditate, ut multitudinem ovorum cuncti recipiant cavo capitis, quo prægnantes tulere. Excludunt quinquageſimo die, è quibus multa propter numerum intercidunt.* Polypus fœmina modò incubat ovis, modò cavernam cãcellato brachiorum implexu claudit. Artificiosè hęc extructa, & circumjecta concharum tenuiorum & ſcabrarum congeries velut lorica dura erigitur. De *AEtate* hæc apud Ariſtotelem legimus. *Pauciſſima genera Polyporum biennium vivunt. Natura enim facile contabeſcit. Argumento eſt. Preſſus enim, aliquid ſemper emittit, ac tandem evaneſcit. Patiuntur hoc fœminæ, poſt partum magis, ac ſtupidæ fiunt, neque fluctibus agitatæ ſentiunt. Facile quoque ab urinantibus manu capiuntur. Muccoſæ quoque evadunt, neque ad venandum conſiſtere queunt, quod autem bimatum non expleant, inde capiunt argumentum. Nam poſtquam polypuli orti ſunt, tum in æſtate, tum ſub Autumnum, haud facilè invenias polypum grandem. At ante id tempus maximi ſunt. Vbi igitur ova ediderint, ſic conſeneſcere atque debilitari utrumque affirmant, ut etiam à piſci-*

Ariſt. H. A. l. 9. c. 18.

Ariſt. H. A. l. 5. c. 6.

Plin. H. A. l. 9. c. 31.

Ariſt. H. A. l. 9. c. 59. Scalig.

piſciculis exedantur, perfacile quoque abſtrahi à cubilibus. Ante id tempus, nihil tale. Ælianus hoc Veneri adſcribit, cui & Oppianus aſſentitur. Vivit tamen etiam in centum diſſectus partes. *Natant* & pinnis & pedibus, & quidem obliqui. Pedes in eam porrigunt partem, quæ capitis nomine appellata eſt, ita, ut cum natant, in adverſum proſpiciant, & caput ex adverſo habeant. Sub aquis, ita in ſolido ingrediuntur, ut humoris beneficio ſuſpenſi fluctuent. In ſicco (in ſiccum exeunt aſperum, lævitatem odere) cum ambulatio cum pulſu & tractu fiat, alterum ſolum eſt in Polypi motu. Acetabulis enim iactis procul, ut, cuique applicuere id apprehenſum tenent: tum brachiorum contractione corpus admovēt, ita ſubvehunt ſeſe in eam partem cui adhæſerunt.

Ingenium & ſagacitatem ſi ſpectes, ἀνόητον quidem Athenæus, brutum Plinius vocat, quod ad homines adnatet, nec perſequentem fugiat: eſt nihilominus callidus & ſolers. Nam primò, omnia in domum comportat, dein putamina eroſa carne egerit, ad natanteſq; ad ea piſciculos venatur. Idem Conchas artificiosè diſcuneat, & earundem carnibus veſcitur. *Non ſunt*, inquit Plinius, *prætereunda & L. Lucullo Proconſ. Beticæ comperta de Polypis, quæ Trebius Niger è Comitibus eius prodidit, avidiſſimos eſſe Concharum; illas ad tactum comprimi, præcidentes brachia eorum, ultroque eſcam ex prædante capere. Carent Conchæ viſu, omnique ſenſu alio, quam cibi & periculi. Inſidiantur ergo Polypi apertis, impoſitoque lapillo extra Corpus, ne palpitatu ejiciatur, ita ſecuri graſſantur, extrahuntque carnes: illæ ſe contrahunt ſed fruſtra, diſcuneatæ. Tanta ſolertia, animalium hebetiſſimis quoque eſt.* Colorem eum mutare, ſic piſciculis imponere, vulgare; in eo non convenit, quod Theognis, Phocyllides, Ion, petrar. duntaxat mentiri colorem ſcribunt. Plinius verò & Antigonus ad ſimilitudinem, ille loci, hic rerum, quibus appropinquat, quod & de arena Scaliger innuiſſe videtur, eandem ſuſcipere, prodant.

Ælian. H. A. l. 9. c. 30.

Motus.

Scalig. Exerc. 218.

Ingenium.

Ariſt. H. A. l. 9. c. 37.

Plin. H. N. l. 9. c. 30.

Athen. Dipnoſ. l. 2.

Plin. H. N. l. 9. c. 37.

Cauſas huius rei diverſi diverſas aſſignant. Plutarchus id aſtu facere & quod corpus poroſum & tranſparens habeat, ait. Alij, ut Theophraſtus ſcribit, metui id aſſignant, ut cū hominis genæ, pro varia cordis concitatione, hoc vel illo colore tinguntur. Bellonius, ob mollem pellem, quæ facile deglubi poteſt, id fieri credit. Cuius colorem, nunc album (hunc aſſumere non poſſe, apud quoſdam invenies) mox ruffum, poſtea lividū, mox variis coloribus diſtinctum videas. Huc pertinet & illud quod apud Plinium extat. Polypum hamos appetere, brachiiſque complecti, nō morſu, nec prius dimittere, quam eſcam circumroſerit, aut harundine levatum extra aquam: Monſtro verò propiora ſunt, quæ Trebius Niger, apud eundē prodidit. *Carteiæ*, inquit, *in Cetariis prodire aſſuetus, exire in lacus eorum è mari apertos, atque ibi ſalſamenta populari, convertit in ſe cuſtodum, indignationem, aſſiduitate furti immodici. Sepes errant obiectæ, ſed has tranſcendebat per arborem, nec deprehendi potuit, niſi canum ſagacitate: Hi redeuntem circumvaſere noctu: Concitiq; cuſtodes expavere novitatem. Primum omnium magnitudo inaudita erat, deinde color muria obliti, odore diri. Quis ibi Polypum* expectaſſet, aut ita cognoſceret? cum monſtro dimicare ſibi videbantur. Namque & afflatu terribili canes agebat, nūc extremis crinibus flagellatos, nunc robuſtioribus brachiis clavarum modò incuſſos, ægreque multis tridentibus confici potuit. Oſtendere Lucullo caput eius dolij magnitudine, amphorarum quindecim capax, atque (ut ipſis Trebij verbis utar) barbas, quas vix utroq; brachio amplecti eſſet, clavarū modo toroſas, longas pedū XXX. acetabulis ſive caliculis urnalibus, pelvium modo: dentes magnitudini reſpondentes. Reliquiæ aſſervatæ, miraculo pepēdere pondo DCC. Quæ de alio, mercatorū res ſalſamentaq; Puteolis depopulante, dicuntur, apud Ælianum vide.

Plin. H. N. l. c.

Plin. H. N. l. 9. c. 30.

Ælian. H. A. l. 13. c. 8.

Athen. Dipnoſ. l. 4

Vſus.

Quantum ad *uſum* appoſitos olim menſis, nullum dubium. In convivio nu-

vio nuptiali Sphicratis, qui Cotys Regis Thracum filiam ducebat, erant centum. Mnesimachus in Hippotropho apud Athenæum, eosdem apparat. Apud Græcos, quoque cum Ἀμφιδρόμια celebrarentur, ab amicis mittebantur. Duræ tamen sunt carnis, & ad concoquendum difficilis. Ideo ligno contunduntur, vel ad lapidem atteruntur, ut fibrosæ carnis durities frangatur. *Caput* suavissimi saporis esse perhibetur. *Caro*, si concoquatur, copiosum alimentum, sed succo crudo scatens, suggerit. Plinius muriam ex sese emittere, scribit, & ideò non debere in coquendo addi, & arundine secari: ferro enim infici, vitiumque trahere, natura desinente. Elixi magis probantur quam assi. Philoxenus Dythiramborum Poeta, quod totum excepto capite devorasset, in ęgritudinem incidit, & mortuus est. Idem Diogeni Cynico accidit, quod crudum † deglutivisset. Invenere & *in Medicina* locum. Polypo tuso & apposito sisti sanguinem, scripsit Plinius. Myrepsus in clibano cū lignis oleæ eundem urit, donec in cinerem vertit, pulveris unciam, cum dimidia Chalcanti miscet, & naribus ad tollendum Polypum insufflat. Secundum Hippocratem, tosti puerperii purgamenta purgant, bene ad concipiendum dantur, menses in vino albo suffocati, movent. Uteros molliunt, & in dislocatione eorundem bene præscribuntur. Ad Venerem stimulare, præter Diphilum, Æginetam, Dioclem, Alexis & Xenarchus apud Athenæum testantur. Iovius verò, sale inveteratos Venetias ex Dalmatia & Illyrico deportari, & à senibus acetabula & extremitates cirrorum, ad sobolem procreandam expeti, scribit. Causam Mnesitheus in flatuositatem, Iovius in salsedinem Aldrovandus, in seminis copiam, quam suppeditant, coniiciunt.

Athen. Dipnos. l. 9

Plin. H. N. l. 32. c. 10.

† Plutar. l. An aqua igne melior.

Hippocr. l. de inter. affect. de Natura muliebri &c.

Antipathia.

Inimicitias cum Locusta, Cammaro, Congro, & Muræna exercet. Locusta cum in tantum pavet, † ut si juxta viderit, omnino moriatur, quod & Ælianus prodidit. A Congris † laceratur. Muræna eidem dentium firmitate brachia † abscindit. Cum apud Epidaurum easdem secaret Bellonius, ventriculos cirris Polyporum refertos comperit. Immobiles manere si quis rutam coniiciat, Ælianus author est.

† Plin. H. N. l. 9. c. 62 Ælian. H. A. l. 10. c. 38.

† Plin. l. c.

† Ælian. H. A. l. 1. c. 32.

Ælian. H. A. l. 1. c. 39.

Differentia.

Quantum ad *Differentias* & *Genera*, variant circa ea authores. Apud Athenæum ex Aristotele & Speusippo, Heledonem, Polypodinem, Bolbotynen, & Osmylen, species Polyporum invenies. Apud eūdem Nautili & Trepsichrotis fit mentio. *Aristotelis* hæc sunt verba, ex Scaligeri interpretatione. *Polyporum multa sunt genera. Vnum genus est frequentissime summa aqua natans, quod & maximum est. Horum littoris accolæ longe sunt maiores quam qui in alto degunt. Aliud genus parvorum, ij vario sunt calore, neque esitantur. Item alia duo. Nam* Eledona *tum peculiari crurum longitudine: tum, quia molluscorum sola singularibus tantum acetabulis prædita est. Cum bina alij habeant. Et quam alij vocant* Bolitænam, *alij* Olentiam. *Postremo alij duo in conchis. Vnus, à quibusdā &* Nautilus *&* Nauticus, *appellatur, ab alijs autem ovum* Polypi. *Ejus testa pectunculo similis est, cava: neque ei connexa natura. Is prope terram pascitur sæpe numero: quare à fluctibus eijcitur in aridam, ubi elapsus de Concha, aut capitur, aut in humo perit. Hoc genus & pusillum est, & simile Bolitænis. Alter in testa tanquam limax, is ex ea nūquam exit: sed interdum brachia exerit.* Tantum Aristoteles: Quinque itaque Polyporum genera sunt, quorū duo in conchis hærent, tria, sine conchis conspiciuntur, inter quæ levem & exiguam moderni differentiam esse putant. *Eledone* ἀπὸ τοῦ ἑλεῖν, quod comprehendat, vel ἀπὸ τοῦ ἑαυτὸν ἐδεῖν, quod se seipsam rodat, dicitur, ὄζαινα, ὀξολφῶ, ὀσμύλφῶ, à gravi capitis odore nomen habet: Osmylus adeo benè olet, ut Gyllius, nihil moscosius se sensisse, etiam tum cum mortuus esset, scribat. Pollux tamen inter cirros & caput fistulam gerere, è qua tetrum emittat odorem, prodidit.

Ath. l. 7.

Arist. H. A. l. 4. c. 7. Scalig. edit.

Bolitæna, quo & βολβοτίνη, Scaligero olentia, vel potius Putilia dicitur. Gyllius eam, ut & πολυποδίνην, nomine ab Os-

ab Osmylo duntaxat differre, scribit. Epicharmus apud Athenæum, mare olere ait. Non alit eam Euripus: in Laconia frequens est. Illa Menulas Sepiolasque venatur. Ad venerem plus cæteris valet. E siccatur à quibusdam, ut vestibus fragrantiam in aquis conciliet.

Plin. H. N. l. 9. c. 30.

CAPUT II.

De Sepia.

TAB. I. 2.3.7.8. Nomen.

SEpia, quæ Thebanis *Opistholia*, Arabibus *Sarathan* & *Sarthan* audit, Græcis ita dicitur, non quod sepibus interclusa facilius capiatur, ut Isidoro placet, nec quod profuso atramẽto se sepiat, ne capiatur: sed quod atramento, veluti putrida quadam sanie, quam Græci σηπεδόνα vocant, abundet.

Descriptio.

Descriptionem quod attinet, multas cum Polypis, plurimas cum Lolligine, communes habet, partes quasdam etiam proprias. Cum Polypo convenit, quod pinnas exiguas habeat. Angustam esse, & per totum alveum circumductam apud Aristotelem legimus, ventrem tum figura tum tactu similem. Cum Loligini bus, sortita est alveum corporis magnum, qui tamen Sepiæ latior, Loligini longior; crura † brevia; pedes supra dentes senos exiguos, eorumque novissimos duros majores, reliquos octonorum duos infra, omniũ maximos, promuscides binas longas acetabulo parte extrema bino asperiusculas, quibus veluti anchoris innituntur, seque tempestate urgente modo navigij stabiliunt, venantur, & prædam ori è longinquo admovent, pedes Plinius vocat. Vulvam quoque articulatam habent, ut bifida cernatur, cum Polypi rotundum conglobatumque uterum habeant. Proprium Sepiæ est præter fistulam inter caput & alveum prominentem, atramenti copia, & vel idcò quàm cæteris maior, quod vitam littoralem traducat, & nihil aliud quo sibi auxilietur habeat, cum Polypis & brachia, & mutatio coloris inserviat. Continet hoc non ea quã μίτιν vocant, quam Plutarchus vesiculam collo dependentem facit, sed infra ad alveum, qua intestinum petere incipit superiora, foramenque suum eadem obvolutum habet. Vocatur hoc Galeno θόλος ὑπόσαγμα & ἕτερον, Nicandro χολή, Æliano, ἀποσφάγμα. Aristoteles noctu prefulgere ut quorundam piscium capita, addit. Habet & ῥάβδιον, in dorso, robustum & latum, inter spinam & os, mediam præ se ferens naturam, fungosam intra se complectens & friabilem corpulentiam. Athenæus, & Dioscorides ὄστρακον, Columella testum vel testam vocavit. Exemtum id è Sepiæ dorso, candidum est superiori parte, durum ac læve: inferiore autem fungosa quadam medulla repletum, quę & leviter aspera, & ligni modo frequentibus venis distincta visitur. Germani Fischbein vocant. Sæpè binum cubitorum magnitudine capiuntur.

Aristot. de Part. Animal. l. 4. c. 8.

† Arist. H. A. l. 4. c. 1.

Arist. de Part. Anim. l. 4. c. 9.

Plin. H. N. l. 9. c. 28.

Arist. de gen. c. 8.

Arist. de sens. & sens. sat.

Locus.

In Ponto nullas *reperiri* Sepias, Plinius author est. In septentrionali Oceano degere, cum sint frigidæ & exangues, mirum. Major earundem in Gallia quam Italia copia, maior in Adriatico quam Tyrrheno mari. Archestratus, eas quæ prope Abderas & Maroniam capiuntur, laudat. Littoralem tantum vitam vivere, apud Aristotelem, cavernas maris incolere, apud Oppianum habemus.

Aldrov. l. 1. c. 4.

Arist. de part. l. 4. c. 5.

Victus.

Victitat piscicilis, sæpe & mugile, quem longis promuscidibus venatur. Aliquando & majores pisciculos vincit.

Arist. H. A. l. 9. c. 37. & l. 8. c. 2.

Generatio.

Generatio sic perficitur. Coëunt corpora inter se amplexæ, adaptantesque mutuo ex adverso narem (μυκτῆρα) & brachia, quod ore coire & lingua Plinius falso dixit. Vere uterum fœmina gerit, continet partum diebus quindecim: Ova statim candida specie grandinis: magnitudine myrtillorum grandiusculorum. Editis superinfundit de suo atramento. Itaque & nigra fiunt: & quasi glutino hærescunt inter se ad racemuli figuram. Mas quoque genituram suã

Plin. H. N. l. 9. c. 31.

Arist. H. A. l. 15. c. 17.

Scal. edit.

vio nuptiali Sphicratis, qui Cotys Regis Thracum filiam ducebat, erant centum. Mnesimachus in Hippotropho apud Athenæum, eosdem apparat. Apud Græcos, quoque cum Ἀμφιδρόμια celebrarentur, ab amicis mittebantur. Duræ tamen sunt carnis, & ad concoquendum difficilis. Ideo ligno contunduntur, vel ad lapidem atteruntur, ut fibrosæ carnis durities frangatur. *Caput* suavissimi saporis esse perhibetur. *Caro*, si concoquatur, copiosum alimentum, sed succo crudo scatens, suggerit. Plinius muriam ex sese emittere, scribit, & ideò non debere in coquendo addi, & arundine secari: ferro enim infici, vitiumque trahere, natura desinente. Elixi magis probantur quam assi. Philoxenus Dythiramborum Poeta, quod totum excepto capite devorasset, in ęgritudinem incidit, & mortuus est. Idem Diogeni Cynico accidit, quod crudum † deglutivisset. Invenere & *in Medicina* locum. Polypo tuso & apposito sisti sanguinem, scripsit Plinius. Myrepsus in clibano cũ lignis oleæ eundem urit, donec in cinerem vertit, pulveris unciam, cum dimidia Chalcanti miscet, & naribus ad tollendum Polypum insufflat. Secundum Hippocratem, tosti puerperii purgamenta purgant, bene ad concipiendum dantur, menses in vino albo suffocati, movent. Uteros molliunt, & in dislocatione eorundem bene præscribuntur. Ad Venerem stimulare, præter Diphilum, Æginetam, Dioclem, Alexis & Xenarchus apud Athenæum testantur. Iovius verò, sale inveteratos Venetias ex Dalmatia & Illyrico deportari, & à senibus acetabula & extremitates cirrorum, ad sobolem procreandam experti, scribit. Causam Mnesitheus in flatuositatem, Iovius in salsedinem Aldrovandus, in seminis copiam, quam suppeditant, coniiciunt.

Athen. Dipnos. l. 9

Plin. H. N. l. 32. c. 10.

† Plutar. l. An aqua igne melior.

Hippocr. l. de inter. affect. de Natura muliebri &c.

Inimicitias cum Locusta, Cammaro, Congro, & Muræna exercet. Locusta cum in tantum pavet, † ut si juxta viderit, omnino moriatur, quod & Ælianus prodidit. A Congris † laceratur. Muræna eidem dentium firmitate brachia † abscindit. Cum apud Epidaurum easdem secaret Bellonius, ventriculos cirris Polyporum refertos comperit. Immobiles manere si quis rutam coniiciat, Ælianus author est.

Antipathia.

† Plin. H. N. l. 9. c. 62 Ælian. H. A. l. 10. c. 38.

† Plin. l. c.

† Ælian. H. A. l. 1. c. 32.

Ælian. H. A. l. 1. c. 39.

Differentia.

Quantum ad *Differentias* & *Genera*, variant circa ea authores. Apud Athenæum ex Aristotele & Speusippo, Heledonem, Polypodinem, Bolbotynen, & Osmylen, species Polyporum invenies. Apud eũdem Nautili & Trepsichrotis fit mentio. *Aristotelis* hæc sunt verba, ex Scaligeri interpretatione. *Polyporum multa sunt genera. Vnum genus est frequentissime summa aqua natans, quod & maximum est. Horum littoris accolæ longe sunt maiores quam qui in alto degunt. Aliud genus parvorum, ij varto sunt calore, neque esitantur. Item alia duo.* Nam Eledona *tum peculiari crurum longitudine: tum, quia molluscorum sola singularibus tantum acetabulis præditaest. Cum bina alij habeant. Et quam alij vocant* Bolitænam, *alij* Olentiam. *Postremo alij duo in conchis. Vnus, à quibusdã &* Nautilus *&* Nauticus, *appellatur, ab alijs autem ovum* Polypi. *Ejus testa pectunculo similis est, cava: neque ei connexa natura. Is prope terram pascitur sæpe numero: quare à fluctibus eijcitur in aridam, ubi elapsus de Concha, aut capitur, aut in humo perit. Hoc genus & pusillum est, & simile Bolitænis. Alter in testa tanquam limax, is ex ea nũquam exit: sed interdum brachia exerit.* Tantum Aristoteles: Quinque itaque Polyporum genera sunt, quorũ duo in conchis hærent, tria, sine conchis conspiciuntur, inter quæ levem & exiguam moderni differentiam esse putant. *Eledone* ἀπὸ τοῦ ἑλεῖν, quod comprehendat, vel ἀπὸ τοῦ ἑαυτῷ ἥδειν, quod se seipsam rodat, dicitur, ὄζαινα, ὀξολφος, ὀσμύλφος, à gravi capitis odore nomen habet: Osmylus adeo benè olet, ut Gyllius, nihil moscosius se sensisse, etiam tum cum mortuus esset, scribat. Pollux tamen inter cirros & caput fistulam gerere, è qua tetrum emittat odorem, prodidit.

Aristot. H. A. l. 4. c. 2.

Scalig. edit.

Bolitæna, quo & βολβοτίνη, Scaligero olentia, vel potius Putilia dicitur. Gyllius eam, ut & πολυποδίνην, nomine ab Os-

ab Osmylo duntaxat differre, scribit. Epicharmus apud Athenæum, mare olere ait. Non alit eam Euripus: in Laconia frequens est. Illa Menulas Sepiolasque venatur. Ad venerem plus cæteris valet. Exsiccatur à quibusdam, ut vestibus fragrantiam in aquis conciliet.

Plin. H. N. l. 9. c. 30.

CAPUT II.

De Sepia.

TAB. I. 2.3.7.8. Nomen.

SEpia, quæ Thebanis *Opistholia*, Arabibus *Sarathan* & *Sarthan* audit, Græcis ita dicitur, non quod sepibus interclusa facilius capiatur, ut Isidoro placet, nec quod profuso atramẽto se sepiat, ne capiatur: sed quod atramento, veluti putrida quadam sanie, quam Græci σηπεδόνα vocant, abundet.

Descriptio.

Descriptionem quod attinet, multas cum Polypis, plurimas cum Lolligine, communes habet, partes quasdam etiam proprias. Cum Polypo convenit, quod pinnas exiguas habeat. Angustam esse, & per totum alveum circumductam apud Aristotelem legimus, ventrem tum figura tum tactu similem. Cum Loligini bus, sortita est alveum corporis magnum, qui tamen Sepiæ latior, Loligini longior; crura † brevia; pedes supra dentes senos exiguos, eorumque novissimos duros majores, reliquos octonorum duos infra, omniũ maximos, promuscides binas longas acetabulo parte extrema bino asperiusculas, quibus veluti anchoris innituntur, seque tempestate urgente modo navigij stabiliunt, venantur, & prædam ori è longinquo admovent, pedes Plinius vocat. Vulvam quoque articulatam habent, ut bifida cernatur, cum Polypi rotundum conglobatumque uterum habeant. Proprium Sepiæ est præter fistulam inter caput & alveum prominentem, atramenti copia, & vel idcò quàm cæteris maior, quod vitam littoralem traducat, & nihil aliud quo sibi auxilietur habeat, cum Polypis & brachia, & mutatio coloris inserviat. Continet hoc non ea quã μίτιν vocant, quam Plutarchus vesiculam collo dependentem facit, sed infra ad alveum, qua intestinum petere incipit superiora, foramenque suum eadem obvolutum habet. Vocatur hoc Galeno θόλῳ ὑπόσαγμα & ἔνσεπτερον, Nicandro χολή, Ælíano, ἀποσφάγμα. Aristoteles noctu prefulgere ut quorundam piscium capita, addit. Habet & ζίφιον, in dorso, robustum & latum, inter spinam & os, mediam præ se ferens naturam, fungosam intra se complectens & friabilem corpulentiam. Athenæus, & Dioscorides ὄστρακον, Columella testum vel testam vocavit. Exemtum id è Sepiæ dorso, candidum est superiori parte, durum ac læve: inferiore autem fungosa quadam medulla repletum, quę & leviter aspera, & ligni modo frequentibus venis distincta visitur. Germani **Fischbein** vocant. Sæpè binum cubitorum magnitudine capiuntur.

Aristot. de Part. Animal. l. 4. c. 8.

† Arist. H. A. l. 4. c. 1.

Arist. de Part. Anim. l. 4. c. 9.

Plin. H. N. l. 9. c. 28.

Arist. de gen. c. 8.

Arist. de sens. & sent. sat.

Locus.

In Ponto nullas *reperiri* Sepias, Plinius author est. In septentrionali Oceano degere, cum sint frigidæ & exangues, mirum. Major earundem in Gallia quam Italia copia, maior in Adriatico quam Tyrrheno mari. Archestratus, eas quæ prope Abderas & Maroniam capiuntur, laudat. Littoralem tantum vitam vivere, apud Aristotelem, cavernas maris incolere, apud Oppianum habemus.

Aldrov. l. 1. c. 4.

Arist. de part. l. 4. c. 5.

Victus.

Victitat pisciculis, sæpe & mugile, quem longis promuscidibus venatur. Aliquando & majores pisciculos vincit.

Arist. H. A. l. 9. c. 37. & l. 8. c. 2.

Generatio.

Generatio sic perficitur. Coëunt corpora inter se amplexæ, adaptantesque mutuo ex adverso narem (μυκτῆρα) & brachia, quod ore coire & lingua Plinius falso dixit. Vere uterum fœmina gerit, continet partum diebus quindecim: Ova statim candida specie grandinis: magnitudine myrtillorum grandiusculorum. Editis superinfundit de suo atramento. Itaque & nigra fiunt: & quasi glutino hærescunt inter se ad racemuli figuram. Mas quoque genituram suã

Plin. H. N. l. 9. c. 31.

Arist. H. A. l. 15. c. 17.

Scal. edit.

Caput IV.

De Lepore marino.

Ta. I. 6. Nomen.

Lepus marinus, Græcis λαγὼς & λαγὼς θαλάσσιος, à colore leporis terrestris, quem ἐμπέρχιον vocant, nomen sortitus est. Monspelienses ebrium vocant, quòd vivus colore ex rubro nigricante sit, quali plerũque ebrii conspiciuntur. Mortuus ex fusco albicat.

Descriptio. Ælian. H. A. l. 2. c. 45 Apulej. in Apologet.

Variè à veteribus *describitur*, qui eum modò offæ informi, ut Plinius, modò cochleæ testa exemptæ ut Ælianus; modò Lolligini parvè, carneam si respicias, ut Dioscorides: assimilarunt. Apulejus cætera exossem, duodecim tamen numero ossa ad similitudinem talorum suillorũ connexa & catenata gerere, reliquit.

Differentia.

Rondeletius *tria genera* descripsit. *Primum genus* maximè lethale est, cochleæ nudæ admodũ simile, maximè posteriore corporis parte. Os habet in dorso veluti Sepia, volutæ instar contortum, qua parte caudam spectat; in lateribus Sepiarum modo pinnas habet alveum ambientes replicatas: mox cornicula duo carnosa, qualia sunt in cochleis, altera tantum capitis parte Zygenæ caput imitatur: altera parte foramen est, per quod carnosam quandam substantiam exerit, quam etiam pro arbitrio retrahit. In harum duarũ partium medio rima est pro ore, *atramẽto* & reliquis partibus internis loliginem refert. Idque in hoc genere est mirabile, quòd cum in omnibus animantibus partes sinistræ dextris similes sint, in hoc sint valdè dissimiles, ideò offa informis meritò dicitur. Odore est Pisculento tetroque. *Alterum genus* superiore est maius, partibusque & aliis superiori simile, sed parte priore duas latas appendices carnosas habet, in quarum medio rima est. Paulò infra cornicula duo, qualia in superiore descripta sunt, nisi quod acutiora & breviora sint. In dorso os nullum, neque posterior pars, cochleæ exenteratæ similis est. Huius posterioris partis utroque latere, veluti in Sepia pinnæ sunt magis replicatæ & expansæ. *Tertii generis* prona & supina pars exhibetur. Quod in partis supinæ medio conspicitur, est os: Suprapositа ori pars alveus, qualis in Sepiis, ovi figura, sed in ambitu crenatus. Ori subiecta pars membrana est tenuis, carnosa, magis expansa in rotundum, cuius ora fimbriata est, fimbriæ nigrescunt. Intus cerebri nigri parum est, gulam excipit ventriculus, ex quo oritur intestinum instar capreolorum vitis convolutum. In medio substantia quædam est fungosa, succum fuscum continens, fortassis μέλανα cum atramento suo. Toto corpore est splendido: Crystallum vel pituitam concretam con elatamque dixeris. Odore est ingrato & pisculento nauseumque movet. Hoc genus Bellonius pro communi lepore descripsisse videtur. Fulvum inquit leporis terrestris colorem imitatur. Pulmonis marini more per mare divagatur, tametsi pinnis careat. Pellucidũ habet corpus ovi anserini magnitudinẽ non excedẽs, q̃ pro lubidine huc & illuc trãsfert. Septẽ habet appendices innumeris promuscidibus stipatas ex Indico in cyaneum vergentes, quibus sugendo corpori alimentum suggerit: appendicum autem substantia fungosa est. Ex aqua emergens naturam suam emittit, & in seipsum concidit. Linguam demorsus vellicat ut ari radix, paulò tamen remissius, &c.

Addit Ælianus & *Indicum*, quod ex omni parte ad terreni leporis similitudinem accedit, præter pilos, qui spinosi & erecti. Tertium illud genus in alto mari degit, ideoque rarissimè capitur. Primum in stagnis marinis lutulentis, & alga limoque vescitur. Frequentes inter cycladas insulas occurrere Bellonius prodidit. Dari in hoc genere marem & fœminam apud Plinium habemus. Cum ad Rondeletium delatus esset qui lingula carnosa careret & ore in dorso, marem esse judicavit, primo loco descriptam fœminam, quod in ea Polyporũ ovis simile quid reperiretur.

Ælian. H. A. l. 16. c. 19.

Plin. H. N. l. 22. c. 1.

Adhi-

Usus. *Adhibitus est in Medicina* olim. Galenus & Plinius inter Psilothra referunt. Archigenes ad ægylopas lanæ tomentum sanguine leporis marini tinctum indit. Iubent quidam & lepore marino recenti podagram fricari, prodente Plinio. *Venenatum* esse certissimum est, eum inprimis qui in Indico mari. Eo Titus à fratre Domitiano sublatus est, & Plinius ait. Non sunt minus mira quæ de lepore marino traduntur. Venenum est aliis in potu aut cibo datus, aliis etiam visu. Hi quidem gravidæ si aspexerint fœminam duntaxat ex eo genere, statim nausea & redundatione vitium fatentur, ac deinde abortum faciunt. Remedio est mas induratus sale, ut in brachialibus habeant: eadem res in mari & tactu quidem nocet. Alibi tamen, mortem sæpè inferre, & si nihil aliud ventrem doloribus acerbissimis torquere scribit: quod & Ælianus prodidit. Quæ de mulieribus dicta sunt, à Rondeletio experto confirmantur, sed remedii non meminit. Symptomata quæ insequi solent, egregiè vetustissimus Poëta descripsit

Galen. l. 11. de sympt.

Plin. H.N. l. 32. c. 1.

Ælian. H. A. l. 2. c. 24.

Nicand. in Alexiphar.

Post bibitum hoc virus viridis stagnantia fellis
Excrementa manent, tenebroso lumina visu,
Caligant, liquidæ abeunt in corpore carnes:
Nausea adest, tumet alta cutis, taliq; calescunt:
Subque cavis oculis roseo fucata rubore
Apparet facies, sistensque urina moratur,
Quæ nunc purpureo, nunc sanguineo esse colore
Cernitur, & quemcunq; videt contemnere piscem
Assolet aversans, ut quælibet æquoris æger.

Hinc patet vix pulmoni propriè infestum, cum tot affectus sumpto eo oboriantur. Fatendum tamen plerumque tabem invadere. Alexipharmacorum quæ contra adhibentur haud paucus est numerus. Exhibetur primò helleborus niger, hinc lac asininum inprimis: nec non decoctum malvæ, & alia de quibus Aldrovandum vide. Rondeletius mulieri quæ nauseam ex odore conceperat, cancrorum usum præscripsit.

Aldrov. de Moll. c. ult.

HISTORIÆ NATVRALIS

De Exanguibus Aqueis.

LIBER II.

De Crustatis.

TITVLVS I.

De Crustatis in genere.

QVæ Crustata Plinio, illa Latinis aliis Crustacea, quòd molli crusta operta sint, Græcis μαλακόστρακα, eandem ob causam dicuntur. Medium inter Testacea & Mollusca sortita locum videntur. Nam quatenus foris crusta, etsi fragili & tenui obteguntur, cum testaceis conveniunt: quatenus molle carnosumque intus continent, Mollibus comparantur.

Plin. H.N. l. 11. c. 31. Nomen.

Ossibus carent, quòd ossa juncturis indigerent, ut Cardanus scribit, nec sub crusta extendi possent. Communes ipsis cum cæteris exangnibus partes, Caput, Alveus, Gula, venter, & intestinum. *Alveus* totius corporis indiscretus est: nec *caput* distinctum, nec aliud quicquam. Ideò ea Galenus capite truncare voluit: quod cave de Caudatis accipias. καρίδες ista dicuntur, non tam quòd magnum caput habeant; exiguum enim hoc: quàm quod maximum inter cætera crustata. Et videtur Athenæus apud quem ista leguntur κεφαλὴν catachrestice pro thorace & capite sumere. In Capite *Os* est quod protinus ventrem in omnibus, præterquam in Locustis excipit, mox à ventre intestinum. Exiguus is, si proportionis in

Descriptio.

Aristot. H. A. l. 4. c. 3.

Athen. Dipnos. l. 3.

Arist. H. A. l. 4. c. 5.

corporum magnitudine ratio habeatur: hoc, simplex usque ad exitum excrementi dejicitur. *Dentes* in ore habent duos priores, & quia hi ad exactam ciborum contritionem non satis, quoad intima corporis penetrare queant, tres in ventriculo, alterinsecus singulos, inferius tertium. Longi qui in ore & tegmine duplici operti, inter quæ talia quædam interiacent qualia locustarum dentibus annecti suo loco dicemus. Intra hos binos dentes carnosum est illud, quod linguæ proportionem eiusque effigiem gerit. Supra os *Oculi* siti sunt, iique duri omnibus, apti intrò, foras, & in obliquum & quidem celeriter moveri, ideò palpebris carent: Cardanus in latus moveri ait nostri comparatione, directè autem oculorum suorum. Melius enim esse ut altero utrinque prospiciant etsi diversis oculis, quàm utroque simul nec ante nec post. Prominere autem quia à latere ibus: quia aliter antè penitus prospicerent: à lateribus autem collocari, quia si supra caput non viderent, ante verò non poterant, quia os infra reponere necessarium fuisset, quia caput habent immobile: neque ante simul os & oculos esse, quoniam oportuisset esse latam faciem, unde in motu etiam tardiores evasissent. *Caput* etsi exiguum, appendicibus tamen & cornibus munitur, quæ & ad pugnandum & ad prætendandum iter data sunt. *Pedes* omnibus octoni, omnes in obliquum flexi. *Brachia* forcipibus denticulata sunt bina, quæ Græci χηλας, Apuleius furcas, alii nomine Græco servato Chelas nominant. Horum pars superior in primoribus his, ut loquitur Plinius, movetur superiore immobili; hisque pro manibus utuntur, & contra quam pedes flectant. Omnibus magna ex parte grandior & validior dexter quàm lævus *forceps* est. *Caro* colore sanguinis rubra & tactu lento. In alveo humor est pallidus, & minuta quædam oblonga & albida, ruffa etiam alia maculis dispersis. *Papaver* eis parcius. brachior. annexus communis. *Tabellas* quidam Latini vocant quas πλάκας Aristoteles, quibus cor crustæ coagmentantur. *Lapides* sub crusta genitos refert Cardanus, de quibus in Cancris agemus.

Plin. H.N. l.11. c. 37.

Arist. H.A. l.4.c.2.

Cardan. variet. l.37

Plin. H.N. l.9. c.31.

Arist. H.A. l.4.c.2.

In stagnis potius marinis & juxta amnium ostia, saxorum foraminibus & limosis locis morari ex Aristotele & Athenæo habemus. Lapillis, alga, limo & stercore victitant: nec à carnibus abhorrent. *Coeunt* more eorum quę in aversum mingunt, ineunte vere, & cum ficus maturescunt, propè terram, & quidē quòd exanguia sint & naturę frigidæ, diutissimè. Fœmina ovum rubidum, membrana prætenui obvolutum, ventri, lateri, & utrique intestino annexum, & ad carnem usque adhærens parit. Imperfectum illud, quod foris editum, incrementum capiat. Diversitas *Sexuum* ex nonnullis cognoscitur. Maior & crassior mas, tenues genitales meatus habet, & primum pedem simplicem. Nec non duabus particulis candidis, quas in carne pectoris habet, sed à fœmina discretas tum colore tū concretione similes Sepiarū promuscidi. Vorticosæ hæ sunt, quemadmodum buccini anfractus, quem Græci μύκωνα, id est, papaver vocant. Oriuntur eæ ab acetabulis, quæ sub extremis sunt pedibus. Fœminæ operculum distantius, hirsutius, & opacius: vulvæ membraneæ ad intestinum hinc atque inde fissæ, in quibus ovum gignitur; primus pes duplex, & cauda latior.

Locus.

Aristot. de Gener. l.3. c.11. & Athen. Dipnosoph. l.3.

Generatio.

Arist. de Gener. l.1. c.11 & 14.

Arist. H.A. l.4.c.2.

Arist. H.A. l.4.c.ult.

Plin. H.N. l.9.c.31.

Sexus.

Longæ *vitæ* esse scripsit Plinius. Nulla *respirant*, sed aquam per fistulam egerendo refrigerantur. Humorem ore accipiunt, & meatu oris superiore emittunt. Hebes omnibus *visus*, tum quòd oculos habeant duriores & promittentes, tum quod à latere positos. Valent *gustu* & *odoratu*, & ad morem aquatilium *dormiunt*. Nullum sonum vel vocem emittunt, & obliquo motu incedunt, caudaq; tantum natant.

Plin. H.N. l.c.

Vita.

Arist. H.A. l.4.c.10.

Ad *Naturam* & *Mores* pertinet, quòd hyberno solum tempore conduntur, vere & autumno pinguescūt, quod autennis potius & cornibus quàm chelis quibus tamen magis valent

Mores.

Plin. H.N. l.8. c.1.

Arist. H.A. l.5. c.17. l.8. c.17. lent inter se depugnant, istis cum aliis, quod denique vere & autumno post partum operculum exuant.

Vsus. *In Cibo* laudantur plenilunio, quia sydus tepido fulgore mitificat tempore verno & autumnali, & cum uterum gerunt. Grati sunt saporis, sed duræ carnis, ideò coctionis arduæ. In *Medicina*, ad canis rabidi morsum, tabem, & fervidorum humorum deustionem conferre, Lemnius tradidit.

Plin. H.N. l.9. c.37. Athen. Dipnos. l.3. Lem. de Occult. Natur. l.3.

***

re, quod oris constitutio & gulæ angustia ostendit, observavit Bellonius. *Vita* omnib. diuturnior. De *Generatione* ita Aristoteles. In genere crustatorum locusta post coitum impletur, & continet ova circiter menses tres, Maio, Iunio Quintili. Deinde edit ea sub ventre ad plicaturas: ubi crescũt, quomodo solent vermiculi. Id quod commune est & molluscis & piscibus oviparis, ut omnium ova crescant. Locustarum igitur ovum est solutile in arenæ modum, octo in classes partitum: pro numero scilicet cooperculorum, quæ lateri adhærent. Quorum singulis cartilagineum quiddam adsitum est: circum quod hærent cumulata specie rami: unumquodque enim horum cartilagineorum in plura scinditur. Quod deprehendas, si diducas: sin aliter intueare, unum corpus concretum putes. Grandissimum quodque non est ad foramen, sed ad medium: postrema autem minima. Minimis magnitudo quanta fici granulo. Neque continuò ipsi meatui hærent, sed medio. A cauda namque ad pectus, duo, singula utrinque sunt potissimum intervalla. Sic enim etiam coopercula ipsa disposita sunt, ut à latere tegere non possint. Quare extremitatibus suis imposita cooperculi modo contegunt omnia. Videtur autem parturiens producere ova ipsa ad illa cartilaginea caudæ applicatu. Comprimens enim sese atque statim curvans parit. Cartilaginea hoc tempore augescunt ita, ut ovorum ipsorum capacia esse possint. Nam ad cartilaginea pariunt sicut Sepiæ ad malleolos, aut alia quæ fluitant. Is est pariendi modus. Concoquit autem ibidem potissimum vicenis diebus. Tum abjicit cuncta simul consistentia sicut cum eiecit, videntur: inde ex his locustæ oriuntur die ferè quinto decimo: capiunturque sæpènumero minores digito. Ante Arcturum pariunt, post Arcturum amittunt ova. Hucusq; Aristoteles.

Bellon. Aquatil. l.2. c.3. Generatio. *Arist. H. A. l.5. c.17.*

Sexus differentia in eo consistit, quod fœminæ primus pes bipartitus sit, mari continuatus uno ungue. Fœmina quoque pinnulas quæ subtus sunt magnas habet, sed collum versus decrescentes. Mas omnes æque minores. Maris etiam pedibus postremis quasi calcaria quædam sunt: eaque tum magna, tum acuta, fœminæ eiusmodi pars parva & inoffensa. Rondeletius addit in caudæ supina parte fœminam habere appendices duplicis pinnis similes, ad contegenda & conservanda ova; mari simplices & parvas. Vulvam bifurcatam habere, Aristoteles testis est.

Arist. H. A. l.4. c.2. Sexus. *Aristot. de Gener. l.3. c.8.*

De *Natatu*, pedes anteriores, in eo qui maiores sunt moveri Bellonius negat, sed pinnulis quas partim sub cauda gerit, partim in extremo eiusdem, tum quaternis reliquis pedibus natare asserit. Cum nullius rei metu afficitur anteversus progreditur non prætensis sed obliquatis ad latera cornibus, ne aqua contra natantem ruens reprimat cornua, & ulterius progredi prohibeat. Retrocedens in metu, demittit & laxat eadem, & tanquam remis altius demissis Scapham propellens, multum itineris conficit. Latent mensibus quinis, & more arietum cornibus dimicant. Lædi non posse nisi sub cauda tradit Rondeletius. *Antipathiã* si attendas, tantum Polypum pavet, ut si juxta viderit omninò moriatur. Murænam eadem aggreditur, & ex victa prandium instituit.

Motus. *Bellon. Aquatil. l.2.* *Ælian. H. A. l.9. c.25.* *Plin. H. N. l.9. c.30.* Antipathia. *Plin. H. N. l.9. c.30.*

Vsum in Cibis si spectes, Collimedon ideò Carabi accepit nomen ꝓ hoc cibi genere impensè delectaretur. Eliguntur gravidæ & tempore plenilunii. Præferuntur in Italia ab Octobri usque ad Aprilem: præferuntur & maximæ, quales capiuntur in mari Indico, & circa Africæ quoddam littus loco petroso, ut scribit Synesius. Plus carnis habent quàm Cancri, ut Diphilo Siphinio apud Athenæum visum, difficulter concoquuntur, sed admodum nutriũt salsi humoris sicciq; participes, & si aqua dulci sæpius coquantur, ventrem cohibent. Condituras vide apud Aldrovandum. *Vsum in Medicina* ꝓ spectat, Hippocrates puerperæ ut melius

Vsus.

Hippoc. l. de morb. mulier. melius purgetur præscribit. Simeon Sethi testas combustas ac cum meraco vino potas renes calculosos expurgare scribit.

ARTICVLVS II.

De Astaco.

PUNCTUM I.

De Astaco marino communi.

TAB. II. 2. Nomen. ASTACUS ex sententia Rondeletii, quasi ἀςάκτος, id est, non destillans sed abundè fluens dicitur, quòd tubercula plurima, tum alba tum purpupera guttarum, sive lachrymarum specie forcipibus insperſa habeant.

Descriptio. Est vel Marinus vel Fluviatilis. Ad eum Leo seu Elephantus Plinii, & istæ quem hic descripturi sumus pertinet. Est autem Astacus colore toto nitido, sed nigritia insperso. Pedes inferiores grandes, ad octo usque habet: ab his grandes spsos duos multò majores & mucrone latiore, quàm locusta, sed specie diversâ. Dextri namque summum latum oblongum tenue est: sinistri crassum & teres: utriusq; verò bipartitum ac quasi mandibula cum dentibus infra supraque. Quanquam dextro dentes serrati sunt omnes, alterius primores serrati: at interiores tanquam molares. Inferiorum ordo quaternis æqualibus, superiorum ternis inæqualibus expletur. Movent partem superiorem utrique, & ad inferiorem premunt: ac valgi quidem sunt situ inferiore, tanquam à natura destinati ad protendendū & premendū. Supra hosce duo alii hispidi paulò infra os. Mox haud longè infra, branchiæ circum os multæ & hispidæ, quas assiduè motat. Hi pedes qui ori præstò sunt, extantibus quibusdam tenuibus barbulis asperantur. *Dentes* duos habet ut locusta: supra hosce cornicula breviora ac tenuiora quam locusta. Tum alia quatuor eâdem specie, sed breviora & tenuiora, super his oculos pusillos breves. Prominet *pars* cui subsunt oculi, acuta & aspera quasi frons, major quàm locustis. Omninò facies acutior, pectus autem latius: totumque corpus carnosius ac mollius quàm locustæ. Octo *pedum* quatuor bifidi, quatuor nō: quod collum appellatur, quinque in partes divisum est extrinsecus. Tum est sexta pars lata quinque producta plagulis. Hactenus Aristoteles. Gesnerus Chelam faciē hominis ridiculā repræsentantem exhibet. Nam Chelæ pars minor maximum & aquilinum nasum refert: & quæ in utriusque partis confinio apparent verrucæ, oculos, si supercilia addantur. Superiorem partē quatenus seu cornicula quatuor supra nasum & frontē eminent, cæruleo aliove colore si pictor inducat, ad repręsentationē pilei auriti & ad latera descendentis, ita tamen ut aures lateant: retrò & circa tempora pili prominant nigri. Facies partim albo inducatur pigmento, partim roseo fuco niteat. Linguæ instar partis chelæ majoris tubero rubicundo colore insigniantur. Quòd si cristam quoq; è pennis præsertim gallinacei, capi aut pavonis nutantē, foramini summo indideris, planè Gorgoneam & terribilem habebis faciem.

Aristot. H.A.l.4. c.2.

Nunquam nō in Oceano frequentes: in Euxinio tamen nulli. In saxis habitare Oppianus prodidit: Aristoteles in terrenis. Circa Thasum & Hellespontum nascuntur. *Coeunt* eodem modo quæ cætera crustata. Mas fœminaque nulla nota insigni inter se differunt. Nam utriusvis utram libet forcipem majorem deprehendes; quanquam utramque æqualem unquam neutri. Ore mare excipit, cum locustæ ad branchias transmittant. Sine humore longius à mari deferri nequit: & tam est loci patrii amantissimus, ut non longè deportatus, eodem adrepat. Polypum extimescit.

Locus. Oppian. Halieut. l.1. Arist. H. A. l.5 c.17. Generatio. Ælian. H. A. l.8. c.22. Ælian. H. A l.6. c.22.

Quantum ad *Vsum in Cibis*, optimi illi apud veteres qui in Methymna capie-

Usus in Cibis.

capiebantur. Omnes difficulter coquuntur, & tardè descendunt: ritè confecti & præparati non imbecilliter alunt. Mnesitheus assos elixis prætulit.

PUNCTUM II.

De Leone seu Elephanto & Astaco parvo Rondeletij.

TAB. II. 5. Nomen. *Bellon. de Aquatilib. l. 2. c. 3.* *Ælian. H. A. l. 14. c. 9.* Descriptio.

CRustatum quòd hic descripturi sumus, nomẽ Leonis vel à magnitudine, ut Aldrovando videtur, vel à colore flavo, quo vivus conspicitur, ut Rondeletio placet, sortitum est: Bellonius cum Elephanto Plinii idem facit, quòd eadem sit Leonis apud Ælianum & Elephanti apud Plinium descriptio.

Corporis specie Astaco affinis est, sed brachia longiora habet, forcipes tenues & latiusculos, quorum scissura major, quàm in ullo alio Crustatorum genere. *Pedes* tres qui proximè brachia sequuntur, longiores sunt, aculeati, in calcaria terminati: ultimus exiguus brevis & tenuis, neque aculeis, neque pilis munitus. Præterea ab Astaco dorso aculeis differt, quibus cum locusta convenit. Utrinque *cornua* duo longissima tenuissimaque habet, item alia in fronte brevia, inter quæ unum in fronte eminet acutum, neutrâ parte serratum: hæc sunt oculorum propugnacula, qui cornei sunt & prominent. *Corpus* totum undulatum est, instar panni ex hircorum camelorumque pilis contexti. *Cauda* perinde ac in Astacis in pinnas quinque desinit, sed lineis magis distincta. Scaliger unum vidit, cujus brachium puerilis brachii magnitudinem æquabat, quantum & ille quem Aldrovandus Brundusio sibi missum describit, habebat. *Plin. H. N. l. 32. c. 11.* Plinius Elephantum suum nigrum esse vult, id est, violacei exsaturati coloris. Nam κυανὸς Græcè de nigro, ut de Æthiope, & cæruleo, ut de mari dicitur. *Forcipibus* adeò valent, ut observatum sit, Massiliæ vulpem per totam noctem, ab uno detendam fuisse.

Apponuntur lautis in Italia conviviis, Ælianus, adipem squalidæ & infuscatæ faciei nitorem afferre, reliquit. Usus.

ASTACVS *parvus marinus Rondeletii* semper est parvus. *Corpus* ei vivo rubescit, alioqui lineis cæruleis transversis variatum. *Capite* & thorace est rotundiore quàm fluviatilis, in lateribus inciso. E capite eminet *Cornu* latiusculum, magnum si totum corpus spectes, utrinque serratum, inter oculos situm, quas recondit & exerit. Cornua quatuor oculis præfixa sunt, dum & breviora cornu serrato vicinora, alia duo multò longiora, flexibilia, articulata. Chelam utrinque unicam habet denticulatã, quaternis articulis connexam. Utrinque pedes sine forficibus. *Collum* tabellis constat, & in pinnulas desinit. Sub cauda appendices sunt ovis reponendis destinatæ. TAB. II. 6.

PUNCTUM III.

De Cammaro seu Astaco fluviatili & aliis.

ASTACI fluviatiles Galeno καμμαεῖδες, Athenæo κάμμαροι, modernis Græcis Caranides & Caranidia dicuntur. TAB. II. TAB. III. Nomen.

Circa eor. *Descriptionem* non est quòd multum laboremus, hoc tamen poni potest. Ventriculum mutim undique ambire, quam quidam stercus esse credunt, Bellonius hepar, sed falsò, quòd hoc solis sanguineis datum sit: Eundem tam miro artificio fabrefactum, ut etiam in ejus fundo alterum os comperias suis maxillis & dentibus refertum. Utrinque etiam spiraculum seu foramen sub cortice ad latera oris videas, per quod aquam ore acceptam referunt. Branchias habere ex Aristotele Gaza & Rondeletius prodidere. Philosophus enim βραγχιωειδῆ, hoc est, partis branchiis similes dixit. Descriptio. *Arist. H. A. l. 4. c. 2.*

Gesne-

Gesnerus cirros potius esse judicat, ad motum progressionis natationisque à natura datam, vel ne aqua introrsum penetret. De *Lapidibus* memorabilia prodidit Helmontus, quæ sequuntur. Per plurimas inquit atque uniformes cancrorum discretiones ista comperi. Inprimis stomachum cancri esse in capite propè verticem. Mares enim quotannis ægrotare incipiunt, à mensis Junii medio: fœmellæ dein in Julio ante testarum exuvium. Sunt enim per dies novem & amplius velut semiexanimes ac immoti. Qua tempestate stomacho illorum exterius obducitur membranula nova, inter quam & stomachum veterem, est liquor quidam lacteus, qui sensim exterius in globum stomachi convexum, quâ parte attingit, obducitque stomachum veterem, contrahitur utroq; latere in concavum, statimq; lapidescit. Interim nec tunc nec multò post cancer esitat quicquam. Ideoque (penè incredibile) vetus sive interior stomachus, sensim in mucilaginem alimentariam absumitur; exteriorque ac novus alter stomachus, in vicem absumpti, succedit. Siquidem isti lacti, ad stomachi veteris convexum subnato, obtenditur statim pellicula, per modum lacti repenti solitum: crescitque lac istud, inter utramque præfatam membranam, utriusque scilicet stomachi. Quæ cuncta ducentis fortè cancris dissectis, dietim observavi, jucunda admiratione. Tandem residua pars lactis, cancro cedit in alimentum. Nihil autem cancer edit, aut in eius stomacho reperitur, quantisper isti lapides sunt in stomacho eius, vivitque circiter XXVII. dies tam ex veteri suo stomacho, sensim absumto, quam ex usu resolutorum postea lapidum. Hucusque Helmont. Albertus plenilunio crescere putat.

Helmont. de Lithiasi c.7.

Locus. *Reperiuntur* passim in fluminibus, lacubus, & rivis. In Pannonia tam frequentes ut Julius Alexandrinus sæpe supra triginta currus Astacis onustos, in foro Gammario Viennæ numeravit. In Hispania non haberi affirmant quidam.

Victus. *Victitant* cadaveribus, & carnibus, & quidem his adeò delectantur, ut in Danubio de navibus suspensis, magna multitudo adhæreat. Ranas quoque appetere, Albertus testatur, & nos experientiâ comprobatum habemus. Per tredecim dies vivum absque cibo conservavit Gesnerus *Sexus* notis distinguuntur. Mares in ea parte quâ corpus ad caudam continuatur subtus, quatuor longas prominentes virgulas habent, quibus fœminæ destituuntur. Cauda etiâ illius, rotundio, planior & spissior; tenuis, vacua, & latahuius, majorq; tabellarum in eadem distantia.

In Synà Monis de le Sanfur. vide Theveno. II. 1. 6. p. 64.

Generatio. De *Generatione* hoc sciendum, Marem in coitu primò supra dorsum fœminæ ascendere, mox se istam supinā vertere: per solam meatuū applicationē coire: membro n. ꝓ alterius corpus ingreditur destituuntur: Ova per anum, per quem & excrementa reddunt, parere: & sæpe minimos Astacos caudæ matris adhuc adhærentes conspici. Albertus ova fœminæ primò in corpore valdè compressa esse, dein paulatim exire & virgulis curtis sub cauda dones complectantur adhærescere, scripsit. Hyeme mensibus quinque *latent*, si cōmunem opinionē sequaris. Aliqui enim tū etiam apparere ac ad litora prodire; æstate ad optatas aquas gregatim concedere dicunt. Novilunio emaciantur, plenilunio pinguescunt.

Antipathia. De mirâ quædam inter Cancros & porcos *antipathia*, sic Helmontus. In Marchia Brandeburgica locupletissima est cancrorum piscatio. Vectores autem coguntur noctu excubias agere, ne fertè porcus aliquis vel leviter subter currum transcurrat. Nam id si contigerit, manè quotquot cancri, in curru fuerint inveniuntur mortui. Tam exitialis est porcus cancro.

Differentiæ. *Dividuntur* in *Minores* & *Majores*. Illi, quòd sub saxis degant, saxatiles dicuntur, parte supinâ albicant, pronâ nigricant, elixi non undiquaque rubescunt. *Majores*, rotundiori sunt magisque crenato in Pado cor-

pore, quàm in ſquama, cuius dexter pes ſiniſtro tenuior eſt.

Vſus. Locum in *Cibis* habere, omnes norunt, quamvis etiam difficilioris concoctionis eſſe certum ſit: quia & longiore in ventriculo morâ, mandatis frigidis & humidis in caput vaporibus, ſoporem inducunt. Martio & Aprili menſibus à quibuſdam cõmendantur, lunâ inprimis accreſcente. Venæ quæ in eis interdum reperiuntur, improbantur. Varias præparationes apud Aldrovandum vide. *Medicis*, contra canis rabidi morſum, phtiſin, febrem hecticam, urinæ retentionem, calculum, inflammationem linguæ & gutturis, & Cancrum in mammis inſerviunt. Contra anginam ſic à quibuſdam præparatur. Aſtacos circiter decem vivos contere: & ſtillatitios liquores intybi roſarum & papaveris erraticia affunde, inde expreſſus ſuccus vinum rubellum refert. Eo linguam abluere & diligenter ac penitus gargarizare oportet, deinde ẽt hauſtũ eius mediocrẽ bibere, Linguã abſterſam & purgatam lardo inſulſo percinge, poſt horam & dimidiam, quicquid viſcidæ pituitæ inſederit, rurſus abſterge, & ſucco Aſtacorum præſcripto denuò lava. Reliqua in Aldrovando vide. Præparatio contra mammarum cancrum apud Hartmannum optima. *Lapides* quòd ſpectat, rariſſimum ex iis diureticum, febrifugum, & vulnerarium parari poſſe exiſtimat. Helmontius, ſi in formam priſtini lactis reſolverentur. Uſurpantur quoque contra calculum, cum nucleis perſicorum & meſpilorum: Contra ſanguinis grumos, cùm carbonibus è tilia aceto reſtinctis, &c. Huc pertinet *Aſtacus Caraboides*, & *Gammarus terreſtris*. Ille colore eſt omni parte corporis cinereo, antennis quatuor, duabus longioribus, reliquis brevioribus, pedibus & chelis hirſutis. Pedes duo priores chelis proximi tabellas in extremitate circum undique ſerratas habent, ad natatum faciliorem fortè utiles. Quantum ad hunc, Cruſtacei quoddam genus in terra latitat, maximè in India Occidentali, Cuaraſſas vocant, tam prope Gammarorum formam, ut cùm effoſſum è terra conſpexiſſet Julius Cæſar Scaliger, ac roganti quid eſſet, in ſepulchris inveniri alii dictitaſſent, à Gammaris abſtinuerit diu.

Aldrov. de Cruſtat. c.6.

Hartman. in praxi Chymiatrica.

ARTICVLVS III.

De Squilla in genere.

CRuſtata, quæ Latinis Squillæ, Græci καρίδας, κωρίδας, & κυρίδας vocant, ſeu ἀπὸ τῆς κάρης capite, quod Squillis majuſculum eſt; ſeu ἀπὸ τῆς σκάιρειν, ſ. initiali abjecto. Heraclides Colybdænas apud Athenæum vocat, quo nomine Epicharmus, ut Nicander vult pudendum marinum intelligit.

TAB. IV. 3.4.5. 6.&c. Nomen. *Aldrov. de Cruſtat. c.8.*

Deſcriptionem ſi attendamus, *Caudam* habent, ſed forcipe carent, fortè quòd pluribus pedibus, in quos redundantia illa abſumitur, inſtructi, ſi Ariſtotelem & Rondeletium ſequimur: At Bellonius pedes forcipatos habere ſcribit, quas etiam Ælianus, & quidem maximas Indicis in Gange fluvio attribuit. *Corpore* ſunt vere nigreſcente, ſed poſtea albedinem recipiunt. *Cornua* etiam habent Oppiano teſte acuta, & in ſummo capite poſita: Ælianus aculeum acutiſſimum triremis roſtro ſimilem, & ſecturas, ſerræ modo habere ſcribit. *Oculi* ſub eodem munimento præduri eminent. *Inteſtinum* quoque rectè in caudam veluti Locuſtis & Aſtacis finit, qua excrementa emittunt & ova pariunt.

Deſcriptio. *Ariſt. de part. l.4. c.8.* *Ariſtot. H.A.l.8. c.ult.*

Vivunt in marinis paluſtribus & ſaxoſis locis. Ab illis ἑλέιοι, Ælianus, ab his petreæ Oppiano dicuntur. Indicum mare majores alit, quæ in profundo hærent, ut minores littoribus gaudent. In diffractis ſaxis in mari rubro reperiri, prodidit Theophraſtus, quod de vivis an de figuris ſumendum ſit, dubitatur. Habentur & in Oceano Germanico, & Gallico, mari Tyrrheno & Adriatico. Circa Jaſum magnas celebrat Archeſtratus.

Locus. *Oppian. Halieut. l.1.*

Victitant oſtreorum carnibus: Ælianus quaſdam alga vivere prodidit.

Victus. *Ælian H. A.l.1.c.30.*

De

Arist. H. A. l. 4. c. 2. Sexus. De *Sexu* ita Aristoteles. Distinguitur à fœmina mas duabus particulis candidis, quas ipse peculiares habet in carne pectoris, sed ab ipsa discretas tum color, tum concretione, similes sepiarum promuscidi. Vorticosæ hæ sunt, quemadmodum buccini anfractus, quem Græci μήκωνα, id est, papaver vocant: Oriuntur eæ ab acetabulis, quæ sub extremis sunt pedibus. Est etiam in pectore caro rubra, sanguinis colore, quæ tamen attrectata dilabatur, neque similis carni sit. Ab ea meatu qui in pectore buccini refert speciem, alia est sinuatio funiculi crassitudine, sub qua duo, quædam sunt appensa intestino arenacea genitali semini destinata. Atque hæc mas habet. At fœmina ova ibi, colore rubra, quæ annexa ventri, atque utrinq; latus intestini, ad carnosas usque partes, membranâ tenui continentur.

Generatio. *Coëunt* more quadrupedum retrò mingentium, scilicet, ut fœmina caudam supinam exponat, mas suas superimponat & applicet; & coëunt ineunte vere juxta terram, & cum ficus maturescunt.

Antipathia. *Inimicitias* cum Laborace exercent, & à Phycide ac Lupo comeduntur. Quo se modo ulciscantur, apud Ælianum habemus. Cum se, inquit, interceptas sentiunt, fastigium quod eminet à capite, quodque simile est acutissimo triremis rostro, atque in summa parte secturas habet, modo serrulæ uncinatæ, hoc, inquam, animosæ illæ bestiolæ cum incurvarint, summa lævitate saliunt, & tanquam saltatorium versant orbem. Lupus ore hiante squillam lassam comprehendit, hæc in gutturis laxitate saltat, ut gula intumescat.

Ælian. H. A. l. 1. c. 30.

Vsus. *Vsus* earum & in *Cibis* est & in *Medicina*. In *Cibis* preciosum piscem Juvenalis nominat. Apicius tanti grandiusculas faciebat, ut earum gratia in Africam navigaret, cumque priusquam navi exiliret Minturaensibus minores animadverteret, gubernatorem, nulla excensione factâ, eâdem via Italiam repetere juberet. Hodiè elixantur & cum aceto comeduntur: friguntur etiam in Cartagine cum oleo sarinâ adspersâ. Olim ficus fol is assatæ involvebantur. Difficulter cõcoquantur, stomacho nocent, & Veneris desiderium excitant. Hoc & sibi contigisse Cardanus testatur. Hecticis eximiè prodesse nullum dubium. Ajunt tritas & particulæ impositas, cuspidem vel sagittam, si quæ infixa, singulari atrahendi vi educere. Quidam escæ ad mugiles capiendos admiscent. Iisdem & lupus piscis inescatur.

Iuven. Satyr. 3.

Athen. Dipn. l. 1.

ARTICULUS IV.

De Squilla in specie.

PUNCTUM I.

De Squilla lata sive Ursa.

QUam Squillam latam Rondeletius vocavit, hanc nos *Vrsam* & quidẽ Aristotelis cũ Bellonio & Scaligero dicimus. Ubi enim porrecta jacet, ursi corium extensum repræsentat. A Squillis eam separavit Aristoteles, quod sub Squillarum nomine non notet. Neapolitani Messanenses in Sicilia Messacaram, quasi sit ἡ μεί ζων καρὶς, vocant.

TAB. IV. 3. 4. 8. 12. Nomen. Scalig. Ex. 245.

Rondeletius eam ita *descripsit*. Locustarum est magnitudine, sed latior, multo & magis depresso corpore & hirto, in fronte ossa duo, utrinque unicum, in ambitu serratum, in quibusdam acutius, in aliis latius. Hi pinnæ duæ alligantur. Inter hæc duo enascuntur cornua, initio articulata, circa media bifida, ut ex duabus quatuor fiant, non valdè longa. Brachia duo habet cum aculeis, veluti clavis eminentibus, pedibus majora, non bifida, quæ in os flectuntur, quibus ori cibum tanquam pedibus admovent. *Pedes* utrinque quaterni sunt. *Oculi* parũ prominent. *Frons* quadrata, & latior quàm in ullo Crustatorum genere. *Tumores* multi p dorsum sparsi sunt, ex quibus extant tubercula, quorum summa pars adeò rubet, ut carbunculus in annulorum pala inclusas dicas.

Descriptio.

In Cœnosis *vivere* argumento est, quòd luto obsita è mari extrahatur. Scalig. Ex. 245. Rarò in Gallia capitur; Romæ & Neapoli frequenter; in Africa frequentissimè. Circa Minturnas Campaniæ oppidum majores sunt Smyrnæis. Idem eis pariendi tempus natura statuit ꝙ Locustis. Per hyemem & vere prius q̃ ova excludunt laudantur, Et hæc de Vrsa, quæ *Major* dicitur, accipienda sunt. Est alia quam *Minorem* & *Cælatam* vocant. Scaliger *Cangren* Aristotelis credit, Rondeletius *Cicadam marinam*, quòd cum Cicadis terrestribus magnam similitudinem habeat. Quinque tabellis constat, & dorso egregio naturæ artificio variè cælatis & sculptis. Tota rubet. Dodrantalem magnitudinem vix superat.

PVNCTVM II.

De Carangone & Squilla gibba.

TAB. IV. 6. QUas Aristoteles κραγγόνας aut κράγγας, Hesychius κραγώνας vocat, eæ Gazæ sunt Crangines.

Descriptio Est verò hæc Squilla, si *Descriptionem* attendas, palmi majoris longitudine. Contegitur crusta tenui, lævi, candida, nonnunquam ex albo parum rubescente, quæ cocta, tota rubescit, cornu instar pellucida. E dorso enascitur *cornu* in fronte serratum, sursum recurvum, cuius denticulatæ asperitates in superiore & inferiore sunt parte non in lateribus. *Oculi* sunt cornei, in quibus subjecta pars cava cochlearis modo. *Cornua* sunt quatuor, ex quibus duo benè longa, tenuia & flexibilia. *Pedes* habet quinos; qui in calcar terminantur terni sunt.

Posterior pars pro reliqui corporis crassitie & magnitudine longa, septem tabellis constans, in quatuor pinnas desinit: è quarum medio extat aculeus latior quàm in Squilla gibba. Quam Gesnerus vidit, partim rubebat, partim dilutius albicabat, ad latera flavescebat.

Sunt omnium crustatorum sapidissimi. Carne teneta dulci, bonique & multi alimenti constant. Caudæ in primis crusta spoliatæ, cum pipere, sale & aceto, mensibus Februario, Martio, Aprili, Majo, laudantur. Vsus.

SQVILLA GIBBA κυφή, propter gibbum quem habere videtur dum se curvat dicitur. Alii καμπύλας & κυρτάς vocant. Græci moderni Caridas & Caranidia nuncupat. Crangonibus sunt tenuiores maximè in cauda extrema. Senos ante frontem gerunt valdè tenues cirros. Caudam contractam, in cuius extremo pinnæ sunt quinæ: quarum quæ medio loco posita est, serratam duram, atque in acutum fastigiatam formam habet. In Santonum littora maxima earum copia. Ova *pariunt* & generant Locustarum more. Ceterum menses circiter quatuor gerunt. Cornu frontis elatum in palatum Lupi piscis infigunt, eumque interimunt. Ubi tanguntur saltant, ac tangentem sæpè expavescunt, corpusque in aqua gibbosum arcuato motu promovent erucarum modo. Vendebantur olim in sportulis ex junci rimine contextis, friguntur cum oleo in sartagine: aut elixantur in aqua & comeduntur cum aceto. TAB. IV. 5. 13. Descriptio. *Aristot. H. A. l. 5. c. 17.* *Anexandr. in Pindarr.*

PVNCTVM III.

De Squilla parva, & Squilla Manti Rondeletij.

TAB. IV. 7. SQuilla parva nomine proprio caret. Σκύλλαρον Aristotelis, non est, ut perperam Gaza convertit. Chelas enim hoc, Astaci modo habet. Quidam ἰγχλώρης à colore fortasse, quem vivis Rondeletius obscurum tribuit, dici volunt. Alii μελικαείδας apud Athenæum propter suavitatem in cibo. Duplex istarum est *genus*. Unum *Majus*, duriore crusta quàm Squilla gibba, ꝙ vivũ in aëre saltat, & noctu ut candela lucet, *Cambaretto* Romanis. *Arist. H. A. l. 5. c. 15.* Differentia & descriptio.

Alterum *Minimum*, ut tam exiguum,

guum, ut mille vix libram æquent pondere, Venetiis frequens. Cocis quibusdam Brava, Vasconibus, Civade, id est, avena, pugillatim enim devoratur. *Caput* habet pro Corpusculi magnitudine crassum & latum, sine cornu. *Caudam* tenuem, gibbum parvum. Oris appendicibus & aliis Gibbæ similes, punctis aliquot variatur. Bellonius vivas subfulvas spectari ait, coctas rufescere.

Locus. Et in mari, & in fluviis nascuntur: etsi Bellonius longè à mari provenire dicat. De Garumna canistris excipi, Scaliger testis est. Tarentinus fluviatiles nominat.

Vsus. Carne sunt adeò dulci, ut fastidium pariant. Vix ullum aliud Cibi genus, teste Rondeletio, dulcius degustaveris. In aqua hordei lotæ, & in carnis jure coctæ, hecticis maximè conveniunt. Cum crustis adjecto pipere elixæ, venerem stimulant. Icon quam hic damus, Gesneri squillam parvam exprimit.

Tab. IV. 9. *Aldrov. l.2.c.16.* SQVILLA MANTIS, nomen à bestiola quadam ex Locustarum genere accepit, nec antiquis est dicta. Occitani eam Preguedicus, id est, precantem Deum appellant, quod semper manus junctas teneat, & corpore sit, jejunantium instar, gracili & macilento. Divinare eandem vulgus credit, & de itinere quæsitam alterum brachium extendere.

Mathiolus *Hippocampum* appellat, Bellonius *Cicadam marinam*, quam *Speusippe Nymphâ* esse suspicatur, eandem ita *descripsit*.

Descriptio. Tenuis est, inquit, huius crusta, cruda ita albicat, ut ferè transpareat. Una cum pisciculis marinis sæpe suo cortice contecta extrahitur, & simul cum carpionatis, bocis, mænis, & trachuris canistris inseritur. Natura incredibili ferè artificio. Cicadæ oblongum corpus decem *tabellis*, assabrè articulatis loricavit: quarum prima, quæ caudam extremam conficit, caudam in lateribus expandit. Cauda porrò duabus maculis phœniceis subrubris insignita est, quę duorum oculorum speciem præ se ferunt, estque aculeata & crenata. Prima tabella à cauda incipiens, versus secundam, tertiam, quartam, quintam, & sextam, pinnulis fimbriatis multiplicibus subtus munita est: quibus, dum in mari natat, aquam percutit, & corpus incitat.

Tres *tabellæ*, quæ sex prædictas subsequuntur, ternis utrinque pedibus communitæ sunt:, ad cervicis autem initium, duo brachia majora oriuntur, quibus cibum apprehensum ori suggerit: sed ea cancris, alter quam locustis forcipantur. Sunt enim in longum exporrecta, atque in extremo grandioribus crenis suffulta, quibus cum cibum corripit, ex uno brachio, ad aliam brachii articulationem transfert.

Horum autem extrema velut in duritiem osseam abeunt dentiscalpiis conficiendis ob id expetita. Pars quæ capiti contigua est, in exile quiddam terminatur, & contra quam cauda se in latum diffundit. Extra aquam prorsus immobilis & imbecillis est.

Aculeum unum habet utrinque ori præfixum, ut Phalangium & Scolopendra, quo mordicus cibum à pedibus suggestum continet quem postea dentibus conficiat, & in stomachum detrudat.

Dentes illi natura in oris lateribus protulit, unico utrinque ossi crenato, V. litteræ formam referente infixos. Cujus anterioris partis officium est, ea incidere quæ mandit: posterioris verò quæ crenas habet, conterere. Nam idem os, duos habet dentium ordines.

Prætenturas duas in fronte breves, ursinis similes, ostendit, trifariam in extremo diffissas: ac rursus duas alias in lateribus prædictis breviores. *Oculos* habet virides, exertos, quos non alveo ut Cancrarium & Locustarium genus condit: sed ante hos pinnulas exporrigit eis similes quas in cauda gerit: ex quo multi decepti caudam *caput* esse crediderant. Strias rectas intergore, atqi in capitis tabella ductas

ductas profert. Pisce dissecto, *dentes*, fortib. musculis movere conspicientur. *Cerebrumque* adeò esse exiguum, ut vix hordei grani magnitudinem æquet: Optici tamen ad oculos perduci apparent. Rondeletius toto corpore pellucido esse addit. Eodem modo parit & coit, quo aliæ squillæ.

Vsus. Carne est molli, dulci, delicata.

TAB. LI. Huic affinis est *Tamaru gvacii* Brasiliensium, *Camaron de Salgado* Lusitanis dicta. Caput habet triangulare. Barbam cancerinam octuplam. Et in eo tantum à Manti differt, quod in anteriori parte corporis pedes non habeat, nec brachia interius serrata.

Marcgrav. Hist. Brasil. l.4.c.20.

CAPUT II.

De Crustatis rotundis.

ARTICULUS I.

De Cancris in genere.

CRustata quæ Latini Cancros vocant, Græcis καρκίνοι, quasi κορκίνοι, quòd κόρας, id est, pupillas, & oculos mobiles habeant, dicuntur. Siculi κάρχας vocant, Hesychius κάβειρας. Apud Varinum πύξαχρις vel πύξαρις Cancer dicitur, quod ostrea lapillo inter testes seu valvas (πύχας ἢ πύξια) injecto, venetur. *Caudam* habent revolutam, sine ἐπικάλυμα πυχῶδες Aristoteles vocat, quæ ex tabellis constat, & corpus posteriore parte integit: *Caput* indiscretum. *Cerebro* carent, etsi partem quæ cerebri fungitur munere habeant. In obliquum aspiciunt inclusis crustæ fragili oculis. Pedes qui in obliquum ferunt eis deni cum forcipibus, quorum dexter in omnibus major, & in primoribus superior pars movetur inferiore immobili.

Descriptio.

Arist. H.A. l.4.c.10. & 3.

Plin. H. N. l.9.c.13. & l.11.c.48.

Dentes interius bini primores, & inter eos caruncula linguæ effigie. *Stomachus* ori continuò junctus exiguus.

Arist. de part. 4.c.8.

Mollibus & petrosis *locis* gaudent: quin & sub terra inveniuntur. Hyeme aperica littora sectantur æstate in opaca gurgitum recedunt.

Plin. H.N. l.9.c.31.

Locus.

Vescuntur conchiliis. Polypum ob nimiam Venerem imbecillum devorant, nec à suo genere abstinent. Aquam quam ore excipiunt, parte oris exigua emittunt, hinc apparet circa os spuma, quod aqua & aër, qui cum ea hauritur, per attractum & rejectum agitentur.

Victus.

Arist. H.A. l.4.c.2. & l. de Respirat.

Galenus dulci & salsâ aquâ vivere scribit. Lacte potatos sine aqua diutissimè, author de natura rerum.

Galen. de cib. bon. & mali succi.

Generationem si spectes, Cancri parte priore copulantur, sua opercula, loculosa illa rugosaque, mutuâ consertione cõponentes. Primum Cancer minor ab averso supervenire solet, tum major, ubi ille supervenerit. *Ova* edunt in operculo, hinc istud fœminis latius, & hirsutius; ita à maribus discernuntur.

Generatio.

Arist. H.A. l.5.c.7.

Addit tamen Plinius, fœminæ primum pedem duplicem, mari simplicem, eundem duas inter ventrem & caudam spinas habere, quibus illa caret.

Plin. H.N. l.9.c.31.

Soli è crustatorum genere non natant, sed incedunt, & quidem transverso latere quod simiis & ursis, propter posteriorũ pedum latitudinem competit. Cum enim motus tractatione & pulsione fiat, & sic secundum artuũ flexiones, quæ Cancris introrsum ad pectus sunt; ideò quasi cum triremes circumaguntur, lateris unius remiges impellunt, altrinsecus inhibent, aut retrò trahunt, ita quam in partem processurus est cancer eius lateris utitur cruribus ad carpendũ solũ, alterius lateris ad aspellendum. Insidias incredibili sagacitate subodorantur, & confestim se vel luto obruunt, vel inter saxa subducunt. Universi ubi aliquando congregantur, os Ponte evincere non valent: quamobrem regressi circumeunt, apparetque tritum iter. Concurrunt inter se ut Arietes adversis cornibus. In capiendis ostreis & conchis, summa calliditate utuntur. Calculos enim & lapillos, patulæ hiantique eorum testæ ingerunt, ita ut occludi nequeat, mox dentato forcipe pisculentã carnem abra-

Motus.

Natura, & Ingeniũ.

Plin. H.N. l.9.c.38.

abradentes devorant. Sole signum Cancri transeunt, Cancrorum cum exanimati sunt corpora in sicco trāsfigurari in Scorpiones Plinius author est. Ovidius, brachiis orbos, scorpios, si sub terra occultētur producere, p-didit. Latent mensib. quinis, & veris principio senectutem anguium more exuunt renovatione tergorū, & tum mollis ad modum crusta subnascitur, & vix præ teneritate ambulare possunt.

Ovid. Metam. l. 15.

Plin. H. N. l. 9. c. 30.

Usus.

Duræ sunt carnis, ideò difficiles, concoctu, sed firmi alimenti. Id apud Galenum, Athenæum, & aliis invenies. Nec in *Medicina* spernuntur. Plinius Sole cancri signum transeunte cōtra serpentum ictus mederi tradit. Sues percussas hoc pabulo sibi mederi Thrasyllus author est. Apri hyosciamo devorato Cancros pro remedio quærunt. Cervi à phalangio vel quovis alio admorsi iisdem sibi medentur. Carbunculos & carcinomata in mulierum parte, præsentissimo remedio sanari, tradunt, Cancro fœmina cum flore salis contuso, post plenam lunam, & aquâ illitâ, ut apud Plinium legimus. Ad stranguriam, tres, in aceti cyatho cocti, in mortario contusi & expressi propinantur. Succus cum aqua florum Cyani destillata expressus, gingivis puerorum in dentitione salubriter illinitur. Pulverem Ranzovii ad dissectionem nervi apud Aldrovandum vide. Lapis in capite repertus, & aceto acerrimo immissus, motum manifestum habere deprehenditur.

Plin. H. N. l. 9. c. 32.

ARTICVLVS II.

De Cancris in specie, & quidem de Cancris extra conchas in salsis aquis degentibus.

PUNCTUM I.

De Cancro marino.

TAB. IV. TAB. V.

CAncri degunt extra conchas, vel in istis. Illi vel sunt in aquis salsis, vel in dulcibus. Inter illos qui in aquis salsis sunt. *Cancer marinus*, *Cancer Maja dictus*, *Pagurus*, *Cancer eques*, *Cancer flavus*, *undulatus Rondeletii*, *Cancer varius*, *Cancer cordis figura* & alii *Chelarū lōgitudine* differētes. *Cancro marino* generis nomen inditum est, nec in eius descriptione Rondeletius, Bellonius, & Gesnerus conveniunt.

Aldrov. de Crust. l. 2. c. 17.

TAB. IV. 1. TAB. V. 2.

Rondeletii acuminatus magis est parte anteriore prope oculos, & duo habet cornicula, quibus horū caret. Rotundo est ac circinato corpore Bellonii, anteriore parte crenis diviso, crustaceo tegmine cōvestito. Majores trium aut quatuor digitorū latitudinem non excedunt. *Hepar* habent rubrum, quod Aristoteles mutim neminare videtur. Intestina multiplicibus cirris obsessa, moventurque horum partes solidiores albis musculis agentibus. Aldrovandus aliam observavit speciem, cujus pes ultimus qui ab utraque parte est, brevioribus & crassioribus constat internodiis, & aliis pedibus est curtior, in fine duabus, aliis articulationibus latior. Plurimi propè insulam Canibalorum, quæ hodie Domeneca dicitur, reperiuntur, & quia in saxis habitant, πετραῖοι Oppian. dixit. Et *mares* & *fœminæ*. Illis color rubentior, his ex livido in cyaneum tendit. Mares fœminas opprimere videntur antequam inëant. Crura in ventrem inflectunt dum incedunt. Rondeletius fœminæ partem inesse quandam croceam scribit quâ mares carent. Ovorum putat esse materiam. In Bosphoro Thracio, vento violento ingruente, contra fluctus nituntur: Circa promontoria, ubi major vis venti, singuli in sinuoso loco se tenent.

Descriptio.

Ælian. H. A. l. 7. c. 24.

Usus.

Maximè, *in Cibis*, fœminæ cùm ovis turgent laudantur, ideò majus earundem Bononiæ pretium. In India succo dulci cū luna parturit turgere, plenam eodem destitui, à quibusdam proditum. *In Medicina*, phtisicis carnem prodesse Rondeletius experientiâ docuit, quod & apud Marcellum invenies. Stranguriam sanant si duarum drachmarum pondere ex lacte materno vel nutricis infantibus porrigantur. Ad quartanam, scabiem, & oculorū lachrymas ab Avicenna; ad Carcinomata à Plinio laudantur. Iidem pilosè mamma tollunt.

PUNCTUM II.

De Cancro Maja dicto.

TAB. V. 5 TAB. VI. 2. Nomen.

CAncer Majas dictus, nomen à magnitudine sumsit. Nam μαῖα quæ amitam & nutricem significat, aliquando etiam pro grandiore natu sumebatur.

Descriptio.

Eo à Paguro differt, quòd hic parte anteriore latus sit, Maja se posteriore in latitudinem diffundat, anteriore coarctetur, & magis orbiculata sit.

Corpus illi tam grave, ut ad incessum sit ineptissima, idque vivæ livet, aut virescit, aut rubore phæniceo aspersum est; quam si supinam contempleris, tria parte anteriore brevia specula ab ipsius crustæ tegmine continuata cernes, inter quæ prætenturæ duæ delitescunt. *Crura* quaternis articulis intercepta sunt, alta & exilia. *Pedes* utroque latere quaterni, quinis articulis intercepti, unguibus benè muniuntur. Tibiæ multa scabritie exasperantur. *Fœmina* operculum latiusculum habet, sub quo duo foramina membrana occlusa, in ipsis posteriorum tibiarum radicibus collocata apparent. Quatuor pręterea semicirculis utitur in natando, à quorũ radicibus octoni pdeunt pinnati ramuli, quibus hærent ova in fœtis. *Interanea* si spectes, in capite atque adeò ore ipso duos osseos dentes gerit: in palato, carunculam quâ linguæ vice fungitur: ante dentes bina denticulata ossicula, atq; in ejus ore cavitatem statim ante gulã, in qua ꝓ rubrum continetur, habet multiplices flexus. Vulvam esse Bellonius putat. Ex hac enim ova prodire compertum est. Subsequitur cavitas satis capax, vacua quidem ea, dum jejunus est piscis, ut vel os alterum, vel ventriculum ejus esse dicas: cui etiam dentes adsunt numero quaterni, incisorii, & unus molaris, à quibus gula incipit, in cujus summo epiglottidem manifestè videas: ea autem ad apophyses meatibus cõmittitur adeò exilibus, ut vix appareant: & quemadmodũ vulva adimplebat majorem partem recessuũ, sic apophyses ubiq; per cavitates immittuntur, tenuibus tamen ligamentis adstrictæ, & maximè musculis. Nec est aliud intestinum manifestum, quam illud in quo desinunt apophyses, excrementi scilicet receptaculum. Est autem id teres, cæteris partibus incumbens, ad caudam usque protensum. Sed & vesicam utrinque unam in ipsa alvo, robustam, magnam & membranosam cernas, cuius exitus est per ea duo foramina, quæ sub operimento latent. *Branchias* habet utrinque sub testa in lateribus numero senas: quæ certâ membranâ ab ipso tegumento distinguuntur. Aquam enim in ore acceptam per meatus qui ad radices crurum sunt egerit. Hæc omnia ferè Paguro suo Rondeletius adscripsit, quẽ vide. Ad Mæam pertinent & aliquot sequentes.

Primus Hippocarcinus à magnitudine, cum addito *hispidus*, quod universum tergus aculeis spinosisque quibusdam operculis obsitum sit, quæ ad latera majora videntur, dicitur. Supra oculos emissitios è tabulis quibusdam ad latera protensos fronte media, duo velut cornicula acuta exeunt. *Os* infimo loco situm, duo veluti brachiola intus tota villosa muniunt. Quinque ab utroque latere pedes, si brachia annumeres, in totidem articulos distincti. Chelæ anteriori parte, brachiũ puerile æquant, forcipibus fusci coloris, è quibus villosa quædam prominentia stamina instar penicilli. TAB. IV. 6.

Alter est parte supina Hippocarcino non dissimilis. *Cauda* est ovalis ferè figuræ, & extremo in angustam, appendicem scutiformem quinque angulorum seu pentagonam desinit. Insignis in eadam scutellata cavitas apparet. *Os* multis veluti brachiolis villosis, supernè & infernè circumsepitur. In *ventre* plana cavitas, ovis retinendis aptissima.

In *Tertio* senæ spinæ majusculæ latera utrinque ambiunt: & binæ maximæ frontẽ muniunt. Duos palmos est longus, chelis, brachiis, & supina corporis parte tuberosus, & hispidus.

Quartus

Quartus eiusdem est figuræ, sed pluribus spinis ab utroque latere & in dorso horret, pedibus & brachiis hirsutus, & supina parte, variis coloribus sed præsertim rubro maculatus.

Tab. IV. 4.5.6. *Quintus* quem Heracleoticum Rondeletius vocat, aculeos in fronte habet & in lateribus. Pars testæ prona aculeis aspera est, & hirta, coloreque fusco.

Sextus asperitatem in testa tomentosam habet, coloreque est cinereo & fusco.

Locus. Reperiunt in Ægæo, Jonio & Adriatico mari.

Vsus. Mares eliguntur autumno, hyeme & Aprili mense *ad Cibum*, in plenilunio: fœmina verò reliquo anni tempore usque ad Septembrem. Assantur etiam in furno ano & ore clausis, ne quod intus est liquidi effluat.

Punctum III.

De Paguro.

Tab. V. 13.14. Tab. VI. 1.3.4. Nomen. Paguro, ὡς τὸ κρεῖν καὶ φυλάττεσθαι ἐν πάγοις, id est, κρημνώδεσι τόποις, quod in locis præruptis versetur, nomen inditum est. Simeon Sethi eum Carcini appellatione dignatur. A Palladio Cancer marinus dicitur. Scholiastes Aristophanis Caraburi exponit. Moderni Græci Paguri nomen adhuc retinent, idemque in Dalmatia, teste Massario retinetur. Latior est quam longior, & ex Oceano in pedalem longitudinem abit. Visus in Anglia decem libras pendere. Valida crustâ integitur & in lævi, eaque novem in gyrum crenis imbricis modò incisa est. Color vivorum viridiorum præ nimia rosei exhalatione veluti subnigra tergora apparent. *Crura* utrinque blæsa quatuor habent, villis hirta, ternis articulationibus geniculata, in quibus vngues acuti oblongiq; sunt, minimè bifidi. *Brachia* bisulca parte anteriore binis articulis intercepta forcipibus crenatis munita, in extremo nigra: quibus quæ constringunt ut edant, etiam dura confringere possunt. *Branchias* utrinque in latere ostendunt dispositas, ut reliquum genus Locustarum, sub tergoris crusta senis ordinibus ad tibiarum radices insertas. In *ore* tot comperies naturæ secreta, tot adstantes appendices, tot pelliculas, ut coactus incredibile artificium necesse est fatearis. *Mutim*, quæ hepar est, habet dulcissimam, maximâ ex parte subrubram, cum infinitis propè apophysibus flavis grandi stomacho adjacentibus. Reliquæ partes internæ musculis albis constant, quibus externæ moventur. Rondeletius sub nomine Cancri Majæ descripti. *Differentias* si spectes, alius est Mas, alius Fœmina. Scaliger alium orbiculatiorem, fusciorem, & majorem facit; alium quadratiorem & minorem, colore dilutiore, & penè pallida viriditate. Poressos vocant Veneti.

Descriptio.

Tab. V. 3.10.

Differentia.

Huc pertinet *Cancer Heracleoticus* Bellonii ab urbibus Heracleis, quarum una *Ponto*, altera Propontidi adjacet, dictus. *Crusta* firmiore munitur ut Maja, *Tibias* utrinque quaternas habet, *brachia* duo admodum firma, binis articulis geniculata, forcipibus robustis bisulca, hispida, & benè armata, quorum pars superior elatis crenis vallata est. Nonnulli *Gallum marinum* vocant, quòd brachia eius in crista galli modum tornata videantur. *Dorsum* tuberculis exasperatur & coloris est miniacei.

Huic similis est *alter* pilorum densitate Ursi corium referens. Differt à priore primum chelis, quæ longiores sunt, & in extremo pars utroque, quæ forcipem facit, & instar dentium sibi invicem dum clauduntur continent, colore miniaceo: præterea pedibus brevibus, quorum duo posteriores utrinque brevissimi, antennis & oculis magis à se invicem distantibus. *Invenitur* in mari Tyrrheno & Adriatico: sed in Oceano maximus. Vidit Rondeletius unum, cuius latitudo palmum majorem superabat, longitudo ad semicubitum accedebat. Alexander apud Ælianum genus quoddam Cancrorum cõmemorat, quorum testa circũferentia undique pedis mensuram impleret. Miras eorum

Ælian. H. A. l. 17. c. 1.

rum magnitudines in sinu quoq; Persico Strabo refert. Suetum ipsis in tegumento se exuere. Hoc cũ luxari & à corpore abscedere sentiũt, furiis quasi agitati huc & illuc ferũtur, & pleniorem victũ quærunt, ut tumore inflatis facilius crusta rumpatur. Elapsi similes mortuis in sabulo jacent, sibi restituti sabulum gustant, & postquam se abdidere, nõ citius ex latebris, egrediuntur, quã pristina armatura instructi. Musicæ sunt adeò amantes, ut eâdẽ capiuntur. Captos aliquando foramina subire, & mortuos in Scorpios mutari Nicander prodidit.

Ælian. H. A. l. 9. c. 45.

Nicand. in Therica.

Vsus.

Inter lautissimos numerantur cibos, sed difficillimè digeruntur. Cum coquntur parum ruffescunt & parum nigrescunt.

PVNCTVM IV.

De Cancro Equite.

Nomen.

CAncer Eques à volocitate cursus nomẽ accepit. Hesychio est δρόμων, Æliano δρομία Cursor, aliis Græcis ἵππευς Eques. Major est Castaneâ parvâ, colore subalbido, pũctis subrubris consperso, & ut Pagurus, tornato. Soli objectus totus pellucidus est, præterquam in ea corporis parte, quæ interanea continet. *Oculos* grano phaseolinõ habet maiores, quibus acutissimè cernit. *Tibiæ* sunt villis levibus obsessæ, utrinq; quinæ: quarũ duæ anteriores brachia sunt forcipata, quib⁹ cuncta cõplectitur: reliquæ graciles vnguib. rectis & obliquis variatę. Huius generis fortè erit, qui Rondeletio *Cancer latipes* dicitur, nucis juglandis magnitudine aliquãdo paulò maiore. *Chelas* habet denticulatas & articulatas, pedes utrinq; quatuor. Postremus & minimus, ꝙ in osseam latitudinem desinat, nomen Cancro imposuit. *Testa* est lęvi, parte superiore albescente, quodammodo nigricante. Cum maris purgamẽtis in littus eiicitur. Huic similis est quem Bellonius Græcis μικρὸν καρκίνον, Romæ Grancettum vocari scribit. Punctis frequentibus cãdidis in tergore variatur Ophitæ modo. Singulares digiti quaternis constant articulationib⁹. Amphibii sunt, & in maximis ardoribus meridiano tempore è mari egrediuntur, diemq; sub sole, trãsigunt, circa vesperã mare repetunt. Tanta velocitate ferri vidit Bellonius, ut ne unum quidẽ unquam cursu consequi potuerit: quin nec lacertam ex ambrosia sub qua delitescebat exilientem, assequi eundẽ potuisse. Volare potius quàm currere videbatur.

Aristot. H. A. l. 4. c. 2.

Plin. H. N. l. 6. c. 3.

Aldrov. l. 2. c. 20.

Descriptio.

Dromonem Hesychii quidam in maris æstuariis capi scribunt, sagittæque modo per aquas summum decurrere. Facit Ælianus quorundã mentionẽ, quos πετηλίας à volando (Gillius legit πηλίας) vocat, quòd perparvis alis volatum exerceant, quibus currẽtes non utuntur. Potest ipsis ποδανέμων titulus, qui ex Cratete Comico ab Athenæo datur, tribui. Negliguntur in cibis propter exilitatem.

Locus.

Ælian. H. A. l. 7. c. 30.

PVNCTVM V.

De Cancro flavo undulato Rondeletii, Marmorato, Cordis figurâ, & aliis Chelarum longitudine differentibus.

C*Ancer flavus undulatus*, à colore & lineis, quæ in prona parte sunt sinuosæ undarum modo, non aliter quàm Cameloto vulgò nuncupato, nomen sortitus est. Pedes quaternos habet longos & hirsutos: Chelas duas magnas, etiam hirtas: Cornua duo satis longa: in fronte appendices duas, in lateribus alias. Capitur circa Antipolium & Lerinum insulam.

TAB. VI. 6.

Aldrov. l. 2. c. 21.

Cancer Marmoratus sive varius, quod testa sit lævi, ac perpolita, & maculis viridibus cæruleis, albis, nigris, cinereis, Jaspidis instar & marmoris persperſus sit. Si mortuus in sole exsiccetur, totus fit flavus, maculæ verò in mortuo statim evanescunt. Forfices habet aliis breviores & crassiores. Tubercula veluti gemmæ in eis eminent, ut in Astaco. Cornicula duo è frõte extant. Post oculos, qui satis à se distant, testa est serrata. In saxorũ cavernulis degunt, & ita pedibus hærent, ut vix avelli possint. Crusta sunt

TAB. VI. 5.

Aldrov. l. 2. c. 22.

cæteris

cæteris duriore. In saxis Agathensis littoris degunt.

TAB. VII. 4. *Cancer cordis figurâ*, Cornua duo è fronte prominentia habet, brachia quoque duo brevi forfice, & quaternos pedes. Pelagius est, & panagro ex alto mari cum piscibus in littus pertrahitur. In maiorum Asellorũ ventriculis sæpissimè reperitur.

Aldrov. l. 2. c. 23. *Cancri chelarum longitudine differentes*, vel sunt Μακρόχηλοι, vel βραχύχηλοι. Chelis vel tenuib. vel crassis. Μακρόχηλοι chelis tenuibus, sub Aranearum marinarum nomine apud Aldrovandum veniunt, & sub tribus generibus exhibentur.

TAB. VI. 7.8.9. 10.11. *Primum* est fusco & cinereo colore, parte priore quâ caput est, acutum, oculis parum à se invicẽ distantibus, cornibus duobus acutis.

Alterum corpore est rotundiore, quod sub Aranei crustacei nomine venit.

Tertium magis rotundius, colore cinereo & fusco, chelis quàm priores crassioribus, cui Aranei marini crustacei alterius in Tabula nomen inditum.

Differt ab his *Aranea marina*, cuius Aristoteles in Cancelli descrrptione meminit. Formâ enim similis araneis est, nisi quòd partem capiti & pectori subjectum araneo maiorem habeat. Brachia forcipata habere pro corporis exilitate longissima Rondeletius addit. Μακρόχηλοι crassis brachiis, sunt hirsuti & asperi, ut aculeati videãtur. *Vnus* est prona parte corpore & pedibus albus, unde albicantis nomen. Chelis cæruleis, supina verò ruber. *Alter* priore minor colore nigricante, unde nigricantis appellatio.

TAB. VI. 12.13. 14.15. Βραχυχήλων aliquot sunt species. Ex quibus Rondeletii ex rubro nigricat, Chelis valdè brevibus ac tenuibus, pedib⁹ proximis longissimis pro corporis ratione, crassis, acutissimis, lanugine quâdam obducta. Frequens est in Lorino insula.

Reliqui sunt tenues & læves, supina pars aculeos habet. Ex his unus ore est acuto admodum, & oculis à latere utrinque prominentibus, corpore undiq, aspero. *Minutior* dicitur.

Congener brachichelo Aldrovandi lagenam crasso ventre refert, caudam si demas. Capite est valdè acuto, corpus parte supinâ aculeis horret, coloreque est cæruleo, pronè albicat, forcipes Chelarum rubent.

ARTICVLVS III.

De Cancris fluviatilibus.

TAB. III. Aldrov. l. 2. c. 24. CAncer fluviatilis seu fluvialis, καρκίνος ποταμίος Græcis dicitur. Simeon Sethus & Galenus, Pagurum fluviatilem vocavere. Eo à marino differt, quod sit testâ duriore & crassiore; tibiis asperioribus, brachiis rugosioribus, & cum marinus lividum loti corticis colorem referat, fluviatilis ex ruffo nigrescit. Marino, præterea, ungues extremam tibiarum articulationẽ faciunt: fluviatiles multas crenas in gyrum circa ungues habent.

Locus. Frustra eos in Gallia, & Germania quæras. In Græcia, Creta, Sicilia, & Etruria inveniuntur. Bellonius in Atho Macedoniæ monte vidit, & in Ciliciæ rivulis, qui non longè ab Isso defluunt. Tanta aliquando eorũ ibi copia, ut temporis momento mille capi possint. In Nilo habitare apud Æliaum habemus. Ælian. H. N. l. 5. c. 52.

Victus. Sunt Sarcophagi, & cum invicem tãgunt, pedes sibi arrodunt & vorant. Rondeletius cũ ducentos Romæ emisset, denique in aquam ut sese reficerent coniecisset, ita inter sese conflictati sunt, ut plures quinquaginta mutilatos reperiret. Eo tandẽ deventum est, ut omnibus necatis, unus tãtum superstes fuerit. Ibidẽ ligonibus effossa scrobe vel paropside capiuntur. Juxta Ephesiam metropolim serpentes, qui ex caverna quodã egressi paludẽ tranare conantur, forcipibus arreptos interficiunt. Romæ in foro piscario, filo appensi ac trajecti, prostant. Ælian. H. A. l. 16. c. 38.

Vsus. Eduntur omni tempore, sed æstate sunt meliores, & posteaquam durũ corticem exuerunt, magnatum mensis apponuntur. Lacte à quibusdam suffocantur. Avicenna in hecticis febribus cũ aqua hordei valde probat.

In *Medicina* casdē ferè habent vires quas & alii. Tritos potosque ex aqua recentes seu cinere asservato, contra omnia venena prodesse, privatim cōtra Scorpionū ictus, cum lacte asinino, vel si non sit, caprino, vel quocunque, Plinius author est; quod & apud Dioscoridnm invenies. Ad viperæ morsum bibuntur è vino per se, vel cum staphide agria, sale & polio, ut testatur Ægineta. Cinis ustorū prodest pavore potus periclitantibus ex canis rabiosi morsibus Æschrion empiricus vivos in patella æris rubri tam diu urebat, donec facilè in lævorem redigi possent, lunâ decimâ octavâ, post canis syderis exortum, cum sol leonem ingressus esset. Huius pulverem tenuissimum cochlearii unius mensurâ ex aquę cyatho propinabat, cum recentior esset morsus; augebatur quantitas, si inveteraverat. Huic remedio tantam vim inesse scribit Galenus, ut dicat nullos periisse, quibus hoc in tempore datum esset. Id ex proprietate substantiæ fieri idem credidit. Triti in oleo & aqua perunctí, ante accessiones in febribus prosunt, teste Plinio. Archigenes apud Galenum ex cancris siccis tritis, pedib⁹ & eminentiis amputatis, drachma unâ, & asari drachmâ alterâ, cum aqua ex eodem flumine ex quo cancri sumtâ, medicamentum aquas educens componit. Hippocrates in vino suffocatos in flexu uteri propinavit.

Plin. H.N. l.32.c.5.

Plin. H. N. l.32.c.10.

Hippocr. de morb. mulier. l. 1.

ARTICULUS IV.

De Cancris in conchis degentibus.

PUNCTUM I.

De Cancris parvis.

TAB. VII. 3. 5.

PRæter ea quæ hactenus retulimus crustata, sunt & alia, quæ in alienis conchis, ut Mitulis, pinnis, pectinibus, ostreis, ac varii generis turbinatis degunt, ut Cancelli, Cancri parvi, Squili, & Scylari, figurâ non usque adeò à prædictis diversâ.

Cancer parvus, qui pinnis innascitur πιννοφύλαξ, quasi ὁ τῆς πίννης φύλαξ, ut Suidas, Hesychius, & Varinus tradunt, πιννοτήρης Chrysippo, ut Athenæus citat, ἀπὸ τοῦ τηρεῖν ἢ φυλάττεσθαι τὴν πίννην, dicitur. Sunt autem qui in ostreis reperiuntur, parvæ fabæ magnitudine, toto corpore candidi, præterquam, quòd prònæ crustæ medium rubescat. In pinnis qui degunt, majores sunt & magis rubri, alioqui chelis, pedibus, toto denique corpore aliis similes. A Cancellis eo differunt, quòd parvi cancri viventium pinnarum & ostreorum hospites sint: Cancelli inanes duntaxat testas & turbinatas subeant, sintque longo corpore Locustis non Cancris simili.

Descriptio.

De *Generatione* non conveniunt authores. Piscatores cum illis quorum testis inhabitant, quasi ex eodem semine nasci tradunt, teste Aristotele. Apud eundem ista invenies verba. Pinnæ quæ petris aut saxorum cavernis adhæserint, radices agunt, illic Margaritam generant. Vivunt autem & nutriuntur per partem carni hærentem. Huius autem conchæ ori adnascitur animalculum chelas habens, & cibum assumens, quod cancro parvo simile est, & vocatur Pinnophylax. Rondeletius cum sæpissimè Cancros parvos in Conchis & Ostreis ovis turgentes viderit, ex Coitu maris & fœminæ & ovis provenire affirmare audet. Ut ut sit, nō possunt isti in aliis procreari, ut nec vel viscū vel polypodium, nisi super aliis arboribus crescere.

Generatio.

Arist. H.A. l.5.c.15.

Quæ de eorū prudentia apud Plutarchum, Oppianum, & alios invenies, quod nempe pinnā regat, & de appropinquante præda admoneat, fabulosa sunt. Decem Pinnas aperies antequam unum pinnophylacem invenias.

Mores.

Plutarch. de solertia animal.

Oppian. l.2.Halieut.

Aqua tantum & luto eædem pascuntur, ut Mytuli. Latere in eis crede ut vitam servent vitam, Molliore testa præditi, injuriis magis sunt obnoxii. Ideo & spongiarum cavernulis saxorum rimis, & in externis testarum quibus Ostrea tecta sunt cavis, sæpissimè Cancros parvos se reperisse, Rondeletius affirmat.

Victus.

PUN-

PUNCTUM II.

De Cancello.

TAB. VII. Nomen. QUi Latinis Cancellus, Græcis est καρκίνιον, Oppiano καρκινᾶς. Plinius eum & Cancrum parvum sub Pinnotheris seu Pinnophylacis nomine cōfudisse videtur, ut Aldrovandus ostendit. Gallis Eremite, Bernard l'Eremita dicitur. Eremitam, quod alios fugiens in testa quasi in solitudine vivat. Bernardum autem, quod vulgo in Gallia Bernhardus fatuos proverbio dictitent: hunc autem fatuam, quòd crusta tectus, chelas habens, quæ ad vitam tuendam satis esse possent, alienas domos in quibus latitet, quærat. Exactissimè ab Aristotele describitur.

Aldrov. l. 2. c. 26.

Descriptio.

Communis ferè est, ait Philosophus Crustatorum & Testatorum socius, quippe qui specie locustis simili spectatur, nascique seorsum per se solitus est. Verum quod testam deinde petit, quam ingressus est, hinc similis testa cōtectis animantibus est: quapropter is in accipiti esse, genusq; sibi vindicare utrumq; videtur. Formâ tamen, (quod simplicius dixerim) similis Araneis est, nisi quod partem capiti, & pectori subditam ampliorem quam Aranei habent. *Cornicula* duo ruffa tenuia gerit, quibus *oculi* totidem subjacent, qui nunquam intrò recedant, ut Cancrorum, sed semper eminentes appareant. *Os* sub iis est, quod veluti capillamentis pluribus circumdatur. Iis pedes subjuncti duo, bifurces, quibus cibū ori admovent. Bini item utrique adhærent lateri, & tertius parvus. *Thoracis* pars inferior mollis tota est, dissectoque sine pallidum intus cernitur. Meatus ab ore ad ventrem pergit. Foramen excrementi perspici nullum potest. Pedes ac thorax duritiem præ se ferunt, sed minus quam Cancri. Nexu nullo testis adhæret. Buccinarum ac Purpurarū modo solutus liberque vagatur. Omnes sinistrum pedem crassiorem dextro habent. Cum enim in testa circa medium corporis complicati vivant, quantum dextræ parti cōpressę alimenti ac proinde incrementi decedit, tantum sinistræ liberiori ac laxiori accrescit. Bellonius addit, *Oculos* instar Astaci elatos habere, quos porrigit ac contrahit, maculis albis distinctos. *Dentes* osseos. Ab ore *æsophagus* tenuis ut filum ad stomachū protenditur. *Intestina* bis tantum revolvuntur: ac qui in eius stomacho viridis humor spectabatur, is in intestinis apparet candidus.

Arist. H. A. l. 4. c. 4.

Tres ipsorum *species* Aristoteles facit. *Oblongior est*, qui Turbinem scilicet ingreditur, quàm qui Neritim. Qui in Natice degit, dextrum bifurculatum pedem parvum habet, cum lævum grandiusculum habeat, eoque potissimum in rediatur. Ad tertiam spectare videtur, de quibus idem ita. Sunt inter Cochleas, quæ inter se bestiolas habent Astacis parvis similes, quæ in fluminibus gignuntur. Sed eâ differentia, ut præmollem intra suam testam carunculam habeant, formâ qualesnā sint ex dissectionibus contemplare. Nos hic ternas Icones damus.

Differentiæ.

Scaligero Squilla minima, Vasconibus Civada, Pugillatim enim devoratur. Reperiuntur in pisciculis, pedes novissimos latiusculos habent, ut adnandū utiles sint. In saxosis locis, cœno, & luto versantur. Ex eodem gigni credidit Aristoteles, sed perperam. Ad latera enim adhærent tanquam racemi aut globuli ova filo annexa. Et observatum est mares à fœminis apertè distingui. Nati conchulas ingrediuntur; ubi excrevere in ampliores transeunt.

Aristot. H. A. l. 5. c. 15.

Vsum & in Cibis habent. Dorion enim apud Athenæum, inter hepsetos refert. Gesnerus, Coctum odorem colorem & saporem fluviatilis habuisse scribit. Bellonius non esse edulem, sed Julidibus, channis, Percis, & id genus saxatilibus gratissimum ait. Galenus eorum usu Mullos deteriores, & mali odoris evadere testatur: sed forte hoc de Cancellis, qui in spongiis, & qui τραγοι à fœtido colore dicuntur, sumendum est.

Vsus.

Et tantum de Crustaceis.

APPEN-

APPENDIX.

De quibusdam Crustaceis Brasiliensibus Cancris inprimis.

CAPUT I.

De Guaja Apara, cancro maximo.

TAB. IX.

GVAIA APARA, cancer maximus elegantissime variegatus. *Corporis* figura est Lunæ bissectæ similis, in latitudine habens tres digitos, in longitudine duos & semis (quanquam & majores reperiantur) *Testa*, ut dixi, lunata est, in utroque latere posterius exsecta, & in acumina desinens. Anterior pars testæ ultra medietatem coloris est obscurè brunni, & variegata maculis ex albo flavescentibus: posterior pars ex albo flavescit, striis brunnis secundũ longitudinem ornata.

Pedes habet octo; singulos quatuor internodiis constantes, subrotundos, ex albo flavescentes: brachia duo, quodlibet duos & semis digitos longum, & sesquidigitum latum, quodlibet parva forcipe præditum, quibus non ita arctè comprehendere potest, ut alii cancri. Est autem quodlibet brachium superius armatum & dentatum instar cristæ galli, ita ut quando vivus brachia corpori applicatis ea componit, uti aptissimè potest, cristas duas galli sibi invicem appositas esse appareat. Tenacula repræsentat rostrum galli, brachium itaque totum rostrum galli cum sua crista. Brachia autem etiam ex albo flavescunt, & maculis brunnis sunt variegata. In aquis natans per os aquam exsufflat, quasi ex fonte exsiliret.

GVAIA alia species. *Corpus* rotundum, paulo oblongum, juglandem cum suo viridi cortice æquat, octo habet *pedes* cancrinos: duo *brachia*, quodlibet ferè duos & semis digitos longum, at exilia; in parte extrema corporis tres habet aculeos obtusos, & oculos planè exiles. *Color* totius corporis, brachiorum & pedum est albus; ac tota testa dorsi egregiis maculis brunnis ordinatim distincta, in summitate majoribus, at in lateribus, minoribus: *Brachia* parvulis maculis ex ruffo purpureis sunt variegata: pedes albicant in totum, ut & venter.

GVAIA alia species quæ rarius capitur. *Corpus* ellypticæ figuræ, latum, tres digitos & totidem longum, aut paulo minus; testa tecta est ellyptica, in ambitu multis corniculis prædita, superius autem convallibus: *ocelli* parvuli, ut aliis, in quolibet latere pedes quatuor cum quatuor juncturis, *Crura* subhirsuta, & in extremitate unguem nigrum corniculi figura habentia. Anterius autem crus tres digitos longum, reliqua semper breviora unum altero. Brachiorum cum forcipibus, cujuslibet longitudo trium digitorum, crassities humani digiti, forcipe sesquidigitum longa & satis crassa. Ipsæ extremitates forcipis paulo plus sesquidigitum longæ, rostratæ & exterius versus dentatæ, quasi denticulis humanis, & ita aptè sibi invicem quadrantes complicatæ, quasi quis rostrum dentatum clauderet, in una tenacula forcipis, quæ movetur seorsim, in medio etiam est dens albicans. Color totius cancri vivi saturate rubens, ut pruna nostratia majora esse solent, in medio corpore saturatior, reliquis partibus dilutior: extremitas tenicularum ruffi cum brunno mixti, ut cerasa nigra tingere solent. Coctus retinet colorem.

CA-

CAPVT II.

De Guaia Miri, Carara Vna, Cunuru, & Ciecie Ete.

GVAIA MIRI, cancerculus in salsis fluviis degens, nunquam excedit pruni magnitudinem; *testa* est ellyptica, anteriore parte in multos angulos desinente: *Ocelli* parvi, breves: *brachia* duo, dextrum paulo minus sinistro: *crura* octo, quatuor internodiis constantia, & brevibus pilis hirta: color testæ ferrugineus: brachiorum & crurum obscurè violaceo-purpureus. Pili crurum pallidi, inferius forcipum latus albicat.

CARARA VNA Cancer parvus, cuius corpus quadratum refert, cuius singuli anguli transversim abscissi, cæterum compressum, magnitudine semi digiti. *Oculi* prominuli, haud longi, nigri, in angulis abscissis consistentes. *Brachia* brevia, forcipibus obrotundis crassiusculis: crura octo haud crassa, sed compressa. *Testa* cum cruribus epatici coloris, seu instar hepatis tosti: brachia itidem: forcipes brunni coloris, qualis succus cerasorum nigrorum: Crura minutulis pilis hic inde vestita, eiusdem cum cruribus coloris.

CVNVRV, fœmella est *Vca* una, figura & colore conveniens, solum magnitudine corporis & brachiorum differt, minor enim est, quam mas, & brachia habet parva, brachio maris sinistro vix æqualia, sinistrumque paulo grandius dextro; raros quoque habet pilos, cum *Vca* una tota sit hirsuta.

CIECIE ETE Brasiliensibus: *Crangversinho des Manges* Lusitanis: *corpus* ad quadratam figuram accedit, & totum vix superat maioris avellanæ magnitudinem: *Oculi* prominentes longiusculi quos recondere potest. *Crura* octo: brachium sinistrum ipsi maximum, non tamen crassum, forcipis tenacula tenuia & longa, æqualia, sine dentibus: dextrum brachium tenuissimum. *Testa* coloris hepatici: reliquum totum corpus cum cruribus obscurè flavum ex pallido.

Edulis est; & Brasiliani illo curant morbum, quem vocant *Mia*.

CAPVT III.

De Ciri Apoa, Vca Vna, Guanhumi, & Aratu Pinima.

CIRI APOA Brasiliensibus. Cancer marinus, *testa* quasi ellyptica tectus, quæ in medietatis anterioris *ora* dentata, & in quolibet latere in acutum desinit angulum, mediocris magnitudinis. *Brachia* habet duo mediocria, itidem dentata: sex *crura* & septimi & octavi loco posterius duos remiges planos, quatuor internodiis, circum circa pilosos, quibus utitur natans. *Oculi* longè à se invicem distantes, parvuli, cylindracei, crassiusculi, non tamen longi & ad quemlibet cirrhulus eminet instar pili. Totius testæ color fuscus, seu nigricans, in qua diverso fusco cordis figura, aliæque depictæ. *Brachia* fusca, forcipes ex cærulescente albent. *Crura* ad medietatem internam viridi & albo mixta: medietates exteriores cæruleæ: remigum extrema pars, quæ lata est, cærulea, reliqua viridis & albo mixta. *Corpus* interius etiam cærulescit. Boni sunt saporis. *Ciri* ordinariè in fundo aquæ salsæ ambulant, interdum tamen ad littora prodeunt cum decremento maris, sed rarius. Capiuntur maris refluxu.

VCA VNA Cancer in palustribus degens, *corpus* eius ellypticum, superius convexum, juglandis cum suo cortice magnitudinem æquans

vel etiam ſuperans. *Crura* habet octo, quatuor juncturis: anteriora longiora, poſteriora breviora: *Oculos* haud longè diſtantes, cylindraceos, haud longos, quos erigit & recondit, coloris pallidè flaveſcentis, pupilla hyalina. *Brachium* dextrum ipſi maximum, interius multis tuberculis acuminatis præditum, ut & forceps: ſiniſtrum parvum. Color *teſtæ* ſuperius olivaceus, flavo in extremitate intermixto. *Corpus* interius pallidè flaveſcit. Omnia crura & brachia caſtanei ſunt coloris, forcipes etiam ſuperius, cætera pallidè flaveſcentia una cum tenaculis. Crura omnia inferius veſtita ſunt copioſis pilis longiuſculis obſcurè caſtanei coloris. Carne ſunt bona.

GVANHVMI, Cancer terreſtris: corpus illi rotundum, ſed paulum compreſſum, magnitudine Auriaci mali.

Pedes habet octo, quinque digitos longos, quatuor internodiis: *crura* longis pilis veſtita: os magnum & ad latera oris utrimque latitudine unius digiti hirſutum, ut & corpus: *Brachia* duo, dextrum magnum, ſiniſtrum parvum, magnum longum octo digitos, latum plus duobus; parvum vix quartam partem illius æquat.

Oculi bini, quos inſtar parvæ pilæ erigit, & iterum in longa cavitate abſcondit: circa os quaſi duo brachiola quæ recondere poteſt, & iterum depromere, & uſque ad oculos deducere.

Celerrimè currit, & quidem tranſverſim, ita ut oculos ad latus convertat & brachium maius elevatum geſtet. Maximo numero in ſilvis paludoſis oberrant. Carnem habet bon m.

ARATV & ARATV PINIMA. Cancer terreſtris, quadratæ figuræ, *corpore* haud magno, *teſta* multiplici colore picta, brunno, cæruleo, albo, rubro punctatim variè intermixtis.

Oculi prominentes longè diſtantes, nigri, in angulis roſtri poſiti.

Crura octo, quatuor internodiis, compreſſa, ruffa, ac per totum maculis purpureis, nigris ac albis diſtincta. *Chelæ* duæ non ita magnæ, æquales, ruffæ, in extremitate ex albo flaveſcentes. In ventre etiam flaveſcit. Crura raris pilis nigris veſtiuntur.

CAPUT IV.

De Maracoani, Potiquiquiya, & Tamaru Guacu.

MARACOANI, cancer parvus, in locis ambulans, quæ refluxu maris ſicca evadunt, alio enim tempore è latibulo ſuo non prodit: *corpore* eſt ferè quadrato, digitum longo & lato, anterius tamen paulò latiori: *Oculi* prope ſibi invicem appoſiti, longi plus ſemidigito, tenues inſtar aciculæ craſſioris, quos erigere & aptè in rima recondere poteſt.

Os habet amplum & maius quam cæteri cancri: *crura* octo, quatuor internodiis. Brachium dextrum illi maximum, tres digitos longitudine ſuperans, ſatis craſſum, & ſe totum poſt illud poteſt abſcondere: forceps autem brachii latior, haud craſſus, referens forcipem ſartorum, extuberantiis haud acutis loco dentium præditus; ſuperficies brachii etiam parva tubercula habet: *brachium* ſiniſtrum minimum, minus uno è pedibus, forcipula minima inſtar ſcorpionis.

Crura raros habent pilos fuſcos. Coloris eſt in teſta fulvi, ut & in pedibus & minore forcipe, atque in inferiori corpore: extremitate pedum magis rufeſcunt. Brachium dextrum è fulvo obſcurè rufeſcit. Eſt edulis.

POTIQVIQVIYA Braſilienſibus. Locuſta marina, Belgis Zeekreeft. Longitudo *corporis* à fronte ad exortum

ortum caudæ ſeptem digitorum, *caudæ* ſex: latitudo *teſtæ* dorſi ſeptem, *ventris* duorum & ſemis : totius corporis ambitus novem digitorum & ſemis ; *caudæ* ambitus quinque, quæ conſtat ſex tabellis , ſeptem juncturis ſibi invicem appoſitis : & habet cauda ad quodlibet latus inferius quatuor pinnas , ſeſquidigitum longas, unam latas : extremitates laterales cuiusque tabellæ deſinunt in cornu acutum : in quolibet latere quinque habet crura, quinque internodiis diſtantia ; primum par crurum ſex digitos longum, alterum novem , tertium pedem, quartum ſeptem digitos, quintum quinque : Quodlibet autem unguem habet incurvum , acutum, pilis multis flaveſcentibus hirtum, inſtar penicilli pictorum : crus anterius craſſitie digitum æquat, reliqua graciliora.

Teſta corporis variè tuberculata, frequentibus eminentiis inſtar corniculorum rectorum, acutorum, anterius ſcatet.

Oculi prominentes cylindracei, & poſt eos duo cornua ſurrecta antrorſum inclinata , digitum longa; ante oculos ſupra os quatuor cirrhi exortum ſumunt, primo duo magni pollicis humani craſſitie in exortu, ubi quatuor internodiis conſtat, longi ſeſquipedem & undique ſpinoſi, inter hos duo minores, quatuor internodiis , teretes ſine ſpinis, ac ultra medietatem biſecti, decem in totum digitos ſinguli longi.

TAMARV GVACV, Braſilienſibus : *Camaron de Salgado* Luſitanis. Locuſtæ marinæ ſpecies, novem digitos longa, vel paulo plus. *Capitis* longitudo duorum digitorum ; verſus caput magis magisque anguſtatur.

Corpus autem habet undecim quaſi juncturas , quemadmodum cauda in Gamaris: in poſtica parte corporis ad quodlibet latus duos habet proceſſus ſubhirſutos.

Totum corpus tectum eſt cruſta cancrina , albicante, ſplendente inſtar cornu politi , ad juncturas autem ſubnigricat aut purpuraſcit; pedes in quolibet latere tres , nimirum ad tertiam , quartam & quintam juncturam à collo numerando ; exilia, duos circiter digitos longa.

Caput triangulare , olivæ magnitudine ſub teſta albicante ſplendida latet, duos digitos longa. Pone caput ad quodlibet latus habet brachium unum , ſeptem digitos longum , quatuor juncturis conſtans, eſtque extrema pars brachii ab ultima junctura incurvata inſtar falcis maioris, & novem dentibus acutiſſimis prædita : his brachiis ferit, & qui vulnerati ſunt , ægrè ſanantur.

Oculos habet prominentes, oblongos : barbam cancerinam octuplam: prope oculos duas prominentias retrorſum verſas, digitum longas, læves , at in extremitatibus hirſutas: infra caput adhuc octo prominentias, duos digitos longas , quæ in extremo tubercula gerunt. Verſus poſticam corporis partem inferius multas latas quaſi pinnas habet, quæ natationi haud dubio inſerviunt, & quaſi folia complicata ventri inferius adjacent. Non comeditur.

CAPUT V.

De Paranacare & Guaricuru.

PARANACARE : *Gammarus* in concha degens, haud edulis, tres digitos longus : brachia habet duo cum forcipibus, crura quatuor longiſſima , nimirum tres digitos longa, & poſthęc quatuor planè brevia; caudam ſeſquidigitum longam inſtar aliorum Gammarorum ; oculos longos & prominulos: duos cirrhos pro barba.

Corpus tegitur teſta obſcurè caſtanei coloris ; eiuſdem coloris eſt

& cauda, nigris ſtriis ſecundum longitudinem variegata, corpus inferius & exortus crurum & brachiorum interius cæruleſcunt, uti & oculi & barba; per totum corpus habet pilos ochræ coloris.

Concha quam inhabitat fermè quatuor digitos longa, turbinata coloris pallidè ſubflaveſcentis.

Variæ autem magnitudinis reperiuntur, planè parvulæ, magnitudine minoris pruni, turbinatæ & variis tuberculis acuminatis præditæ, pallidæ, rufeſcentes, nigræ, ad littus prope fluvium Paraiba.

GVARICVRV Braſilienſibus, *Gammarus* vulgo *Camaraon*; quatuor digitos longus: crura habet ſex, tribus internodiis conſtantia, cum unguiculo in extremitate: anterius par crurum quaſi ſuras habet, craſſius reliquis & vicem brachiorum fungens; paulo plus duobus digitis longum, ultimum paulo plus uno, omnia aculeata ſeu ſpinoſa.

Cirrhos prope os prodeuntes habet ſex; duos longiſſimos, nimirum tres digitos ſingulos, verſus poſteriora reflexos; duos unum digitum, & duos ſemidigitum: ſub ore parva tenacula quatuor craſſiuſcula, & quatuor tenuiora, quibus cibum tenet. Oculi ſimiles reliquis. Color totius fuſcus. Cocti eduntur.

HISTORIÆ NATVRALIS

De Exanguibus Aquaticis.

LIBER III.

De Teſtaceis.

TITVLVS I.

De Teſtaceis in genere.

TEſtacea quæ vulgò dicuntur, ea alii Teſtata, Horatius teſtas, Cicero, belluas nativis teſtis adhærentes, Palladius clauſa maris animalia, Albertus teſtudines, plurimi Conchas, & Conchilia dixere. Græci ὀστρακόδερμα, ac ſi dicas teſtaceæ cutis animalia, ὄστρεα, quod apud Philoſophum invenies, ὀστρεῖα, ut Athenæus teſtatur, ὀστρακόφορα ὀστρακώδη καὶ κογχοειδῆ, & Strabo ſcribit, σκληρόδερμα, λιθόρρινα, quod Empedocli tribuitur, ὀστρακόεντα, ὄστρακα, ὀστρακοδέρμους ἰχθύας, ſeu teſtaceos piſces, quod apud Suidam, ut illud apud Oppianum legimus, λιχάδας Heſychius & Varinus, κυματοφορτίδας idem, appellavere. *Horat. l. 2. ſaty.* Nomen. *Ariſt. H.A. l. 1. c. 6.*

Partes corporis ſi ſpectemus, Omnibus teſta intus lævis æqualisque habetur, Caro item quam Græcè ſpondylum, latinè callũ dici Hermolaus author eſt, quam Lunæ incremento augeri prodidere quidam. Terrenũ illud quod continet & conſervet foris eſt, hoc calorem leviculum, quia ſanguine carent, tanquam furnulus fovet & conſervat, & teſta dicitur. Non mutant eam, tum quòd nõ moveãtur, tum quòd non ſiccentur. *Oculos* habere negat Ariſtoteles, Plinius movere etiam, ſcribit. *Dentes* ipſis primores, & *carnoſum* illud quod proportionatur ad ſentiendũ cibum *caput* omnib. infra, plantar. modo. *Stomachus* ori cõtinuò jungitur, isq; pportione magni- Deſcriptio. *Ariſt. H.A. l. 1. c. 9. Plin. Epiſt. 136.*

magnitudinis exiguus. Hunc excipit *venter*, in quo φ *papaver* dicimus, (μικον) situm. Mox intestinum continuum tendit simplex, originem à papavere illo ducens. Excrementū illud quod papaver dicimus, continent turbinata omnia sua clavicula, univalvia fundo, bivalvia qua nodo ligantur. Laborant omnia per frigus, & æstum atque exuperantiam temporis pati nequeunt. *Nutriuntur* more plantarum per poros, & quidē humore dulci, si Aristoteli credimus. Ideò eis anni pluvij prosunt, Purpuras si excipias. Moventur omnia parte dextra, non ad vertiginem sive claviculam, sed in adversum.

Victus. *Arist. H. A. l.8.c.2.* *Arist. H. A. l.8.c.20.*

Differentiæ.

Differentias quod spectat, mira in ipsis naturæ ludentis varietas. Tot color. differentiæ, tot figuræ, planis & concavis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe cæsis, in dorsum elatis, lævibus, rugatis, denticulatis, striatis, vertice muricatim intorto, margine in mucronem emisso, foris effuso, intus replicato, jam distinctione virgulata, crinita, crispa, cuniculatim, pectinatim, imbricatim, undata, cancellatim reticulata, in obliquum, in rectum expansa, prædensata, porrecta, sinuata, brevi modo ligatis, toto latere connexis, ad plausum apertis; ad buccinum incurvis. Rondeletius eas brevissimè complexus est. Alia ab aliis testæ duritia superātur, ut pulmones, Holothuria, Echini, longè minus dura testa conteguntur, quàm Purpuræ & Buccina. Alii undique circumteguntur, ut nihil interioris corporis tegi possit, ut Ostrea, Tollinę, Pectines. Alia altera tantum parte testam habent, alteri parti testæ loco est scopuli pars cui hæret. Chamæ & Dactyli sive Solenes utrisq; extremis non integuntur, per quæ caput & posteriorem partem exerunt. Eorum quæ undique integuntur: alia turbinata sunt, ut Purpura, Buccinum, alia turbinata non sunt, ut conchæ, quæ à Gallis Porcellainos vocantur. Alia unica cōcha cōstāt, ut Lepades. Alia duabus, & Mytuli. Testar. aliæ læves, ut Unguiū, Mytulorū. Alię asperę, ut Purpurarum, Buccinorum, Ostreorum, quarum rursus testarum, permagna est in asperitate varietas, quæ in singulis declarabitur, &c. Nos ea brevissimè in Turbinata, Turbines, Bivalvia & Univalvia distinguimus. *Locus* ipsis mare, quod ita amant, ut apud Ægyptios maris symbola conchylia haberentur. In mari rubro mira quadam magnitudine augentur. Bibacta iisdem referta est, ut & maris Ægei & Laconici littora. In montibus & remotis procul à mari locis reperiri, nullum dubium. Causas alibi inquiremus. Ad *Temperiem* spectat, quod plurima eorum algore & ęstu lateant. Limaces hyeme, Purpuræ & Buccinæ canis exortu tricenos circiter dies conduntur. Æstate tamen potius plures vigent, Pirēsem Euripum si exceperis, in quo non minus hyeme probantur, quod tum, piscibus alio migrantibus pabulentur uberius.

Plin. H. N. l.9.c.33. *Arist. H. A. l.8.c.13.*

Generatio.

De ipsorum *Generatione* accuratissimè Aristoteles in libris generationum egit, eoq; res redit, ut omne genus testatum spontè oriri pronunciet. Apertum, inquit, id hinc est, quod navigiis putrescentibus, fæce spumosa adnascuntur, & locis multis ubi nihil tale aderat ante, post per inopiam humoris facto cœno, Ostreæ prodiere: ut apud Rhodum insulam, cū classis applicuisset, & fictilia proiecta essent, in mare, tēpore post cœno obducto testis. Ostreæ in eis reperiebantur. Nihil autem partis genitalis emitti ab iis, argumentum est, quòd cum Chii quidem ex Pyrrha Lesbi insulę Ostreas vivas portassent, & in loca quædam maris reciproci æstus, & luto similia dimisissent, plures nihilo fuere temporis spacio, quāquam incremento corporis plurimum profecerunt. Quæ autem ova vocantur, nihil ad generationem conferunt, sed indicium sunt nutricationis melioris, quale in sanguineis pingue est: quamobrem sapore per id tempus præstant, ciboque laudātur. Quæ de Conchis Ælianus scribit, in speciali historia adferemus.

Arist. Gen. A. l.3.c.11. *Arist. H. A. l.5.c.14.* *Scalig.*

Vide Cuiag. [illegible] c. 16.

Sensus. *Sensus* eis Plinius adimit, tribuit Aristoteles. Purpuris escas putidis Purpurarii emoli. acceduntq; odore sine dubio illectæ ad ipsas. Ungues ad strepitum se subtrahunt, inferiusque subsidere cernuntur, quoties ferramentum sentiunt admoveri. Exiguo namque extant, reliquo autem toto corpore perinde ac in cubili occiduntur. Natices qui capiunt non adverso, sed secundo flato adeunt, quoties escam persequuntur, nec voce ulla sed silentio agunt.

Antipathia. *Antipathiam* cum tonitru habere creduntur, & adhærescentis tempestatis signa sunt.

Vsus. Adeò olim *in Cibis* adhibebantur, ut inde conformatum sit adagium, conchylia viduarum cupedias, & Plinius, luxuriæ matrem Conchyliorum, precia margaritis propemodum æquasse, quæritur. Commune omnibus salsum quendam in sua carne succum habere, quo alvum ciere nata sunt: quòd si probè assentur, maximè tum salsa evadunt, ut quæ succum jam habeant ab igne veluti succensum, & propè dixerim, absumptum. Mollitie tamen & duritie operationis variatur eventus. Venerem invitare certum, unde eam Concha Cyprum vectam quidam, alii è concha natam voluerunt. In *Medicina* quoque locum invenisse in specialibus dicemus.

TITULUS II.

De Testaceis in specie, & primò de Turbinatis in genere.

SUPERIORE titulo Testaceorum omne genus, in Turbinata, Turbines, cõchylia bivalvia seu δύθυρα, & μονόθυρα seu univalvia distinximus: Turbinata vel *in genere*, vel *in specie* considerantur. *In genere dicta Turbinata* sunt illa, quæcumque in volutas & anfractus seu spiras, quales in prælis & torcularibus visuntur, Testas suas quoquo modo reflectunt. Græci σρομβώδη vocant, Gesnerus ἑλικοειδῆ quoque dici posse putat, quòd ἕλικας vocent, quas diximus, volutas. At Rõdeletio σρόμβος in genere pro omnibus Turbinatis sumitur. Turbo autem est id quod ex amplo & lato paulatim in mucronem desinit, cuius figuræ est & Turbo lusorius. Proprium illis est testam habere continuam totam & unicam. Si externa spectemus, si interna considerentur, quodammòdo similem naturam nacta sunt omnia, magnitudine autem distant & aliis affectibus qui excessu comparantur. Quædam enim quæ maiora sunt suas quoque partes conspectiores habent: minora autem minus: sic etiam duriora & molliora, & ejusmodi alia alii. Nam quæ *caro* summa à testæ ostro exorta est, eam quædam firmiorem quædam solutiorem habent. Ex eius medio *caput* est & cornicula bina; in majoribus proceriora, in minoribus minima. Eximendi capitis eadem omnium ratio, & perterrefactis contrahẽdi. Habent quædam *os* & *dentes*, minutas, tenues. Quædam etiam muscarum more habent *proboscidem* linguæ specie. Hæc dura est buccinis & purpuris. Nam quemadmodum Tabani & asilus tergora quadrupedum pertundunt: ita his tanta est duritia, ut escarum testas perforent. Subest ori statim *venter* similis avium ingluvieï, qualis est etiam umbilicis. Infra duo candida quædam, firma, specie *mammillari*, qualia in sepiis inveniuntur: sed hæc solidiora. A ventre *gula* duplex longa ac papaver usq;, quod in fundo est. Quæ omnia perspici possunt, in sinu vorticeso testarum. Quod gulæ jungitur *intestinum* est, à qua, continuò tractu fertur totum simplex usq; ad exitum, incipi eas à vorticoso sinu quo *papaver* continetur, atque inde laxiorum. Est autem papaveris magna pars quasi excrementum in omnibus ostraceis. Inde intestinum reciprocans rursum ascẽdit ad carnosas partes, atq; circiter caput

Aristot. H. A. l. 4. c. 4.

caput terminatur, qua emittitur excrementum omnibus turbinatis tàm terrenis quàm marinis. Hucusq; Aristoteles. *Crescere* ut vermes, scilicet anfractibus, qui subinde accrescentes plures efficiuntur in partem priorem, quod caput vocatur, experientia docuit. *Serpunt* parte dextra non ad claviculas, sed in adversum. De *Congressu* in speciebus dicetur.

TITVLVS III.

De Turbinatis in specie.

CAPUT I.

De Turbinatis in anfractum tortis.

ARTICULUS I.

De Nautilo.

TAB. X. *Aldrov. l. 3. c. 3.*

DUum sunt Turbinata apud Aristotelem generum, vel enim ἑλικῶν habent, vel sunt (φαιροειδῆ seu in globum circumacta. Ex illis sunt *Nautilus, Purpura, Buccinum, & Conchylium.*

Arist. H. A. l. 4. c. 1.

Differentiæ.

Nautilus, quem Suidas ναυτιλῶ, alii ναυτικὸν & ὠόν πολυπόδος vocant, vulgo ναύπλος dicitur, & cum *Nauplio Athenæi* idem esse videtur. A modernis Græcis θαλάμιον τετραποδίου vocari Robertus Constantinus author est.

Arist. H. A. l. 4. c. 2.

Duo ipsius apud Aristotelem habemus *genera*. *Vnum* est, cuius testa pectunculo similis est, cava, neque ei connexa natura. Is prope terram pascitur sæpe numero: quare à fluctibus eiicitur in aridam, ubi delapsus de concha, aut capitur aut in humo perit. Hoc genus pusillum est & simile bolitænis: quæ Polypi species est. *Alterum* in testa tanquam limax est. Is ex ea nunquam exit: sed interdum brachia exerit. Illud respicit Plinius cum dicit. Inter præcipua miracula qui vocatur Nautilus, ab aliis, Pompilos (potius polypodis ovum) Scipinus (verius pronus) in summa æquorum, pervenit, ita se paulatim subrigens, ut emissa omni per fistulā aqua, velut exoneratus sentina, facilè naviget. Postea prima duo brachia retorquēs (potius attollens ex Athenæo) membranā inter illa miræ tenuitatis extendit. Qua velificante in aura cæteris subremigans brachiis, media cauda, ut gubernaculo se regit. Ita vadit alto, Liburnicar. ludens imagine, & si quid pavoris interveniat, hausta se mergens aqua. Eundem exactissimè Bellonius *descripsit*. Concha, inquit, tribus fragmentis constare videtur (carina scilicet & lateribus, cum tamen una & simplex sit) quarum latera utrinque ceu carinæ junctæ apparent, ea ut plurimum magnitudine, quam ambę manus amplecti possent: latitudine autē quantum pollex cum indice comprehendat. Omnes autem non excedunt crassitudinem membranæ pergamenæ, striisq; in oblongum ductis, ad oras crenis laciniatæ sunt, in formam rotundam abeuntes: foramam autem per quod Nautilus alitur atque exit de *Concha*, magnum est. Fragilis hæc lactei coloris, lucida, admodum polita, omnino navis rotundæ effigiem referēs. Navigat enim per maris summa, elatus de imo gurgite offertque se testa inversa, ut facilius ascendere posset, & inani scapha enaviget, atque ubi inde emerserit, tum concham invertit. Cæterum Nautili brachiis interjacet membranula, qualis est inter palmipedum digitos, sed hæc magis est tenuis, in telæ araneæ modum, robusta tamen, qua etiam aura inspirante velificat. *Cirris* quos utrinque multos habet, pro gubernaculis utitur, atque ubi metuit, tum concham protinus marino humore oppletam demergit.

Plin. H. N. l. 9. c. 29.

Alterum

Alterum Nautilum, Cochleam margaritiferam Bellonius vocat, & videtur eam Fauconerius describere, cum in Epistola ad Gesnerum ait, suum Nautilum, testā habere interna parte ita nitentem, ut cum unionibus preciosissimis de coloris amœnitate certare posset, Bellonius enim suæ illius cochleæ concham, in magno apud artifices Gallos, ad vasa dirioribus abacis accōmoda conficiēda, precio esse, & *Porcellanam* ob id vocari scribit. Fauconerius multa in sui Nautili testæ carina tabulata, eodem amœno colore nitentia, fuisse prodit. Hinc facilè colligas eundem cum eo esse, quem à Græcis πολυθαλάμιον τετραπόδιον, id est, polythalamū dici scripsimus. Plin. cū de Nautilo paulò ante dixisset, mox tanquā de altera eius specie. Navigeram similitudinem, inquit, & aliam in Propontide visum sibi prodidit Mutianus. Concham esse acatii modo carinatam, inflexa puppe, prora rostrata: in hanc condi Nauplium animal Sepiæ simile, ludendi societate sola: duobus hoc fieri generibus. Tranquillo enim, vectorem demissis palmulis ferire ut remis; si verò flatus invitent, eosdem in usu gubernaculi, pandique concharum sinus aurę. Huius voluptatem esse, ut ferat, illius, ut regat: simulque eam descendere in duo sensu carentia: nisi fortè tristi (id enim constat) omine navigantium humana calamitas in causa est. Cardanus quoque cuiusdam cochleæ meminit, quam India mittit. Est, inquit, forma triremis cum alta puppi, in qua vasculum aliud, diceres poculum à natura excogitatum. Nam & magnitudo tanta eius quam vidi, ut cotylam capiat. Res profectò usus elegantissimi & pulcherrimæ formæ.

Plin. H.N. l.9.c.30.

ARTICVLVS II.

De Purpura.

PVrpura Græcis πορφύρα, Plinio aliquando Pelagium, Politiano cōcha Herculea, quòd tincturæ Hercules author credatur; Serapioni Pulpia, Brasavolo Antale dicitur. Qui cum Conchylio confundunt, à Plinio refutantur. Distinguit enim iste, & expresse apud eum legimus. Conchylia & purpuras omnis ora atterit, quibus eadem mater luxuria paria penè etiam margaritis fecit. Nec minus illi, qui Conchylium idē cum Buccino ponunt, quòd Plinius cum duo tantū genera Turbinator. continentium florem illum tingendis vestibus adeò expetitum poluerit, alterum Purpuram, alterū Buccinum esse, necesse videatur. Eodem enim libro hæc verba extant. In Cōchyliata veste cætera sine Buccino, pręterque jus temperaturæ aqua pro inviso potus humani excremento. Concham ex Turbinatorum genere esse Aristoteles prodidit, & aliquot ipsarum genera agnovit, ut circa finem dicemus.

Tab. X. 5. 6. &c. Nomen.

Plin. H.N. l.9.c.35.

Plin. H. N. l.9.c.36. & 39.

Descriptionem si spectes, sæpe ovi est magnitudine, aliquando major, nisi elevata & aculeis munita esset, & canalē ad latus qua linguam exerit haberet. Rugata eadem, aspera, cinerea, aliquando flavescens, aliquando ex viridi cinerea, intus luteo colore. Rostro est longo tubuli modo excavato: Cornua Limacum more attolit, atque eodem modo serpit, iisdem cornibus iter sibi prætendit. Linguam ex tubulo illo canaliculato in latere procurrentem habet, quæ callosæ huic parti adhærescit, cui caro ipsi testæ adjungitur. Est autem ea *caro*, musculus quidem fortis ac candidus, mediæ testæ alligatus, quo Purpura tanquam congenito quodā operculo, carni patulæ opposito, diutissimè extra aquam vivit. Marinam enim aquam haustam asservat, qua pluribus diebus refovetur ac sustentatur. *Caput* illi cartilagineum ac durum.

Plin. H. N. l.9.c.36. Descriptio.

durum. *Os* in ea parte qua ſcopulis hæret, rotundo foramine pervium, quo lapides arrodit, & in ſtomachum exugens demittit. *Hepar* quoq; habet viſcidum, tenaci quodam lentore præditum, ut penè viſcum eſſe appareat. Sed hoc quod de hepate, brachiis, & corde, Bellonius ſcripſit, pro fabuloſis cenſet Rondeletius.

Et hæc quidem recentior. Deſcriptio eſt. Ut vero & veteres videamus, Clavatam Plinius facit Purpuram ad Turbinem uſque, aculeis in orbem ſeptenis ferè, qui non ſunt buccino. Teſtam intortam curriculatim in crepidinem deſinere, apud Ariſtotelem extat. *Partes* illæ quæ Dioſcoridi ſecundum Hermolaum κιόνια, aliis ἰόνια, quod violam ſignificat, partes ſunt interni Purpurę corporis mediæ, fibratæ, toroſæ, & firmæ, circa quas teſtæ volumina capreolorum ritu circumvolvi incipiunt ſecundum Dioſcoridē: vel quibus hæret vena illa vel membrana illā floreā Purpurar. continens, inter *papaver* nempe quod turbinata omnia ſua clavicula continent, quod eſt inferiore loco, & cerviculam ſeu collum ſuperiore loco.

Ariſt. H. A. l. 5. c. 15.

De eo *flore* ſeu ſucco ita breviter Ariſtoteles. Inter papaver & collum florem continent, textura denſa, colore candidæ membranę, qua ablata & compreſſa manus flore tingitur. Hoc ipſe flos videtur eſſe: reliqua concretio, quaſi alumini. Id Plinius florem in mediis faucibus habere dixit, liquoris eum eſſe minimi in candida vena, unde pretioſus ille bibitur, nigrantis roſæ colore ſublucens, reliquū corpus ſterile. Rondel. partem ſuccum continentem, cordi proportione reſpondere exiſtimat, florem, ſanguinis loco eſſe. *Caro* earū penitus includitur, nec ulla ex parte, excepto capite conſpicitur, ut apud Ariſtotelem habemus: Teſta ſua adhæret. *Linguam* duram habere eaque teſtas eſcarum perforare, non tantum ab Ariſtotele, ſed & Plinio, qui longitudine digitali facit, & Æliano proditur: Rondeletius promuſcidibus muſcarum quę inter cornua comparat, & firmam, toroſam, quæq; exeri poſſit, concedit: ſed tam durā eſſe ut teſtas perforet negat, roſtro id fieri veriſimilius addens. Qui κροκύδα, ſeu κροκίδα τῆς πορφύρας apud Galenum, pro tomento purpurarum, pro depexo & contuſo in medicamētis veteres uterentur, ſumunt, vehemēter fallūtur. Lanæ n. purpura tinctæ craſſior & minus curata pars eſt, cuius & Dioſcorides meminit. *Operculum* varia apud authores ſortitū eſt nomina. Plinius purpurarum cavum dixit, Ariſtoteles κάλυμμα, ὑπόκαλυμμα, Galenus πῶμε vocavit. Alii βλάττον βυζαντινον, vel βύζαντιον, à Byzanto vel Byzantio Africæ nominant, & longè verius quàm illi, qui id nomen ori narium purpurę adſcribunt, quas non habet, vel qui blattas Byzātias buccinorum & Conchyliorum permiſta opercula appellant. Galenus Indici conchilii teſtam inter oſtraca & teſtas purpurarum & muricum generatim comprehendit. Nec negandum fortè eſt, Conchylii, buccinæ & purpuræ opercula, nec ſubſtātia, nec viribus differe, niſi fortè unguis odoratus differētiam ſupponat. Nam blatta Byzātia dū uritur ingrati eſt odoris, & caſtoreum redolet: unguis verò, ſuavē odorem ſpirat. Poteſt tamē & id quod ἐνῶδες Græcis dicitur, gravis apud Latinos odoris eſſe, & in quibuſdā locis ungues odoratos, fętidos in aliis reperiri. Ut ut ſit, Carni hæret operculum purpurarum ut unguis noſter. Ex filis ſeu fibris coagmentatur, & quia pinguedinis aliquid in ſe habet, fumum cornu modo accenſum emittit. Et hæc quidem de partibus ſufficiant.

Ariſt. H. A. l. 5. c. 15.

Plin. H. N. l. 9. c. 36.

Ælian. H. A. l. 7. c. 34.

Galen. l. 3. de Medic. ſecund. loc.

Flori, qui & ſuccus Plinio, τὸ ἄνθος τῶν πορφύρων Græcis, varia indita ſunt nomina. Vitruvius oſtrum dixit κοκκοβάφον, cui Virgilius Sarrani epitheto, à Sar urbe Phœniciæ, quæ poſtea Tyrus, unde purpureus color & Sarranus & Tyrius, ſecundum Maſſariū addidit. Nec tamen omnis Purpura oſtrum, ut tradit Gellius, quamvis omne oſtrum purpura ſit, quod exuberantiam ſplendoremq; ruboris habet, hoc eſt, illuſtratur ſplēdore, quo

Flos Purpuræ.

Vitru. l. 7.

alia purpura caret, *Saniem* etiam prę-ter Plinium idem Vitruvius vocavit, Pollux λάθρον, Fucus, pelagium, venenum Tyrium, purpurissum, κάλχα eiusdem sunt apud alios nomina. *Tria* verò huius floris, à varietate coloris sumpta, posuere *genera*, πορφυείδα, coloris violacei, saturati, & subnigricantis, quo colore πορφύρεον κῦμα Homerus dixit: qualis erat amethystina & quæ è Pelagiis purpuris & buccinis fieri solebat. Φοινικίδα punicorũ rubentem colore cocci, qualis fuit Tyria vel Tarentina. Αλκυγίδα deniq; colore glauco, irato mari simili, austero, diluto, qualis fuit conchyliata, Tyria omniũ celeberrima, quæ & ostrum dicebatur quo obscurior & nigricantior eo carior. Sed & à loco aliqua est differentia. Testatur enim Vitruvius, ostrum quod legitur in Ponto & Gallia, quòd hæ regiones sint proximæ ad septentrionem, esse atrum. Progredientibus inter septentrionem & occidentem, lividũ, quod legitur ad æquinoctialem, orientem, & occidentem, violacco colore inveniri: quod verò meridianis regionibus excipitur, rubrum esse. Inventum fuisse à Phœnice regnante à Tyrio Philosopho Hercule produnt. Cum enim in eam, referente Cedreno, Tyri partem adscendisset quæ ad mare pertinet, pastoris canẽ concham vorantem, & pastorem lana sanguinem prout ille putabat à sanguinis ore abstergentem vidit. Tinctura delectatus, lanam istam ad Regẽ detulit, qui lanam ita tingi, & sibi vestem parari curavit.

Locus. Quantũ ad Purpurarũ *locũ* in pelago & littorib. ut in Differentiis dicemus degũt, nec ulla magis idonea ipsis regio quàm limosa. Si amnis in mare effluentis aquam degustarint, eodem die moriuntur. Dies tamen circiter quinquaginta extra aquas captæ vivunt, sæpe in arena latent, & canis exortu circiter tricenos dies conduntur. Sunt tamen peculiaria loca, quæ à Purpuris celebrantur. Virgilius & Petronius Assyriæ meminere, Plinius Meningis Africæ insulæ, non longè à Syrtibus sitę, quã Lotaphagorum terram putant, & Getulici littoris: Laconica Pausanię, Horatio & Valerio Flacco celebris est. Unde huic fucus Tenarius; Arriano, Muxa emporium ad mare rubrum. Teniensem purpuram apud Pliniũ lego, fortè quod in tæniis seu cautibus in mari candicãtibus, & fasciæ instar pratensis, degit. Dialutensem seu fortè Dialucensem alibi, quasi δίς & ἄλυπον, quod per salsum æquor rapit: Porphyrusa Aristoteli à frequentia Purpurarum dicta est. Fit & Melibææ apud Festum mentio. Celeberrima deniq; omnium est Tyria, ut Plinius de suo tempore scripserit: Tyri nobilitas nunc omnis Conchylio atque Purpura.

Victus. *Victitant* pisciculis teste Aristotele: sed nec algã nec muscum rejicũt. Ita ista in suas testas recipiunt, ut iis in orbem exertis, quasi circularẽ convivationem præbeant, una alterius alimentum depascente. Plinius pabulo & solo purpurarum genera discernit, ut sit lutense, quod putri limo; algense, quod alga; dialutense quod vario soli genere, pascitur. Istud esse vilissimum. *Arist. H. A. l. 8. c. 2.*

Generatio. *Ortum* apud Aristotelem invenio duplicem. Vel enim ex limo existunt vel ex salivario lentore, ut Plinius prodidit, quem emittunt, de quo ita Aristoteles. Purpuræ verno tempore eundem in locum congregatæ faciunt idquod vocant favaginem. Est enim favi specie, sed minus expolita. Quemadmodum si è folliculis alborum cicerum multis quiddam cõpactis. Nullus his patet aditus, neq; inde fiunt purpuræ, sed tum illæ tum testacea alia ex putredine atq; limo proveniunt. Sed id est quasi purgamentum & ipsis & buccinis. Etenim hæ quoq; favificant. Generantur verò hæc quoq; favificantia, quemadmodum cætera testacea. Cæterum etiam facilius, si qua subsint principia referentia genus suum. Cum n. incipiunt favificare, emittunt lentorem quendam mucosum, ex quo folliculi concrescunt illi. His igitur omnibus solutis, effluit in terrã id quod continebant. Atq; eo in loco purpurillæ minutæ *Arist. H. A. l. 5. c. 14. edit. Scal.*

minutæ oriuntur atq; concrescunt, quæ hęrentes purpuris capiuntur, aliquot etiam inchoatæ tantũ. Quod si ante partus tempus capiantur, in ipsis storeis non tenerè pariunt, sed in eundem locum conventu facto quẽadmodum etiam in mari: Unde per cratium angustias quasi racemi prodeant. Celerrime inter testacea *crescũt*. Sex annos vivunt, & singulis annis incrementum earum per orbes patet, quibus totidem quot annos habent, testa claviculatim intorta in crepidinem desinit. Parum *progrediuntur*, & ad escas à longo accedunt, quòd odoratu valeant. *Tinctura* ratio alio spectat. *Vsum in Cibis* præstant, & hoc cum ostracodermis communes habent, quæ salsum succum contineant, eodemq; alvum subducant, carne autem sint dura. Athenæus ex Hicesio papaver copiosiusalere scripsit, magis tamen Scillam sapere. Colla ægrè confici & difficulter secedere excrementum facile, partes extremas aptissimas esse, & seu elixas seu assas humori ori gratum & stomacho acõmodũ emittere, Xenocrates prodidit. Peculiare est eis quòd coctæ jusculis spissent. Nec à *Medicina* excluduntur. Contra venena prodesse, docuit Plinius, contra Dorycnion Nicander. Saliva recentia vulnera agglutinãtur. Callus pro se operiuntur tusos glutinat nervos præcisos, Testæ cinis pustulas verendorum è melle discutit, ad dentifricia cum rosis & caryophyllis usurpatur. Cũ pulvere glycyrrhizæ, papaverisq; semine, cremore hordei pauco vino albo pulmonib. auxilantur, & fluxiones sistet. In pollinẽ redacta ulcerib. malignis cõpetit. Cum melle illita, pilos attenuat. Filum è purpura quo vipera cervici circũposita suffocata fuit, collo circũdatum tonsillar. affectus tollit. Aëtius verò purpuram hircinio felle madefactam & mulieri umbilico diebus septem impositam conceptum juvare tradit, si deinde crescẽte luna cum viro congrediatur.

Ætas.

Vsus in Cibis.

Vsus in Medicina

Plin. H. N. l. 32. c. 6.

Plin. H. N. l. 32, c. 10.

Arist. l. c.

Differentia.

Differentiæ seu genera, si quæras, sunt *Magnæ*, quæ ad Sigæum & Loctũ Idæ promontoria giguntur. *Parvæ*, quas Euripus fert & Caria. *Pelaglæ* quæ magnæ & scabræ, quarumq; flos magna ex parte niger, sed nonnullis pusillum rubidus. Nonnullæ ad pretiũ minæ evasisse, prodidit Aristotel. *Littorales* quæ parvæ, & flore sunt rubro. *Echinatæ*, quæ vel pluribus spinis maximè in postica parte horrent: vel rarioribus, minoribus, & brevioribus. Illæ extra modò flavescunt, modò cãdicant: intus, modò violacei sicut coloris modò rubicundi. Istorum tota turbinata pars rubicundo colore conspicitur, dorsum verò partim rubet, partim virescit. Anterior mucro acutus non est, sed notabili latitudine spectabilis. Intus colore ferrugineo, flavescente ac eleganti cæruleo variant. Sunt & *Rubræ*, ut in Austrinis partibus *Nigræ*, in Aquiloniis; *Lividæ*, in Occidentalibus & Orientalibus. Marmoreæ qualis est illa longis undiq; tuberibus, ubiq; ferme duplicibus at minimè acutis sed obtusis plena, labro latissimo, quasi canaliculato, binæ enim id foveæ percurrunt, tota ferè marmoreæ duritiei, undiq; candida, præterquam in extremis foraminis oris, quæ purpurascũt. Ad hanc pertinet tota ex cinerem candida, minor quàm priores omnes labro subtus spinosa, cum alioqui nullę in toto corpore spinæ dentur. Vẽtre est plene sessili, seu non turbinato. *Pentadactyli* deniq; qualis est illa quã superius descripsimus. Gesneri quã ex Adriatico mari accepit.

ARTICVLVS III.

De Buccino.

BUccinum à similitudine potius buccini quo sonus editur, rotunditate oris in margine incisa, ut Plin. visum dicitur, quàm quod vel buccis admodum sonos musicos edat, vel buccas inflare tubicines rogat, ut Bellonius voluit, Gillius masculino genere extulit, quidam etiam dentale buccinũ interpretantur. Græcis hodiernnis φύκιον dici Gesn. autor est: nonnullis τρόμβος & τρόχιλος idẽ significant. Cõmuniter κήρυξ, fortè à cera, quam muco similem mutuo attritu salivant, & Græcis est κηλαδεῖν vocatur: quod

Tab. X. 8.

Plin. H. N. l.9.c.36. quod vocabulum ex antiquis Græcis nõnulli pro purpura sumpserunt: Plinius nonnunquam muricem trãstulit Athenæus purpuræ filium nominat.

Descriptio. † Arist. H. A. l.4.c.4. Testa tegitur scabra, eaque congenita promuscidibus, ut musca instruitur, quod membrum linguæ effigiem præ se fert. Venter os protinus excipit, similis in umbilicis ingluviei avium. Infra duo candida quædam firma specie mammillari, qualia in sepiis inveniuntur: sed hæc solidiora. A ventre gula duplex longa ad papaver usque, quod papaver in fundo est: quæ omnia perspici possunt in sinu verticoso testarum. Quod gulæ jungitur intestinum est, à qua continuo tractu fertur totum simplex usque ad exitum, incipiens à verticoso sinu quo papaver continetur, atque inde laxior. Papaver verò pars eius ima esculentaq; est. Inter hoc & cervicem flos est, sed, ut Plinius dicit, dilutior & minus floridus. Et hæc de Buccino veteres. Bellonius Buccini concham ut plurimum minimi ovi magnitudinem non excedere, strias in tergore quinas habere, ut nerita, plerisque in gyrum tuberculis obtusis, brevibusque obseptas, multo quam in purpura frequentioribus, sed ubi in claviculum desinũt, unicum tantum eam comitari testatur. Interna parte incisam oris magnitudinem habet turbinum modo, & canalem ad latus, per quem linguam exerit, purpurarum modo: eodemq; operculo contegitur, qua etiam turbinata omnia, ne in testas cõtracta ab externis offendantur. Color testæ intus lacteus foris fulvus, tantaque magnitudine aliquando crescit, ut ad Cartejam purpuræ & buccinæ deca cotyli, id est, decem cotylorum capaces reperiantur.

Locus. Arist. H. A. l.8.c.13. Arist. H. A. l.5.c.15. *Locum* si spectes, petris adhærent, circaque scopulos leguntur. Canis exortu circiter tricenos dies latere scripsit Aristoteles, quod Plinius de muricibus accepit. Annos circiter sex vivere, idem tradidit.

Generatio. Idem ipsis *Gignendi* modus qui purpuris. Semen ad generationem nullum habent. Favificare in more eis positum. Ova sub lapide prona parte oblonga albaque, deinceps pendentia disponunt, quæ ita disposita favi nomen habeat ab apum similitudine. Supini autem sub lapide stabulantur, cum favificant: quo verò tempore favos exstruunt, si incoquantur & abscindantur, ova intra continere comperientur: quę saliverio lentore lapidibus & cautibus ferruminant, ut inde decidere non possint: quod tam magno artificio constituunt, ut nihil coacervatum esse videatur.

Usus in Cibis. De earum in *Cibis usu*, hæc scripsit Xenocrates. Buccinæ sunt duriores purpura; & magnitudine ac loco differunt, tripliceſque vires habent, testæ, colli, & excrementi in testa contenti. Nam scabra substantia piscis alvum sistit, ac præcipuè si assetur: contra magis facit elixa.

Collum earum alvum sistit, difficulterque concoquitur: idcirco ex sinapi vel aceto, aut liquore, aut pipere corrigere ipsum debeat, qui eodem vescuntur. A qua denique quæ ex eis manat, calefacta, ventrem subducit: Cum eo verò excremento quod testa continetur, cocta, magis gilva fit, & piscis qualitatem præfert. Si verò totæ decoquantur, maiorem sistendi vim habebunt, & sitim offerent. Quidam verò eas elixas lævigant, & æquè ac urticas condiunt, fiuntque ori gratæ. Luna exoriente plenæ, & æstate graciles. Eadem apud Dioscoridem, Galenum & Diphilum invenire licet.

Vsus in Medicina. Habent & in *Medicina usum*. Cardialgia laborantibus in cibis præscribit Trallianus, purulentis etiam, si salsus humor est. Ad alopeciam, usta, trita, & in oleo veteri subacta, & ad glutinis crassitudinem redacta à Myrepso vehementer commendantur.

Galenus ad ophelidas & lenticulas, in furno assæ & ex melle trita commendat. Andernacus ex succo limonum detrita ad genus mulierũ deal-

dealbandas deprædicat, præsertim si aliquid argenti vivi sublimati, iisdem inieceris. In Belgio contra tussim inanem inprimis & puerorum, potus ex buccino propinatus.

Differentiæ. *Differentias* quod spectat, Rondeletius duo reperiri scribit, parvum, nempe, lineis frequentibus asperiusculum, & alterum ei simile, nisi quod lineas prominẽtiores habeat, & transversas, ut striatum meritò dici possit. Est & testa spissiore durioreque, nec non genus magnum coloris violacei, sed cuius orbes flavescunt, & in ore candicant. Gesnerus se & aliud vidisse scribit, purpuræ similius, figura & magnitudine propius, tuberculis undiquaque dispositis, deinceps rotundis scitè omninò eleganterque πυχνὸν elevatum; nec in mucronem adeò exporrectum, sed capite obtusiore brevius. Missa & Aldrovando peregrina, colore & duritie marmoris, circulis rosas æmulantibus.

ARTICVLVS IV.

De Murice.

TAB. X. & XI. Nomen. MUrex modò Buccinum, modò Purpuram significat, taceo colorem purpureum, cui Muricis nomen imponitur. Hic pro testaceo sumitur, quod & turbinatum & longos firmosq; aculeos habet, nomenque ab asperitate muror. sortitum est. Perottus inter ostrea enumerat, propter scabritiem corticis. Sed alia in Ostreis asperitas, alia in Muricibus. Illa per totam superficiem sese repandit: hæc, aculeis quibusdam per intervalla eminentibus constat, iisque longis & firmis, quod Plinius quoque firmare videtur dum ait. Firmioris jam testæ murices & Conchar. genera. Valerius Flaccus dum intortum vocat, de buccino sumendus est.

Descriptio.

Vsum in Cibis quoque habent, sed illaudatis. Xenocrates enim salsos virosos esse, & ventrem turbare, urinam ciere, ori ingratos, concoctu difficiles, pituitam gignere, &c. scribit. Scribonius Largus tamen & Celsus inter Cibos stomacho gratos recensent. Apud Macrobium etiam cum aliis conchis in epulo apponuntur, quo die Lentulus flamen inauguratus est.

Vsus in Cibis.

Largus Compos. 104.

Vsum in Medicina si attendimus, Carnes appositæ pilos in mammis tollunt: Testar. cinis cum oleo tumores aufert; panis resistit; Capitis ulceribus cum melle illinitur; maculas in facie mulierum purgat, & parotides tollit. Habetur & pro dentifricio. Carbunculos de veretris exterminare, Marcellus Empiricus prodidit.

Vsus in Medicina

Differentiæ. Quantum ad *Differentias* & Genera, est Murex *Marmoreus*, *Triangularis*, *Lacteus*, *Purpureus Orthocentros*, *Coracoides*, & *Aporrhais*. *Marmoreus* à candore & duritia nomen sumsit. Rondeletii parte interna ex albo purpurascit. Testa gravis est, densa, solida, aculeis multis horrens, figura inter buccinum & conchylium media, ampla, ut meritò δεκακόγυλος dici possit. Vritur facilè, & in cinerem abit, acrimoniaque ob empyremum acquirit, Ambustis medetur, cicatricemque pulchram inducit, postquã abluta, & cum oleo rosato in unguentum redacta fuerit. Gesneriani marmorei muris color forinsecus pallescit, intrinsecus cum pulchertimo splendore ex albo roseus est. Labrum exterius protendit se & dilatat in marginem: mucrones infra caput seu conum testæ duo magni, sed obtusi prominent. In ipso cono parvi admodum & subrotundi, per spiras deinceps non aculei sed tumores visuntur. Huic accedit *Aldrovandi*, turbine acutissimo atque longo & exili, undique strictus aut potius undatus.

Triangularis, altera parte est planus, altera ferè rotundus, sed ita, ut utrinque sint duo latera, tertium, plane pars afficiat, à qua figura, quæ huic propria est, nomen sumsit. Aculeos habet breves & firmos, vario est colore, foramen duplex habet rugosum, quo ob testæ amplitudinem & brevitatem sonus editur gravis & tristis. Operculum cum uritur fumum

emittit. Pinguedinis aliquid habere, rectè inde colligas. Quare in oleo amygdalino decoctum in aurium doloribus utiliter usurpatur. *Lacteo* color nomen imposuit. Obtusiore est turbine aliquando quam cæteri, aliquando Exochas potius & tubercula habet quam clavos. Triplicis effigies invenies apud Aldrovandum. *Purpureos Orthocentros* totus forinsecus & intrinsecus rubet, turbine candicat. Mucrones habet duodecim rectos & robustos, sex constat volutis quæ exiguis & obtusis tuberculis respersuntur. *Coracoides* Rondeletio ab infirmis & rostris corvorum similibus aculeis dicitur.

Aporrhaides quidam inter Lepades, quòd ut istæ saxis adhæreant, ponunt; sed malè. Faciunt enim & Neritæ idem, quæ tamen toto genere ab iisdem differunt. Adde lepades parte altera detecta & carnem ostentante affixas; Aporrhaides verò acclinato tegmine, quod iis operculum est, ad saxa agglutinantur. Quid si illius Muricum generis sint, quæ Græci Plinio prodente Colycia, & Corythia vocant, turbinata æquè sed minora multo, efficaciora etiam, & oris halitum custodientia. Ut ut sit, quem Aldrovandus expressit, marmorea est duritia, intus & extra candicans, septem aculeis, ab uno tantum latere, iisque canaliculatis instructus.

Plin. H. N. l. 32.

ARTICVLVS VI.

De Conchylio.

Aldrov. l. 3. c. 15.

CONCHYLII nomen ut ut universo testaceorum generi imponatur, privatim tamen pro unica specie accipitur. Sic apud Plinium invenimus, cum in Ponto conchylia non esse cum ostreæ abundent, scribit: sic apud Philostratum in vita Apollonii, cum, in Biblo maxima conchylia & murices eximiæ magnitudinis nasci, dicit. Sumi & pro colore, apud Plinium inprimis, tam certum est, ut demonstratione non indigeat. Qui pro Ostracio sumunt, nomen partis toti accommodant. Est autem ea parte latius qua in turbinem deficit, sine aculeis tuberculisve ullis. Foramen quo caro interior ostenditur, non rotundum, ut in purpura & buccino, sed longum. Operculum blattam Byzantiam Serapionis esse, quæ eadem, quod avium unguem æmuletur, cum ungue Dioscoridis, opinatur Rondeletius. Nec ἰνώδες vocabulum obest. Nec enim hoc semper gratus innuitur odor; sæpe etiam gravis. Ideò expressè Dioscorides, ἀμφότεροι δὲ ἰνώδεις, θυμιώμενοι, καστορίζοντες ποσῶς τῇ ὀσμῇ. At castoreum fœtet, & utrumque, tam operculum, quam hæc blatta Byzantia ad suffocationes uterinas adhibetur. Quod autem, in Indiæ nardiferis lacubus unguis inveniri, & nardi pabulo vesci dicitur, cum conchylium marinum sit, id ex aliorum potius quam sua sententia à Dioscoride scriptum opinatur Rondeletius. Similis purpuræ tegumento dicitur, non figura, sed usu potius & substantia.

Laudatissimus est qui à mari rubro adfertur, candicans, pinguis. Babylonicus nigrescit atque minor conspicitur, succum ipsis & quidem purpureum inesse testatur Plinius. Partes eius omnes in medicamentis usurpantur. Crematum idem efficit quod purpura & buccinum. Caro interna medicamentis aurium dolores sedentibus à Galeno admiscetur.

Vsus.

Plin. H. N. l. 21. c. 8.

Galen. l. 3. de Med. s. l.

CAPVT II.

De Turbinatis in orbem circumactis.

ARTICULUS I.

De Turbinibus.

TAntum de σφομβίοδεις seu Turbinatis, & in anfractum tortis, sequuntur Turbinata, quæ in orbem circumagũtur, *Turbines* nempe, *Trochi, Neritæ, Cochleæ, Echyni, & Cõchylia. Turbinũ* haud spernenda sunt genera. Est

TAB. II.

Descriptio.

Est turben *magnus*, *auritus*, *tuberosus*, *angulosus*, *muricatus*, *pentedactylus*: sunt & *turbines in spongiis nascentes*. *Magnus* multis voluminibus constat, margine spisso & aspero, testa alba, lineis tuberculisque multis scabra & aspera. Foramen habet rotundum, & rimam qua excrementa excernuntur. Saxis hæret turbine sursum verso. *Auriti*, tres icones habemus, quorum primus perelegantem & in mari Gallico rarum exhibet, alter, intus & in tergore ferrugineum cætera croceum, concha tuberosa, pronè & supinè pictum; tertius, tuberculosum, testa superius leucophæa, infernè crocea. *Tuberoso* tubercula nomen indidere. Varii est generis, longus, tenuis, acutior, lævis, albus, niger, varius. Aldrovandus quatuordecim Icones exhibet, ex quibus secundus, est striatus, è monte erutus. *Angulosus* exinde nomen sortitus est, quod testæ volumina ita à se discreta sint, ut in medio angulos efficiant. Ustus dentifriciis conficiendis utilissimus est. *Muricato*, tubercula brevia & obtusa nomen imposuere, testa est intus purpurea, foris alba, & quasi calce illita. *Pentedactylos* dicitur, quod quinque appendices longas & acutas, si extremum turbinis annumeres habeat. *Spongiis quæ delectantur*, multorum sunt generum, quæ omnia apud Aldrovandum videri possunt.

Conchula, quæ lactea vocatur, in succo pomi Citrii, cum aqua vitæ dissoluta, mulieres ad faciem fucandam utuntur.

ARTICVLVS II.

De Trochis & Nerite.

TAB. X. *Aldrov. l. 3. c. 25.*

TRochi à similitudine instrumenti, quo pueri lusitant, appellantur. Omnes sunt leves & varii. Testa veluti crustis duabus constare videtur; externa minus nitet: quæ subjacet unionum est splendore. Alii sunt parvi, alii oblongi. Icones exhibent *Magnos*, *Pyramidales*, *Niloticos albos & maculosos*, *Nerita* seu ut Scaliger legit Narita, Græcis νηείτης ἀνηείτης & ἀνάρτης apud Athenæum, Hesychio νήρατος, dicitur. Nomen à Nereo Deo marino sortitos videtur, quod is fortè tali concha tanquam elegantiore buccinæ loco, usus esse fingatur: sicut & Triton, quem visum auditumque in quodam specu Olyssiponensis oræ concha canentem Plinius refert. Ab illis qui Adriaticum sinum accolunt etiam nunc veteri nomine appellatur. Testa est levi, si Aristotelis de-descriptionem sequimur, ampla & rotunda, forma buccinis proxima, papaver tamen non nigrum ut buccina, sed rubrum habet. Corpus medium testæ firmiter annectitur. Trãquillis diebus soluti pascuntur: coortis ventis recipiunt se ad saxa cancelli, atque ibi quietem agitant. Neritæ autem adhærent more patellarum, & earum quas λοπαδαῖδες Græci vocant, & cætera horum genera omnia. Hærent enim saxis reclinato tegumento, quod quasi tegumentum esse videantur. Quem enim usum ambæ valvæ biforibus, hunc præstat altera tandem pars turbinatis. Intus pulpa carnea, inq; ea os. In rimis cavernisq; saxorum generantur, celerique incremento augescunt. Et olfaciunt, & audiunt. Ideò silentium servent necesse est, qui eos capiunt.

Arist. H. A. l. 4. c. 4.

Motus. *Plin. H. N. l. 9. c. 33.*

De *Natatione* eorum ita Plinius. Navigant ex his Neritæ, præbentesque concavam sui partem, & alteram auræ opponentes, per summa æquorum velificant. Ælianus & Bellonius diversos ab Aristotelis Nerite proponunt. *Illius* est magnitudine exigua, pulchritudine eximia, & in mari ubi sordium nihil, & tranquillitas viget inque saxis ad imam maris sedem adhærescentibus nascitur. *Huius*, testam in anfractum intortam habet, qua penitus inclusa, nulla ex parte præterquam capite conspicua est. Apud Aremoricos tanta huius testacei frequentia, ut abscedente æstu, magnos acervos è saxis colligant, & coquant. Quia papaver rubrum habet, pulmenta ex eo confecta, ac si minio tincta essent, conspiciuntur.

Græci

Græci crudas eius carnes edunt, quòd appetentiam excitare, inprimis cum cæpis comestæ, credantur. Icones plurimas apud Aldrovandum vide. Nobis aliquot duntaxat exhibere visum.

ARTICVLVS III.

De Cochleis.

Nomen. *Aldrov. l. 3. c. 29.*

COchleæ, Aristotele κοχλίαι & κόχλοι, quòd τὰ ὄστρακα κυχλοῖς μὴ habeant, Spartanis σέμελοι & σέσηλοι, Hesychio & Varino στλάπαι, aliis πωμαπίαι ab operculo, φερέσικοι & φερεοικύοι, seu domiportæ, χαμαιδύποι, χαμαιδολίαι, ἀχραδαμύλλοι, &c. dicuntur; quorum tamen nominum quædam terrestribus potius convenire videntur.

Descriptio.

Descriptionem si attendas, Teucer animal esse sine pedibus, sine spinis, sine ossibus, testaceum, oculos nunc exerens, nunc retrahens, ad exemplum quæstionis ludicræ scribit. Siliceo, claviculatim intorto *tegmine* clauditur, quod vulgus testam, & volutam, Cochlearem testam Budæus, Cochleam synecdochicè Celsus, domum Sammonicus & Statius, calicem Plinius, κίλυφος Dioscorides, ὄστρακον Galenus vocant. Si eam detraxeris hebetescere atque exspirare quidam aiunt, negant illi, qui circa initium Augusti exire, & novis super induci prodidere. *Capitis* figura carere, apud Albertum M. legimus. At Plinius equorum capitibus assimilavit, Massarius bovini præ se ferre figuram scripsit. *Cornua* quidam bina attribuere, ut Plinius; quatuor nos, id est, magna duo quæ posteriora sunt, & minora totidem ferè in fronte, habere videmus. An *Oculi* dati sint disquiritur. Pro visu tentamenta proportione puncti atrioris in summo corniculorum accepisse, tradit Scaliger. Carere iis, & corniculis in quibus arenacea durities, prætentare iter, Plinius. Habere in summitate cornuum, & cum appropinquant, oculos in cornua retrahere, cornua in caput, & caput in corpus, Albertus. *Os* eis inest. *Dentes*, acuti, tenues præduri, eiusque indicium, derosam à minimis earum vitem, dentibus carnosum quid interiacet. *Promuscidem* etiam inter aculeum & linguam habent, & ori jungitur quasi ingluvies avium; à qua stomachus est, quem excipit venter, in quo situm est, quod papaver vocatur, mox intestinum continuum tendit simplex, originem à papavere illo ducens. *Saliva* quæ punctis acu vel stylo carnibus manat, myxa Græcis dicitur.

Scalig. in Arist. l. 1. de plant. *Plin. H. N. l. 11. c. 37.*

Plin. H. N. l. 11. c. 37.

Locus. *Arist. H. A. l. 8. c. 13.* *Plin. H. N. l. 8. c. 32.*

Quantum ad *Locum*, reperiuntur in mari, fluviis, & terra, quarum istæ sylvas & consita arboribus loca potissimum amant. Hyeme propter frigus nimium, æstate quod fervidum tempus reformident, in occulto delitescunt, suoque succo vivunt, nisi quid roris de cœlo deciderit. Ideò Varro. Locus is (pro cochleis) melior, quem & non concoquit sol, & tangit ros. Locum mutare Ælianus prodidit, ad Propontidem calidam hyemare, ad Ægialum æstatem insumere scribens.

Varro R. R. l. 3. *Ælian. H. A. l. 10. c. 6.*

Victus.

Rore *victitare* dixi, sed non solo. Sub noctem sæpissimè ad pastum exeunt, & tum post pluvias æstivas & autumnales accenso lumine à rusticis capiuntur. Plinius mirè caulem asphodeli in Campania prosequi & sugendo arefacere scribit. Theophrastus easdem inter ficorum genera recenset. Saginabantur apud veteres in vivariis. Instituit ea Fulvius Hirpinus in Tarquinensi paulò ante civile bellum, quod cum Pompeio M. gestum est, distinctis quidem generibus earum: quia & saginam commentus est, sapa & farre aliisque generibus, ut cochleæ quoque altiles ganeam implerent: cuius artis gloria in eam magnitudinē perductæ sunt, ut octoginta quadrantes caperent singularum calices. Macrobii seculo hæc saginandi ratio ignorabatur.

Plin. H. N. l. 22. c. 22. *Theophr. l. 7. c. 24.*

Plin. H. N. l. 9. c. 56.

Macrob. Saturn. l. 3. c. 13.

Inimicitias cum lacertis gerere apud Plinium legimus, cum laris avib. apud Ælianum. Massarius ubi limax sit, neque suem esse, neque perdicem ait. Sale super limacem jecto, totū ferè liquescere, & in aquā viscosam converti, Albertus M. prodidit.

Plin. H. N. l. 8. c. 39. Antipathia.

De

Generatio. *Aristot. l.3. de Gener. l.11.*

De *Ortu* non convenit inter authores. Solas ex omnibus testaceis in coitu cohærentes videri, & vere ac autumno prægnantes apparere, ex Aristotele habemus. Gesnerus quoque Limaces coire, & ova parere candida, magnitudine oculorum lucii piscis, iisque incubantes mense Maio aliquando inveniri, audivisse se scribit. Albertus, & Porta ex limo, & putrescentibus aquis vel rore oriri, & ideo breviore vita frui. Hyeme tantum oriri, quod Plinio placuit, vix verisimile, cum easdem lactucis innasci testetur, nos viciæ sciamus. Testa detracta hebetescere, & processu temporis in aureliam transire, ut eruca, atq; immobilem vivere, sed quidnam ex eo animalis pennati oriatur, compertũ nondum esse, Massarii fide addimus. Terrestres contractione & concussione corporis moventur.

Plin. H. N. l.9.c.51. Plin. l.19. c.10.

Vsus.

De *Vsu* earum in Cibis apud Romanos constat, ex superioribus. An verò boni vel mali sint succi, inter scriptores non convenit. Celsus boni succi esse prodit, nec intus vitiari; Galenus, etsi Græcis in mensa frequentes, sed concoqui pertinaces, crassioris succi, & quæ ventriculo diutissimè immorentur, solidius alimentum præstare, sed tardius & paulatim concoqui. Archigenes inter ἀθρόως nutrientia, & syncopticis exhibenda reponit: sed mendum, cum Mercuriali suspicor, quod Aetius, qui ad verbum transtulit cochleas omiserit.

Galen. l.3. de Alim. facult. c.2.

Mercur. Var. lect. l.1.c.5.

Plinius nec veteres, nec recentes ori gratas esse reliquit. Fluviatiles & albas virus habere, ut & sylvestres. Alexandrinis ideò frequentiorem elephantiasin, quod crebro salsamenta, limaces, quidam & asininas carnes comedunt, si Cœlio Rhodigino, & Galeno credimus. Mathiolo quæ in apricis degunt locis, & odoratis victitant herbis, iis quæ in opacis & palustribus degunt, præstant. Dioscorides terrestres stomacho utiles esse, nec facilè corrumpi scribit. Optimas Sardonicas, Africanas, Astypaleicas, & quæque in Sicilia ac Chio gignuntur, quæque in Liguriæ Alpibus, pomatiæ, cognominantur. Marinas facilè excerni: fluviatiles virus olere; quæ vepribus frutetisque glutinatæ cohærent, quas sesilos vocant, ventrem & stomachum turbare, addit.

Dioscor. M. M. l.2.c.8.

Marcellus earum usum penitus improbat. Apud Apilium lacte & pulte pastas invenies. *In Medicina* frequens earum *usus*. In capitis dolore, caput præcisum de collo suspenditur. Earundem pinguedine capilli multiplicantur. Integræ pro febris amuleto, de collo suspensæ commendantur. Oculis caligantibus Africanas combustas & tritas. Marcellus Empiricus commendat; auribus dolentibus, cum oleo nardino aut rosaceo fervefactaas Asclepiades; cum hordeo decoctas Villanovanus. Cartilagines, carnem earum, glutinare, Hollerius prodidit; nervos Dioscorides. Tagautius emplastro ad maturanda œdemata adhibet. Sanguinis è naribus fluxum concisæ ex aceto sistunt. Cum melle & felle bovis mistæ, anthraces maturant & rumpunt. Tritæ cum suis volutis hydropicorum aquas exsugunt.

Aqua ex Cochleis destillata, hecticam febrem ad uncias sex sumpta tollit; maculas oculorum, cum fimo lacerti, corallio rubeo, & saccaro destillata, abolet: clavos & verrucas, resectas, mense Maio vel Octobri detracta & instillata sanat. Pollen de testis limacum inanibus contritis fissuras manuum pedumque insperfus tollit, &c. Plura vide in Aldrovando.

Differentiæ.

Iam de *Differentiis* dicendum est. Multiplex autem ipsarum est varietas, magnitudinem, figuram, colorem, regionem, victum, vitam, & alia, si spectemus, sunt nigræ, albæ, ruffæ, varinæ, nudæ, tectæ. Adhærent fico, lauro, asphodelo, carduis, aut foliis gregatim.

In mari rubro, maximam, testa purpurea, cum spira in medio, mira colorum varietate, inveniri, scribit Ælianus. Sertum, inquit, dicens, summo artificio & ornatu contex-

Ælian. H. A. l.11.c.21.

tum, è floribus multiiugis, viridibus, aureis, rubicundis, per æqua intervalla digestis. Gyllius tantæ se unam magnitudinis vidisse asserit, ut tantum vini caperet, quantum piscator exsiccare uno prandio posset. In Ægypti Nilo grandissimæ feruntur, vocales, ululantium expressa similitudine.

In agro Romano sunt quædam lupinis paulò maiores, quæ autumno quorundam carduorum caulibus acervatim adhærescunt, si Mathiolo credimus. Minutæ fortè Plinio. Sunt & *Echinophoræ* oblongæ, quibus tubæ loco utuntur tubicines; *Pomatiæ*, quæ cancellum qui testas ingreditur, raditur, rarò excedunt, & in Tridentinis montibus, è Terra, hyeme, & frutetis, uncis quibusdam ferreis, propè fruticum radices, terra circumfossa, eruuntur, præstantissimæque censentur.

Seseli, quæ sylvestribus frutetis & sentibus adhærent: & ex quibus quædam opere vermiculato à natura elaboratæ conspiciuntur: *Cavaticæ* in Balæaribus insulis quæ non prorepunt è terræ cavernis, neque herba vivunt, sed uvæ modo inter se cohærent. *Minus* denique *vulgares*, quæ adhærente operculo eiusdem testæ sese operiunt, & semper terra obruuntur. Circa maritimas Alpes quondam effodiebantur, fortè & hodiè. *A regionibus* sunt *Illyricæ*, quibus magnitudo præcipua; *Africanæ* quibus fœcunditas; *Solitanæ*, quibus nobilitas; *Siculæ*, quæ modicæ, quoniam magnitudo duras, facit, & sine succo, *Astypalaicæ*, quæ laudatissimæ; *Linusiæ*, ab agro cui nomen lina est, ita dictæ, juxta Pytiuntem, medio inter Parianam coloniam & Priapum spacio; *Germanæ*, quas Vegetius in potione equi prophylactica, admiscet. *Aceratæ*, quæ latæ & multifariam nascuntur. Et hæ quidem Terrestres sunt. Marinis accensentur, *Sarmatica*, *Cælata*, *Olearia*, *Depressa*, *Rugosa*, *umbilicata*, *Echinophora*, *Cylindroides*, *& lævi turbine obtuso*, addi his *umbilici* possunt.

Plin. H. N. l. 9. c. 56.

Sarmatica, in mari Sarmatico invenitur. Dolium corporis mole æquat, cornibus arboreis cervum. Extrema cornua in orbiculos rotundantur, unionum instar splendentes. Cervice est crassa; oculis accensæ candelæ modo micantibus; naso obrotundo, & pilis felium ad instar obvestito; rictu oris magno, sub quo pendet prominetque carnea moles, aspectu subhorrida. Quatuor nititur cruribus totidem latis & aduncis palmis.

In Dania se vidisse, fortè mentitur Thevetus. *Cælata*, Caragolo demat, seu Scaragolo Hispanis, testa est turbinata & satis longa, cælaturis inæqualis & scabra, intus lævi. Operculo superiore parte est non aspero, intus tuberoso, inæquali, & rubri coloris. Succum salsum gignit, & venerem stimulat. Testa in aceto macerata, superiore veluti cute vel crusta spoliatur, redditurque cochleæ margaritiferæ modo splendens, nitida & unionis modo colorata. Huic similis est Cochlea maculis viridibus Aldrovandi, nec non ea, quæ inter Turbinem & cochleam cælatam mediam naturam habere videtur. Quæ hic exprimitur, operculo est miniaceo, miniaceis tuberculis, turbine violaceo infra, supernè ferrugineo. Cavitas inter turbines, viridi est colore.

Aldrov. l. 3. c. 31.

Olearia nomen à Plinio inditum quod ea oleum decapularent, vel in usus quotidianos haurirent. Rotunda est, intorta, & adeò magna ut aquę quatuor libras capiat. Huiusmodi aurifices, additis ansa & basi in urceos efformant.

Aldrov. l. 3. c. 32.

Depressa, est altera parte plana, altera excavata in voluminibus, quæ initio parva paulatim crescunt ad foramen usque. *Rugosa*, rugas per transversum ductas, ita elatas habet, ut & striata dici possit. Colore est intus albo foris flavescēte, valdè fragili. *Vmbilicatæ*, & quidem in medio, in satis insignem magnitudinem excrescūt. Aliæ nigricant, aliæ corneo sunt colore, aliæ maculosæ. Ad cochlearum terrestrium quæ conglomeratæ fœniculi crassioribus caulibus adhærent,

Aldrov. l. 3. c. 34. 35. 37. 38.

rent, formam quam proximè accedunt. *Echinophoræ* aculei quibus tota conspersa est, nomen indidere. Operculo, succo, substantia, à parvo buccino non differt. *Cylindroides* pyramidem refert, pyri modo turbinata, magnitudine pugni; & punctis variis subcastaneis notatur. *Lævem turbinæ obtuso*, politam admodum Rondeletius facit. Testa est crassiore, carne minus dura. Frequentissimè circa Levinum insulam capitur. Hisce adde *Limacis marini* insolentem speciem, nec non Cochleam marinam aliam tuberosam; quorum Icones damus. *Vmbilicum marinum* Bellonius lapidi rubro persimili tegumento rugoso & scabro occludi scribit; quodque solum inter Gallici Oceani turbinata politiem admittat. Rotundiori hiat ore, edulisque est. Clavicula earum herbarum more, quæ sese arboribus alligantà dextra ad sinistram invertitur. Papaver in clavicula testæ continetur. Rondeletio *Vmbilici* vocantur, quod præter foramen illud quo cochleæ saxis inhærent, quoque exerunt, alterum habeant umbilico admodum simile, quod profundum convolutionum veluti centrum est, vel circa quod anfractus Cochleæ convolvuntur, veluti circa πολυκύκλιον.

Duos inprimis apud Rondeletium habemus, quorum prior, superiore parte latior, mox in turbinem desinens, nigris, rubris, & albis tuberculis, corallorum omnium colorem & naturam referentibus, distinguitur: alter ciceris magnitudine, qui in spōgiis reperitur, veluti granulis rubri coralli æmulis conspersus est. Inter umbilicum & foramen quo corpus exerit, testam incisam habet, incisuræ operculi vice sunt.

ARTICVLVS IV.

De Echinis.

Tab. XIII. Aldrov. l. 3. c. 40.

ECHINUS, quem quidam cum Echeneide pisce perperam confundunt, Græcis ἐχῖνος, vel ἄκανθος ἔχειν ἐκαυξ τῶν σκληρῶν ἀφανῶν ἀστῶν, vel ἄκανθος μὴ δυνάμενος ἔχειν διὰ τὴν ἀκανθαν ὁ ἐστιν ὁ ἀκέντητος, quod teneri ob aculeos non possit, dicitur. Quidam Carduum marinum, nec non Erinaceum vocant. Spinosus ergò est piscis. Mirum est quod de iis Aristoteles reliquit. Eorum scilicet corporis partes dissectas coire rursus & redintegrari. Idem apud Ælianum & Philen invenies. Spinæ ipsis pro pedibus sunt: his ingrediuntur & volvuntur in orbem. Hinc eos sæpè detritis aculeis invenias, quod Aristoteles & Plinius prodidit. Agilius & celerius moveri qui sunt cibo idonei; vel exinde colligas, quod semper aliquid algæ suis implexum spinis gerant. Imminente tempestate sese affigere aut harena saburrare, ne à fluctibus excuterentur, inde procellarum nautis præsagia, ab Oppiano, Plutarcho & Plinio creditum: at Bellonius frustra hoc credi prodidit, quòd multis promuscidibus instructi, à fluctibus volutari non possint.

Nomen. Descriptio.

Sunt ex illis quidam ἄβρωτοι, seu cibo inepti; sunt tamen quorum & in *Eduliis usus est*. Nullo enim tempore ovis carent; ut Aristoteles prodidit: maximè tamen pleniluniis diebusque tepidis pleniores redduntur, eos si excipias, quos Pyrrhæus fert Euripus, qui hybernis mensibus meliores censentur. Exiguum illudque humidum nutrimentum præbent, Mnesitheo authore, sed quod Galenus stomacho commodum esse existimat. Ventrem deiicere, omnes ferè scriptores annotarunt; magis eos qui circa Cephaleniam, Icariam, & Hadriam nascuntur, quia amarescunt, minus, rubicundos, melinos, crassiores, & qui cum raduntur, lacteum quiddam emittunt. Plinius secundus jus eorum multis verbis commendat, quo vocabulo aquam internam esse intelligendam, Gesnerus putat. Laco apud Athenæum unum in os immissum una cum testa dentibus comminuit: nostri, inquit. Dalechampius lapide, testam frangunt, & flavam

Vsus. Galen. l. de attenuante victu.

ſive croceam partem, id eſt, ova, edunt, de quibus ita Perottus. Scinditur Echinus levi percuſſu, hirta teſtudo in duas partes dividitur: abjicitur altera, altera verò leviter aqua abluitur. Decidunt ſordes, quæ in iis pro viſceribus ſunt: remanent quinque partita ova, ſubruſſa, ad ſtellæ imaginem formata. Hæc cruda ſumuntur, ſapore non iniucundo, quamvis neſcio quid amaritudinis habeant. Cõditos menſe Decembri olim, Palladius author eſt.

Quantum ad *uſum Medicum, venenatos* quidam prodidere, Arceſilaumque Batti Eudemonis F. cum in lethalem morbum incidiſſet, marino Echino in potionem à Learcho ſumpto, mortem obiiſſe, apud Plutarchum legimus: quod tamen apud nullum alium invenies. Teſtæ crematæ cinis, Dioſcoride teſte, *ſordida ulcera* expurgat. Eædem contuſæ & ex aqua illitæ *luxuriantem carnem* comprimunt, & incipientibus *panis* reſiſtunt. Ad *capitis manantia ulcera* valere, Rondeletius author eſt. Ad *abortum* eundem prodeſſe Aëtius prodidit.

Plutarch. l. de virtut. Mulier. Dioſcor. l. 2. c. 1.

Contra *urinæ ſtillicidium* valere Paulus Iovius reliquit. Quippe, inquit, qui frigiditate maris præalti, in quo degunt, (ſexaginta enim aut etiam amplius paſſuum gurgite oriuntur) ipſi quidem exigui ſint, ſed aculeos grandes durosque gerunt. Cauſa magnitudinis eſt, quod incrementum corporis in ipſos convertitur. Cùm enim parum caloris obtineant, neque concoquere poſſint, multum ob eam rem habent excrementi: aculei autem & pili, & reliqua generis eiuſdem excremento naſcuntur. Duri verò & rigidi penè lapidis conſtant propter frigus. Ad *ſecundas expellendas*, Hippocrates tres tenuiter tritos in vino odorato propinat. *Alopeciam*, cinis cum adipe porcino vel urſino ſanat, &c.

Hippocr. l. 1. de morb. mulier.

Differentiæ.

Differentiæ Echinorum ſunt variæ. Sunt *Toronenſes*, qui circa Toronem naſcuntur. Candidi ſunt, & ſpinis & teſta, & ore, augenturque forma productiore quàm cæteri, eſtque iis ſpina parva, nec rigida, ſed mollior. *Euphratenſes*, quos Eratoſthenes, ut eſt apud Strabonem, in inſulis apud Euphratem, miræ magnitudinis eſſe prodit, alios pileis maiores, alios δυκοτύλους. In mari Indico facilè congium capiunt, ſi Æliano adhibenda fides. *Balthici*, qui inſtar magni mali ſunt, & in mari Balthico inveniuntur. Duros eſſe, punicei ferè coloris, & ſpiculis ademptis maculoſos, Geſnerus prodidit. Circa Daniam quoque & Norvegiam habentur. *Fluviatiles*, ut Hermolaus & Maſſarius ex Paulo Ægineta prodidere. *Purpurei* mixto virore, quales in ſcopulis quibuſdam maris mediterranei aqua contectis, apud Antii reliquias, & juxta Baias, reperiri ſcribit Perottus, tam grata oculis varietate, ut, ſi colores durarent, nulla eſſet cum gemmis comparatio, ſed mortuo piſce colores tabeſcunt. *Agiles*, qui velocius moventur, nec ſunt edules. Ἀκόρωτοι inde dicuntur. Calidiores quidem ſunt, ſed quia voraces iidem, & præ copia ingeſtorum cruditatem colligunt, ideò in cibos non veniunt. Bellonio ſi credimus, maiores aculeos habent, ſed craſſitie minores ſunt, vixque grandis gallinæ ovum magnitudine excedunt. Diverſa in eis colorum varietas. Sunt omninò nigri, albi, vitrei, ruffi, flavi, cyanei. Quidam purpura ſplendent, ſubinde circumagentibus ſe igniculis, micantibus ad aculeos ſcintillæ modo. *Ovarius*, ut Hermolaus vocat, quem Rondeletius ita deſcripſit. Forma eius in rotunditatem conglobata eſt, dempta una parte parum compreſſa, in qua *os* eſt rotundum, quinque *dentibus* incurvis, intus cavis, & in idem punctum coeuntibus munitum: ii quinque maxillis internis connexi ſunt, quæ ab ore intus erectæ, ex acuto in latum tendentes, & ambienti calyci non continuæ. Inter dentes interna *caruncula* quædam eſt, quæ linguæ vice eſt; mox iungitur *gula*, quæ in *inteſtinum* deſinit longum, per teſtam ſtellatim diſpoſitam, eius tenuibus fibris

Strabo Geogr. l. 16.

bris suspensum, tandem in parvum foramen terminatur. Hoc foramen ad egerenda intestina destinatum est, ex adverso oris situm, ita ut os in terram versum sit, excrementi foramen supra habeatur, Partus enim ex imo petitur, unde fit ut os ad partum sit versum, excrementum vero superius parte prona testæ contineatur. *Excrementa* rotuda sunt exiguarum pillularum instar. Qualis intestinorum talis ovorum ordo est. Nam inter nigrum id quod carnis vice est, & intestinum ova flava cernuntur quæ sola eduntur cruda.

Testa tota intrinsecus foraminibus parvis plena est, per quæ movendi facultatem *nervi* aculeis suppeditant: Extrinsecus in exigua tubercula eriguntur aculeorum cotylem excipientia, vinculo, membranula, scilicet, obligata, ut in orbem moveri possint. Talis radii cum brachio articulatio. Aculeorum igitur caput cavum est, & in aculeum illi desinunt. His in gyrum movetur.

Spatagus & Brissus prout à Rondeletio describitur, vix à cordis figura recedit, aculeis parvis & raris septus. Os dentibus caret, verum maxilla inferior superiore prominentior est, ad hauriendum aquam arenamq; accomodata. His enim & luto vescitur. In interiore testa intestinum est convolutum, aqua & arena plenum, neque ova, neque nigrum illud continet, quod carnis loco est. Rari sunt.

Echinometra, quam cum Plinio, spinas longissimas calycem minimum habere Gillius putavit, cum Aristotele Rondeletius & Bellon. calycis potius magnitudine alios superare, crediderunt. Ille eius magnitudinis exhibet, ut ambabus manibus quaqua versum extensis vix capi potuerit. Hic in Insulis mari Ægæi ita profecisse vidit, ut ad duorum pugnorum crassitudinem extuberarent. De cætero, pelagiæ sunt, minimis aculeis præditæ, brevibus & obtusis interceptæ spiculis, colore ad extrema albicantibus, ad radices liventibus, & ex purpurea nitentib. Parte prona planæ, supina rotundæ visuntur.

Aldrovandus quatuor exhibet, *Prima* est aculeis non admodum longis, coloris tota ferruginei. *Altera* spinis denudata, extrinsecus scabrosa, coloris eiusdem. *Tertia*, magnis longisque aculeis insignita, coloris tota amethystini. *Quarta*, omnium maxima, quæ in Thyrreno & Adriaco mari nascitur, tantæ capacitatis, ut quinque aquæ libras capiat, in superiore parte gibba & rotunda, inferiore plana. Circumferentia erat duorum dodrantum & palmi. Calyx evidenter in parte anteriore apparebat albus, in quinque ceu ventres, ut in Melopeponibus divisus, quorum singuli tres habebant tænias, quarũ media erat tanquam sutura, quę partes separat, & facillimè aperitur, aperta figuram serræ refert. Binæ illæ aliæ teniæ sunt colore quasi castaneo, crebris foraminibus pertusæ, quæ tamen nisi expositæ aëri, non apparent, quintuplo majores ea sutura. Dentes habebat quinos, concavos, figura triangulari, &c.

Est tandem Echinus *Minimus* pelagius, spinis grandibns, longis, & præduris, modo penè lapidis. Plerumq; un Iudeo Italis vocatur, quod perpetuò nigrescat & sordescat. Testam juglande majorem non promit, estque reliquis omnibus vividior. Nã si supinum ponas, mox suas spinas deprimit, & se in pronam partem convertit. Gignitur in alto gurgite. Bellonius ita hoc genus descripsit. Plures habet quàm alii proboscides: idcirco citius repit, firmiusque hæret. Ova non fert, sed sanguineum quiddam nigrum saniei simile, quo manus cruentat. Dentes verticilli modo habet quinos, circulari ordine dispositos, quibus algas, saxa, & conchyliorum testas arrodit. In interna eius parte multos nervos annexos cernas: ex quo indigenæ coacervatam dentium congeriem, ita cum nervis exsiccari sinunt, ut annuli vice ad signandum panem utantur. Refert enim quinquefolium, vel

quippiam simile affabrè delineatum. Ventrem in quinque partes distinctum habent, quæ ab oris verticillo testæ appensæ, ad foramen excrementi coëunt, sed disiunctæ sunt, & quasi interventu liminũ discriminãtur. Totidẽ promuscides habẽt Echini, quod in testis foraminulis pertusis apparent. Sunt enim ultra sex millia in quolibet.

Ad hunc referri potest, ille qui in *rubri maris* littore semipedem latus, prona parte planis, superiore gibbus, paucioribus ac minus frequentibus spiculis præditus à Bellonio visus est; nec non ille maris rubri aculeis longissimis ferrugineis, ad rubrum vergentibus, cuius pictura Castelleto Genuensi debetur.

Quem in *quinto genere Rondeletius* reposuit, saxo inhærentem, calyce quoque est parvo, spinis pro corporis ratione longis & duris, quo ad urinę destillationes felicissimè idem usus est. Idem est cum Echino Aristotelis, quem in Historia Animalium describit. *Arist. H. A. l. 4. c. 5.*

ARTICVLVS V.

De Conchyliis, & quidem Bivalvibus.

PVNCTVM I.

De Conchis.

TAB. XIII.

HActenus de Echinis, sequuntur Conchylia, quæ vel sunt *Bivalvia* seu δίθυρα, vel *Vnivalvia*. Ad illa pertinent, *Conchæ, Chamæ, Ostrea, Pectines, Musculi, Mytuli, Tellinæ, Balani, Pholades, Solenes, Pinnæ: & Conchæ anatiferæ. Concharum* plura sunt genera, quæ ad *Asperas* seu striatas rugosasque & *Leves* redigi possunt. *Aldr. l. 3. c. 41.*

Ex *Asperis* est 1. *Margaritifera* quæ & Indica quod apud Indos; apud quos βέρβερε, dicitur, plurima nascatur, & Mater perlarum dicitur. Androsthenes apud Athenæum in Indię uavigatione ita describit. Ostreum aspectu pectini simile, concha non striata sed plana, spissu, (hirsutam Echinorum modò malè Plinius reddidit) non utrinque aurita, pepectinis modo, sed una tantum parte. In eius carne gemina concrescit, ut in suilla grando: modò colore adeò similis auro, ut cum eo collata non facilè internoscatur, modò argentei coloris, modò omninò alba, & piscium oculis similis.

Multa earum genera Plinius recenset, cuiusmodi sunt, Pentedactyli, melicembates, echinophoræ, &c. Interdum tam grandes in India reperiuntur, ut referant inventam in mari insulæ Borneo, cuius caro pondus septem & quadraginta librarum pendebat. Sunt quædam totæ argenteæ: quædam colore rubicundo flammeo micant. Differentia. *Plin. H. N. l. 32. c. 11.*

Carnes ab Indis quandoque crudæ, quandoque assæ comeduntur. Ex testis varia, ut cistæ, pocula, cochlearia, scipiones mulierum, & rabulæ lusoriæ formantur. Indę mulieres armillas & monilia ex illis gestant. Vsus.

De Margaritis in Historia Naturali fossilium agemus.

2. *Imbricata*, seu imbricatim undata, sic dicta, quod testa ad undarum sese attollentium similitudinem distincta est. Græcorum vulgus *Aganon*, Calojeri Arabiæ *Tridacnem* vocant. *Aldr. l. 3. c. 43.*

Est dura, carne concoctu difficili. Quæ Tridacna Plinio dicitur, est pedalis longitudinis. Utraque testa libras medicas quindecim pendebat. Eo loco quo sibi invicem cõnectebãtur, singulæ duos digitos per transversum crassæ erant. Allata erat Aldrovando ex rubro mari. Tridacna dicitur, quòd nonnisi tribus vicibus deglutiri possit. Descriptio.

3. *Striata* cui striæ percurrentes nomen dedere. Varia harũ sunt genera. Albæ sunt, nigricant, flavescunt, per ginglymum colligantur. Est quædam *longa*, ovi figura, testis multum cavis, canaliculis parum profundis. Est & *pectiniformis* tota ex cinereo lutescens, fasciis tribus ochreis ornata. Est & extra ferruginea, intus albo, & purpureo violaceo varia, in qua animans luteo, cæruleo, & rubro varium.

Est &

Est & *Candida* ac admodum lucida: fasciam in medio habens latam castanei coloris, cujus medium percurrit linea castanei coloris valdè saturati.

Aldrov. l. 3. c. 45. 4. *Echinata*, quæ pectini similis est, testis admodum concavis, striatis, in ambitu incisis. In striis sive exochis eminent aculei frequentes, incurvi, certis intervallis à se dissiti. Uniones in ea reperiri testatur Plinius. Plin. H. N. l. 9. c. 35. Nam & Iuba tradit, Arabicis esse cõcham similem pectini insecto, hirsutam Echinorum modo, ipsam unionem in carne ipsa esse grandini similem.

5. *Squammosa*, quæ striis seu lineis semicircularibus, squammarum in modum est exornata.

Aldrov. l. 3. c. 47. 6. *Longa*, cuius duas species Rondeletius ponit. Unam colore vario, in medio albescente, intus cum lævitate cãdido: Alteram, testa alba, aspera, lineis multis distincta, quam Plinii longam esse putat. At Aldrovandus veram Plinii longam se exhibere credit, colore extra albo fuscoque variam, intus vero roseam, animante suo prægnantem. Idem aliam exhibet, parte quæ replicatur, foramina multa, ordine disposita habentem, quæ à natura fortè, ut aër ingrediatur facta sunt.

7. *Pictorum*, quæ ideò ita vocabitur, quod testæ eius pro conficiendis coloribus raderentur. Crassitudine plurimum excedit, & florem foris habet. Reperitur maximè circa Cariam. Aldrovandus unam exhibet ex Rondeletio colore Cinnabaris, aut Sandarachæ, figura Spondylorum aut minorum Ostreorum. Aldrov. l. 3. c. 48.

8. *Corallina*, quæ quod Corallum colore imitetur ita dicitur. Externa testarum parte pectinem refert: sed lineis est aspera, tuberbulis rubris inæqualis, intus lævissima, candidi marmoris colore. Carnem habet duram, odore viroso, sapore salso. Post diutinos Austri flatus, & caniculæ exortum in littus ejicitur. Aldr. l. c. c. 49.

Aldr. l. 3. c. 50. & 51. 9. *Rugata*, quæ lineis multis & elatis, per transversum ductis rugata est: testis valdè spissis, coloris intus argentei, quę per ginglymum articulantur. Ex iis Spherulæ precum & dentiscalpia conficiuntur.

Ad hanc pertinet *Conchula rugata Rondeletii*, quæ à latere ad latus multas veluti rugas sparsim & sine ordine habet, Testæ sunt depressæ, colore vario. Labra testarum crassa & tam arctè cõnexa, ut sine vi non aperiantur. Diphilus carnem copiosum bonumq; succum gignere tradit.

10. *Rhamboides*, quæ veteribus ignota videtur, quod testa sit musculorũ marinorum testæ simili, *musculũ striatum*, Rondeletius vocavit. Tota concha nigricat. Rara est, quia in alto mari degit, duramq; carnem habet. Bellonius Balanum Græcis dici putat, sed falsò ut apud Rondeletium videre est.

Ex Lævibus est *Concha Galades*, *Nigra*, *Fasciata*, *Crassæ testæ*, & *Tenuis testæ*. *Galades* sunt maximæ & lævissimæ, intus verò candidissimæ, non admodum concavæ, caro ipsis alba, dura, concoctu difficilis, succum crassum gignens. Satis rarò capiuntur. *Nigra*, hisce est similis, nisi quod intus & foris nigricat. *Fasciata*, testa est admodum lævi, dura, & marmorea. Nomẽ hoc obtinuit, quod quinq; veluti fascias latas à latere ad latus ductas habeat. Harum plures Aldrovandus exhibet. *Crassæ testæ*, à galadibus & Chamis asperis, non tantum testarum crassitudine, sed fasciarum ratione, quæ in illis rariores & latiores sunt, & in his plures & unica tantum linea constãtes. Aldrovandus aliquot earum icones exhibet, interque has clathratam maiorem & minorem. Ex ustis & in cinerem redactis præstantissimum antispodium fieri scribit Rondeletius. *Tenuis testæ*, conchæ, extra sunt colore fædo, lutulento cinereo, intus argenti modo resplendent. Aldr. l. 3. c. 53. 54. 55. 56. & 57.

PUN-

PUNCTUM II.

De Chamis.

TAB. XIV. CHamarum nomen à verbo χῶ, ut Gesnero placet, derivatur, inditumque huic concharum generi, seu quod hient, seu à capacitate. Nomen. χήμη Varino est χάσμα, id est, oscitatio, unde Plinius, Conchas Margaritarum pandere se dixit quadam oscitatione. Galli flammas & flammatas vocant, Itali Peverazas, non tā quod sapore sint piper redolente, quam quòd pipere condiantur. Spartianus Ostreas & Lithostreas cum dixit in Heliogabalo Chamas tracheas & Chamas leas intellexisse Hermolao creditur. Quidam Hiatulas dixere, Galenus verò Concham pro Chama usurpavit. *In genere* eas si spectes, vix in tanta varietate constat, quomodo à conchis & quibus notis differant, hoc unico excepto quod Chamæ id peculiare habent, quod plerumque *in littore* hiantes inveniantur. unde earum nomen Ion Chius ὀπὸ τῆ κεχηνέναι derivat. De cætero ita Ælianus de iis. Chamæ marinę & variæ & multiplices sunt: aliæ asperæ, aliæ leves: quædam digitorum compressu confringuntnr, aliæ vel saxo ægræ conteruntur. Quædam ipsarum nigerrimæ sunt, uonnullæ argentei coloris similitudinem gerere videntur, aliæ utroque colore mixto insignes. Ac quemadmodum earum est varium & multiplex genus, sic multas & diversas sedes habent. Quædam enim in littoribus dispersæ jacent in arena, vel in limo quiescunt: nonnullæ sub algam subjiciuntur; aliæ saxis mordicus adhærent.

Aldrov. l. 3. c. 58. — *Ælian. H. N. l. 15. c. 12.*

Locus. Æstivo tempore cum incipit messis, in Istrico mari gregatim natant, & leviter feruntur, cum ante id tempus sua sibi mole graves efferri non possint. Contra, ex tranquillo mari mirifica voluptate afficiuntur, & Favonii mollibus auris afflari gaudent: eamque ob rem in latebras abditæ, & in suis conniventes testis, cum à tempestatibus mare conquiescere sentiunt, & Favonium flare, tum relictis sedibus, ad summum maris natant, & apertis testis eminent, & quiescentes ventum expectant placidū ac secundū: qui si contigerit, alteram concham substernentes, alteram erigentes, hac pro velo, illa pro navi ad navigandum utuntur, ut si eas procul videas, sic per tranquillum mare natantes, classem navium existimes: Quod si navem ad se accedere sentiunt, aut belluæ impetu, aut valentioris piscis metu perculsæ, contractis uno impetu testis, subitò delabuntur, Carnem alvum & urinam ciere Athenæus scribit: at Dioscorides urinæ non meminit. *Dispescuntur in Læves, & Asperas,* *Aspera* χίμαι τραχεῖαι Græcis nomen à testarum externa parte, qua lineas multas obliquas & cavas, ideoque musco oppletas habent traxere. Bellonius valvas tornatas & orbiculari ferè rotunditate habere dixit, Testas tam duras ut nonnisi validò ictu cōfringi possint. Labra haud quaquam in gyrum denticulata, sed Mytulorum more lævia. Movetur ut limax, & quia fortibus spondyliis constat, iis testas movendo per arenam lumbricorum more, conscendunt. In arena circa littora reperiuntur. Carnem ipsorum Icesius duriusculam, mali succi, parum nutrire, facilè excerni, marisq; salsuginem referre pronunciavit. Diphilus stomacho gratam esse addidit.

Ingeniū.

Aldrov. l. 3. c. 65.

Læves Chamæ, Chameleiæ Græcis dictæ, testa duplici constant, quæ tamen digitorum compressu facile frāgitur. Conchis lævibus, quæ Galades dicuntur similes sunt: ut tantam in Oceano magnitudinem adipiscūtur, ut quaternorum digitorum latitudinem, senorum verò longitudinē exsuperent. Intus & foris candidissimæ sunt, *Caro* quoque intus candida, inque ea duo foramina cernuntur: alterum os est, alterum excrementi meatus, utrumque sinuosum, ut dilatari & constringi possit: hoc ad attrahendum

Aldr. l. 3. c. 59.

hendum aquam, illud ad reiiciendũ excrementum. Habent & μήκωνα, ut conchæ cæteræ. Latenter magis protuberante semper hiant. Facilè à calido tanguntur: quamobrem mox hiantes sua labra pandunt, & facilius exanimantur, si longius secesserint à mari. In arena cum Tellinis capiuntur. Moveri à se, & sedes in littore mutare comperiet, qui eas in vasa aqua pleno immerserit; quod Veneti ut minus exanimes servent faciunt. Non elotæ propter arenam respuuntur: recentes elotæ & adhuc vivæ Tellinis non sunt posthabendæ. Differentias earum varias Aldrovandus posuit, quem in Iconibus vide.

Aldr. l. 3. c. 60. Sub Lævi comprehẽduntur, *Piperata, Nigra Bellonii, Nigra Rondeletii, Glycymeris eiusdem, & Peloris.*

Piperata Bellonii *Biverone* quibusdam Italis dicitur, non tam quod ob piperis saporem sitim excitet, quàm quod perpetuò bibat, neque diu sine aqua servari possit, atque in forum allata & aquæ immersa geminam atque oblongam exerat ligulam, ut cochleæ modo perpetuò sitiens moveri percipiatur, In cœno degit, & usque adeò tenues testas habet ut transpareant. Cardinibus non junguntur invicem infarctis, sed nervo ut ostrea. Labra habent lævia magisque in rotunditatis ambitum circinantur quàm Tellinæ.

Aldrov. l. 3. c. 61. *Nigra Bellonii* robore testæ cum aspera facilè certat: nec crenas ita profundas in labris habet. Peloride quoque maior est & dulcior. Ideò glycymeridem putat.

Nigra Rondeletii est testis oblongis, lævibus, duris, spissisque ac veluti marmoreis. *Glycymeribus* sapor carnis dulcis nomen imposuit, facitque earum Macrobius mentionem. Sunt maiores quã Pelorides, testa oblõga mytulorũ fluviatiliũ testæ modo, sed duriore & spissiore, rugosa, non tamen ob id aspera, ex albo ruffescente, carne & succi bonitate Peloridi similes. Sunt qui Glycyamaridas vocant. Aldrovandus Pelorides maiores Athenæi esse credit. Frustra verò Corycia in Plinio ad Chamas glycymeridas referas. Macedones enim teste Ægesandro, conchas asperas κορύκους ut Athenienses κρείκους, id est, arietinas vocant. Macrobius in cœna adyciali Lentuli appositas fuisse dixit. Macrob. Satur. l. 5. Aldrov. l. 3. c. 64.

Pelorides non tam à luto, (scribi deberet πηλωλίδες) quam vel à magnitudine: πελώριον sive πέλωρον significat τὸ μέγα καὶ τερατῶδες, id est magnum & prodigiosum; vel à Peloro Siciliæ promontorio, juxta quod optimæ reperiuntur, nomen sortitæ sunt. Atheneus eas uno loco ex sententia fortasse Phililii à Chamarum genere segregasse videtur. Duabus conchis constant, ut Rondeletius reliquit, quæ nunquam ita iunguntur, quin semper hient seu vivo seu mortuo animali, etiam sine calidi contactu. Eæ oblongæ sunt & læves, ex albo purpurascentes, in medio connexæ. Caro intus alba est, quæ etiam contracta, tota testa vix capi potest, extenta longior multò est, rotunda, spissa, pudendo virili non absimilis, digiti medii crassitudine. In extremo altero foramina duo apparent, alterum oris est rotundum, alterum excrementi. Bellonius à calcinellis differre scribit, quòd turbinatiori & grandiori corpore constẽt. Calcinellæ enim, inquit, compressiore sunt forma testa trãslucida, ac multo quam Chemæloij teneriores. Media autem est inter asperam lævem constitutione & natura. Non enim ita horret ut aspera, neq; ita glabrescit ut lævis, albo præterea ac fulvo emblemate distinguitur. Bellon. de Piscib. l. 2.

Eius caro durior est, quam Tellinarum. Diphilus copiosum bonũque succum gignere tradit. Labra earum, addit idem, sunt crassiuscula, & tam arctè connexa, ut nisi vi aperiantur, & sæpe etiam rumpantur, priusquam os aperiant. Hucusq; Bellonius. Vsus.

h Pun-

PUNCTUM III.

De Ostreis.

TAB. XIV. Nomen. TEstaceum quod Latini Ostreum & Ostream dicunt, Græci veteres ὄστρεον, & ὄστρειον, vel ἀστοτῆ ὀστρακῆ, vel quasi ὄστεον quod testa velut ossea tegatur; moderni ὀστρείδιον, Psellus ὀστείδιον, Hesychius ὀστρακῶν, vocant. Invenies tamen ὄστρεον pro toto testaceorum genere sumi. Unde Suidas Echinum θαλάττιον τὸ ὄστρεον tradit.

Descriptio. *Formam* quod spectat ita de iis Aldrovandus. Quod ad formam Ostreorum attinet, Bellonius inter bivalvium genera hoc peculiare ait esse ostreæ, & pectini, ut partem habeant pronam & supinatam, quarum altera sit turbinatior ac prætumida, altera verò plana, Plinius alibi originem atque genituram conchæ, quæ Margaritas fert, esse ait, haud multum Ostrearum conchis differentem. *Aldr. l. 3. c. 66.*

Alibi quoque Thethya ostreæ similia esse scripsit. Et Hegesander apud Athenæum hepatum piscem in capite duos lapides habere, colore splendoreque ostreis similes. *Capita* ostreorum generi nulla eodem Plinio. Galenus ostreis pilos esse negat, sed melius Plinius oculis carere ostreas omnes dixit. Eidem præterea ostreorum præcipua *spondylo* (caro hic interior) brevisunt, atque non carnoso, nec fibris laciniosо, ac tota in alvo. Perottus spondylum in Ostreo esse scribit, callosum illud rotundum, albicans, quod intus habeat in medio, à similitudine spondyli, ꝗ nos verticulum dicimus appositū fusis, ut melius nendo vertantur. Nā reliqua caro circumspersa *Lacinia* dicitur. Quod *Ovum* vocatur. Wottonus non semper, sed vere habere ostreas asserit: moxque procedente tempore minui demumque totum ferè aboleri.

Aristoteles illud in altera tantum parte eis fieri voluit, idemque esse quod Echinos habere alias dixerat. Eodem authore Ostreæ meatum habent, quo excrementum secedat parte superiore. Idem Aristoteles *testas* eis tribuit scabras, alibi etiam labra crassa. Et Plinius quædam silicum duritia tegi, ut ostreæ & conchę dixit.

Generatio. Quantum ad *Generationem* nullum eis sexus discrimen, ut Plinius & Oppianus prodidere: ideo putrescente limo proveniunt, aut spuma circa navigia diutius stante, defixosque palos, & lignum maximè: sed & in cavernosis & petrosis aquarum dulcium adventu gignuntur. Obtinere tamē ex putri producta aliquid prolificum quamvis non coëant, apud Aristotelem habemus, Hinc & Plinius. Nuper compertum in Ostrearis humorem ostreis fœtificum lactis modo effluere, & Perrus Gyllius, Bizantinos ostrea serere & eorum quasi lac seminare; à spectatæ fidei se accepisse scribit. Grandescūt syderis ratione maximè, sed privatim circa initia æstatis multo lacte prægnātia, atque ubi Sol penetrat in vada. Sydus illud Luna est, quæ plena corpora humentiora reddit, adeò ut nec prudētes Chirurgi trepanotum aperiāt, quia tū cerebrū magis diffundi, & totam cranii capacitatē impleri est. Nullū eisdē sensum inesse apud Plinium legimus. Auditum esse nō est verisimile, inquit idē, sed ad sonum se mergere solent, ideò & silentium in mari piscantibus. Tactus tamen omnibus. Carere & motu Aristoteles prodidit. Aqua marina & limo *pascuntur*, quin & rore, quare ἐρσήεντα Ostrea, id est, roscida, Oppianus dixit. *Arist. de gene. l. 3. c. 11.* *Plin. H. N. l. 2. c. 41.*

Locus. De *Loco* in differentiis agetur: hoc tamen addere placet, non tantum in pelago, dulcibusque aquis, & ubi plurimum influunt amnes reperiri: sed & in petrosis, carentibusq; aquarum dulcium adventu, sicut circa Grynium & Myrinam, quod apud Plinium legimus. Mirum verò quod apud Athenæum habetur, posteaquā Appameam Phrygiæ urbem, Mithridatici belli temporibus à motu terra discef-

discessisset, lacus, quiante ibi nulli comparuissent, repentè extitisse, fluviosque & fontes novos ex iisdem locis terræ motu excitatos fuisse, veteresque multos exaruisse, ac nimirum plurimam aquam tum dulcem, tum salsam, tametsi ab eis locis mare longè abesset, ex visceribus terræ sic emanasse, ut tractum universum illũ tum ostreis, tum aliis piscibus marinis referserint.

Inimicitiæ. *Infestos* sibi Cancros marinos & stellas marinas ostrea habent. De illis author de natura rerum ita. Cum testas aperit ostrea ut clementioris auræ deliciis glorietur, cãcer insidias ei repentinas prætendit, & lapidẽ inter eius testas proiicit, ne illas cõjungere possit, & si carnes ostreæ comedit.

Vsus. *Vsum in Cibis* habere nemo non novit, crudas, elixas, assas, omniumque testatorum nobilissimas, Bellonius prodidit. Legimus tamen apud Galenum, carnem ipsarum humidiorem & tenaciorem esse, est crassi succi, humoremque crassum, crudum, & frigidum gignere. Crudæ salsum humorem de se fundunt, ideò alvum movent, & tentiginem excitant, Elixæ, humore suo destitutæ, murmura excitant, secundum Iovium, secundũ Iulium Alexandrinum, ob multam carnis molitiem concoctu faciliores sunt, ac pituitam potius quàm crudum humorem procreãt. Assæ, (assantur autem in craticula addito aromate multo ac salis momento, sed testis suis non avulsæ) minimè noxiæ sunt. Plinius crudas stomachum unicè reficere, fastidiis mederi, ac leviter alvum mollire scribit. In pontificali cœna apponebãtur, teste Macrobio, echini initio & ostrea cruda. Qui modò edere eo volet, Lunæ motum observet; hoc est, ea decrescente, ea edas: senescente longè sunt deteriora.

Galen. l. de boni & mali succi h. 3.

Macr. Sat. l. 9. c. 6.

In Medicina invenere quoque locum. Adhibentur ex mulso & pipere cocta contra tenasmum. Gariopontus hydropicis dedit. Usta ad labiorum ulcera & alia prodesse, apud Myrepsum habemus. Cinis dentes splendidiores efficit. Trita & optime lævigata ulcera rebellia exsiccãt, quod Galeno debemus. Cinerem veteri urinæ misceri adversus eruptiones in corpore humano & ulcera manantia Plinius reliquit. Marcellus Empiricus eundem, si in morem salis pane colligatur & voretur, statim ad removendam narium gravedinem proficere scribit. Rondeletius denique experientia comperit, ex testarum cinere factam aquam lixivam, ad minuẽdos tumores οἰδηματώδεις pedum & genuum plurimum cõferre. Exsiccat, enim, inquit, multum digerit, & calefacit, si post ustionem cinis non lavetur.

Differentiæ Ostreorum sunt variæ, quæ a loco & colore sumuntur. *Locum* si spectes, sunt 1. λιμνόστρεα ut Aristoteles vocat, quæ in stagnis marinis nascuntur. Rondeletius ea ex duabus testis componi ait modicè concavis, & parum in dorsum elatis, foris inæqualibus & asperis, in tenues laminas facilè sectilibus, intus lævibus & candidis. Testas parvas esse; carnem mollem, suavem, concoctu facilem. Differentiæ.

2. *Littoralia*, quæ in littoribus (παρόχθια) inveniuntur: nec non saxis limi & aquæ dulcis expertibus. Parva sunt, dura & acria.

3. *Pelagia*, seu marina, quæ in mari nascuntur, parva & rara. Grandescunt quidem syderis ratione maximè: sed privatim circa initia æstatis multo lacte prægnantia, atque ubi sol penetrat in vada. Hæc videtur causa, quare minora in aliis locis reperiantur. Opacitas enim prohibet incrementum, & tristitia minus appetunt cibos. Sunt aliquando in Mediterraneo multa simul connexa, & supra se posita. Inter hæc reputant Scolopendræ, & vermes in canaliculis inclusi vivunt. Testæ foris sordidæ & luto obductæ, & ex crustis multis sive laminis constantes, intus læves & albæ. Caro mollis: circa eam fibræ multæ veluti fimbriam constituentes, eam aliquando ambiente

Plin. H. N. l. 32. c. 6.

purpureo crine, quæ præstantiæ nota est authore Plinio, qui Calliblephara dixit.

4. *Britannica*, quæ omnibus præferuntur, quæque Massarius post Lucrina inventa fuisse, & Ruputina Iuvenali dici putat.

Iuv. Satyr. 4.

5. *Santonica*, quæ magis salsa & acria judicantur.

6. *Burdigalensia*, inter quæ Medokina ab oppido vicino Medoë, dicta, capite nigra, suavitate præcellunt.

Horat. Satyr. 4.

7. *Circæa*, quæ ab Horatio commendantur.

8. *Abydena*, quæ olim à ganeonib. celebrari solita, Clemens Alexandrinus in Pædagogo prodit.

9. *Lucrina*, à Lucrino Campaniæ lacu, in sinu Bajano, prope Puteolos ita dicta, de quibus ut & de Britannicis ita Plinius. Nondum Britannica serviebant littora, cum Orata Lucrina scilicet littora nobilitabat: postea visum tanti in extrema Italia petere Brũdusium ostreas: ac ne lis esset inter duos sapores, nuper excogitatum, famem longæ advectionis à Brundusio compascere in Lucrino.

10. *Brundusina*, de quibus ita idem. Gaudent peregrinatione trãsferriq, in ignotas regiones. Atq; ita Brundusina in Averno compasta, & suum retinere succum, & à Lucrino adoptari creduntur.

11. *Cumana*, quæ Strabo præstantissima facit. Nihil interim de suburbanis circa Venetias & Adriaticis, quibus Bembus teste Calcagnino palmam dedit, dicemus. Plinius paucis meminit, dum inquit. Dicemus & de nationibus, ne fraudentur gloria sua littora, sed dicemus aliena lingua, quæque peritissima huius censuræ in nostro ævo fuit. Sunt ergo Mutiani verba quæ subiiciam: Cyzicena maiora Lucrinis, dulciora Britannicis, suaviora Getulicis, acriora Lepticis, pleniora Lucensibus, sicciora Coryphantenis, teneriora Istricis, candidiora Circiensibus.

Quantum ad *Colores* ruffa sunt in Hispania, fusca in Illyrico, nigra & carne & testa Circæis, quibus palma mensarum diu tributa est. In mari rubro flammeis illustrantur Zonis, ea ut diceres varii coloris tẽperatione ad colorem iridis accedere; adeò lineis perpetuo ductu inter se distantibus distinguntur. *Meliora* ita descripsit Plinius. Præcipua habentur in quacunque gente spissa, nec saliva sua lubrica, crassitudine potius spectanda, quam latitudine, neque in luto capta, etsi ea Veneti cæteris antecellere opinentur, neque in arenosis sed solido vado, spondylo brevi atque non carnoso, nec fibris laciniosa, ac tota in alvo. Addunt peritiores notam; ambiente purpureo crine fibras, eoque argumenta generosa interpretantur, calliblephara appellantes. Iovius maximè probari tradit, quæ magnarum navium carinis adhærent, & ab urinatoribus de manu colliguntur. Præter hæc sunt adhuc Ostrea *Sylvestria* & *Gaideropoda*. Illa vulgus in Provincia Scandebec vocat, propterea quod sapore sunt acri, & ideò delicatorum labra calefaciunt & urunt. Testa sunt pellucida, partibus quibusdam flavescente, alias purpurascente, foris crinita & crispa, intus splendida, levissima, cãdidissima. Carnem habent parvam, salsam, subamaram, & insuavem.

Facit horum Athenæus mentionem, multiq; alimenti esse dicit, sed virus olentia, & ori ingrata. Reperiuntur in mari mediterraneo. Testa in fucis mulierum lapidis specularis vice usurpari potest, & exsiccantibus pulveribus utiliter admisceri. *Gaideropoda* quasi pes asini dicitur apud Græcos, qui daideron hodie asinum vocant. *Testa* eius, describente Bellonio, eximio naturæ artificio, superior inferiori infarcta est, ut quibusdam veluti cardinibus annexa, nigroque nervo in eius medio inter tubercula & sinus coaptato, vincta ac constricta esse videatur.

Athen. Dip. l. 3.

Aldrov. l. 3. c. 68.

Tubercula quoq; superiora duobus acetabulis inferioribus benè correspondent, ut & inferiora superioribus. Proinde apertas Gaideropodas, si quis

si quis attentè intuebitur, in his branchias, (hoc certè ridiculum est, nullum enim ex testaceis habet) & stomachum & reliquas partes nutritorias contemplabitur: imò etiam auriculas fungi crispi figuram referentes, magnitudine grandioris acetabuli, polypi, quæ dilatari ac contrahi soleat: umbilicum vulgus esse putat. Rondeletius hæc pro spondylis, qui Athenæo τραχήλοι, ἀπὸ τῆς τραχύτητος, id est, ab asperitate dicuntur. Meminit eorum Plinius & Galenus, interque ostracoderma recenset; Macrobius etiam, qui inter cœnæ Pontificalis prima fercula numerat; sed & Columella, qui inter testacea reponit. Duplici spondylus, secundum Rondeletium *testa* constat, intus cava & lævi: foris scabra, ad ungulæ asini formam rotundata, latiore parte, quæ & inferior dici potest, tenuior est, & multò minus densa, minus concava, arcta valdè & firma articulatione connexa: utriusque enim testæ binæ apophyses sunt, sive tubercula, quę binis acetabulis vicissim recipiūt & recipiuntur: vinculo medio nigro & valido cohærent. *Caro* interna ostreor. carni similis est: circa hanc fimbriata membrana. Intus caro, sed durior, & virus olens. Adnascuntur saxis, & ita hærent, ut nonnisi malleo, aut fracta saxi parte capiantur. Rondeletius idem, in saxis Fresconiis Agathensis sinus parvos reperit. Reperiuntur in eis cancri parvi. Aldrovandus aliquot spondylorum genera exhibet, interque illa elegans quoddam, plurimis extra tuberculis obtusis præditum, ab uno latere rubicundis, ab altera inter viridem & cæruleum ambigentibus, quibus tamen rubra etiam permiscentur tubercula: summum caput seu vertex candicat. Intus circulus satis conspicuus colore viridescente totam ferè concham propè extremitatem ambit: dein color sequitur castaneorum, dein albus & subviridis. In medio velut umbilicus est, addito luteo constans.

PVNCTVM IV.

De Pectinibus.

PEctines, si Gyllium sequimur, à rugis seu imbricaturis illis quibus signati sunt ita dicuntur. Plinius aliquando à pectunculis distinguit, nōnunquam utrumque promiscuè nominat. Græci κτένες nominant, ob manuum & pedum similitudinem, ut Nicandri interpreti placet. TAB. XIV. Nomen.

Descriptiones exactas in differentiis dabimus, hic dicere sufficiat bivalves & clusiles esse, ut apud Aristotelem legimus, seque concludendo tueri: pectinatim eis divisas testas; ideò Athenæo ῥάβδωτον, & τραχύστεφανον dici: utraque parte auritas, easdemque reseratiles esse. Nam ab altero latere nodo ligantur, ovum dictum altera tantum parte eis fieri: Athenæus eis ostrea in quibus nascuntur margaritæ contulit. Sponte in arenosis & limosis locis proveniunt: in sinu verò Aquitanico & Normannia capiuntur frequentissimè. Anno autem perficiuntur. Temporibus pluviosis proveniunt plurimi, quod & aliis testatis accidit. Nam squallore pectines magis trahunt ruffum colorem. Iamque in Pyrrheo Euripo pectines aliquando defuerunt, non modò propter ferramentum, quo piscatores abradendo ubertim caperent, verum etiam propter siccitates. Quæ autem ova in iis appellantur, quamvis verè iis insint, moxque procedente tempore minuantur aboleanturque, tamen nihil ad generationem conferunt, sed indicium sunt nutricationis melioris, quale in sanguineis pingue est. Oculi ut ostreis nulli, Conchis dubii, sic pectines si quis digitos ad versus hiantes moveat, contrahuntur ut videntes. Volare sagittæ, modo, nisi fortè hoc ad Lolliginem pertineat, Plinius prodidit: sed & stridere sentiuntur, quoties per summa humoris nitibundi feruntur. Massarius per aëra volare negat. Cum enim, inquit, callo illo interiori ambæ testæ connexæ sint, ut difficile divelli

Descriptio. *Arist. H. A. l. 4. c. 7.* *Athen. Dipnos. l. 3.* *Plin. H. N. l. 9. c. 51.* *Plin. H. N. l. 9. c. 36.* *Plin. H. N. l. 9. c. 39.*

velli queant, non possunt ita liberè aperiri, ut volare valeant &c. Tanta tamen velocitate dehiscunt: ut ex vehementi repercussione saliant, & superiactent, ut quasi volare videantur.

Usus. *Vsum in Cibis* quod attinet, fuere olim apud antiquos celebres, nec in Cotyis convivio omissi. Celsus & Archigenes stomacho aptos faciunt. Galenus succum alvum ducere non aliter ac serum lactis scribit. Xenocrati dulces sunt ac facilius ostreis concoquuntur. Magis assati, secundum eundem, minus succi habent & difficulter excernuntur: in testis suis si assentur, minus huius incommodi habent, facilius alunt, & valentiores sunt. Nativam autem dulcedinem in muria conservant & urinam movent: ac candidi quidem & lati sunt dulciores atque albi duri: ruffi virosi & urinam cient: varii autem medii sunt, & eorum aliqui fucis similes, qui per se dati difficulter concoquuntur, & tamen urinam movent. Diphilo candidi molliores sunt.

Locor. varietas bonitatis differentiam invexit. Methymnæos à plærisque gulæ amatoribus suis temporibus expeditos Clemens Alexandrinus testatur. Varro pectunculum Chium, inter cancrum ciborumque exquisitas delicias comprehendit. Horatius Tarentinos laudat, ideò in eorundem numismatib. frequenter occurrunt. De reliquis ita Xenocrates. Pectines, inquit, optimi sunt, qui ad justam magnitudinem pervenerunt, cavi, colore nigriore: præstant autem vere ac æstate, siquidem eo tempore ad Lunæ incrementum optimè augentur. Omnibus autem antecellunt Mytilenæi, magnitudine, natura, humoris bonitate. His similis Ionium mare juxta Illyrida, Hetruriam, Salonas, & Latium producit. Iam verò & Chios & vicinæ insulæ, item Alexandria eiusmodi pisces ferunt. Pontus quidem etiam multos fert, sed minutos & qui ægrè augeantur.

Clemens Pædag. l. 2. Varro in Satyra.

Vsum in Medicina si spectes, Trallianus in colico affectu dari jubet. Plinius urinam ciere, & quæ in vesica sunt moderatè detergere scribit. Ad Venerem excitandam non minus valent quàm ostrea.

Plin. H. N. l. 32. c. 9.

Differentiæ pectinum sunt variæ: sunt *magni*, quibus altera valvular. latior veluti tegmen superposita est; sunt & ruffi, candidi, versicolores, candidi & lati: sunt utraque parte auriti, alterutra tantum, nulla, si Bellonio fides est. Ex auritis, quidam utramque aurem habent magnitudine; alii minores aures habent quàm caput testæ; quidam tam magnas, ut ab una aure ad alteram ducta linea, caput testæ non tangat, sed potius emineant aures; alii denique una aure minores. Duos Rondeletius descripsit: *Priori*, testa est qua parte aurita, strictior, deinde amplificata in orbem circumagitur, altera modicè cava & in dorsum elata, altera veluti alterius operculum. Intus carnis multum habet, quæ circa medium etiam carnosum, longum, tenerum, alligata apparet. Inest in carne particula luteum ovor. colorem referens. Spectantur, μήκων, & os tubæ modo factum, atque intestinum tenue luteo plenum. Tota caro in ambitu membranam habet veluti fimbriam versicolorem, ex qua fila & multa & tenuia dependent. Huic similem Aldrovandus ponit, testa ferruginei diluti coloris, fasciisque ferrugineis. *Alter* superiore est toto corpore longior & strictior, amplioribus auribus, utraque testa pectunculorum Burdigalensium modo concava. Aldrovandus plurimas earundem figuras, auriculis & colore differentes exhibuit, interque eos versicolorem, castaneum eburneum, & croceum qui auriculam unam habet satis latam proportione animalis, rudimentumque alterius. *Eburneus* in summitate macula quadam rubra condecoratur, cui alia lutei coloris insidet. Est & *asper* colore fusco, cuius Iconem adjicimus.

Differentiæ.

PVN-

PVNCTVM V.

De Musculis.

TAB. XV. Aldrov. l. 3. c. 70. Nomen.

TESTACEA, quæ vulgariter Musculi vocantur, Plinius quãdoque myias, aliquando myiscas, nonnunquam myscos, sæpè musculos appellat. Athenæus μύας, Aristoteles ἐλάτης μύας, vocant, moderni Græci μύδιον, id est, parvum musculum dicunt: nos musculos simpliciter minores appellamus. Rondeletius ita eos describit. Sunt ex ostracodermorum genere, quæ tenui testa & duplici conteguntur, circa saxa aut ligna nascuntur pilis, & veluti lana alligantur. *Testa* foris nigra, ferè semper vel musco vel lanugine obducta, intus lævis & splendens, ex albo cærulea, parte acutiore crassior & spissior, reliquo ambitu rotundo tenuior. *Caro* intus pallida, cùm non cruda est, cocta vitellis ovorum similis, in ambitu fimbriata, in eo foramen est evidens ad attrahendam aquam, neque enim per villos trahit: in media carne est particula carnosa linguæ similis: inest & mutis, & pituita quædam glutinosa, callo albo adhæret. Reperiuntur & in mari & in aqua dulci stagnante: nunquam verò ferè in rapidis fluminibus.

Vsus.

Ubique ferè *in Cibum* cedunt, sed optimi sunt Ephesii. Marini commodum præstant nutrimentum: qui in aqua sunt dulci, carne sunt dura, concoctu difficili, pravi succi. Laudatissimi qui in inferiore Germania ex Oceano Germanico capiuntur. *Medicinam* si spectes, ad ciendam & urinas multum præstare vult Athenæus, cui Celsus adstipulatur. Marinum tritum ex oleo vetere talorum tumoribus & doloribus impositum mederi, Marcellus Empiricus reliquit. Aquatiles ad nebulas oculorum in jumentis adhiberi, testis est Gesnerus. Uruntur super carbonibus, & corium externum detrahitur usque ad medium, quod albũ apparet: additur Zingiber, & chalcanthũ paribus portionibus, & ex his mistis, pollen in oculis equi inflatur.

PVNCTVM V.

De Mytulis.

MYtulorum nomen à Græcis mutuavere Latini, μυτίλης eos illi vocant. Dioscorides testam ipsam μύακα dixit: animalia Oribasius myacas; Athenæus μύας σκιλλώδεις; quòd Dioscor. l. 2. c. 7. scyllam quidam ex iis resipiant; Aristoteles μύας πυελώδεις, non soliatos à figura, ut Gaza vertit, nec latioris & amplioris conchæ, ut Niphus, sed in imo maris, seu gurgite nascentes, ut Rondeletius, nisi fortè πηλώδεις, quod in limosis producantur dici debeant, ut Gesnerus innuere videtur. Iovius cum Tellinis eosdem esse censet, sed falsò, ut in sequentibus apparebit. Dioscorides sanè, Galenus, & Ægineta distinxere, ideo separatim de utrisque agunt.

TAB. XV. Aldrov. l. 3. c. 71. Dioscor. l. 2. c. 7.

Descriptio. Generatio.

Descriptionem inter Differentias quære. Spontè naturæ in arenosis proveniunt, quod ante Plinium Aristoteles prodidit: prodire tamen & aliqua ab ipsis emissa facultate, (buccinæ & purpuræ, quæ favare dicuntur, id est quasi à seminali natura humores quosdam mucosos emittere) vel potius sobole, quippe minores subinde juxta principium adnascuntur, Massario ex ipso Aristotele visum.

Aristot. de gen. H. A. l. 3. c. 11.

Vsus.

Reperere & *in Cibis* locum, tam elixi quàm assi. Crudi virus & scyllam resipiunt. Elixi, & acrioribus quibusdam, ut sinapi, nasturtiove conditi, illud deponunt. Assi, sitim vehementer excitant. Deteriores sunt qui in locis arenosis, aut inter testas figlinas proveniunt, quàm qui in algosis gignuntur. Autumno & ubi multa dulcis aqua miscetur mari, bonitatem servant, procedente tempore amaritudinem trahunt, & colorem rubrum. Optimi quoque mytuli, quando illa sic vocata ova continent. Ius corpus augere Plinius reliquit: eodem sues, teste Lemnio, pinguescunt.

Plin. H. N. l. 32. c. 9.

Lemn. de Nat. mirab. l. 3. c. 7.

Maio-

Maiores duri sunt, ideò concoctu difficiles: sanguinem procreant crassum, succumque non adeò bonum: copiosè tamen alunt, & ventrem urinamque cient.

In *Medicina*, easdem cum Musculis facultates habet. Carnes ad canis morsum valere scribit Dioscorides, sed repugnat Galenus. Iuri multum Plinius tribuit. Myacum jus, inquit, traditur alvum & vesicas exinanire, & in teranea distringere, omnia adaperire, renes purgare, sanguinem adipemque minuere. Itaque utilissimi sunt hydropicis, mulierum purgationibus, morbo regio, articulari, inflationibus &c. Concha ad excipiendum oleum loco cochlearis utuntur.

Plin. H.N. l.32. c.9.

Differentiæ.

Differentias aliquot apud authores invenias. Sunt enim, si locum spectes, alii *Marini*, alii *Fluviatiles*. Hi marinis sunt similes, in eo tamen differunt, q̃ minores sint, subrecti appareant, atque humi pinnæ modo infigantur. Sedem nõ mutant, grandi hiatu suas testas pandunt, easque reseratiles & clusiles, tenues, intus glabras, pictorum coloribus accommodatissimas habent. Gustus sunt ingrati. *Marini*, ut Bellonius habet, villos extrorsum habent more pinnæ, ab ea testæ parte qua scopulis hærent, per quos alimentum exsugunt, atque arenas & marina dejectamenta attrahunt. Cancrum pinnæ modo in concha nutrit, orbicularem, parvum, suis sic membris absolutum, ut & incedat & alatur, & ova excludat grandi lente multò maiora & crassiora; humi accumbant, cum tamen glandes sive muscioli adhærendo pendeant. Differunt & magnitudine, rotunditate, & gustu. In maioribus cancelli, ut dixi, nascuntur cancelli. Salem virusque resipiunt quidam. In eo verò à cæteris ostracodermis differunt, teste Aristotele, quod tenuia labra habeant. De magnitudine trium vel quatuor heminarum, quod apud Plinium legitur, nil dico. Videtur hoc Phocæ vel Lepori marino competere, vel in genere conchis debere adscribi.

Arist. H.A. l.4.c.4.

Aldrovandus plura earum genera cum Iconibus exhibuit, inter quæ est, Castaneus, Niger cum tuberculo adnato, alter cum striis flavis. Fluviatilium alium maiorem, alium minorem dedit.

PVNCTVM VI.

De Tellinis.

TEllinarum nomen Athenæus Latinorum mytulis tribuit, Plinius pectunculis illa, quæ Tellinis à Dioscoride adscripta sunt. Nos hic illas intelligimus, quas moderni Græci ξιφύδεια, Lesbi incolæ Chinades, Galli Narbonenses & Romani Tellinas, ὅτι τάχιστα γίνονται τέλειαι, quod ocyssimè perficiantur, Veneti Capparazole, sive Capparole, à capparis similitudine, appellant.

TAB. XV. *Aldrov. l.3. c.72.* Nomen.

Descriptio inter differentias quæratur. Non tantum in mari, & portubus undis agitatis degunt, sed & fluviis. Locis verò arenosis maximè delectantur.

Descriptio.

In *Cibis* laudem præ cæteris testatis meruere. Plus succi habet earum caro, quæ etiam reliquarum carne mollior. Recentes, secundum Dioscoridem, stomacho sunt utiles, sed maximè jus earum. Elixas, dulces esse, earumque jus alvum solvere Oribasius prodidit. Venetiis, Genuæ, & Romæ rustici in saccis per urbem circumferunt, quas modiolis divendunt. Cum enim exiguo corpore (verba sunt Bellonii) constent, nec facilè aperiantur, gustuique gratæ sint, mirum in modum ob id expeti bellariorumque loco assumi solent, inprimis, si ab arena optimè, repurgatæ fuerint. Marinæ inprimis, & in his tenuiores, quæ Athenæo Basilicæ commendantur; & quod Castor Durantes ventriculo noxias esse scribit, de fluviatilibus fortè sumendum est. Sitim certè istæ excitant, calculosque gignunt: Oribasius tamen maiores esse, & plus succi habere, Ægyptias inprimis, scribit. Clausæ sale sparguntur, & per testas humorem trahunt.

Vsus.

Oribas. 2. Coll.

Durant. in Thesauro sanit.

In

In Medicina ustæ cinerem reliquūt causticum, adeò, ut is cum cedria myxtus & instillatus, evulsos radicitus palpebrarum pilos renasci prohibeat. Arotæus in Iliaco affectu ius ipsarum propinari jubet. Pueris ad sonum tubæ imitādum usui esse, Athenæus prodidit. Sopater etiam in Comœdia quæ inscribitur Eubulotheombrotus scibit. At resiste, è Tellina repente ad meas aures suavis quidam sonus illapsus est.

Galen. de Simpl. med. 11.38.

Athen. Dip. l. 3.

Differentiæ.

Quantum ad *Differentias* & *Genera*, Athenæus alias marinas, alias Fluviatiles, seu quæ in fluviorum ostiis reperiuntur, fecit, & addit, in Canopico ostio & Nili ascensu multas esse. Illarum λεπτοτέρας seu tenuiores Basilicas idem vocat, & alvum subducere, beneque nutrire ait. Hæ, quia majores, Basilicarum nomen mererentur, nisi expressa Athenæi in contrarium verba essent. Bellonius Basilicas ita describit. Lævis est Tellinarū testa, candida, nequaquam striata, crenulis tenuissimis denticulata, in longitudine diffusa & augusta mediocriter fortis & quodammodo teres. Rondeletius duas etiā species ponit, quarū una duplici testa constat, utraque simili, lævi, valida, & satis spissa, in ambitu ferrata, qua de causa ad unguen conjunctæ sunt, intus leviter cavæ; altera, in ostio Araris fluminis invenitur, in sinu Agathensi, superiori similis, nisi quod testa sit maiore, minusque spissa, & ex rubro flavescenti parte, qua testæ colligantur, in acutiorem angulum desinente. Addit & Tertiam, colore candido, testa pellucida, ex additamentis multis conflata, intus lævissima. Tenuis admodum, & ambitu magis rotundo. Aldrovandus plures apposuit, inter quas sunt nonnullæ cum dentalibus; una etiam testa diaphana & fragili; alia cinerea, lineis purpureis transversalibus.

PUNCTUM VII.

De Balanis, & Pholade.

TAB. XV.

BAlani seu glandes, à glandium similitudine nomē obtinuere Pollicipedes Bellonius vocat, quia vulgo poulsepieds dicuntur, quod pollicum in pedibus similitudinem habeant.

Aldrov. l. 3. c. 3. 73.

Nomen.

Descriptio.

Descripsit eas ita Rondeletius. Id genus glandem esse colligimus, quod illi cum glandibus magna sit similitudo. Nam ut glandis quercus vel Ilicis pars prior levis est, & in acutum tendit, posterior aspera; sic hæc, quæ saxo exhibemus affixa, posteriore parte, qua saxis hærēt, rugosa sunt, & aspera, glandiumq; caliculis, posteriorem earum partem arctè retinentibus simili, Plura ex una radice pendent è sanorum rimis. Ex testaceorum genere sunt. Pars enim prior, longa, rotunda, ex duabus testis componitur, colore & lævitate unguium, in medio rima est, ex qua capillamenta quædam veluti plumæ rubescentes prodeunt. Concha una veluti ex multis acutis unguibus cōstant, tota in quinque digitorum longitudinem accrescit. Crassitudine sunt pollicis in Hispania; in Britannia Aremorica minores. Pars posterior quæ saxo alligatur, corio duro asperoque potius quam testa constat, ex nigro flavescit. Plura in Differentiis vide.

Locus.

De *Loco* non est quod multa addamus. In Hispaniæ parte ea quo Oceano alluitur, in Normannia & Britannia frequentissimi sunt, perque vicinas urbes & pagos divenduntur. Racematim Oceani caudibus adhærent.

Laudantur in cibis, tanquam optimi saporis ab Epicharmo, & qui mirum in modū fastidia stomachi sublevent, & mulierum malaciis accomodentur. In convivio quo Lentulus flamen Martialis inauguratus est nigros & albos appositos esse, Macrobius testatur. Elixi ex aqua

ſalſa pulpam habent duriuſculam, quam auferunt, ſiniſtra tenentes radicem, ad quam alligãtur, dextra verò caput arripientes: quod poſteaquam contorſerint, pulpam à theca extrahunt, ut ambiens corpus relinquatur vacuum calami modo. Pulpa autem quæ inde egreſſa eſt, lumbrici modo oblonga, rubra, teres, aceto piperato maceratur ac manditur, Archigenes quoque apud Galenum ſtomachi cis convenire ſcribit,

Differentiæ. *Differentiæ & Generæ* eorum recenſentur aliquot. Sunt 1. *Majores*, quos ex Rondeletio ſuperius deſcripſimus. 2. *Minores*, qui naſcuntur in ſaxis & rimis navium, quæ diutius immotæ uno in loco manſerint. Adnaſcuntur etiam mytulis. Striatæ ſunt, foramen habent, è quo veluti frondem emittunt, multæ ſimul naſcuntur. Intus parum carnis continent, & parvæ ſemper manent. 3. *Ægyptii*, qui ad Nili oſtia capiuntur, & ſunt, teſte Athenæo, dulcess teneri, ori grati, copioſi nutrimenti, multi ſucci, diuretici, & ſolvunt alvum. Aldrovandus etiam quoſdam exhibuit, interque hos, multos modicè rubeſcentes, ſimul adnatos; à Gigante ſibi communicatos, eoſq; ſtriatos; Oſtraceum quoddam, quod meritò polyceps dici poſſit, quoniam veluti ex multis Balanis compactum eſt, læve rubeſcens; balanum denique ſeſſilem, qui in parte inferna ubi inſidet, maximum habet foramen.

Aldr. l. 3. c. 34. *Pholades* ἀπὸ τῆς φωλεῖν & φωλεύειν, quod in cavernis & latibulis condantur, ſuum obtinuere nomen. Et rectè ita in ſaxis latent, ut iiſdemque undiq; contegantur, per foramen verò exiguum & ſenſui vix patens aqua nutriuntur. Miſſum eſt, inquit Rondel. ad me alio ex littore ſaxũ, in quo nullæ rimæ, nullæ cavernæ, ſed foramina tantum apparebant tam exigua, ut vix aciem admitterent. Eo igitur ictibus multis confracto, cavitates internæ multæ erant vario ſitu, & diverſæ magnitudinis, in quibus conchas iſtas reperi. Teſtis conſtant duab. lõgis, non in latũ extenſis mytulorum modo, ſed rotundis. Intus eadem ferè eſt caro quæ in mytulis. In ſaxorum cavernulis, vel vi vel natura factis, aquæ marinæ appulſu procreantur, atque in concham vertuntur, quæ cavitatis ſeu foraminis figuram ſervat. In portu Veneris multæ occurrunt.

Vſus. Nullus earum præter Athenæum meminit, qui eaſdem palato ſuaves, ſed mali ſucci & viroſas facit.

PUNCTUM VIII.

De Solene.

TAB. XV. Nomen. SOlen Euſtathii ἐκ τοῦ ζέω καὶ τοῦ ὅλος σωλὴν & per craſin σωλὴν, dicitur, Græcis vocatur αὐλός, à canalis ſive tubi ſimilitudine, δόναξ, à figura arũdinis craſſæ, concavæ, quæ Cypria arundo Dioſcoridi; Dactylus, ab humanorum unguium ſimilitudine; ὄνυξ denique ſeu unguis, ab extremis, tenuitate & figura unguibus ſimili, vel à teſtę colore & ſubſtantia unguibus noſtris non diſſimili. Veneti Cappam longam nominant, Bononienſes piſcem canellam. In *Cibis* Vſus. à pauperibus adhibentur. Galenus dura carne eſſe dicit, & ob id difficulter concoqui, propriumque hac ipſis & Purpuris, ut refert Niceſius quod cum in juſculo coquuntur, id craſſius reddunt. In ore mandentium relucere Plinius ſcriptum reliquit. His natura, inquit, in tenebris remoto lumine, alio fulgore clarere, & quanto magis humorem habeant, lucere in ore mandentium, lucere in manibus, atque in ſolo atque veſte, decidentibus guttis, ut procul dubio pateat, ſucci illam naturam eſſe, quã etiam miremur in corpore. Splendoris cauſam glutinoſo Solenis ſucco adſcribit Rõdeletius, hi quidem quę tenacia & veluti glutino compacta ſunt, ea lævia, æqualia, ac ac perpolita eſſe ſolent, atque ob id relucentia, *Diſpeſcuntur* in *Mares* & *Faminas*. Illos

Plinius

Plinius Solenes, Aulas & Donacas vocat, has Onyches. *Mas* secundum Rondeletium, ex Concharum longarum est genere: dupli constans testâ, lævi, tenui, altera tantum parte colligata nigro vinculo, etiamsi aliter scribat Aristoteles. Cum enim διθύρων alia sunt altera parte li ata, altera soluta, ut claudi & aperiri possint; altera utroque latere connexa, in his postremis Solenas numerat, cum contra semper altera parte solutos videas. Dodrantali sunt longitudine, pollicis crassitudine, harundinis modo cavi, extremis duobus semp apertis: anteriore caput exerit, & retrahit testudinis ritu, secundũ testæ longitudinẽ carnem protensam habet. Testa cæruleo est colore, lineas evidentes habet per transversum ductas, qua parte colligatur; crassior est, aliis partibus in tenuem substantiam desinit, ut mytuli. A qua & arena vivit. Carni facultatem urinæ ciendæ inesse Plinio scriptum: sed quia glutinati succi est, metuo ne erret. Differt ab isto *Mas Rondeletii.* Est enim lineis miniaceis, per transversum variegatus; in altera quoque Conchæ extremitate, linea lutea apparet. De *Fœmina* ita item Rondeletius. Onychas appellat Plinius Solenes fœminas, quæ colore, sapore, magnitudine, à maribus differunt, in aliis omninò similis. Testa lineis cæruleis distincta non est, ob id Plinio unicolores dicuntur.

Aristot. H.A.l.4. c.4.

Vsus. Caro dulcior est: sed vix comedi potest nisi ab arena repurgata. Sumuntur frixæ & elixæ, melioresque inprunis tostæ, quoadhient. Rondeletius deteriores existimat, quod sint exsuccæ, duriores, & sicciores. In arena stare Bellonius tradidit, sed cum omnia silent sursum è profundissimo foramine emergere, & in id sese postea abdere, unde postea nisi palla ferrea in transversum supposita, & præfundissimè impacta avelli possint, id quod & Plinius, & ante eum Aristoteles vidit.

CAPUT IX.

De Pinnis.

PInna, Græcis πίννη & πίννα, quod semper sordibus obducta sit, dicitur. Hermolaus Concham Ægyptia cognomine Paralios, à Democrito Pinnam vocari scribit. A quibusdam Agnus castus vocatur. Neapolitani Pernam, Veneti Asturam, vocant. TAB. XVI. Nomen.

Descriptiones in Differentiis vide. Ex duabus testis componuntur, & à mytulorum figura non admodum differunt. Cancri etiam in illis hospitantur. Rondeletius tantam Romæ se vidisse scribit, ut ad cubiti magnitudinem accederet. Descriptio.

Locum si spectes, in Acarnania Pinna oriri & uniones gignere Plinius testatum reliquit. In mari an sint ambigit Bellonius, & Rondeletius in locis in quibus mare fluit ac refluit, vix reperiri scribit. Venetiis non visitur: sed in Propontide ad latera eius sinus, qui Nicomediam fertur, qua terram pertingunt, frequentia magna existit. In ruinis Nicomediæ civitatis reperiri, Bellonius author est. Locus.

In Cibo comparando, Cancellum semper aut Squillam comitem habent, sua sede non dimoventur quin pereant; nisi iterum eodem statu humi defigantur. Nam cum eis natura hæc insit, ut rectas stare, & per villos arenulam attrahere necesse sit, jacentis vivere non possunt. Naturam eius optimè versibus Philes expressit, in cuius testa & uniones & byssum reperiri testatur. Natura.

Vsum in Cibis quod attinet, Athenæus eas urinam pellere, difficileque concoqui & distribui dixit. Ovum, quod secundum Aristotelem continent, pro lunari potestate, aliquando minus, non ad generationem confert, sed melioris nutricationis indicium est. Vsus.

De carnis dotibus ita Wottinus. Pinnæ, inquit, optimæ sunt, tenellæ, plenæ,

plenæ, carnosæve, quæ in limosis (πεναγώδεσι) vadis gignuntur; & ubi mari dulcis aqua miscetur, & locis tranquillis, ac ventis carentibus: teneriores enim hic nascuntur, quàm ubi fluctibus agitantur. Grandioribus parvæ; & quæ vere & æstate capiuntur, aliis præstant. Sunt enim & suaviores & pleniores. Quæ magnitudine mediâ sunt, carnem quidem habent mollem, candidam, ac dulcem: collum durum, concoctu difficile, corruptionique renitens, Collo namque corpus reliquum facilius corrumpitur: elixis assæ duriores evadunt, præsertim si vino fuerint asperſæ. Earum quæ in vino maceratæ sunt caro, mollior est, sed flatum generat.

Differentiæ. *Quantum ad Differentias*, Rondeletius tres differentias agnovit, Bellonius duas, Aldrovandus quatuor posuit.

Rondeletii *prima* est Minima, mytulis similis, nisi quod strictiorem partem multo magis acutam & longam habet. Testa foris aspera est, colore fusco, intus viridi, & argentei splendoris, si in arena vixerit Pinna; si in cœno, colore est magis flavescente, & minus splendente. Ab inferiore & strictiore parte in amplam latitudinem extenditur: illic arctissimè clauduntur testæ, hic facilè discluduntur. Intus multum est carnis, cuius omnes ferè partes indiscretæ. *Alteram* Pernam Plinio vocari scribit. Pernæ, inquit isti, Concharum generis, circa Pontias insulas frequentissimè stant, velut suillo crure longo in arena defixæ, hiantesque qua limpitudo est, pedali non non minus spacio.

Cibum venantur. Dentes in circuitu marginum habent pectinatim spissatos. Intus pro spondylo (spondylus seu callus caro durior & interior ostreorum est.) Eius generis hanc esse in qua unius nascuntur, ex Theophrasto Athenæus tradit.

In Gallico mari inveniri, & in ea uniones parvos author est Rondeletius. *Tertia* minor est, & eo differt, quòd antequam acuta & stricta parte in amplitudinem extendatur, excavata sit.

In cœnosis & arenosis locis vivit defixa: & carnem intus duram habet quæ virus resipit.

Bellonio altera *Major* est, altera *Minor*. Hæc foris magis albicat, intus ad cæruleum accedit. Mollibus in gyrum spiculis obtusis hirta est, valvasque continuò cardine toto latere annexas claudit ac reserat, quâ parte planior esse constat; qua autem se in latum expandit, eadem byssum est veluti capillamentum quoddam coacervatum; prædurum ac nigrum quod lapillis affigitur, limumque ac spurcitias inde ad stomachum attrahit. Illam Pernam vocat, quæ pelagia est, rugis profundis caret, duriore testâ contegitur, & bipedalis sæpissimè invenitur. Pinnophylacem, ut minor, alit: uliginoso ac palustri tractu nascitur: profundiore gurgite immergitur, & multum ingrati saporis habet.

Ex *Aldrovandi* pinnis *prima* est aculeata, coloris rubei: *Altera* pinnæ parvæ Rondeletii similis cum capillamentis; *Tertia* pinnæ Pernæ genus. *Quarta*, parte interna & externa depicta, testa foris fusca, rubra, & asperſa; intus sanguinei, & cærulei coloris. Datur & *quinta* cum tubere verrucoso intus adnata. Aldrov. L.3.c.76.

Pinnis adde *Conchas anatiferas*, diversi generis. *Prima* tribus partibus constat cum umbilico annexo. *Altera* quinque partibus cum umbilico. *Tertia*, aperta est, eique umbilicus inseritur. *Quarta*, hiulca est ea parte qua primum plumulæ prorumpunt. *Quinta*, fœtum intra vulvas situm ostendit. *Sexta*, fœtum imperfectum è valvis exemptum. *Septima*, Berniclam avem adultam, ex ejusdem modi Concha natam.

ARTI-

Articulus VI.

De Conchylijs Univalvibus.

Punctum I.

De Lepade seu Patella.

Tab. XVI. & XVII. Aldrov. l.3.c.79. HActenus de Bivalvibus dictum: Univalvia sunt, *Lepas, Concha Venerea, Concha Persica*, & *Penicillis*. Ad priorem *Auris marina* pertinet. *Lepades*, Plauto nisi mendum subest Lopades, quibusdam Græcis πωμάτια, modernis Petaglides, vel quòd sint petratum in mari quasi, λεπίδες, id est, squammæ quædam; vel quod petræ cum eis spoliantur veluti λέπεσθαι ἢ λεπίζεσθαι, hoc est, desquamari videantur, dicuntur. Gaza Patellas, à vasis escarii similitudine, ut Rondeletius autumat, exponit. Inter μονόθυρα censeri debere, nullum dubium. Saxis testa in dorsum data adhærent: ideo Aristoteles alteram partem superficiei detectam, carnem ostendere dixit. Os ipsius versus terram, & excrementorum exitus superius habetur: Papaver quoque in imo, sive in suo fundo habent. Bellonius scribit tanta esse magnitudine, quanta extrema ovi putaminis pars abscissa esse potest. Colorem *testarum* livere vel cinereum esse cornuaque limacis instar exerere, & os, & caput habere huic persimile. Plura in Differentia vide.

Nomen. Descriptio.

Locus. *Locum* si quæris, in saxis littoris Aquitanici & Britannici, nec non Massilinesis & Agathensis sinus scopulis inveniuntur. Circa Lepadusas insulas tam frequentes, ut nomen iisdem dederint, si Athenæo credimus. A saxis solvi, pastus quæritandi gratiâ Aristoteles author est, cui & Bellonius, dum cochlearium more serpere ait, subscribit. Ad Rondeletius id negat, Nullis enim, inquit, ad natandum partibus prædita est, nisi temerè huc & illuc undis jactata feratur; neque victus illi quærendus, nam maris spuma & aqua vescitur, quâ alluuntur saxa. Quod si aquâ allui saxa desinant, ea quæ in testa relicta est absumpta, contabescere & emori tandem necesse est. Tam se fortiter attactæ saxis applicant, ut ne Milonis quidem digitis, avelli possint. Cultro igitur aut aculeato ferro opus est, inter ipsas & saxa immisso, quod ad oras Oceani Aremoricorum pueri facere solent, prodente Bellonio.

Ælian. H.A.l.6. c.55.

In Cibis crudæ à piscatoribus & mares accolis usurpantur. Coctæ facilius concoquuntur, modò non nimium decoquantur. Jus alvum ciet. Usum earum & ad capiendos cibos esse, ex hoc Tarentini videre licet. Obsonii σολάτος dicti, præparatio in mari cuius vi in unum locum statim omnes pisces conveniunt.

Vsus.

Ex mari *patellas* accipito, earum scilicet, quæ circa saxa nascuntur: quarum quidem contundens carnem, exprimesque ex ea in testa aliqua inscribito, quæ sequuntur: subitoque non sine magna admiratione videbis pisces in unum locum fluere confertum. Sunt verò ipsa nomina ταιώ, σοβαώθ, quibus sanè ichtyophagi utuntur.

Dividitur in *magnam*, Maris rubri *parvam*, & *feram*. *Major Rondeletii* testam habet non exquisiti rotundam, sed inæqualem, intus lævem, foris parum asperam, cui aliquando muscus innascitur, gibbam in ambitu livescentem & striatâ, intus cavam. Carnosam quoque fimbriam in corporis ambitu quam expandit quum hæret, soluta contrahit. Interius subest caro dura, quâ maximè saxo hæret, quæ scuti picti formam refert. Os superiore in loco manifestum est, inferiore ori adverso, excrementi meatus, non in testa, ut in ea quæ ἀγελία dicitur. Os venter sequitur, in eo est μύκων, in imo ventre etiam pars, quæ ovum dicitur. *Maris Rubri* lepas Bellonii, tabellis, quas in tergo gerit, corneis numero octonis,

Differentia.

tranversis, loricæ modo contegitur, atque undequaque cartilagine obsepta est, multis spinulis horrida, iis persimilibus quæ in stellis marinis visuntur: sesquidigitum lata est, ternos verò longa. Caro rubri macis colorem ac naturam habet, esturque cocta. *Parvæ Rondeletii* testa media nucleis pinearum nucum figura similis est, & æqualis. Ex laminis parvis constat: Carnem intus habet, sed ob parvitatem partis vix discernuntur.

Aldrov. l.5. c.81. *Fera*, λεπὰς ἄγελα, & *auris marina*, θαλάνζιον ὦς ob magnam cum aure nostra similitudinem, testam habet cavam, argenti vel unionum colore: foris gibbam, lineis multis depictam: parte unà, cochlearum modo claviculatim contortam, à qua foramina incipiunt, initio parva, quæ deinde magis ac magis augentur. Differt à majore excrementi meatu, quod ut annotavuit Aristoteles, parte ima testę excrementum egeratur, quâ foramen habetur. Bellonius majorem vocat. Quia testa pellucida & perpolita est, ideò ab aurifabris in tenues laminas dissecatur, ut inde elegantissima vasa incrustentur. Aldrovandi Cypria major striata & non striatam ad majorem Rondeletii referri potest.

PUNCTUM II.

De Concha Venerea.

TAB. XVII. Nomen. Oncha Venerea nomen fortè ex eo invenit, quòd non modò Veneri grata, sed & ob communem originem è mari cognata, credere- Aldrov. l.3. c.82. turque celebrisque esset eius Deæ effigies, atque haud suo an ex hoc genere, ut Gelenii verbis utar, pede premens. Martialis Conchā simpliciter vocat, Hyle Poëtria Conchā Erythræam, sine dubio, quòd circa mare rubrum frequens sit. Bellonius in vico nomine Tor viginti camelos his conchiliis rotundis onustos se conspexisse prodit, & Cairi incolas iis ad lævigandam papyrum, & telas colorib⁹ permixto gummi confactas uti. Ideò eidē Lævigatoria dicitur. An Belliculi marini, ἐμπελέικοι θαλάσσιοι Myrepsi, seu ut quidam vertit, Umbilici marini rectè à Pharmicopæis nonnullis dicantur, dubito. Martial. l.14.

Putat enim interpres lapides intelligi exiguos & candidos, in littore maris repertos, umbilicum hominis referentes abstergendi facultate prēditos, quos alii fabas marinas dicunt. Cordus Dentalium nominavit. Ennius fortè, citante Apulejo, *Matriculos* Mutianus apud Plinium *Muricem*. Nec aliud quid sibi χοιείναι Græcorum volunt, quamvis eas Aristoteles præterierit. Expresse enim, eas Conchas marinas, quibus utebantur Athenis ante calculorum usum inductum, Scholiastes Aristophanis vocat: ne dicam, Pollucem quoque idem attestari. Galli *Porcellanas* appellavere, seu à quadam oris suilli specie, ut Gesnero placet, quam parte sui inter labra denticulata dehiscente, vel potius altero extremo testæ, nempe acutiore & eminentiore, rostri suilli instar, quodammodo referunt: ἢ ἀφ' τῶ μοείω γυναικείω πῶς ἐοικέναι τῆπε μεταξὺ τῶν χειλῶν φύσει: καὶ τῆ ἐνδοτέρω κοιλότηλι τῆ μητρα. Sane nutrices apud Varronem maximè naturam quâ fœminæ sunt, appellant Porcum, & Græci, eadem significatione Chæron sive Delphaca. Uterinos etiam calculos, qui hoc genere minores sunt, vulgus Germanorum appellat. Minimam aliqui Corvinam aut Corviolam dixere. Plin. H.N. l.9.c.25.

Descriptio si attendatur, Latior est, secundum Mutianum purpura, neque aspero, neque rotundo ore, neque in angulos prodeunte rostro, sed simplice concha, utroque se latere colligente. Testam omnibus admodum duram esse vel inde agnoscas, quod nunquam eam arrosam comperias. Tota intus candida est, foris colorum varietate insignis, in diversis conchis, politissima & æquabilis. Os ipsi est in ambitu denticulatum, inque eius lateribus canales breves, per quos linguam exerit. Plura in Differentiis. Descriptio.

Vsum

Vsum in quibusdam concha sola invenit. In pillulis de bdellio ad alvum stringendam reperitur: quamvis Monachi Mesues interpretes matrem perlar. supponi jubeant. Turcæ & Cairi incolæ quomodo eis utantur, superius diximus. Galli ad suspendendas claves & conficienda cochlearia utuntur. Æthiopibus loco monetæ inservit. Ideo in tanto apud eos precio, & sæpe aurum pro ea permutent, sæpe filios suos vendant. In Concha maiore faciem sculptam & pulchrè expressam se vidisse, Gesnerus testatur.

Differentiæ. *Differentias* Concharum plurimas apud Rondeletium, Gesnerum & Aldrovandum invenies. Rondeletius quatuor habet.

Prior ovi est figura, in testæ extremo utroque foramen habens, alterum cibi gratia parum prominens, alterum ad excrementa rejicienda. Remoram Mutiani esse credit.

Secunda, testa est tenuiore & magis perspicua, varia quoque, & pro maculis insperſis lineolas habente, Concha simplice utrinque sese colligente.

Tertia parte plana compressa magis est, maculis rotundis notata, durior secundo, colore candido.

Quarta, parte altera est in tumorem elata, in qua circulus aurei coloris. Alioqui tota foris est candida, intus cærulea.

Gesneri ruffa maior & minor non multum à Rondeletii abeunt. Illa nusquam inniti potest nisi parte plana quæ candida est, ut intus quoque gibba, quæ hæmisphærium constituit, ruffa, maculis nigris distincta. Lævitate ita resplendet, ut imagines reddat, sed obscurè. Minoris dorsum in summo varium est, albis, pallidis, & glaucis maculis. Pars interna candicat.

Aldrovandus, tredecim species, si non plures ponit, ex quibus *una* tota ex ruffo candicat, & maculis per totum dorsum oblongis & ferrugineis aspergitur: alia lutescebat primò & maculis purpureis ornabatur, in humido detenta pallidior evasit, postquam superioris corticis cuticulam exuisset. *Tertia* maculis per dorsum aterrimis rotundis & inæqualibus tingebatur. *Quarta* subpurpureis, amethystinis & cæruleis. *Reliquas* ibidem vide. Nos hic tres depingi curavimus. Quam Lusitani & Æthiopes Buzios dicunt, undiquaque alba est, nisi quod in dorso lineæ binæ flavent, in ovalem ferè speciem coniunctæ, & dorsum ipsum inæqualium quàm cæteris & gibbosum, ita ut illi quoque testa incumbere possit, sed obliquè. Pars interior è roseo ad cæruleum redit.

Huc *Concham Persicam* & *Penicillos* refero. Illa à loco nomen sumsit. Est maiore sui parte rubicunda, cætera candida. Margaritas proferre proditur. Minor tota cinericii coloris est. Tubulos testaceos *Penicillos* recentiorum nonnulli vocavere. Molli quadam & laxa substantia saxis alligantur, ita ut aquarum undis cedat & agitetur. Cum id carnosum, quod nimirum intus latet, se exerit, frondem expandit, sunt & in quibus vermes delitescunt, quorum sex Icones hic damus.

Aldrov. l. 3. c. 84.

HISTO-

tranversis, loricæ modo contegitur, atque undequaque cartilagine obsepta est, multis spinulis horrida, iis persimilibus quæ in stellis marinis visuntur: sesquidigitum lata est, ternos verò longa. Caro rubri ſimacis colorem ac naturam habet, esturque cocta. *Parvæ Rondeletii* testa media nucleis pinearum nucum figura similis est, & æqualis. Ex laminis parvis constat: Carnem intus habet, sed ob parvitatem partis vix discernuntur.

Aldrov. l. 5. c. 81. *Fera*, λεπὰς ἄγελα, & *auris marina*, θαλάνζιον ὦς ob magnam cum aure nostra similitudinem, testam habet cavam, argenti vel unionum colore: foris gibbam, lineis multis depictam: parte unà, cochlearum modo claviculatim contortam, à qua foramina incipiunt, initio parva, quæ deinde magis ac magis augentur. Differt à majore excrementi meatu, quod ut annotavit Aristoteles, parte ima testę excrementum egeratur, quâ foramen habetur. Bellonius majorem vocat. Quia testa pellucida & perpolita est, ideò ab aurifabris in tenues laminas dissecatur, ut inde elegantissima vasa incrustentur. Aldrovandi Cypria major striata & non striatam ad majorem Rondeletii referri potest.

Punctum II.

De Concha Venerea.

Tab. XVII. Nomen. Oncha Venerea nomen fortè ex eo invenit, quòd non modò Veneri grata, sed & ob communem originem è mari cognata, credereturſ celebrisque esset eius Deæ effigies, atque haud suo an ex hoc genere, ut Gelenii verbis utar, pede premens. Martialis Conchã simpliciter vocat, Hyle Poëtria Conchã Erythræam, sine dubio, quòd circa mare rubrum frequens sit. Bellonius in vico nomine Tor viginti camelos his conchiliis rotundis onustos se conspexisse prodit, & Cairi incolas iis ad lævigandam papyrum, & telas colorib' permixto gummi confactas uti. Ideò eidẽ Lævigatoria dicitur. An Belliculi marini, ἐμπελίκοι θαλάσσιοι Myrepsi, seu ut quidam vertit, Umbilici marini rectè à Pharmicopæis nonnullis dicantur, dubito.

Aldrov. l. 3. c. 82.

Martial. l. 14.

Putat enim interpres lapides intelligi exiguos & candidos, in littore maris repertos, umbilicum hominis referentes abstergendi facultate prẹditos, quos alii fabas marinas dicunt. Cordus Dentalium nominavit. Ennius fortè, citante Apulejo, *Matriculos* Mutianus apud Plinium *Muricem*. Nec aliud quid sibi χοιείναι Græcorum volunt, quamvis eas Aristoteles præterierit. Expresse enim, eas Conchas marinas, quibus utebantur Athenis ante calculorum usum inductum, Scholiastes Aristophanis vocat: ne dicam, Pollucem quoque idem attestari. Galli *Porcellanas* appellavere, seu à quadam oris suilli specie, ut Gesnero placet, quam parte sui inter labra denticulata dehiscente, vel potius altero extremo testæ, nempe acutiore & eminentiore, rostri suilli instar, quodammodo referunt: ἡ δὲ τῷ μορίῳ γυναικείῳ πῶς ἐοικέναι, τῇ τε μεταξὺ τῶν χειλῶν φύσει: καὶ τῇ ἐνδοτέρῳ κοιλότητι τῇ μητρᾳ. Sane nutrices apud Varronem maximè naturam quâ fœminæ sunt, appellant Porcum, & Græci, eadem significatione Chæron sive Delphaca. Uterinos etiam calculos, qui hoc genere minores sunt, vulgus Germanorum appellat. Minimam aliqui Corvinam aut Corviolam dixere.

Plin. H.N. l. 9. c. 25.

Descriptio si attendatur, Latior est, secundum Mutianum purpura, neque aspero, neque rotundo ore, neque in angulos prodeunte rostro, sed simplice concha, utroque se latere colligente. Testam omnibus admodum duram esse vel inde agnoscas, quod nunquam eam arrosam comperias. Tota intus candida est, foris colorum varietate insignis, in diversis conchis, politissima & æquabilis. Os ipsi est in ambitu denticulatum, inque eius lateribus canales breves, per quos linguam exerit. Plura in Differentiis.

Descriptio.

Vsum

Vsum in quibusdam concha sola invenit. In pillulis de bdellio ad alvum stringendam reperitur: quamvis Monachi Mesues interpretes matrem perlar. supponi jubeant. Turcæ & Cairi incolæ quomodo eis utantur, superius diximus. Galli ad suspendendas claves & conficienda cochlearia utuntur. Æthiopibus loco monetæ inservit. Ideo in tanto apud eos precio, & sæpe aurum pro ea permutent, sæpe filios suos vendant. In Concha maiore faciem sculptam & pulchrè expressam se vidisse, Gesnerus testatur.

Differentiæ. *Differentias* Concharum plurimas apud Rondeletium, Gesnerum & Aldrovandum invenies. Rondeletius quatuor habet.

Prior ovi est figura, in testæ extremo utroque foramen habens, alterum cibi gratia parum prominens, alterum ad excrementa rejicienda. Remoram Mutiani esse credit.

Secunda, testa est tenuiore & magis perspicua, varia quoque, & pro maculis inspersis lineolas habente, Concha simplice utrinque sese colligente.

Tertia parte plana compressa magis est, maculis rotundis notata, durior secundo, colore candido.

Quarta, parte altera est in tumorem elata, in qua circulus aurei coloris. Alioqui tota foris est candida, intus cærulea.

Gesneri ruffa maior & minor non multum à Rondeletii abeunt. Illa nusquam inniti potest nisi parte plana quæ candida est, ut intus quoque gibba, quæ hæmisphærium constituit, ruffa, maculis nigris distincta. Lævitate ita resplendet, ut imagines reddat, sed obscurè. Minoris dorsum in summo varium est, albis, pallidis, & glaucis maculis. Pars interna candicat.

Aldrovandus, tredecim species, si non plures ponit, ex quibus *una* tota ex ruffo candicat, & maculis per totum dorsum oblongis & ferrugineis aspergitur: alia lutescebat primò & maculis purpureis ornabatur, in humido detenta pallidior evasit, postquam superioris corticis cuticulam exuisset. *Tertia* maculis per dorsum aterrimis rotundis & inæqualibus tingebatur. *Quarta* subpurpureis, amethystinis & cæruleis. *Reliquas* ibidem vide. Nos hic tres depingi curavimus. Quam Lusitani & Æthiopes Buzios dicunt, undiquaque alba est, nisi quod in dorso lineæ binæ flavent, in ovalem ferè speciem coniunctæ, & dorsum ipsum inæqualium quàm cæteris & gibbosum, ita ut illi quoque testa incumbere possit, sed obliquè. Pars interior è roseo ad cæruleum redit.

Huc *Concham Persicam* & *Penicillos* refero. Illa à loco nomen sumsit. Est maiore sui parte rubicunda, cætera candida. Margaritas proferre proditur. Minor tota cinericii coloris est. Tubulos testaceos *Penicillos* recentiorum nonnulli vocavere. Molli quadam & laxa substantia saxis alligantur, ita ut aquarum undis cedat & agitetur. Cum id carnosum, quod nimirum intus latet, se exerit, frondem expandit, sunt & in quibus vermes delitescunt, quorum sex Icones hic damus. Aldrov. l. 3. c. 84.

HISTO-

HISTORIÆ NATVRALIS

De Exanguibus Aquaticis

LIBER IV.

De Zoophytis sive Plantanimalibus.

CAPVT I.

De Urticis.

TAB. XVIII. Aldrov. l. 4. c. 1. Nomen.

QVartum Exanguium aquaticor. genus sunt Zoophyta, quæ Aristoteles τὰ ἐπαμφοτερίζοντα φυτῷ καὶ ζώῳ, seu ambigentia plantæ & animali ut Budæus & Gaza vertunt, appellat.

Talia verò sunt, *Vrtica*, Pulmo marinus *Holothuria*, *Tethyia*, *Malum granatum*, *Fungus*, *Pyrus*, *Mentula marina*, *Penna marina*, *Vva marina*, *Malum insanum marinum*, & *Manus marina*.

Vrticæ, ab urendo Latinis dicuntur, quòd manum urere videantur, si ea tangantur. Græcis ἀκαλήφαι, seu quam ὀπολύουσι τὴν ἁφήν, id est, sensum corrumpentes, seu tanquam ἀπαλαὶ τῇ ἁφῇ id est, tactui molles ac lenes, sed per antiphrasin, asperæ quippe sunt & infestæ, dicuntur. Vocantur & κνίδαι, ὅτι κνίζειν, hoc est, δηγμὸν καὶ κνησμόν τινα ἐμποιεῖν τῶν ἁπτομένων χείρει, *morsum aut pruritum excitare tangentium manibus:* nec non μετρείδια, à similitudine quàm cum muliebri pudendo habent: Colyzenæ quoque à modernis, quòd colis, id est, pedunculis suis, Polypor. more firmiter adhæreant. In Italia *flamma maris*, apud Trottulã, *Carnes marinæ* dicuntur. Iovio urticæ & vertibuli haud sine errore iidẽ sunt.

Descriptionem generalem si spectes, *Os* in medio habere, quod in maioribus evidentius esset prodidit. Aristoteles. Excrementa nulla in iis cernuntur, & hac re stirpib. sunt similes. Summa tenui fistula reddi, apud Plinium legimus. Descriptio. Arist. H. A. l. 8. c. 2. & 4. c. 6. Plin. H. N. l. 9. c. 45.

Diversa diligunt *Loca*, & in variis generantur. Quædam enim nunquam absolvuntur, sed saxis semper adhærent, reliqua quæ vagantur, littoribus & planis locis gaudent. De saxo, quasi de testa vivunt, & prænatantes pisciculos excipiunt retinentque, Plinius carne vesci scripsit. Idem Urticis *gignendi* modus qui testa inclusis: per rimas enim, & cavernas, & fauces saxorum oriuntur, ut tradit Philosophus. Locus. Arist. H. A. l. 8. c. 2. Plin. H. N. l. 9. c. 45.

De *Natura* earum ita Plinius. Contrahit ergo se quam maximè rigens, & prænatante pisciculo, frontem suã spargit, complectensque devorat. Aliàs marcenti similis, & jactari se posse fluctu algæ viæ, contactos attritaque petræ scalpentes pruritum (Dalechampius legit, petras scalpentes ob pruritum) invadit. Eadem nocte pectines & Echinos perquirit: dum admoveri sibi manum sentit, colorem mutat & contrahitur. Tacta uredinem mittit, paulumque si fuit intervalli, absconditur. Natura. Plin. H. N. l. 9. c. 45.

Comedebatur olim, ut nunc etiã: quanquam Pythagoras abstinere discipulos jusserit, vel quòd Veneris stimulos afferre diceretur: vel quod Hecatæ sacra esset. Ab Aristotele post æquinoctium hyemale magnopere laudatur. Hoc tempore plurimas ligneo veru transfixas, & aliquantulum aflatas, primum ex sale & aqua fervefaciunt: deinde farinâ conspergunt, & ex oleo vel butyro in sartagine frigunt. Secundum Xenocratem gratæ sunt ori, sed stomacho admodum insuaves: (Diphylus tamen εὐστομάχους facit) sed aflatæ elixis accommodatiores. Alvum cient, urinamque magis movent. Cum passo aut vino mulso facilè concoquuntur & excernuntur. *Medicinam* si attendas, aiunt in vino potas calculosis prodesse, ut author est Galenus. Vsus. Arist. H. A. l. 4. c. 6.

nus. Cum aceto scyllitico psilothrum constituit.

Differentiæ. *Differentias* varias apud authores invenias. Aristoteli aliæ sunt corpore parvo, quæ cibo aptiores: aliæ maiusculo duroque. Aliæ sinuosis adhærent quæ nunquam à saxis absolvuntur: aliæ plana littora amant, quæ suis abiuncta sedibus vagantur. Idem apud Athenæum habetur. Secundum Rondeletium, Aliæ saxis vel cuilibet rei alteri adhærent; aliæ minimè. Rursus earum quæ saxis vel alteri rei hærent, alia perpetua stabilique sede illic degunt, quæ sunt Urtica parva in rimis saxorum latitans: quæ Purpuris & Buccinis adnascitur: quæ cinerea est, longisque cirris constans: Aliæ sedes mutant, & liberè per mare feruntur natantque, ut, purpurea urtica. Semper solutæ sunt, quas vulgò Potes appellant. *Parva*, juglandis magnitudinem vix superat. Tota carnosa est, cirros breves habet, contracta recti intestini extremum refert, colore vario est. Quædam enim cærulea, alia viridis, alia subnigra, sed punctis aliquot cæruleis vel flavis vel rubris notata. Græcis κολέκαινα dicitur. *Cinerem* à colore nomen sortita est. Tenuis est admodum, quia frondem magnam, id est, cirros multos habet, carnis parum. In Saxorum rimis vivit: comam semper explicatam habet, nec unquam contrahit.

Aristot. H. A. l. 5. c. 16. & l. 6. 1.

Athen. l. 3.

Utraque scopulis littoralibus, & iis potissimum marinis tractibus qui ventorum impetum minus sentiunt, tam pertinaciter inhæret, ut nisi primo impetu divellatur, vix postea nisi in frusta concisa dirimi possit, adeò suas trichas arctissimè contrahit. *Purpurea*, seu Phœnicea, Rosa quibusdam, aliis Posterol, quòd contracta recti intestini extremum cum musculo sphinctere seu podicem referat, est primæ similis, nisi quòd frondem & longiorem & copiosiorem habet.

Purpuris & buccinis adnascens, partem exteriorem habet duram & rigidiusculam, spissioremque quàm in aliis urticis, cirros brevissimos in ambitu. In exterioribus eius partibus filum longum deducitur purpureo colore, tam jucundo tamque fluido infectum, ut cum precioso illo Purpuræ succo certet. Ideò hanc à cane Herculis demorsam fuisse Rondeletius credit. Datur & *in Lepade nata*, de qua Ferrantes Imperatus ita scripsit. In dorso esse sex rimas stellam æmulantes: in medio dorsi foveam parvam cum figura quadam inclusa Conchæ rhomboidi simili, sustinerique à lateribus lepadis mediante membrana continua, & cavitatem, quæ est in animali non habere aliud intermedium quàm membranam. A parte anteriore conspici fructum Lepadis instar penicilli pictoris in se revoluti.

Ad priores illas referri *Bellonii* possunt, quarum quædam rubro colore suffusa est, altera magis cærulea, granulis in gyrum circumsessa. Utraque marinum tuber *contracta* refert, *explicata* Cæsariem totum corpus rotundum ambientem: nam infinitis cirris, antennarum papilionibus, aut scarabæi crassitudine constat.

Huc etiam spectat Aldrovandi *Contracta*, *Cinereæ Rondeletii congener*, quæ etiam saxis adnascitur, cirris tenuibus: *pilei ferè forma*, colore tota coccineo, excepta summitate, quæ est viridis, cum nigra rotundaque macula: & quæ ex *leporis marini genere*, coloris partim purpurei, partim albi.

Vrtica soluta, seu *Potta marina* vulgi, quòd speciem quandam mulieris vulvæ repræsentet; Græcis Mongi, inhonesto etiam vocabulo, quòd, ut scribit Bellonius, partibus verendis admota, pruritum ac Venerem, imò etiam ampullas excitet, dicitur. Cum jacet, omaso similis est: cum erigitur, pulmo videtur, & adeò tanquam vitrea & lucida est, ut sine sectione interiora omnia videre possis. Suspensa, quandam Polypi imaginem gerit, nisi quod brachia tenuissima & crassissima habent. In partibus unde pedes oriuntur, quosdam meatus arenarum plenos Gyllius vidit. Formam supernè rotundam, infernè conca-

Aldrov. l. 4. c. 2.

Vide Thevenot. II. t. 4. p. 383. 384. ubi polypode bentos tuchentur.

concavam refert Massarius, ut Conchæ videri possint; Cirros ex imo emittere ad modum Polypi.

Differentiæ. Duo huius apud Rondeletium *genera*. Primum ita describit. Pars una veluti fungosa quædam massa, rotunda, cava, in medio perforata, purpurea veluti fasciola ambiente, pileum planè refert: altera parte Polyporum pedibus similis est. Octo enim pedes habet crassiusculos, extremis partibus quadratos, in acutum desinentes, nullas interiores partes distinctas habet. Corpore est adeò pellucido & splendido, ut oculos offundat. Ad eam magnitudinem accrescunt, ut pileos, quibus viatores uti solent, superent.

Alterum, quatuor duntaxat pedes seu frondes habet, qui foliis acanthi comparari possunt: in altera parte lineæ stellatim disponuntur. Huius generis illa quoque videtur, quam *Bellonius* ita descripsit. Mollis quidem & albus corpore cartilagineo, ac crystalli in morem pellucido, quod in mucorem facilè resolvitur. Gibbā habet instar dimidiatæ sphærę figuram, glabram, pollicis crassitudine: cuius pars interna nervis rectis à medio incipientibus, quasi striis fulvi coloris in gyrum radiatur, quibus se diffundit & constringit: qua corporis commotione aquam concutit, & nunc in pronum, nunc in supinum effertur. Pinnarum vice pinnis tenuibus & ægrè conspicuis in orbem communitur, ut Lepus marinus. Cruciformes quoque cirros, striatos, crassos, in modum stellæ radiatos, numero quaternas, parte interna natationi accommodatos habet: quas ut exactè conspicias, erit in lebetem aquæ syncerioris conjiciendus: qui si supinus devolvatur, multas fissuras in radice cirrorum ostendet.

Os quoque habet parte prona situm, quo ea quæ venatur absorbet, in quem usum quatuor cirri ad eius latera subiacent, coloris synopidis, quasi eius branchiæ essent, vel intestina. Hinc fit, ut intuentibus pulmonem in mari pabulandi gratia divagantem, grandis videatur quasi pituitæ globus, qui unicum tantum colorem referret, nisi rubris illis quatuor circulis sigillaretur, & ea cruce, qua interna pars striata est, distingueretur.

Ad primum genus referenda est *Vrtica* soluta *Mathioli*, quam hic damus. In frusta divisa, ac in mare coniecta, vivit nihilominus ac movetur: extra mare exanimis apparet. Emortua in alto mari, ac in littus eiecta, transparentis glaciei similis est. Omnes pruritum in pudendis & uredinem in manibus movent, & acrimonia sua Venerem extinctam & sopitam excitant.

CAPVT II.

De Pulmone marino, & Holothuriis.

INter Testacea quidem Pulmonem marinum posuisse Aristoteles videtur: Plinius tamen inter Zoophyta recensuit, quem nos sequimur. *Pulmo marinus* dicitur ita vel à pulmonum nostrorum figura, vel ab eorundem substantia laxa, & molli, foraminulisque plena. Kiranidis interpres Cunnum marinum exponit, & sic pro Vrtica soluta, sed falsò, sumere videtur. TAB. XIX. & XX. *Aldrov. l. 4. c. 3. Arist. H. A. l. 5. c. 15.*

Sanè decoctum pulmonis commendant Medici: at Vrticæ substantia est nimis mollis, & pituitæ concretæ similis, qua in aquam abit; & nec in cinerem redigi, nec in aqua decoqui, corpore aliquo superstite potest.

Descriptionem eius vix ex antiquis obtineas. Plinius per mare ferri ubi imminet tempestas, pluriumque dierum hyemem portendere scripsit: Ephesius verò non adhærere, sed absoluta esse, addidit. Commendantur ad pylos evellendos. In aceto putrefacto & mento aspersæ carnes, fugam illorum facere dicuntur. Cinis alligatus egregiè profluvia purgat. Decoctus verò in aqua, calculosis medetur. Descriptio. *Plin. H. N. l. 8. c. 35.*

Plin. H. N. l. 32. c. 10. detur. Lignum si eo confricetur, ardere videbitur, ut sua luce faculam quoque vincat. Rondeletius invenit substantiam quandam saxis hærentem, corio duro & nigro intectam, intus mollem fungosam & fistulosam aplysiarum modo. Vel inquit pulmo marinus dici potest, corpus quoddam rotundum, pilæ marinæ modo, virescens, foris substantia filtro simile, intus totum fistulosum, veluti spongia aplysia. In mari aqua plenum est & grave: extra mare in se concidit, & flaccescit: in saxorum rimis delitescit & inter algas.

Aldrov. l. 4. c. 4. *Holothuriorum* nomen unde veniat, nescimus. Pauca etiam de iis veteres. Saxis soluta esse, sed immobilia, asperoque corio contegi. Rondeletius *duas* nobis *icones* exhibuit, cum his descriptionibus. Id genus, inquit, quod hic proponimus, altero extremo obtusum est & planum, in quo rosæ sculptam imaginem dicas, circa quam sunt acetabula. Inde parva appendix & mollis dependet. Pisculentum odorem resipit, nec minus ingratum & insuavem ac lepus marinus: altero extremo tenuius est; intus, partes omnes sunt indiscretæ. Altero extremo caput habere videtur rotundum, os in medio rotundum, rugosum, quod aliquando dilatatur, aliquando constringitur. Sequitur corpus crassius, aculeis multis rigens: videtur in caudam deficere, ex cuius utraque parte duæ sunt appendices pedum pinnarumve loco, sed differentes. Superior enim strictior est, in ambitu incisa, in acutum desinens, ad quam à cervice producta est linea; altera latior ubique. Harum beneficio motum habere videtur, cuius prorsus expers est primum genus: quod aliquando acetabulis suis saxis hæret, sed solvitur.

CAPVT III.

De Tethyis.

TEthyia seu ut Plinius vult, Theæ, veteribus Græcis τήθεα, & τήθυα, modernis Spherdocles, à sphæra sine dubio; Adriatici sinus accolis spongiæ, quia cum premuntur, spongiarum instar, aquam foraminibus reddant; Tarentinis, propter formam & parvos quosdam anfractus verticilla; aliis à colore & tumore, seu quod nullis fibris, ut Tubera terrena niti crediderint, Tubera; quibusdam, quod callosa materia tegantur Calli; nonnullis, sed falsò, idque ex comparatione patere potest, Urticæ vocantur. Gaza cum Holothuriis confundit, Eustathius & Homeri scholiastes τὰ τήθεα ab Ostreis non distinguunt. Nicander τὰ τήθη, patellas feras explicat. TAB. XIX. & XX. Nomen.

Aristoteles ita eas descripsit. Quæ Tethya sive callos speciali nomine à tegminis qualitate appellamus, naturam inter hæc genera (Testatorum) peculiarem sortiri notum est. Iis enim solis corpus toto tegumento includitur, cuius durities inter testam & corium est: quamobrem more præduri bubuli tergoris secatur. Adhæret id genus saxis sua testa. Duo à se invicem distantia foramina habet, admodum exigua, & visum vix patientia, quibus humorem accipit & reddit. Excrementum enim nullum in eo spectatur, quale in cæteris Ostreis, vel Echinæum, vel quod papaver vocatur. Dissecanti ea tibi primum occurret membrana nervosa Carnaceo corpori obducta. Descriptio. Arist. H. A. l. 4. c. 2.

Hac enim, corpulentum tethyi continentur: idque à cæteris omnibus dissimile; suo in genere omnibus similis eiusmodi caro. Hæret hoc duobus locis & membranæ & corio ab latere: quaque hæret utraque parte pressius est: quibus partibus tendit ad meatus ipsos, qui proti-

nus per ipsum calicē extrorsum ducunt: atque hac emittit, atque exigit tum cibum, tum humorem, perinde atque si hic os sit, ille autem exitus excrementi. Atque horum alter crassior est, alter tenuior. Intus autem in parte utraque sinus dissepti, continua re pusilla quadam. In eorum altero humor inest. Cæterarum partium, quæ vel instrumenti nomine vel officio sensuum, ac ne excrementa quidem cuiusquam modi qualia in aliis sunt, quicquam habent. Et hæc quidem Aristoteles. His addit Rondeletius, non solum petris, sed & Ostreorum testis affixa esse, & in illis veluti duros tumores cerni. Ovi, addit, figura sunt aliquantò longiore. Testa extra fusca, inæqualis, rigida, intus argentea, lævis. Tethyor. caro membrana alia alba involuta ventriculi formam refert, rotundam scilicet & oblongam, meatus crassior & amplior gulæ proportione respondet: alter minor podice. Colore uterque est rutilo vel ruffo, reliquum corpus croceum.

Locus. In Ægypto nulla inveniuntur. In Smyrna præstantissima. In Oceano ad Gallicum littus sunt frequentia, Parisiisque in foro piscario sæpe Ostreor. testis adhærentia visuntur. Signantur etiam in cavernis saxorum: maximè verò in cœno & littoribus, quæ phyco algave marina abundant. Inveniuntur & in musco marino, aut aliis in herbis foliisve marinis. Unde Plinius. Tetheæ inveniuntur sugentes in foliis marinis, seu potius scopulis. Hinc Eustathius τήθη dicta conjicit à verbo θῶ, quod significat θηλάζω quod & pro lactare & sugere accipitur. Fungorum verius sunt generis quàm piscium: & quia nullum viscus intus habent sed carnem uniformem, nihil de animalis natura habere videtur.

Motus. Motum & sensum qui illis inest ab interno provenire, cum multa Conchylia & Crustacea intus habeant, à quibus motus provenit, Plinius author est.

Vsus. Rubra cibo sunt idonea: pallida verò aut sublutea amarulenta Massarius prodidit. Xenocrates plurimum dare alimenti tradit, coriaque maximè eorum non confici.

Medicinam si attendamus, torminibus & inflationibus succurrere, & tenesmum dissolvere renumque vitia; in cibo sumpto lateris dolores lenire, apud Plinium habemus. Conferunt etiam ischiadicis ventrique superiori una cum ruta: item cachecticis, quorum corpus macie conficitur cum ruta & melle.

Differentiæ. Quantum ad *Differentias* & species quatuor Aldrovandus posuit. *Prima* parte externo & interno pyri formam æmulatur, & colore est cinereo: ablataque cuticula substantia apparet densa poris exiguis, vixque visibilibus referta, per quos aqua attrahitur, & per universum corpus distribuitur. Duo grandiora habet foramina, unum oblongum; alterum rotundum; hoc alvo, illud ori respondere videtur. In his quandoque conspiciuntur Scyllari, Cancelli, & alia crustacea; item trochi, turbines & Ostracoderma. *Aldrov. l. 4. c. 5.*

Altera est figura mali, foraminibus duobus; rotundo, quod maius est; oblongo, quod minus. In eo Scyllarus continebatur, quæ totum ferè illius foraminis continebat intervallum. Cauda erat revoluta.

Tertia figura est inæquali, tuberosa: foramine uno oblongo maiore, quod in opposita erat parte minore. In eo continebatur Purpura, proportione magnitudinis Tethyi, ut etiam exterius corium penetraret.

Quarta, figura est rotunda sed inferius compressa: foramen habet tam exiguum, ut vix conspici possit: Intus, crustaceum aliquod, ut in partis superioris foramine conspicitur.

CAP.

CAPUT IV.

De Mentula marina.

TAB. XX. MEntula marina Numenio πεῖρον, fortè παρὰ τὸ παρείρειν τὰ τέκνα; aliis fortè Holothurium, à θορνύειν libidinī operam dare, θόρος genituram significat; hinc Rondeletii altera Holothuriorum species virilis genitalis speciem pro se fert; quibusdam Halesurion, quasi ἁλὸς οὐρά, marina cauda, Apuleio veretillum dicitur. Albertus cuiusdam ostrei meminit, cuius species una virgam, altera vulvam præ se ferret. Moderni Græci Psoli vocar.

Aldr. l. 4. c. 7. Nomen.

Descriptio. A Bellonio ita describitur. Exangue maris purgamentum est: solutum vagatur. Sed ea eius natura, ut à piscibus aliis minimè tentetur, neque à quoquam in cibo expectatur. Littorale est neque alibi reperitur, quàm ubi Patellæ, Ricini, & vertibula degunt. Genitale ex hoc dicitur, quod teres sit, pedem longum, & mediocris brachii crassitudine: Distendit se & contrahit hirudinis in morem. Unde ei & nomen inditum est. Quin etiam rufi coloris est, Iners, nec nisi serpendo incedit, aspectu toroso, Nymphæę radicis similitudine. Semper ad ima sidit: nunquam natat: cōtrectatumque in seipsum contrahitur, ac cornu duritiem habet, vixque acuta cuspide pertundi potest: alioqui permolle dum sua spōte movetur, suas promuscides quādo vult, exerit, atque ita constringit, ut ex pedali longitudine vix sex digitos longum appareant. Acetabulis quæ in promuscidibus habet, lapidibus hæret; in quibus plusquam quatuor millia nonnunquam annumeres. Ex anteriore autem capitis parte rursus crinitas emittit, veluti arbusculas acetabulis plenas; quibus quicquid palpat, ad os adducit, quod tam amplum aperit, ut vel integram conchulam admittat: vescitur enim omni conchyliorum genere. Eius recrementa viscida sunt ac lenta, albissima, copiosa, quæ tandem indurātur, ut cum fidibus de duritia nervea certare possint. Os in gyrum ossiculis, dentatum habet, præterea nullis ossibus alibi præditum. Ab ore gula in stomachum differtur, quomodo in Erinaceo marino dictum est; reliqua ut intestina circumponuntur in gyrum, quæ vix observari possunt.

Differentia. Rondeletius duas species facit. *Vna* coria duro constat. Dum vivit iutumescit & distenditur: flaccescit post mortem. Partes internæ indiscretę sunt. *Altera* ex testa spissa, dura, cartilaginea, perspicua & rugosa constat.

Gesnerus duas quoque à Sittardo accepit. *Prior* massa quædam informis erat, retrorsum ubi crassior altiorque veluti cornu parvum, rugosum, extendebatur: opposita pars humilior, in glande, foramen rubicundi coloris ostendit. *Altera* Epipetrum dictum, informis quoque, inæqualis, & tuberosa, multis acetabulis compacta, colore partim nigricans, partim rubescens & albicans alicubi erat.

CAPUT V.

De Malo Granato, Fungo, Pyro, Penna marina, Vva marina, Cucumere marino, Malo insano, & Manu marina.

TAB. XX. M*Alum granatum, Fungus marinus, & Pyrum* à figura nomen sortita sunt. Illud eiusdem est cum Punico coloris. Iste cærulei; hoc eiusdem ferè.

Penna marina est pennis magnis quæ in pileis gestare solent, perquā similis. Piscatores Itali ob extremitatis alterius similitudinem *Mentulā alatam*

alatam vocant. Est enim ea pars præputio, id est, glandi similis, altera verò parte pennam refert. Pars illa crassior, quæ glandis specie est, rimas aliquot habet, quales sunt branchiarũ rimæ in galeis. Quæ pennam repræsentat, festucis tenuibus constat, quæ alumini scissili similes sunt: iis, substantia alia quadam tenera innititur. Noctu maximè splendet, stellæ modo, ob candorem & levorem. Pẽnam marinam *aliam* rubentem, linea per medium caulem alba, fronde simili ferè, sed parte altera, quæ fronde caret longiore, simplici; nulla cum glande dissimilitudine.

Vvæ marinæ facit & Plinius mentionem dum scribit. Rerum quidem non solum animalium simulachra mari inesse, licet intelligere intuentibus, Uvam, Gladium, Serras. Est autem oblonga quædam & informis massa, ex uno pediculo dependens. Partes internæ indiscretæ sunt, inter quas aliquando reperiuntur glandulæ parvæ. In vino putrefacta vini tædium adfert, ut Plinius prodidit.

Malum insanum marinum, & *Manus marina*, à similitudine quoque nomẽ obtinuere.

Cucumis, digiti est crassitudine & longitudine, tuberculis aliquot asperſis veluti in Cucumere terrestri parvo. Partes internas indiscretas habet.

FINIS.

INDEX,

Quibus paginis Tabulæ piſcium ſunt ſubjungendæ.

In Hiſtoria de Piſcibus & Cetis.

TABULA I.	pagina 8
II	8
III	12
IV	16
V	20
VI	22
VII	26
VIII	26
IX	30
X	37
XI	37
XII	37
XIII	42
XIV	46
XV	52
XVI	52
XVII	60
XVIII	68
XIX	74
XX	82
XXI	92
XXII	98
XXIII	106
XXIV	114
XXV	114
XXVI	130
XXVII	146
XXVIII	146
XXIX	146
XXX	172
XXXI	176
XXXII	178
XXXIII	184
XXXIV	190
XXXV	194
XXXVI	200
XXXVII	202
XXXVIII	204
XXXIX	206
XL	208
XLI	216
XLII	216
XLIII	218
XLIV	220
XLV	226
XLVI	226
XLVII	226

N. *Tabulæ tres poſteriores ſuperadditæ ſunt, ut iconiſmus piſcium, exhibiretur plenarius. Nimirum, quia prioribus abſolutis in authorum pervolutione, hi in Cluſio, Salviano atq; Schonfeldio occurrerunt à prioribus illis differentes, peculiariter eos ſubjicere viſum fuit.*

In Hiſtoria de Exanguibus Aquaticis.

TABULA I	pagina 5
II	15
III	18
IV	20
V	24
VI	27
VII	30
VIII	31
IX	32
X	39
XI	46
XII	48
XIII	51
XIV	56
XV	66
XVI	69
XVII	69
XVIII	72
XIX	74
XX	75

INDEX.

Quibus paginis Tabulæ plicatæ sunt subjungendæ.

Errata

Quæ authore per tot terrarum ſpacia, a prelo remoto, in contextum irrepſere, *Benevolus Lector*, ita Corriget.

Errata.	*Correcta.*
p. 3. a. μαλάκια.	μάλακα.
πευθώδη.	πυθώδη.
p. 4. a. parti priori.	parte priore.
hic.	hi.
Ariſtotele.	Ariſtoteli.
ſu periorum.	ſuperiorem.
p. 5. a. Ariſtophanum.	Ariſtophanem.
brevieret rotundior.	brevius & rotundius.
memini.	minimi.
p. 6. a. appetit.	appetunt.
depaſci.	depaſcere,
Ariſtoteles, Plutarchus	& Plutarchus.
eſſe.	eſt.
p. 7 a. cambulatio.	anbulatio.
b. errant.	erant.
p 8. c. ſphicratis.	Iphicratis.
vertit.	vertatur.
cum in tantum.	eum in tantum.
b. moſcoſius.	muſcoſius,
quō &	quæ.
p. 9. a. aquis.	arcis.
habet, partes.	haber partes,
ſortita eſt.	ſortitæ ſunt.
b. vocant, quam,	vocant, parte
p. 10 a. ſoli ſuo utitur,	ſola.
abſcondantur,	abſconduntur,
b. parvulus.	parvulis.
p. 11. a. peculiarum.	peculiarem,
inquit.	inquiat.
ac Polypum.	ad Polypum,
quod ſepia	quo
p. 12. a. parvè.	parvæ,
carneam.	carnem.
b. nauſeum	naúſeam.
p. 14. b promittentes.	prominentes.
autennis.	antennis.
p. 15. a. exuant.	exuunt.
b. continet.	continent.
p. 17. a. purpupera.	purpurea.
b. prominant.	promineant.
Euxinio.	Euxino.
quæ cætera.	quo.
p. 18. b detendam.	detentam.
quas dum &	quos duo.
vicinora.	viciniora.
partis branchiis.	parvis.
p. 19. a. datam.	datos.
diſcretiones.	diſſectiones.
numeravit.	numerarit.
b. illius.	illorum.
rotundio.	rotundior.
dones.	donec.
parvos.	percos.
p. 20. a. ſquama.	Sequana.
b. ὑπὸ τὴ	τῇ
quas etiam.	chelas etiam.
p. 21. a. color.	colore.
eà meatu.	eo.
fæmina·	fæminæ.
utrinq; latus.	utrinq; ad latus.
Laborace.	Labrace.

Errata.	*Correcta.*
Minturnenſibus	Minturnenſibus.
b. Cartagine,	ſartagine.
farinā.	farina.
conſequantur.	conſequuntur.
Hi pinnæ,	his,
carbunculis.	carbunculos.
p. 22. a. terminantutur	terminantur.
b. ſapidiſſimi.	ſapidiſſimæ.
nuncupat,	nuncupant.
littora.	littore.
rimine,	vimine.
ſirta ine	ſartagine.
ut tam	& tam.
p. 23. a. ſimiles.	ſimilis.
Jcon.	Nullus apponitur.
Preguedicùs.	Preguedieux,
ſpeuſippe	Speuſippi.
artrificio,	artificio,
aſſabrè.	affabrè,
b. tollelæ	tabellæ,
alter,	aliter.
cancrarum.	cancrinum,
p. 24 a. cancerinam	cancrinam,
ſine.	hinc.
b. aperica,	aprica,
tractatione	tractione
Ponte,	Ponti,
p. 25. a transeunt.	transeunte.
b neminare,	nominare.
Et mares.	ſunt & mares
plenam	plenà
pilosè	pilos é
p. 26. a quâ	quæ
p. 27. a. reperiunt.	reperiuntur,
b. fæminæ,	fæminæ,
Dr	De,
& in lævi,	& lævi,
vividiorum,	vividiore
ptæ nimia.	Præ nimia.
deſcripte,	deſcripſit.
criſta	criſtæ
miniacci,	miniacei.
pars utroq;	utraq;
teſta	teſtæ
p. 28. a. capiuntur,	capiantur.
b. aquas	aquarum,
p. 29 cum invicem,	cum ſe invicem,
quodam	quâdam
p. 30. b. iſti in alijs,	iſti niſi in alijs,
crede,	credo.
ſervent vitam,	tritam.
p. 31. a. Bernhardus,	Bernhardos.
fatuam,	fatuum,
accipite,	ancipite.
ſine,	ſinu,
p. 31. b. ſpectubātur	ſpectabantur
Civada.	Civada dicitur.
p. 37. a. Alij.	Alia.
Tollinæ,	Tellinæ,
hæret.	hærent.
Eorum quæ,	Eorum alia quæ.
& Mytuli.	ut Mytuli.
b. Bibacta,	pone ad marginē Pli

Errata.	*Correcta.*
	H. N. l. 5. c. 21.
lateant.	latent.
quidem	quidam.
p. 38. a. emoli,	emoliuntur.
flato.	flatu,
adhæreſcentis.	adhæreſcentes
quæritur,	quæratur,
μονύθυρα.	μονόθυρα
b. unicam. ſi ex	unicam, ſi externa
terne eti.	ſpectemq. Si interna
minutas.	minutos,
verticeſo.	verticoſo,
p. 39. 6. foramam.	foramen.
p. 40. b. quod Plinius	quòd, cum Plinius,
cum,	
poluerit.	poſuerit,
attolit	attollit.
quidem,	quidam,
p. 41. a. illam floreā,	illum florem,
Teſta ſua	teſtæ ſuæ
b. pro detexo,	quo,
πῶμε.	πώμη.
diſſore,	differre.
ἐυᾶδες.	ἐυῶδες.
p. 42. a. ſanguinis,	canis ore
p. 43. a. tenere.	temerè,
prodeant,	prodeunt.
communes,	commune
quæ,	quòd.
juſculis.	juſcula.
pro,	quo
operiuntur,	operiunt.
tuſos.	tuſus
auxilantur,	auxiliantut.
p. 43. a. ſiſtet,	ſiſtunt,
redocta,	redacta.
competit.	competunt.
illita,	illitæ,
attenuat,	attenuant
hircinio,	hircino,
giguntur,	gignntur.
b. Nonnullæ,	Nonnullas.
ficut,	ſunt.
ex Cinerem,	ex Cinerea.
ſpinoſa,	ſpinoſo.
plenè,	planè.
p. 44. a cotylorum,	Cotylarum,
b. habeat,	habent.
ſupini.	ſupina,
ſaliverio	ſalivario,
debeet,	debent.
offerent,	adferent.
aphelidos,	ephelidas
aſſæ,	aſſa,
genús,	manus,
p. 45. a. propinatus,	propinatur.
b. duritia	duritie,
empyremum,	empyreuma,
muris.	muricis.
p. 46. a. Triplicis,	Triplices,
Purpureos,	Purpureus
Cum,	dum.

Errata.	Correcta.
b. ipſis,	ipſi.
ejus,	Conchylij.
ſedentibus,	ſedantibus,
τρομβίοδεις.	τρομβόδεσι
p. 47. b. tandem,	tantum,
p. 48. a. Ariſtotele,	Ariſtoteli
κυχλοὶς μὴ,	κυχλοῖερὴ.
Φερεοικύοι,	Φερεοικίοι.
p. 49. b, Apilium,	Apitium.
crites.	critas.
dicens,	diceres.
p. 50. a. raditur,	vacuas.
lipa,	Lino,
b. de mar,	de mar,
fragili,	fragilia.
lævi.	lævis,
p. 51. a. turbinæ,	turbine,
quorum,	quarum,
p. 52. a. lapidis conſtat.	lapidis modo,
p. 54. a. planis,	planus.
gilbus,	gilvus.
uavigatione,	navigatione.
b. rabulæ,	tabulæ,
p. 55. a. quæ,	quâ.
vocabitur,	vocabatur.
p. 56. a. ægræ,	ægrè,
b. conſcendunt,	Conſcendit,
ipſorum,	ipſarum.
ut,	&.
p. 57. a. latenter,	latere.

Errata.	Correcta.
vaſa,	vaſe.
Glycymeribus,	Glycymeridibus.
b. adijciali,	aditiali
περάςιον	ἱεράϊον.
aſperam lævem,	& lævem.
p. 58. a. eodem.	eidem,
hic,	hac
b. Perrus	Petrus,
fidei ſe,	fidei viro ſe,
impleri eſt,	eſt neceſſe,
p. 59. a. ſi,	ſic,
eo,	ea,
edas,	edat.
p. 60. a. compaſcere,	Compeſcere,
b. deide ropoda.	gaideropoda,
p. 63. a. naſcuntur pilis	naſcuntur, piles
ciendam,	ciendam alvum,
b. oculis,	oculos.
Punctum V.	Punctum VI.
ſoliatos,	foliatos,
p. 65. a. Aroteus.	Aretæus
ſcibit,	ſcribit.
b. ſanorum,	ſaxorum,
caudibus,	cautibus,
p. 66. a. manſerint,	manſerunt,
ſtriatæ,	ſtriati,
multæ,	multi,
parvæ,	parvi,
b. Euſtatuſij,	Euſtathio.
ſimili,	ſimilibus;

Errata.	Correcta.
hac,	hoc
hi quidem,	ſiquidem.
p. 67. item,	idem,
b. Aegyptia,	Aeyptiam,
jacentis,	jacentes.
VVottinus,	VVottonus,
p. 68. a. unius.	uniones,
q. 69. a. Maſſilineſis,	Maſſilienſis?
Cochlearium,	Cochlearum,
Ad	At,
b. mares,	maris.
Contundens,	contundes,
ex eâ	& eâ
exquiſiti,	exqviſitè,
p. 70. a. θαλαυξιον	θαλάτϊιον
ſtriatam,	ſtriata,
haud ſuo,	haud ſcio,
b. Confactas,	confectas,
Pharmicopæis,	Pharmacopæis,
p. 71. a. ut ſæpè,	& ſœpe
ſecundo	ſecundâ
p. 72. a. ſeri qvam,	ſeú tanqvam.
χέρεα	χέρσι
p. 73. a. Cinerem.	Cinerea.
b. habent,	habeat.
p. 74. c. albus,	alba,
qveternes,	qvaternos,
qvas,	quos
p. 75. b. reddant,	reddunt,
Continentur	Continetur.
p. 76. b, qvæ,	qvi,


Tab. I.
Polipus. Polkuttel.
1
Sepia. Black fisch. black kuttel.
2
Sepia supina.
Meerspin.
3
Loligo maior. groser schmaler black fisch.
4
Loligo minor.
5
Lepus marinus. Seehas.
6
Oua separum.
7
Sepiola. Kuttelfisch Klein blackfisch.
8


Locusta Marina Carabus.
Meerstöffel.
1
Astacus Marinus com.
2
See Krebs
Astacus similis pediculo marino.
3
Astacus scammarus. 3.
4
Leo seu Elephantus.
5
Astacus parvus Marinus.
6
Astacus similis pediculo marino.
7


Cancrus. See Krebs.
1


2
Astacus Minor. Kleiner Krebs.


Astacus Maior: grosser Krebs.
3


4
Astacus supinus.


Astacus flu
1 Edel Krebs
Tab. IIII.
Astacus fluu alius.
2
Squilla lata Rondel.
Squilla lata.
3
4
Carangon seu Carangon Rondel.
6
Squilla gibba Garner.
5
Squilla parua.
7
8
Squilla Vrsa minor.
Squilla mantis.
9
hoger Krebs.
Squilla.
10
Squilla lata Bären Krebs
12
Leo Rondel.
Leu.
11
Squilla gibba.
alia.
13


Tamaru Guacu.
1
Cancer marinus. Krab.
2
Cancer Anonimus Randel.
3
Cancer Heracleoticus Randel.
4
Cancer maior. meer spin.
5
Hipocarcinus.
6
Cancer Heracleoticus aller.
7
Cancer Crabbe.
8
Cancer Heracleoticus. 3.
9
Cancer Randel.
10
Cancer Krabbe.
11
Pagurus fœm.
13
Pagurus masc. meer spin.
12


Pagurus fœmina.
1
Cancer maias.
2
Pagurus prone.
3
Pagurus Supine.
4
Cancer Varius
5
Cancer flauus
6
Aranei marini Species prone.
7
Aranei m. Spec: Supine.
8
Araneus supine.
alius
Araneus crustae. prone.
9
10
Araneus alius.
11
Cancer brachijochelos. Rondel.
Cancer minutior.
Cancer minut.
12
13
14
Cancer brachijochelos.
15
Congener


Cancer Mollucensis pronus.
1
2
Cancer Mollucensis supinus.
Cordis figura Cancer.
4
Cancer paruus. alius.
5
Cancer paruus.
3
Cancellus rudus.
6
Cancellus in testa.
7
Cancellus aldrou.
8
Cancellus ruber.
9
Cancellus in Bucino.
10
Squillarus siue cancell: in Nerite concha.
11
Cancellus oblongus.
14
Cancri Hirsuti Rondel species.
13
Cancellus aurna.
12
15
16


Amphisbæna marina.
1
Cancer Heracleoticus hirsus pronè,
2
Cancer pronus.
3
Cancer Heracleotus hirsutus supinè,
4
Cancer Supine.
5
Craben.
6
Testudo marina.
7
Testudo marina.
8
Stella marina maior.
9
Stella marina tredecim radis.
10
Stella marina minor.
11

Tab. IX.
Guaia Apara.
1
Guaia alia species.
2
alia.
Guaia
3
Cunuru.
6
Guaia Miri.
4
Ciecie Panema.
7
Carara Vna.
5
Vca Vna.
8
Ciri
Apoa.
Aratu et Aratu pimima.
11
Guanhumi.
10
Maracoani.
12
Potiquiquijixe.
14
13
Potiquiya.
15
Pamnacare.
Guaricuru.
16


Tab. X.
Polypus.
1
Nautilus.
2
Testa Nautili.
3
Nautili Structura.
4
Purpura.
5
Purpura alia.
6
Testa Nautili.
7
Buccina.
8
Cochlea rugosa.
9
Murex aculeatus.
10
Strombus magnus.
11

Murex marmoreus Rondel.
Murex Orientalis.
Aporrhais. Tab. XI.
Concha Longa Rondel.
Murex Coracoides.
Concha altera.
Turbines.
Concha Indica polita.
Concha echionata cruda.
Trochus magnus.
Trochus Pyramidalis.
Trochi.
Trochi.
Turbo magnus.
Nerita Rond.
Nerites.
Turbo Longus.
Nerites.
Nerites.

Tab. XII.
Cochlea cælata.
Cochlea rugosa et umbilicata.
Cochlea Sarmotica.
Cochlea cælata cùm suo operculo.
Cochlea cylindroides alter.
Cochlea olearia.
Cochlea echinophora Rond.
Cochlea cylindroides prior.
Limax marinus.
Cochleæ operculum.
Cochleæ operculum.
Cochlea depressa.
Echinus spoliatus a suis spinis.
Echinus Spatagus, et Brissus
Echinus integer
Echinus idem in duas partes dissectus.


Echinus marinus ferrugineus.
Echinometra amethystini coloris.
Tab. XIII.
Echini quantum genus Rond.
Echini species oblonga aperta.
Echinometra Aldrou.
Concha Margaritifera.
Concha imbricata Rond.
Concha Echinata.
Pina magna.
Concha Tridachnes.
Concha squamosa.
Concha Pictorum.
Concha corallina.
Concha rugata.
Concha fasciata.
Concha Longa.
Concha tenuis testa.
Concha vera cum animali.

Chama aspera Bellon.
Chama Lævis Rond.
Chama nigra Rond
Chama glijs meridis.
Chama Peloris.
Ostrea marina.
Ostrea marina Rond.
Ostrea sylvestris Rond.
Ostrea gaidero poda.
Spondylus Aldro.
Spondylis Aldrou.
Pecten.
Pecten Versicolor.
Pecten minor castaneus cum animali.
Pecten asper.
Pectines alij Aldrou.
Pectunculi.

Tab. XV.
Musculus Muschel.
Musculi Rondel.
Musculi Aldrou.
1
2
3
Mytuli oblongi.
4
5
Mytulus niger cum strys flauis.
6
Tellina
7
Tellina
Tellinæ cum dentalibus.
8
Tellinæ congerentes.
10
9
Balanus marina. Meer Eychlen.
Tellinæ congeneres.
Balanus alius.
12
11
Balani rubei.
13
Balani Gygantis.
14
15
Balani siue Polycipedes.
16
17
Pholas.
Pholas Aldrou.
Phola concha alia.
18
19
22
Solen mascul Rond.
Solen fœmina Rond.
20
21

Tab. XV.

Musculus Muschel.
1
Musculi Rondel.
2
Musculi Aldrou.
3
Mytuli oblongi.
4
5
Mytulus niger cum strys flauis.
6
Tellina
7
Tellina.
Tellinæ cum dentalibus.
8
Tellinæ congerentes.
10
9
Balanus marina. Meer Eychlen
Tellinæ congeneres.
Balanus alius.
12
11
Balani rubei.
13
Balani Gygantis.
14
15
Balani siue Polycipedes.
16
17
Pholas.
Pholas Aldrou.
Phola concha alia.
18
19
22
Solen mascul Rond.
Solen fœmina Rond.
20
21


Pinna magna Rond.
Pinna Perna. minor.
Pinna alia.
Pinna. alia
Pinna aculeata Aldrou.
Pinna parua Rond.
Pinna f. Perna maior.
Patellæ diuersæ.
Pinna alia cum tubere adnato.
Patellæ Aldroui.


Patella Cypria maior non striata. n. 1.
Patella Cypria maior striata. n. 3.
Lepas, siue Patella Bellon.
2
3
Patellæ feræ siue Auires marinæ.
Concha Venerea.
Concha Venerea Zoographi.
4
5
Concha Ven: Rond.
Concharum Venerearu: Speciebus.
Concha Persica maior.
Concha Persica minor.
Tubuli in quibus Vermes.
1
Penicillus Meerbensel.
2
Penicillus alius.
Vermes in Tubulis.
Tubuli aly parui.
3


Vrtica cinerea.
Vrtica maior.
Vrtica parua Rond.
Vrtica Rond.
Vrtica minor.
Vrtica rubra Rond.
Species duæ.
Vrticarum.
Vrtica marina saxo innata.
Vrtica marina alia tripliej aspectu.
Vrtica rubræ Rond.
Lepori marino.
Congener.
Vrtica Contracta Aldrou.

Urticæ alia species Rond.
Pulmo marinus Mathioli.
Pulmo marinus Rond.
Potta Marina Vulgo prona
et supina parte.
Holothurius Rond.
Holothurius Rond.
1
2
3
4
5
6
7
8
Species.
Variæ.
Thetijorum.

Thetijorum sex species Aldrou.





Mentula Marina Rond.



Mentula Marina.

Epipetrum.



Vua marina.

Malum in sanum Marinum Rond.

Penna Marina Rond.

Manus marina.
Meer hand.

Meer feder.

Cucumis marinus. Meer Cucumbre.

Penna Marina alia.



Malum granatum.

Pijrum marinum Zoophython.



Fungus marinus Zoophython.


HISTORIÆ NATURALIS
DE AVIBVS
LIBRI VI.
Cum æneis figuris
IOHANNES IONSTONUS
MED: DOCTOR
Concinnauit.
FRANCOFVRTI AD MOENVM
Impensa
MATTHÆI MERIANI.
M·D·C·L·
LVCRATVR CONTEMNTA PIETAS
Ciconia Meriani

POTURZYCKA BIBLIOTEKA
J.W.D.

ILLUSTRISSIMIS HEROIBUS:

DN. JACOBO HIERONYMO DE ROZDRAZEWO ROZDRAZEWSKI, DOmino in Krotoſzyn, Caſtellano Caliſſienſi, Capitaneo Coninenſi, &c.

ET

DN. HYACINTHO DE ROZDRAZEWO ROZDRAZEWSKI, DOMINO IN Novvomiaſto, in Exercitu Sereniſſimi Poloniæ & Sueciæ Regis, Equitatus gravis armaturæ Chiliarchæ, &c.

DOMINIS SVIS GRATIOSISSIMIS,

Hanc Hiſtoriæ Naturalis de Avibus partem, obſervantiæ monumentum, exhibiti ſibi favoris memor, offert & dedicat

IOANNES IONSTONVS Med.D.

HISTORIÆ NATURALIS DE AVIBUS LIBRI VI.

PRÆFATIO:

In qua & de Operis ratione, & de Avium naturâ in genere, agitur.

AQuaticos greges, aëreus *Avium* seu volucrum grex insequitur, *Benevole Lector.* Inditum iis id nomen, non tam quòd pervia discurrant, iisdemq; delectentur, ut Isidoro & Perotto placet: vel ab adventu, quòd inde venient, unde quis non suspicetur, ut Festo: quàm vel à volãdo, quod Ebręis עוף dicitur, ut Martinius in Lexico deducit, vel ab ἀΐειν, audiendo, quod Scaligero patri visum. Græcis, ὀρνιθες ab ὀρνίζειν, οἰωνὸς, ὄρνεα, κινώπεα; &c. vocantur. *Collum* omnes & *dorsum* & eas quæ terram spectant, quæq; pectoris vicem gerunt, partes, cum cæteris animantibus communes habent: peculiares præ cæteris, *alas*, *pennas*, quibus caulis, plumas & *rostrum*, quod in senecta durescit. Neq; *labia* ipsis sunt, neq; *dentes*, neque *manus* pedesve anteriores, neq; *auriculæ*, neq; *nares*, sed meatus horum sensuum, ad odoratum in rostro; ad audiendum in capite. *Oculos* similiter atque aliæ animantes, duos sine palpebris habẽt. Connivent inferiore gena graviores: nictant ab angulo obeunte membranâ omnes. Aristoteles, σκαρδαμύττουσι ἐκ τοῦ κανθοῦ δέρματι ὑπόντι, dixit. *Femur* simile coxæ, longum, ad medium usq; subeuntem atque affixum ventrem: quod cum avulsum est, *coxam* putes: At ipsa coxa, quæ inter hoc & tibiam est, alia quædam pars esse videatur. Maxima uncunguibus, & *pectus*, aliis robustius. Pro *cauda* clunis est, iis quibus aut crura longa, aut pedes continuatâ planicie dati, brevis, longus aliis. Alas in priora curvant. Omnium animalium *bipedes* sunt ut homo: quãvis retrorsum curvant crura, quadrupedum modo. Uncos habentium longi, & quæ ad aquas versantur. Carent tamen iis Cypseli, & quoddam Manucodiator. genus. Omnes sunt πολυώνυχοι, sed & omnes quodammodò πολυχιδεῖς. Plurimis namque digiti discreti sunt: & τὰ πλωτὰ τετρανόποδα quidem, dearticulatos tamen atq; distinctos habent digitos. Plinius eos alias habere dixit, palmipedes esse alias, alias inter utrumq; divisis digitis, adjectâ latitudine. Quæ volatu sublimes feruntur, omnibus quaterni digiti, tres in anteriore parte, unus ponè pro

Scalig in Hist. Animal. l. 1. p. 48.
Arist. H. A. l. 2. c. 15. edit. Scalig.
Arist. H. A. l. 3. c. 11.
Arist. l. c.
Plin. H. N. l. 11. c. 45. & 47.
Plin. H. N. l. 8. c. 39.
Plin. H. N. l. 11. c. 47.

pro calcaneo plurimis. Paucæ binas ante, totidem post habent. Quibusdam etiam calcaria sunt, Uncungues autem & calcarigeræ, nullæ. Plinius, ni fallor, radios dixit. Illæ sunt volucres; hæ humiles. Data nonnullis & surrectis pennis crista. Soli gallo peculiaris, quæ nec caro est, nec à naturâ carnis aliena. *Interiora* si attendamus, *Linguam* sortitæ omnes sunt, sed diversam: aliæ longam, latam alia, quę præter cætera animalia, literas sono exprimunt: aliæ ante ex cornu acutissimo, retrò ex carne compositam, ut in historia occurret. *Lingula* quæ gurgulioni imposita est, nulli: apertione & contractione ita meatum temperant, ut prohibeant, ne quid gravioris in pulmonem demittatur. *Viscera* & inter se & ab aliis animalib. differunt. Præjacet in quibusdam ventriculo ingluvies, seu cavum amplumque corium, in quod receptus cibus per initia coquitur; à gula angustius, dein laxius, & rursum, quô ad ventriculum demittitur, arctius. *Ventriculus* plurimis carnosus & compactus: pelle interiore robusta, etiam cum à carnoso ablata est. *Ingluvie* destituta, gulam capacem latam, aut totam quâ vẽtriculo jungitur obtinuere, ut monedulæ, corvi, coturnices: quę tali carent, longam habent, & liquidius præ cæteris excernunt, ut Porphyrio. Complurimis *intestinum* tenue, & si explicetur simplex. *Appendices* explicatæ sunt, sed paucæ, neq; supernè ut piscibus, sed in ima parte ad intestini extrema. *Fel* non eodem loco habent, quædam enim πρὸς τῇ κοιλίᾳ; quædam πρὸς τοῖς ἐντέροις, ut columba, hirundo &c. *Testiculos* πρὸς τῇ ὀσφύϊ. Antequam coëant, quibusdam sunt parvi, quibusdam obscuri & ἀδήλοις; tempore coitus majores fiunt. *Genitura* alba est. Vesicâ carent, quòd larga humoris copia ad pennarum ortum & incrementum requireretur, ut Aphrodisæo visum. Pennigeri hujus exercitus *locus* sunt Aer, aqua, terra. Illum sulcant; unde Aves cœli dicuntur; in hac gradiuntur; in ista quædam natant. Sunt tamen quæ in quibusdam locis non inveniuntur, de quibus ita Plinius.

Arist. H. A. l. 2. p. 213. edit. Scal.

Albert. M. de Animal. 2. tr. 1. c. 6.

Arist. H. A. l. 2. c. 22. edit. Scalig.

Arist. H. A. l. 2. c. 16.

Arist. H. A. l. 3. c. 1.

Arist. H. A. l. 6. c. 9.

Arist. H. A. l. 6. c. 2.

Aphrodis. Probl p. 1. q. 108.

Plin. H. N. l. 10. c. 29.

Hæc quoq; mira naturæ differentia: alia aliis locis negat, tanquam genera frugum fruticumve, sic & animalium non nasci translatitium; invecta emori, mirũ. Quid est illud unius generis saluti adversum, quæve ista naturæ invidia? aut qui terrarum dicati avibus termini? Rhodus aquilam non habet: Transpadana Italia juxta Alpes Larium lacum appellat, amœnum arbusto, agro, ad quem Ciconiæ non permeant: sicuti nec octavum circa lapidem ab eo, immensa alioqui finitimo Insubrium tractu examina graculorum monedularumve. Picus Martius in agro Tarentino negatur esse &c. Sed nec eadem semper omnibus regio. Faciunt enim μεταβασιν quædam, ut in gruibus, Ciconiis & aliis dicemus. Unde Plinius. *Temporum magna differentia avibus. Perennes, ut columbæ, semestres ut hirundines: trimestres ut turdi & turtures, & quæ cum fœtum eduxere abeunt, ut galgali, upupæ,* Scilicet. Migrant quædam, alio non procul à locis in quibus morabantur secedunt, & seipsas abdunt, & quidem nullo discrimine, tam ἐυθυώνυχοι, quàm γαμψώνυχοι. *Victitant* carnibus, insectis, herbis, granis, & seminibus, piscibus & ranis. Sola Emmo prunas etiam devorat, ut in ejus descriptione dicetur. Bibunt suctu ex his quibus colla longa, intermittentes, & capite resupinato velut infundẽtes sibi: Porphyrio solus morsu. Non bibunt γαμψώνυχοι, quod Herodotus, ut Aristoteles scribit, ignoravit. De *Generatione* notandum, duobus modis fieri coitum; fœminâ humi considente ut in gallinis: aut stante, ut in gruib. Quædam omni tempore coeunt, ut gallinæ, & patiunt; præterquam duobus mensibus hyemis brumalib.: plerumque tamen vere & ineunte æstate: quo tempore etiam pleræque pariunt; & quidem semel. *Oscines præter exceptas,* inquit Plinius, *non temerè fœtus faciunt ante æquinoctium vernum, aut post autumnale: ante solstitium autem dubios, post solstitium vitales.* Ova ferunt omnes, vespertilione excepto, qui animal. Infœcunda sunt quæ aduncos habent ungues. Tribuit hoc avium generi natura; ut fœcundiores essent fugaces earum quàm fortes. Ovorum alia

Arist. H. A. l. 8. c. 12.

Plin. H. N. l. 10. c. 28.

Arist. H. A. l. 8. c. 21. edit. Scalig.

Plin. H. N. l. 10. c. 46.

Arist. H. A. l. 8. c. 18.

Plin. H. N. l. 10. c. 52.

Plin. H. N. l. 10. c. 53.

Arist. H. A. l. 5. c. 8.

Arist. H. A. l. 6. c. 1.

Plin. H. N. l. 10. c. 31.

Plin. H. N. l. 10. c. 52.

sunt candida, ut columbis & perdicibus: alia pallida, ut aquaticis: alia pūctis distincta, ut meleagridi: alia rubri coloris, ut Phasianis. Intus omne bicolor. Exeunt rotundissimâ sui parte dum pariuntur, molli putamine, sed protinus durescente, quibuscunque emergunt portionibus. Tempus à coitu, partus excubationis, & numerus variant, ut apud Plinium videre est. Aliquando fœmina tantum incubat, aliquando mas. In columbar. genere, interdiu mas, noctu fœmina: inter palumbes post meridiem in matutinum fœmina, cætero mas. A coitu inhorrescunt & se excutiunt, sæpè etiam aliqua festuca lustrant: quod & edito ovo faciunt. Sunt etiam quædam his bella amicitiæq;, unde & affectus. Dissident olores & aquilæ: corvus & chlorio, noctu invicem ova exquirentes. Simili modo corvus & milvus, illo præripiente huic cibos. Rursus cùm terrestribus, mustela & cornix: Aegithus avis minima cum asimo. &c. De *Motu* ita egregiè *Plinius*. Omnibus animalibus reliquis certus & uniusmodi & in suo cuique genere incessus est: aves solæ vario motu feruntur, & in terra & in aëre. Ambulant aliquę, ut cornices: saliunt aliquæ, ut passeres, merulæ: currunt, ut perdices rusticulæ: ante se pedes jaciunt, vt ciconiæ, grues: expandunt alas pendentesq; raro intervallo quatiunt *(ut milvi)* alię crebrius sed & primas duntaxat pennas: aliæ & tota latera pandunt: *(ut corvi)* quædam majore ex parte compressis volant *(ut pici)* percussoq; semel aliquæ & gemino ictu aëre feruntur: *(carduelles)* vel ut inclusum eum prementes ejaculātur, sese in sublime, in rectum, in pronum. *(hirundines)* Impingi putes aliquas, *(perdices)* aut rursus ab alto cadere has, *(alaudæ)* illas salire, *(coturnices)* Anates solæ, quæque sunt ejusdem generis in sublime protinus se tollunt, atque è vestigio cœlum petunt, ut hoc etiam ex aqua. Itaq; in foveas, quibus feras venamur, delapsæ solæ evadunt. Vultur & ferè graviores, nisi ex procursu, aut altiore cumulo immissæ non evolant, cauda reguntur. Aliæ circumspectant, aliæ flectunt colla. Sine voce non volant multæ: aut è contrario semper in volatu silēt. Subrectæ, pronæ, obliquæ, in latera, in ora, quædam & resupinæ feruntur: ut si pariter cernūtur plura genera, non in eadem natura instare videātur. De cætero, porrectis ad caudam cruribus volāt, quibus longi pedes: quibus breves, contractis ad medium. Uncos ungues habentes altivolę ferè sunt, exceptis nocturnis. De *voce* hoc dicere sufficiat, loquaciores quę minores, & circa coitus maximè. Aliis in pugna vocem, ut coturnicibus, aliis ante pugnam, ut perdicibus: aliis cum vicere, ut gallinaceis. Iisdem sua maribus: aliis eadem, ut fœminis, ut lusciniarum generi. Quædam toto anno canunt, quædam certis temporibus. Palumbibus omnibus similis & idem trino conficitur versu, præterquam in clausula gemitu. Est quæ boum mugitus imitetur, in Arelatensi agro *taurus* appellata, alioquin parva. Est quæ equorum quoque hinnitus *anthus* nomine, herbæ pabulo adventu eorum pulsa imitatur, ad hunc modum se ulciscēs. Varium & *vitæ* inter eas spacium. Mares passeres negantur anno diutius vivere. Columbæ & turtures octenis durant. Cornicibus & cervis, nescio quot tribuuntur lustra. *Morbis* infestari nullum dubium, & habentur apud authores remedia. Conferunt illis οἱ αὐχμοὶ, incommodant τὰ ἐπόμβεια ἔτη. Invalctudinis indicium in pennis. παράτιπτα γὰρ καὶ ἡ τὴν αὐτὴν ἔχει κατάστασιν. Quæ de *Natura, ingenio, cicuratione, docilitate*, & *affectibus* occurrunt, abundè in Historia explicabuntur. *Divinationis* iisdem aliquid inesse, compertum est. Grues ex mari in mediterraneo volantes, si silent, serenitatem pollicentur, si clamant, atrocem turbinem. Idem sonans in crepusculo matutino Ardea, prænunciat; quæ & pluviam si ad mare rectè tendet, prædicit. Sereno canens noctua; volubili sono crocitās corvus, crepusculo vocales cornix & graculus; monedulæ modò sursum, modò deorsum versus volantes; &c. tempestatē innuunt &c. *Vsum* homini præbent, in cibo, Medicina,

Plin. H. N. l. 10. c. 58. 59. 60.

Plin. H. N. l. 10. c. 41. Arist. H. A. l. 6. c. 1.

Plin. H. N. l. 10. c. 73.

Plin. H. N. l. 10. c. 38.

Plin. H. N. l. 11. c. 47.

Plin. H. N. l. 11. c. 51.

Plin. H. N. l. 10. c. 35.

Plin. H. N. l. 10. c. 42.

Plin. H. N. l. 10. c. 35.

Arist. H. A. l. 5. c. 13.

Aelian. H. A. l. 7. c. 7.

dicina, venatione, re vestiaria & plumaria, oblectatione & aliis. Caro earum levior & sanior, purgatissimaque in suo genere est, ut Albertus dixit. *Differentiæ* Avium sunt infinitæ, ex multisque fontibus petuntur. *Partes* si respicias, aliæ habent *rostrum* rectum, aliæ, superius, inferius, aut utrinque incurvum, *Pedes*, quædam longos, breves quædam. Aliæ sunt digitatæ, aliæ palmipedes, aliæ inter utrumque divisis digitis, nonnullæ apodes: *Caput* aliis cristatatum, sine crista aliis, sunt & cornutæ, ut apud Aelianum videre est. *Collum*, aliæ longum, ut grues; aliæ breves obtinuere. De *Lingua* superius attigimus. *Alæ*, plerisque proportione: sola Dodo tam exiguas habet, ut se à terra tollere non possit. Omnes plumis vestiuntur, recens natas si excipias, & Dodonem, quæ lana quasi tegitur. *Caudatæ* quoque sunt ferè omnes Cacato insulæ Mauritiæ avis cauda caret &c. *Ratione Magnitudinis*, sunt, parvæ, mediocres, magnæ, apum quantitate, & bobus majores, ut Aelianus fabulatur. *Ratione Loci*, sunt terrestres, marinæ, lacustres, palustres, domesticæ & villaticæ, sylvestres, campestres. Aliæ arboribus insident, vel illis se affigunt, aliæ cavernis delectantur. Quantum ad *Qualitates*, sunt albæ, nigræ, versicolores, & quidem tales pleræque. Mutant quædam colorem, vocemque tempore anni ac repentè fiunt aliæ, ut oscimes & grues: non mutant aliæ. *Ratione Cibi* sunt carnivorę, ut rapaces, insectivorę granivoræ &c. Deglutiunt & lapillos & ferrum quædam. *Ratione Generationis* omnes ferè, ut dictum, ovum ponunt, sola vespertilio, animal. Infœcundæ sunt uncungues: fœcundiores aliæ. Columbæ decies anno pariunt: hirundines, turtures, merulæ bis. Nihil de congressus, partus, incubationis, exclusionis, differentiis dicam. *Motus* diversitatem superius jam attigimus. Sed & de *vocis* varietate actum. Philomela modulatur: Aquila clangit: Accipiter pipat: corvus crocitat, crocit, cornicular. Perdix cacabat: Anser, gratitat, glacitat: Cygnus drensat. Turtur & Columba gemunt: Palumbes plausitat: Ciconia gloterat. Gallus cucurrit: Gallina gracillat, glocit: glocitat. Pavo pupillat: Grus gruit, Vultur pulpat. Græculus frigulat: Milvius lipit, lugit. Anas tetrinit: hirundo trinsat. Passer pipit: Sturnus pisitat. Turdus trutilat: Acredula mittat. Coturnix gryliſſat: Galgulus glocitat. Merula stridet vel modulatur: Upupa popissat. Meleagris caccissat: Vespertilio stridet. Pica picatur: Cuculus cuculat. Bubo bubulat: Noctua cucubat. Ulula ululat: Buteo bubit. Regulus zinzilutat, Parus tinninat. Reliqua, ne nimis prolixus sim, non attingo. Ego eas in hoc Opere, in *Terrestres* & *Aquaticas distinxi*. Illas iterum in *Carnivoras*, sub quibus sunt Aquilæ, vultures, Accipitres, Falcones, Psittaci, Corvi, Cornices, Noctuæ, Vespertilio &c. *Insectivoras* non canoras & canoras: *Granivoras*, sub quibus pulveratrices, sylvestres & domesticæ, pulveratricesq; & lotrices simul, &c. & Baccivoras. *Aquaticæ* in *Palmipedes & Fissipedes* quæ etiam sua sortiuntur genera, dispescuntur, prout in syllabo libror. & Capitum præfixo apparet. Et tantum de Avium natura in genere præmittere placuit. Quod reliquum est, scire te *Benevole Lector* velim, exhiberi hic Tibi quasi in tabella, quicquid de Avibus veteres & recentiores habent. Addidi enim omnia illa quæ à Gesnero & Aldrovando omissa sunt. Ideò & totum quintum librum Marcgravii de Avibus Brasiliensibus Appendicis loco adjeci, paucis quibusdam omissis, quę alibi abundè explicata sunt. De Usu si quæ desiderabuntur, in Additamentis, Deo benè volente, prostabunt, in quibus una quæque Exoticar. suæ Classi restituetur. Quapropter, si aliqua nunc bis occurrerit, veniam dabis. Similes aliquando appareant species, quæ tamen vel icone, vel quibusdam in descriptione positis differunt. Quia verò duplici Aristotelis Historiæ Animalium editione usus sum, vulgari nempè & Sca-

Arist. H. A. l. 1. c. 2. edit. Scalig.

Aelian. H. A. l. 17. c. 10

Herbert. in Itinerar. p. 347.

Aelian. H. A. l. 17. c. 14.

Plin. H. N. l. 10. c. 53.

Scaligeranâ; ideò illam absque addito, hanc cum nomine Commentatoris citare soleo. Indicem tibi dabo, postquam totum de Animalibus opus paratum fuerit, illumque totius operis ad species, partes, & affectiones reducti, prout Plinius Historiæ suę libro undecimo, capite trigesimo-septimo & aliis pluribus in locis fecit, Compendium, sed Alphabetico ordine dispositum: si tituli marginales omissi sunt, ne mirere. Primus hic in hac Historia labor, & jam ferè per triennium apud Typographum delituit: nec tùm mihi istos addere animus, prout & in historia de Piscibus vidisti. Fruere interim his, *Benevole Lector*, cum Deo; & authori juventutis literarię studiosissimo, prosperam valetudinem & ad plures curas vitam apprecare, ut Tuo bono, opus Historiæ Naturalis, de Homine inprimis, quod parat, aliaque huc spectantia, feliciter absolvere possit. Vale. Lesnæ ex Musæo. 10. Febr. A. C. M. D C. L.

* *

HISTO-

HISTORIÆ NATVRALIS DE AVIBUS

LIBER PRIMVS.

De Avibus Terrestribus Carnivoris.

TITVLVS I.

De Aquilis.

CAPUT PRIMUM.

De Aquila in genere.

Nomen.

QUILA Græcis seu ἀφὸ τὸ ἀίσσω, concitus feror, seu ἀφὸ τὸ ἀεὶ ἐπὸς εἶναι, quod semper auguriũ ejus veridicum esse soleat, ἀετὸς; Cypriorum dialecto ἀγερ & Γ'βιν@, Macedonum ἀφὸς, Α'εγίοπ@, Α'εγίπυψ, Pergæorum Α'ίβετ@ vocatur.

Descriptio.

Totam avis *molem* si spectes. *Corpus* ipsi densum, figura erecta. *Ossa* solida & nihil ferè medullæ habentia. *Magnitudo* determinari non potest. Viginti cubitales *a* in Ptolomæi pompa delati fuere. Inter Misenam & Dresdam tres in nido, pulli, totidem patulas quercus ingenti spacio complexo, inventi; quorum maximis alę per trãsversum extensæ septem ulnas, ungues viri grandis digitos æquabant, crura leoninis majora erant. *Partes*, si in rationem veniant, anterior *Capitis* pars paulatim arctatur & in *rostrum* desinit; quod durum, aduncum, ad senectutem crescit, sed tractu temporis fit inutile. *Oculi* sunt, parvi, charopi, concavi, profundi, nec nimium oblongi, nec exactè rotundi. *Dentes* nulli. *Cerebrum* adeò calidum, ut in pulverem redactum, maniam, exhibitum, inducat. *Alæ* rectæ & extensæ; in summitate recurvæ, nervosæ, paucæq; carnis, magnitudinis tantæ ut eas *b* Homerus, januis thalami compararit. *Pennæ* in iis sunt duræ & aliarum, Anserum in primis & Columbarum permixtæ pennis easdem absumũt. Dum pulli excluduntur, inediâ albescunt. *Pes* dexter sinistro major, colore uterque difformis. *Vngues* adunci & recurvi, quos in incessu, intrò semper vertit; nisi solem aut prædã intueatur, ppetuò inspicit, & hebetatos, rostro, aut ad Lapides atterendo, acuit, quiq; cum pullos nutriunt, invertuntur. *Alvus* propter cibi humiditatẽ mollior. *Fel c* ærugineũ, impensè acre & mordax. *Sanguis* crassus & fibrosus. *Stercus* tantæ acrimoniæ, vt nulli *d* in Medicina vsui esse possit.

a *Athen. Dipnos. l.5.*

b *Homerus Iliade ult.*

c *Galen. de Compos. Medic. s. l. l.4.*

d *Galen. l. 10. de simp. facult.*

Locus.

Quantum ad *Sedes* & *loca* nec in insulis, parvis inprimis, (cum Rhodi in culmine domus Tiberij consedisset, *e* portenti loco fuit) nec in locis propè Mæotidem *f* paludem, nec in extrema Scythia, & Sarmatia, ob aëris fortè inclementiam reperiuntur. In Caucaso, Tauro, regno Peruano, Germania,

c *Suet. in Tiberio.*

f *Strab. Geogr. l.7.*

mania, Polonia, Britannia, Dania, &c. in quibus prædæ copia, eas invenias; & quidem locis *g* ὑψηλοῖς præsertim ἐν πέτραις ἀποκρήμνοις, καὶ ὄπῃ δένδρων (de Pygargo & Morphno id sumendum non est) seu πρὸς ἀσφάλειαν καὶ μὴ ἐνεδρεύεσθαι, id est ut tutiores ab insidiis sint; seu διὰ τὸ βεβαιοῦσθαι αἴρεσθαι ἀπὸ τῆς γῆς, quia difficulter à terra attolluntur.

g Arist. H. A. l. 9. c. 32.

Nutrimentum. *Nutrimentum* ipsis Carnes sunt, Columbarũ, Anserum, Cygnorum, Gallinarum, Ovium, Cervor. hinnulorũ; ob sui à morbo tutelam, leporum, testudinum terrestrium, piscium, etiam & cancrorum: serpentum inprimis, seu propter odium, seu propter eam quam ex humido & frigido cibo capiunt, voluptatem. Sed nec à sui generis avibus iratæ & famelicæ abstinent. Cadavera tamen non tangunt, Percnopterum si excipias. A meridie venari quędam incipiunt, ab orto sole quædam. In prædam conspectam, & injuriæ patentem (lepus in planis, testudo post coitum supina invaditur) velocissimè & tormenti instar (hinc ὀξυλαβεῖς) se demittunt, posteriore pedis digito feriunt, & occisam in nidos deferunt. Falluntur tamen interdum, quod in Falcone Scalig. Exerc. 237. Scaliger observavit: sed & à Polypo apricante in profundum detractas, Aelianus *h* annotavit. *Potus* iisdem nullus, fortè quòd ad eũ sanguis animalium sufficiat. Visæ tamen aquam bibisse, medicinæ gratiâ; & ultimo in senio, rostro præ siccitate incurvato, vitam aliquandiu bibendo sustinere coguntur.

h Aelian. H. A. l. 7. c. 11.

Sexus. De *Sexu* Aquilarum dubitari non debet. Datur genus, quod propter tres testiculos, *Triorchis* appellatur.

Generatio. *Coeunt* verò frequenter; & fœmina ter decies in die compressa, si mas revocet, denuò accurrit. Unde Ægyptiis & Venus dicitur, & soli dicatur. Cõmiscentur aliquando cum accipitre, sed ovis incubare non dignantur: sed & marem cum lupa aliquando coire, scriptores Africani referunt. Ovis majoribus XXX. minoribus XX. diebus incubant, & ad exclusionis promotionem lapidem aëtitem, qui æstum ovorum ab incubatione contractum, utpote frigidissimus, temperat; & peculiari qua pollet vi partum accelerat in nido deponunt. Duos plærumq; *excludunt* pullos, quandoq; tres. Exclusos solem adversos intueri cogunt, & invitos eidem obvertunt. Si fortè oculos vi splendoris inflexerint, aut nictatione obnubant, tanquam adulterinos abdicant; si immotis eum aspexerint, genuinos agnoscunt. Volatum affectãtes, in *k* altum sublatos, dimittunt, sibi relictos, aut fortè dilapsos suscipiunt, grandiusculos, longissimè tanquam rapinæ æmulos, à nido fugant, *l* ἐκ τόπου τοῦ πολὺ αὐτοὺς πάντας ἀπελαύνουσιν.

k Sinesius in Dione.

l Arist. H. A. l. 9. c. 32.

Volatus. Quantum ad *volatum*, à meridie ad vesperam moventur; manè, quiescũt, donec hominum conventu fora impleantur. Tam sublimes rectâ viâ feruntur, & deorsum tanta mole corporis labuntur, velificatas alas modico caudæ gubernaculo advertentes, ut cæteras omnes aves superent, & vel ideò à Poetis Altivolantes ὑψιπέτεα *m* dicantur. Tempore incubatus, & nutricationis pernicitas illa imminuitur, sed motus tonicus perpetuo peculiaris manet.

m Homerus Iliade o. Oppian. Cyneg. l. 1. Lucret. l. 5.

Vox. *Vocem* ipsis clangere seu κλάζειν quidam, ut *n* Homerus, & Author Philomelæ, tribuunt, qui reboatus quidam est propter strepitum gravem, avicular. motum obtundens: nonnulli penè mutas aut vix vocales, quod de tertio genere Aristoteles affirmat, tradunt. Pullos mutos esse constat, quod illis lingua humore quopiam tenellis impediatur. Sed de hoc inferius dicetur.

n Homer. Ilia. μ.

Sensus externi. De *sensibus externis* non est quòd multa dicam, tam exacti est visus, *o* ut sola contra rotantis jubaris lucem immotam teneat aciem; sola sublime ita volans, ut à nobis tanta luce difficile cernatur, latentem sub fruticele pusculum, sub fluctibus nantem pisciculum, videre comperta sit.

o Plut. de Homer. August. l. 2. de morib. Manich.

Ingenium. *Animam* ipsi olere certissimum est, propter quam contracta ab ea corpora facillimè putrescunt. De *ingenio* ac docilitate pauca occurrunt. Callitrichum herbam in nidum suum contra noxia animalia ingerere affirmant.

Sub-

Subvenisse *q* Aristomeni in Ceadam demisso; gratiam *q* virgini Sestensi & puero pro educatione, rustico *r* pro lato contra serpentem auxilio, retulisse, infantem recens natum *s* ab exitio servasse, apud Authores invenies. Indi pullos educatos ad leporum vulpium venatum, descripto ab Aeliano *t* modo, instituebant. Tales & Cublai Tartarorum Imperator habuit. Sed & Pythagoras *u* aquilam ita mãsuefecisse, ut certis vocibus sisteret & devocaret, Superodantem, dicitur.

p *Pausan. l.4.V.G.*
q *Plin.H. N.l.10.c.5.*
r *Aelian. H.A.l.17. c.37.*
s *Aelian. H.A.l. 12. c.21.*
t *Aelian. H.A.l. 4. c.26.*
u *Plut.in Numa.*

Inimicitias gerunt *x* cum Cygnis, (pugnæ apud Statium *y* descriptionem vide) Trochilo, Gruib. quæ ideo montem Taurum transmissuræ, lapillis vocem cohibent, & noctu transvolant. Ardeolis, Ciconia, Hierofalcone, vulturibus, Dracone & Serpentibus.

Antipatia.
x *Arist.H. A.l.9.c.1.*
y *Statius Thebaid. l.3.*

Vita.

Vita quamvis falaci diuturna est. In senectute visus hebetudine, & rostri aduncitate tentatur; cum vero se illa gravari sentit in sublime fertur, inde, oculorũ caligine solis calore dispersa, fervida, in aquas frigidissimas *z* se dat præcipitem, quibus tertio immersa, nidum petit, & inter pullos capturæ aptos quasi febre correpta, cum sudore quodam plumas exuit. Oppetit ergò mortem non tam senio vel ægritudine, quàm fame, in tantum superiore accrescente rostro, ut aduncitas aperiri non queat.

z *Rhodig. Antiq.l.7. c.41.*

CAPUT II.

De Aquila in Specie.

ARTICULUS I.

De Chrysaëto.

Nomen.

CHrysaëtos Aquilæ genus à fulvo Colore ita dictum est. Aristoteles χρυσαετον, Albertus Herodium, Aelianus *a* Aquilam stellarem, Pindarus *b* Jovis alitem, Hesiodus Aegiopen &c. vocat.

a *Aelian. H.A.l.2. c.39.*
b *Pindarus Lythio. Ode 4.*

De *externa* ejus *constitutione* veteres hoc duntaxat, produnt, quòd maxima sit omnium inter cæteras aquilas eademque ruffa seu fulva aut subrutila (qui color interdum cum ętate mutatur) & *oculis* Charopos. Quæ Aldrovando à Ferdinando Medicæo missa erat, pendebat libras duodecim, coloris, in minutioribus totius corporis *plumis*, ex fusco castanei albis sparsim intercurrẽtibus maculis, paucis dorso, pluribus ventre, radicibus albis; in alis & cauda fusci, eò magis quò majores pennæ, in cruribus ad pedes usq; ferruginei: *Longitudo* ei ab extremo rostro ad ultimam caudam, quinque dodrantum, à rostro ad extremos ungues: quatuor Spithamarum, & ultra. *Latitudo* expansis alis Spithamar. octo. *Rostro* quod palmam superabat aduncitas infra inferiorem mandibulam ad pollicem unum propendebat, latitudo plusquam duorum digitorum, medii præsertim, erat. Color, in acie nigrior, alibi. Corneus ad cæruleum dilutum tendens, fusco maculatus. *Oculos* habebat Charopos, quos palpebræ in uno quoque binæ, supernè, & infernè integebant, inter nictandum tunica quadam crassa, ab infra sursum exporrecta, musculo conspicuo, cujus initium haud procul ab eruptione nervi optici à cerebro erat, quamque palpebræ superioris loco à naturâ datam, & ad angulũ internum inprimis collocatam, quod cutis capitis ob duritiem in palpebras abire nequeat, creditur instructa, ab angulo majori ad minorem, obducebãtur. Humor aqueus in iis copiosus, Crystallinus, Sessilis, utroq; latere compressus, & solidus. *Lingua* erat humanæ similis, lata, extremo teres, versus radicem duobus utrinq; ceu hamatis utriq; appendicibus corneis armata. Sinistri pedis posticus *unguis* sex digitos in circumferentia longus erat, dextri quatuor, singulos digitos, quatuor semicirculares tabellæ, extremos propè ungues, integebant; maximo interiori excepto, quem tres duntaxat vestiebant. De ingluvie, Oesophago, ventriculo, consulat Aldrovandum qui volet *c* Musculos collum moventes anticos & posticos habebat duodecim, seu sex paria, laterales tres. In thoracis utroque latere tres; Abdominis quatuor paria; Alas moventes decem, Scapulæ quatuor;

c *Aldrov. Ornithol. l.2.c.2.*

Ulnam moventes, sex; eam partem qui carpo in homine respondet totidem, crura quinq;, Tibiam octo; Tibiam & digitos, plurimos.

Nutrimentum. *Cibus* ipsi carnes leporum, gruum, Anserum, Hinnulorum, Cervorum, quos ex declivi præcipites agit; & Taurorum, quos magno & ausu & astu aggreditur: aliquando fame premente fructus, & fruges, ut hac in parte deceptus videatur *d* Aristoteles, qui fruges etiamsi in os ingeras respuere asserit, comedit.

d *Arist. H. A. l. 8. c. 8.*

Generatio. Ova ad summum tria ponit, si juvenis est & vegeta, vt plurimum duo, quorum alterum sæpissime putre deprehendi testimonio aucupum, per octennium nidum explorantium, Albertus affirmat, quæ de ovorum vel ab alterius generis Aquila Chrysaëto, vel à Chrysaëto alteri Aquilæ suppositione scribũtur, dubia nimis sunt. Si duo excludit, alterum pullorum ejicit, seu nutricatus difficultate, seu quia minus generosus apparet. Prædam nisi fame coacta sola minimè absumit. Impertitur avibus regiâ magnificentiâ portio, quæ ea spe sectantur, adulatorum aulicorum ingenia exprimentes.

ARTICULUS II.

De Haliæto & Melanæto.

Nomen & descriptio. HAliætus, Haliæetos Phavorino, Aquila marina Latinis, Nisus, sed non recentiorum, *a* Ovidio dicitur, German. **Meer Adler.**

a *Ovid. l. 8. Metamorphos.*

Qui à Bellonio *b* exhibetur, *magnitudine* est Milvi. *Caro* ei cinerea ad nigrum vergens, fibrosa. *Alarum* ad pedes duos Romanos, & digitos undecim extenditur longitudo. *Caput* album & fuscis lineis distinctum, *rostrum* aquilinum, *Oculi* in medio nigri, in ambitu aurei. *Lingua* ferè humana, appendice ad radicem utrinq; instricta. *Colore* per summa Asturis, per ima albo, Guttur maculis ruffis notatum. *Pectus* purè candidum. *Venter* gutturi colore respondens. *Crura* crassa & squammosa. *Cauda* ad cõmoditatem volatus lata, *Pedes* fissi, hamati, cærulei. *Digiti* quatuor per superna ad dimidiam longitudinem squammosi, ad reliquam incisi, per inferna asperi & aculeati, tam validi, ut flexos vix ulla vi distendas.

b *Bellonius de Avib. l. 2. c. 8.*

Species *Aquilar.* marinar. plures esse videntur, ex quibus, tum illa est Bellonii quam testas in cruribus & ungues omnino rotundos habere scribit: tum illa Alberti M. & Anglorum, quæ pede est uno anserino & natante, altero fisso & prædæ dicato; adipem in cauda gerit, quo guttatim in aqua dimisso, pisces attoniti, prædæ fiunt opportuni. *Differentiæ.*

Habitat circa *c* mare, littora & oras. *Locus.*

c *Ari. H. A. l. 9. c. 32.*

Cibus ei interdum *d* columbæi interdum aves marinæ; quas universas nunquam invadit, singulas cum emergentes observavit aggreditur, & immersas vel strangulat in humore, vel per summa corripit, sed piscibus præcipuè victitat, quos in sublimi in primis *e* natantes, in altum mare se præcipitans aquis pectore discussis rapit, & interdum põdere victa demergitur. Quod de adipe superius dictũ, quia & testimonio fide dignorum nititur, & pari, in ardea pede in aquam demisso, pisces alliciente, exemplo comprobatur, fidem videtur mereri; & virib. narcoticis, quales, seu in torpedine, seu in opio, seu in spiritu vini sentimus, adscribendum est. Vixit quidam & quidem quietus ad septimum sine cibo. De ipsius *Ortu* mira *f* Plinius, quæ quia mendo non carent, diligentius expendi debent. *Nutrimentum.*

d *Aelian. H. A. l. 3. c. 45.*

e *Oppian. l. 2. Ixent. c. Aldr.*

f *Plin. H. N. l. 10. c. 3.*

Fel ipsius ad oculorum suffusiones & nubeculas cum melle mixtum prodesse scribit Plinius *g*. *Vsus.*

g *Plin. H. N. l. 29. c. 6.*

MELANÆTOS, Aquila Valeria Hermolao, λάγωφον & Aristoteli, λαγωθήρας Hesychio & Phavorino, aliis Hyperionis avis dicitur. *Nomen.*

Minor est reliquis nigra, *rostro* adunco extremitate nigro cæteris corpore subcæruleo. Initium ejus supra narium foramina, membrana quædam transversim obvestit. *Vertex* ac cervix obscuro ferrugineo tinguntur, *Oculi* pupilla est nigra, iris charopa, & ex luteo ruffescens. *Dorsum* ternis exiguis notulis albicantibus aspergitur. *Descriptio.*

Alæ

Alæ ad ultimam ferè caudam exporriguntur. *Crura* tota propemodum plumis operiuntur; quod nudatum est, id luteum, vix ad digiti unius spacium ad pedes patet. *Degit* in sylvis & montibus. *Victitat* leporibus *h* quos, sensim in terram delapsa, in plana digressos opprimit. Pugnat tamen & cum cervis animosè. Multum pulverem volatu collectum, insidens cornibus excutit in oculos, pennis ora verberans, donec præcipitet in rupem; sed & cum Dracone, Ova hic consectatur Aquilæ aviditate malefica: at illa ob hoc rapit, ubicũq; visum. Ille multiplici nexu alas ligat, ita se implicans, ut simul decidant. Sola Aquilarum *i* fœtus suos alit, est liberalis, sola sine clangore & murmuratione.

Locus. *Cibus.* h *Arist. H. A. l. 9. c. 32.* *Pugna.* i *Plin. H. N. l. 10. c. 3.*

ARTICULUS III.

De Pygargo & Morphno.

Nomen. PYgargus, Gazæ Albicilla, Hinnularia aliis Melanęto & Morphno major est, at minor Percnoptero.

Descriptio. Qui ab Aldrovando exhibetur, majusculi Galli erat magnitudine, *vertice* ac collo dilutè castaneo ex cinereo. *Oculi*, pupillâ nigerrima, iride luteâ, *Rostro* adunco, & paulo quam cæteris Aquilis, proportione habitâ, longiore. *Dorsum* alarumq; pars superior, ferrugineis obscurè plumulis ac subnigris integunturuti venter ac femora. *Cauda* ab Uropygio ad finem usq; tota albicat: duæ tamen pennæ minores, majoribus incumbentes extremo nigræ sunt. *Tibiæ* totæ ferè nudæ, impensè luteæ, tabellis super intectæ. *Vngues* acerrimi.

Locus. *Colit* oppida & campos, plana & lucos; sylvas & montes nonnunquam. Romæ rarò visam ex Symmachi epistolis colligitur. Adoritur cervos, ut Melanætus, cum hinnulis; à dextro latere insilit, in oculos involat, & tamdiu alis percutit, donec præcipites agat. Aëtitem in nidum infert, à quo & is nomen obtinuit. Sed in alendo fœtu reliquis est difficilior.

Differẽtiæ. Duplex illius *genus* Bellonius recenset. *Vnum*, corpore colore inter album & cinereum ambiguo, extremis *alarum* nigris, supinâ parte totâ cãdicans, quod Ardeam volatu refert; *caput* versus terram deprimens & perdicibus cuniculis, gallinaceis, & aliis minutis volucribus, victitat, & ut plurimum Oriente & Occidente sole conspicitur. *Alterum* Milvo regali adeò simile, ut nisi hic & minor esset, & ventre intensius albescente, (pennas circa Uropygium cum superioribus candidissimas obtinet) unus ab altero non dignosceretur. *Vngues* habet atros, crassos, & in fornicem curvatos. Insectatur alaudas per campos, & cũ subbuteone de prẹda tam acriter certat, ut uterq; alis & pedibus consertis in terram delapsus, sæpissimè aucupibus in prædam cedat.

MORPHNOS, πλάγγος, κλάγγος, Νεκροφόνος, & περκνὸς Græcis; Nævia, clanga, Planga aut † Plancus, Anataria seu Avicida Latinis, dicitur. *Nomen.* † *Plin. H. N. l. 10. c. 3.*

Veteres eam *a* magnitudine Melanætum superare, & nigro ac sub obscuro colore, qui tamen nevis quibusdam interstinguatur esse scribunt. Homerus alas ejus tantum patere, quantum valvę ostii cujusdam viri divitis, cecinit. Ex recentiorib. Aldrovandus nullam se vidisse cui omnia veterum competerent, fatetur. Turnerus apud Gesnerum, nomen hoc Balbusardo Anglorum, qui est Buteone major, nævo in capite albo colore fusco proximo; quiq; ad ripas degit, in terra inter arundineta super aquas nidificat, volatu non admodum valet, pisces & cuniculos dilaniat, adscribit. Bellonius avem falconẽ secuplo majorem, pedibus cæruleis, digitis oblõgis, Unguibus patulis, Gallis Gerfault dictam, & terrestri venatui adhibitam, pro Morphno, sed dubius, obtrudit. Saltus convalles & lacus *incolit*. Aquaticis avibus ut fulicis & anatibus plærumque, sæpè & piscibus *victitat*. Spectanda dimicatio est, inquit Plinius, *b* ave ad perfugia littorum tendente, maximè si condensa harundo sit: Aquila inde ictu abigente alæ, & cum appetit, in lacus cadẽte, umbraniq; suam nanti sub aqua, à littore ostendente; rursus ave in diversa, & ubi minimè se credat expectari, è mergente.

Descriptio. a *Aristot. H. A. l. 9. c. 32.* *Locus.* *Pugna.* b *Plin. H. N. l. 10. c. 3.*

gente. *Nascitur* ex Ossifragis si Aristoteli credimus.

Generatio. *Morphno CONGENER* Aldrovandus appellat aquilam sibi missam, cujus magnitudo galli gallinacei erat. Color totius ferrugineus, rostrū deorsum recta propemodum tendens, membranula lutea capiti conjūctum. Extremæ alæ versus ventrem maculis ovalibus insignitæ, remiges extremo apice albicantes. Crura hirsuta, & albis notis è bætico aspersa digiti supernè squammis, infernè tabellis seu annulis intectæ.

ARTICULUS IV.

De Percnoptero, & Ossifraga.

Nomen. PErcnopteros, qui & Cypaëtos, vel Hypaëtos, Ægypias, & Oripelargus dicitur.

Descriptio. Breviter à veteribus, diversim à Neotericis describitur. Aristoteli est capite albicante, corpore, quàm cæteræ dictæ majore, sed brevioribus alis, longiore cauda, vulturis referens. Aldrovandus binos ejusdem icones exhibet. Prior Chrysaeto non multo minor, habet *Corpus* coloris castanei ad nigrum vergentis, *rostrum* mediotenus rectum, extremo in uncum insignem curvatum, principio juxta frontem album, cætera nigrum. *Caput* subalbidum ad fuscum vergens. *Oculos* iride subalbida, pupilla nigrâ. *Collum* dimidia ferè parte eaq; superiore propemodum calvum, & paucissimis iisq; exilibus plumulis consitum, candicans, ad cujus finem, medio prope collo instar pilorum quorundam hirsutorum ac crisporū, plumulæ veluti setæ oblongæ supra cęteras, plumas extabant. In tergo veluti cucullus quidam, ad medium usque protensus in acutum finem, velut triangulum quendam desinebat. Alter ignavus, colore pennarum totius ferè *corporis* erat fusco ad castaneum obscurum vergēte, quem in ultimo collo nonnihil albicantium ordo continuus, angulum acutum in dorsum exeuntem constituens qui veluti cuculli humeris inducti basis erat, distinguebat. *Capite* ad occiput usq; calvo, ita ut pennæ post verbum surrectæ, cuculli speciem exhiberet. Bellonius avem Gallis busard dictam, buteone majorem, coloris nigri, alis brevibus ignavam Cypaetum vult esse. Gesnerus aliam ciconiæ formâ & coloribus similem. Frigoris impatientem, corporis intensè calidi, carnivoram, sed pisces respuentem, quæ quatuor horas uno loco sedebat, & solem aliquādo splendentem intuebatur, si non Gypaetum, ex altero saltem parente natum, credit.

Locus. *Incolit* lucos & plana, ut plurimum, montes, quandoque, in Syria & Aegypto maximè invenitur.

Nutrimentum. *Cibus* soli inter aquilas, *a* cadavera. Gravis enim, & ad rapinam iners, à corvo cæterisq; id genus alitibus verberatus, fugatur, capitur. Muribus quoq; circa Gazaram Ægypti urbem victitat. Pullos statim parere, Aelianus auditione se recepisse scribit. Avicenna fel ejus destillatum cum oleo violaceo ad aurium dolorem & tinnitum; fimum ad abortum commendat.

a *Arist. H. A. l. 9. c. 32.*

Nomen. OSSIFRAGA & Ossifragus, Græcis φήνης Aristoteli φήνη. Harpa quoq;, Sanqualis, & Immussulus dicitur.

Descriptio. Aristoteles *b* de ea. Ossifragę magnitudo major est quā Aquilę (Chrysaeto nempe excepto) Color ex cinere albicans. Parum oculis valet. Nubecula enim eos habet oblæsos. Quæ ab Aldrovando exhibetur, quatuor dodrantes & medium erat longa, novem, alis extensis Spithamas, lata, libras undecim pendens. *Plumæ* totius corporis, sub-albo, fusco, & ferrugineo colore variabāt. Cutem proximè vestientes, molliculæ & candidissimę erant, remiges ex toto ad castaneum tendebant. *Caput* & *collum* angustis & oblongis pennis rigebat. *Rostrum* ei duos digitos latum, palmum longum, subnigrum, è Corneo fuscum, ab initio membrana quadam ultra navium foramina protensa, marginibus suis literam s. exprimente tectum, ita adunum, ut uncus solus pollicē latum adæquaret. *Lingua* humanæ simillima, lato apice, hamatis utrinq; duris & corneis appēdicibus, membranula tenui

b *Arist. H. A. l. 8. c. 3.*

tenui ad inferiorem mandibulam connexa. *Mandibula* inferior canalis instar excavata; palatū medio rimam quandam exhibebat per quam pituita à capite destillabat. De *mento* plumulæ tenues villorum instar, ad barbæ speciem quod ossifragæ *c* Plinius tribuit propendent. *Crura* fuscis plumulis aliquantulum fulvescentibus ferè tota obtegebantur. *Vngues* nigerrimi, præ atrore splendebant, & semicirculum ad amussim repræsentabāt. Substantia ipsorum intus alba & ossea, foris fusco cortice intecta erat. Duodecim *caudæ* pennæ albo & nigro maculabantur, intus albę, extus fuscę. Et hæc *externarum* partium ratio est. *Interna* si attendantur, Uvea, quæ homini in pupilla perforatur, tenuissimam quandam membranulam pupillæ prætensam habebat unde, ut Philosophus notavit, minus visu pollet. Pars, quæ iridis ambitu clauditur, ne prorsus visio præpediretur, subtilissima, ἄχρωος, & pellucida erat, *Abdomen* pinguedine copiosâ redundabat. *Lien* illi rotundæ figuræ, *ventriculi* corpus membranosum, fundo superiori orificio latius, ingluvie carens, quod de sua ossifraga Plinius, cujus vicem Oesophagus, simul atq; jugulum transiit, paulatim ad ventriculum usq; dilatatus, gerere videbatur. *Vesicæ* fellis nullum cum *epate* consortium hoc sub vēriculo multo immersum erat adipi. *Vterus* crasso corpore, pyri formâ, semine plenus. *Vropygium* medii pugni crassitudine, & adiposum cōspiciebatur &c. Ad hujus genus Bellonii illa, quæ corpulentia colore & specie milvi est, duab. maculis nigris ad alarum latera notata, capite accipitris stellaris, cruribus & pedibus vulturinis, &c. non pertinet: sed illa quæ in comitatu Tyrolensi, colore accipitrum in dorso, in ventre albicante; orgyiæ, distētis alis latitudine, rupicapras ex alto ad montes præcipitat, & frusta ossium etiam majuscula deglutit; referri huc potest: ut & illa, quam Gesnerus, plumis albis, capite nudo & flavo, Saxis injecta ossa confringentem, amici verbis describit.

c Plin. H. N. l. 10. c. 3.

Cibus ipsi Rupicapræ, Hinnuli, canes Venatici, Anguillæ, cujus frusta in dissecto ventriculo inventa, tam acuti fœtoris erant, ut spectatores in animi ferè deliquium conjicerentur.

Nutrimentum.

Probè *fœtificat*, ut pullos suos & Aquilæ, quos ista nido volandi facultatem adeptos, & edaciusculos, † ejicit, nutrit, & abreptos λιγέως deflet. Vultures minores ex iis progenerari, & ex iis magnos qui omninò non generent, scribit *d* Plinius.

Generatio.

† Arist. H. A. l. 9. c. 34.

d Plin. H. N. l. 10. c. 3.

Pugnat cum vipera; & sauciata, *e* herba soncho simili, sibi medetur.

Antipathia.

Voces alias alio in tempore jacit.

c Lucret. l. 5.

Vox.

Vsum si spectes, fel ejus cum melle potum *f* icucen curat: stercus aridum tritum concoctionem promovet. Vēter potus calculos pellit. Intestini extremum ad alligatum, colicam sistit. Os ad coxam suspensum, varices sanat.

Vsus.

f Plin. H. N. l. 30. c. 7

ARTICULUS V.

De Anopæa, Aquila alba, Aquila heteropode & Scythica Ave.

ANopæa fit in Homero Odyssi 1. mentio, quę quibusdam est ἀφανής invisibilis, seu ἀνωφερής id est sursum evecta. Alij πανόπαια scribunt, & hirundinem intelligunt.

AQUILA ALBA seu Cygnea, magnitudine est Chrysaëti, candoris nivei, in rupibus circa Rhenum invenitur. Leporum, cuniculorum, porcellorum & piscium venatu vivit, & volatu tarda est.

HETEROPOS Gesneri, sinistrum crus cęruleum, dextrum fuscum albicans habet, de cętero, pectus, collum, & venter fusca sunt, punctis nigricantib. maculosa. *Capitis* & cervicis pennæ rigent. *Oculi* subrubent, dorsi initium circa alarum summitates in gibbua attollitur.

DE SCYTHICA ave ita *a* Aristoteles. In Scythia genus avium Otides. Hæc duos pullos parit. Ovis non incubat, sed in pelle leporis aut vulpis impositos pullos relinquit. Observat in summa arbore an adsit qui pullos surri-

a Arist. H. A. l. 9. c. 33.

furripiat. Quod si quis ascendat, pugnat & verberat alis, ut Aquilæ. Plinius ab eodem desumsit. Olaus M. oculatus testis, utriusq; historiam confirmat, quâ Albert. M. falsi insimulat.

NB. *Ad Aquilas pertinent Itzquantitli & Tlacoquantili Indorum, vide infra Mantissam N°.1.*

TITVLVS II.

De Vulturibus.

Je Vrchenio Nazianzeni ingentes magnitudinis videns Magni Jhn. 11. = p. 127. 128.

CAPUT PRIMUM.

De Vulturibus in genere.

Nomen. VUlturis nomine intelligitur, quæ Græcis γὺψ γύπας, Ὀῖων, Αἰγύπιος; Latinis etiam Vulturius, à tardo forsan volatu, & per periphrasin, Avis Titii, torva, avida, magna, Palatina, caucasea, dicitur. Lycophrō *a* eas olores rapaces, Hermogenes τάφους ἐμψύχους. Seu sepulchra animata vocat.

a *Lycophrō in Cassandra.*

Descriptio. Toto corpore Aquilam ferè imitatur, illamq; sesquialtera proportione, si Bellonio credendum, excedit; nec tamen, quod in rapacium genere solemne, marem fœmina magnitudine superat. *Rostrum* ipsi obuncum, oculi truculenti; quatuor, apud Philē, narium spiracula, unde πτέρνος, quod fabulosum est. *Collum* implume, seu potius capitis plumę ita breves, si cum Aquilis conferantur, ut implumes videantur. *Guttur* longitudine & capacitate, quod propendens ante vētrem ingluvies ostendit, insigne, sub quo spacium palmi latitudine, non tam plumis quam pilis, ruffis, vitulinis simillimis, instar lenissimi cujusdam velleris, omni scapo calami destitutis, vestitur. *Alarum* incumbens corpori pars, leni tota vellere, quod soli inter rapaces peculiare integitur. *Crura* tota ad pedes plumosa, contra gelu & frigus munimentum. *Vngues* adunci.

Locus. *Sedes* in altissimorum montium jugis, ponere, *b* Aristoteles, *c* Plinius, & *d* Homerus sunt authores. Poetæ Caucaseas vocant. A recentioribus in Creta, Zacyntho, Apennino, monte Galliæ Aureo, visi sunt. Æstate in aprica, frigoris vitandi causâ demigrant, & in Arabiæ desertis & Ægypti inter Cairum & mare rubrum planis, numerosos Bellonius vidit, quod iter illud Camelorum cadaverib. plenum, pastum ipsis suppeditet. *e* Agricola in sylvis degere asserit. Juvenali *f* nidulantur etiam in arboribus. In Creta & alibi in præcipitiis montium mari imminentibus. Propterea Herodotus Brissonis Rhetoris pater ait, † esse vultures in terra altera nobis ignota, eo argumento, tum quòd nemo vulturis nidum conspexerit; tum quòd magno numero repente apparent sequentes exercitus.

b *Arist. H. A. l. 6. c. 5.*
c *Plin. H. N. l. 10. cap. 7.*
d *Homerus Iliade 2.*
e *Agricola l. de subterran.*
f *Iuvenal. Saty. 14.*
† *Arist. H. A. l. 6. c. 5.*

Victitant morticinis & quidem solis, illi, qui cum Aquilis, Ossifragis, & Accipitribus nullam cognationem habent, sui generis volucres mortuas, si Herodoto Pontico credimus, ne attingentes quidem. Vivis etiam tum volucribus (ruunt enim in anseres) tum quadrupedib. illi, qui Spurii sunt. In *g* Creta & Helvetia agnos, hœdos, lepores, cervorum hinnulos. In Chile *h* Americæ provincia pecudes, infestant.

Nutrimentum.
g *Bellon. l. 2. de Avibus c. 23.*
h *Monard. l. de Aromat.*

Datur quoddam genus quod Torgos & Hæmatorrhophum dicitur.

Venantur à meridie usq; ad noctem, ab ortu solis ad illud tempus quiescunt.

De eorum *Sexu, Coitu, Partu, & Incubatu* non conveniunt Authores. Fœminas duntaxat inter eos reperiri, *i* Aelianus, *k* Orus, *l* Philes, Tzetzes *m* & alii authores sunt. His adversæ Austro volant, vel si Auster non spiret, ad Eurum ventum oris hiatu se pandunt. Spiritus venti influens, intra quinque dies, quibus nec cibum nec potum capiunt, ipsos implet. Tertio à conceptu anno, non ova sed pullos parere, Geoponicorum scriptor, Philes, & Simocattus produnt, intra centum & viginti dies ova deponere, Orus & Tzetzes. Aristoteles *n* & *o* Plinius nidificare scribunt. Niphus nidum in Italia vidit. Ille bina complurimum ova ponere reliquit: hic ex Umbricio Aruspice tria. De tempore partus nihil determinant, hoc interim à Divo Hieronymo proditur, vulturem cùm cœperit ova edere, quippiam ex Indico tractu adferre, nucis instar, intus habens,

Generatio.
i *Aelian. H. A. l. 2. c. 46*
k *l. 1. Hierogl.*
l *Phile de propriet. Animal.*
m *Tzetzes Chil. 12. c 439.*
n *Arist. H. A. l. 6. c. 5.*
o *Plin. H. N. l. 10. c. 6.*

habens, quod moveatur, sonumque subinde reddat. His veritas subscribere videtur; attamen cum Aquilæ, ossifragæ & vultures, ut ex Aristotele, & Plinio palam est, promiscuo coitu inter se utantur: facilè ex diversarum specierum avibus, tertia sterilis, ut ex equa & Asino Mula, generari potest, quæ ob similitudinem cum vulturibus, quam Aquilis majorem, inter illos potius collocetur. *Educationem*, si videas, apud *p* Orum centum & viginti diebus pullis nutriendis insumit, alimento deficiente femoribus suis rostro vellicatis sanguinem ciet, ipsisque sustendum præbet. Apud Albertum verò unguibus eos vulnerat, & de superfluo sibi cibo pascit.

Educatio.
p *Orus l.1. Hieroglyp.*

Extendit *ætatem* ad *q* centesimum annum.

Ætas.
q *Ambros. l.1. Hexaemer. l.5. c.20. Isidor. Origin. l.12. C.7.*

Quantum ad *facultates & actiones animales*, Oriente sole in occasum, occidente in ortum prospicit, ut apud Orum extat. Non ultra maria tãtum, sed per quingenta *r* etiam millia passuum cadavera odoratur: seu quòd instrumenti sit exquisiti & sicci; seu quòd copiosa ab integris quandoque exercitibus exhalatio sit, seu quòd eadem conglobata, ventis eodem deferatur.

Visus.
r *Thom. Aquin. de Anima l.2. Comment. 97.*

Moventur tardè propter corporis molem, & volant turmatim.

Volatus.

Ingenium exinde colligas, quòd Regiones frigus evitaturi mutent. Aegypto non minus, quàm Ciconiæ advenæ, quòd ad idem cadaver, à quo satiati sæpius recesserunt, identidem redeant, & expeditos ad bellum exercitus præsentione quadam consequantur: ac ut aliqui addunt, biduò triduove, imò septenis diebus antè ea loca circumvolent, in quibus cadavera futura sunt, quòd domi cadavera *s* à venenoso serpente percussa fugiãt, & hepatis morbo laborantes magnarum avium jecinora vorent. Suave olentia adeò aversantur, ut ne armenta quidem mortua, unguento *t* adorato illita, attingant; imò unguentorum odore perimantur, perit, & *u* mali Punici grano vultur: sed semine Siseris *x* Cretici vehementer oblectatur.

Ingenium.
s *Nicander in Theriac. Antipathia.*
t *Aristot. in Mirabil. Plin. H. N. l.12. c. 53.*
u *Ael H.A. l.6. c.46*
x *Plin. H. N. l.20. c.5.*

Inter eius *morbos* sunt, Hepatis obstructio, & pediculi, insectum venenosum, pediculo par, vel ei qui in inguine nascitur, perisimile.

Morbi.

Usum in medicina partes ejus, magnum obtinent. Medicamentum ex integro ab Aëtio *y* paratur, ad abscessus, cõdylomata, strumas. Cerebrum capiti vel naribus cum oleo cedrino illitum, dolorem ejusdem sedat. Cor pulli adalligatum adversum comitialem morbum prædicatur. Serenus jecur ad jecoris dolores commendat. Fel. Opstalmicis benè ex Sammonico admiscetur. Penna pedibus subjecta parturientes adjuvat; sed nisi tempestivè auferatur in uteri procidentiam conjicit. Si dentes ea scalpentur, acidum anhelitum reddit. Nidore pennarum, si urantur, serpentes fugantur. Pellis ventriculo apposita *z* concoctionem egregiè juvat. Nervi † ex cruribus & summis pedibus collecti, & ad talos ægri alligati, podagram curant. Externa si attendas, ex ossibus vulturis tibias * Scythæ Anthropophagi, Malenchleni, & Arimaspi conficiebant. Ex cruribus cãdelabra quidam, quod ipsa, innatâ vi venenum explorare & attrahere crederent.

Usus.
y *Aet. l.13. c.124. Galen. Euporist. l.9. c.91.*
z *Lemn. de occult. Naturæ. c.26.*
† *Trallian. l.11.*
* *Pollux Onom. l.4. c.10.*

CAPUT II.

De vulturum Differentiis.

VUlturum duo duntaxat *genera* Aristoteles † agnoscit; at Neoterici plura esse observant.

† *Arist. l.8. c.3.*

Primum est Albicantius, & parvum, quod in montibus * Rheni, Danubii, Helvetiorum circa Clavonam, apparet, & in Scythia, & subjectis Septentrioni regionibus frequens est.

* *Albert. l.7. de Animalib. c.8.*

Alterum σπιδοειδέστερον seu magis cinereũ, cujus pilos seu plumulas albas capillaceas & capillamentorum instar subtiles, adeò candidas esse Bellonius scribit, ut pellẽ subdititiam & elaboratam, mustelæ alpinæ albæ, seu etiam vulpis albæ esse, quispiam existimare posset.

Tertium Bęticum, quod Aquilâ paulò minùs habet pennas colli, dorsi, vẽtris, totiusq; adeò corporis, castaneo

colore tinctas, dorsi & laterum exiguas, & squammarũ instar latiusculas, quæ dorsum, ventriculũ, ventrem, & uropigii radicẽ vestiũt, ruffas plumas verticis breviculas ac curtas, si Aquillis comparetur. Colli angustas ac longiusculas, quales gallis gallinaceis, & sturnis propendent. Crura brevia, plumis undiquaq; ad superiorum usq; digitorum partem contecta.

Quartum Nigrum, quod est cauda brevi, alarum & caudæ pennis ejusdem cum Bœtico coloris. Albertus minus hoc, sed viribus præstantius scribit.

Quintum Leporarium, rostro obunco, nigro, fœdis oculis, corpore firmo & magno, alis latis, cauda longa & directâ, colore in rutilo nigricante, quod ex vulture & Aquila cõpositum videtur, & illud quod Homero Albertus *melanocon* vocari scribit. Huic enim peculiare leporibus insidiari: & solus inter cæteros velox & ad docendum aptus est.

Sextum Aureum Gesneri, quod ita describit. Longus est à rostro ad extremam caudam sex dodrãtes & paulò ampliùs, ad extremos ungues quinque dodrantes aut paulò minus, longitudo superioris rostri quãtum illud aperitur, septem ferè digiti trãsversi. *Caudæ* longitudo circiter tres dodrantes. Tota *pars supina*, id est collum inferius, pectus, & venter & pedes quoque rufto colore sunt, dilutiore quidem caudam versus, rubentiore versus caput. Digiti pedum fusco vel corneo colore sunt. Alarum penna longissima quatuor dodrantes æquat. Subnigricant seu fusco sunt omnes alarum pennæ uno ferè colore: parvulæ tamen supremæ in alis nigriores sunt, vt per medium alię subruffis maculis, aliæ subalbidæ circa imum distinguuntur, eo nigriores autem sunt, quo propiores dorso, ubi præ nigredine splendent. Pennæ per medium dorsum nigræ sunt, splendentq; in earum medio cauliculi albi, præsertim quæ circa medium dorsum sunt, & dimidia colli parte, reliqua enim colli pars, pennas ex albido ruffas habet. Caudæ pennis idem color est qui alarum, nempe fuscus. Hisce addit Albertus quoddam collo crasso, alisque ad dorsum valdè retortis & magno pectore, quod frequenter in ripis maris degit, & quod venatur, eò defert.

TITULUS III.

De Accipitribus.

CAPUT I.

De Accipitribus in genere.

ACcipiter vultures excipiat, avis cujus tanta apud veteres veneratio, ut & *a* præsagiendi post exactam hanc vitam vi pollere, crediderint: & legem qua capitis damnatur, qui eum etiam imprudens occidisset, tulerint: tanta apud Ægyptios, ut ipsum *b* Soli acceptum putarent, picto *c* Osirim proponerent. Tentyritæ *d* & Philarum *e* incolæ sanctissimè colerent, interfectum sepulchri honore afficerent, & in urbem *f* Butim asportarẽt; seu quòd ipsius substantiam ex sanguine & spiritu constare *g* dicerent; seu quòd regionem à venenatis animalibus *h* eos repurgare cernerent; seu quòd Accipiter priscis temporib. librum puniceis literis scriptũ, in quo cultus Deorum forma continebatur, Thebas ad sacerdotes, detulisse *i* crederetur.

Dicitur Græcis communiter ἱέραξ. Macedonibus ἀετός, apud Lybias βάρβας, Hesychio, κεραυνὸν, Tyrrhenis ἀέρκης; aliis μέρμης. Latinis Accipiter, seu à rapacitate, seu quòd ter sit acceptus. Unde & sacer ales vocatur.

Avem ipsam si spectes, corporis ipsi *moles* incerta. Nonnunquam vix Aquilis cedit, in Aegypto *k* minores quàm in Græcia, in regionibus Aquiloni obversis & rupibus, quia sanguine & spiritu abundant, majores. Major mare fœmina, quòd in illo humidum ab immodico absumatur calore; in hac, sanguis cum moderato calore copiosior, multum argumento materiæ suppeditet. *Color* ipsis ut plurimum ex albido fulvo & nigro diversus, maculisq; distinctus, alibi, albi & leucophæi reperiuntur, & qui in frutice spinoso aut acere habitãt, ad ruffum aut nigrum declinant: qui in fago, ad gilvum

a *Porphyr. lib. 4. de abstinent.*
b *Porphyr. ibid.*
c *Plutarch. de Iside & Osiride.*
d *Aelian. l. 10. de Animal. c. 24.*
e *Strabo l. 17. Geogr.*
f *Herodot. in Euterp.*
g *Porphyr. l. c.*
h *Diodor. Sicul. l. 2. c. 4.*
i *Euseb. l. 2. de præpar. Evangel.*
i *Diod. l. c.*
Nomen.
Descriptio.
k *Arist. l. 9. Histor. A. C. 28.*

vum seu pallidum. *Caro* est asperior, quàm *l* cuculi copiosioribus plumis integitur, quàm graviores aves, quòd superflua materia ad pennas amandetur, eorumque generationi serviat. *Rostrum* habet aduncum extremo plerumq; corneum. *Oculos* splendidos, unde Soli sacri, & perpetuò mobiles, quorum color cum ætate mutatur. *Cerebrum* copiosum, linguam latam, principio obtusam, nec bifidam, nec acutam. *Pectus* acutissimum, modicâ carne munitum. *Alæ* rapacium acutiores. Anhelitum fœtidum, *cor* magnum, cuspide obtusa. *Lienem* adeò exiguum, ut sensum propè modum effugiat. Fel nonnunquam ærugineum, jecori & intestino adjunctum.

l Athen. II. A. l. & c. 9.

Locus. Si *loca* spectes, frequentissimi sunt, in Anglia, Suecia, Prussia, Livonia, Russia, quod istæ avibus tardioris volatus, & multæ carnis abundent: minus frequentes in Syria, Persia, Africa, Græcia, & Cretâ. *Nidulantur* in præruptis & altis rupibus, in Alpibus inprimis, sed vel inter vepreta, vel *n* in arborib., acere inprimis, fago, quercu, abiete, pinu. Qui Massiliæ *o* agros incolunt, humi fœtificant, nec alibi nascuntur.

n Homer. Odyss. ε.

o Plin. H. N. l. 10. c. 8

Nutrimentum. Potu omni, Tinnunculo excepto, abstinent, si Aristoteli *p* & Suidæ *q* credimus: bibere *r* Plutarchus, etiam postquam hominis defuncti corpus tetigerit, si affluentis copiæ aqua invitetur, *s* Gyllius, prodidere; quamdiu viventium sanguis sedandæ siti sufficit, non bibere: si exanguibus vesci cogatur, potare, credibile. *Cibus* ipsis aves, gallinacei inprimis & colũbacei generis, Turdi, Fringillæ, Coturnices, Corvi, Picæ, Cornices; nobilioribus cancri & caro leporina vehementer sapiunt: viliorib. etiam mures, ranæ, & talpæ; mansuetis quoque fruges & panis. Nec à cordibus, quod cum *t* Aristotele, *u* Plinius & Aelianus non credidere, teste Alberto *x* & Aldrovando abstinẽt, quin cerebro è cranio divulso & absumpto, reliquum corpus involant. Nulli ad reliquias prædæ suæ revertuntur, *z* dum sylvestres sunt; nec vnquam cadaveri insidere visi: sed omnes interdum tam avidi, vt stercora præ fame deglutiant. *Venatur* autem Accipiter, non tantum Turtures; Gallinas albas maximè *a* propter candoris insigne, Anates, Cornices, Sturnos, Picas &c. sed & proprium genus, quod præterquam Aquilæ & Olori, ut quibusdam placet, nulli aliarum avium cum eo commune est. Cuculus ab eodem absumitur, *b* si quando vna apparuerc, sola omnium avis à suo genere interempta. Leporem postquam cœpit, sinistrum pedem terræ infigit, dextro prædam retinet, & quàm primum potest oculos ejus eruit. Venaturus solus volitat; prædâ conspectâ humilis propè terram fertur, & omni conamine instat si primo nisu frustratur, persequi desinit, & sibi indignatur.

p l. 8. Histor. c. 38.

q in voce ἐπ.

r Plut. de Iside & Osiride.

s Cyllius in Aelian.

t Aristot. 9. Histor. c. 11.

u Plin. H. N. l. 10. c. 8

x l. 23. de Animalib.

z Albert. l. c.

a Columel. l. 1. l. 9. de re rust.

b Aristol. H. A. l. 6. c. 7.

Plin. H. N. l. 10. c. 9.

Generatio. Fœcunditate negatâ, quòd humorem *c* ad crura, vngues, pennas, & genitalia loca simul nequeat transmittere natura; *salacitatem* ipsi adscripsit antiquitas. Certè, & cum Aquilis *d* coëunt, & Asteria cum Accipitre cõgreditur. Quoddam genus, cum in venerem ruit, minimarum etiã avium morsibus patet: aliud, *e* more hominum amatoria levitate flagrantium, fœminas semper sectatur; absentes clangore prosequitur. Aegyptii fœminam una die requisitam, quantumlibet secesserit, à marito vocatam, obsequi tradunt, & inde fœminas mori geras titulo Accipitris honestãr. Tria ut plurimum quatuor aut quinque *f* quandoq; *ova* pariunt, & vicenis diebus incubant.

c Arist. 3. de gener. Animal. c. 1.

d Arist. 2. de gener. Animal. c. 5.

e Aelian. l. 2. de Anim. c. 43.

f Albert. l. 10. c. 8.

Aetas. *Aetas* hujus avis in multos se protendit annos. Aegyptij *a* ad septingentos pervenire, sed falsò asserue- runt. Multis etiam infestatur *morbis*, *b* nempe difficultate respirandi, & tum sonum elidit; aliquãdo oscitatur, & vomit: tineolis, & tum ipsi venter & collum glabescunt: cholera, in qua liquorem viridem evomit. Spongiã, quã affectus, præter consuetudinem bibit, multum sessitat, nec ex manu, nec ex perticã discedit. Febri, tum pustulas siligini similes in ore habet. Tineis, tum caudam, frequenter moritat. Suppressione alvi, tum crebro anulum perticæ admovet, & ex-

a Aelian. l. 10. de Animal. c. 14.

b ἱερακοσόφιον Demetrii ed. Rigaltii.

Morbi.

crementa nigra reddit. Intemperie frigida, & tum excrementa crocea aut cruenta reddit, alas autem remissas & laxas, capitis plumas horrentes habet. Pituitâ sicca, & tum liquorem per nares non emittit. Gravedine, & tum ipsi liquor per nares, spumâ per oculos elabitur. Tremore, & tum pinnas ut struthiocamelus habet, & volare nequit. Plura apud citatum Authorem vide. *Vox* Accipitribus alia alio tempore, & generi. Apud Græcos verbo Ῥύξειν per onomapopœiam confecto, apud Latino Pipandi exprimitur. Gallinæ si eam audierint, dum interim incubant, ova vitiantur. *Visus* tam acer, *d* ut nullo negotio adversos Solis radios intueatur. Hinc dicitur Aristophani παντόφθαλμος omnioculus. Cum Apolline, qui est sol, magnam convenientiam habere credebatur; & ejusdem *e* imagine solem denotari Aegyptiis solitum.

Vox.

Visus.

d *Aelian. H.A. l.10. c.14.*

e *Plut. lib. de Iside & Osiride. Homer. Iliad. v.*

VOLATV sunt velocissimi, & adeò celeres, ut velideo *f* ἱπποποδόπες, ξυφίαι, & ἱέρακες ὠκὺ δ' ῥᾶον ἴεσθαι à facili motu dicantur; soli qui velocissimus sacri sit; & summam cũ igne *g* cognationem habere credantur. Ita sanè se aliquando efferunt, ut humanum visum effugiant; nihilominus prædam inde visam, jaculo citius demissi, assequũtur. Peculiare illis & cum sola Noctua cõmune, in aëre sese resupinare, caudam deorsum, & alas expandere, his vicè soli uti.

Volatus.

f *Aristoph. in Avib.*

g *Aelian. l. 10. c. 24.*

INGENIVM ex parte attigimus, solitariam semper, præterquam tempore coitus volare; justę magnitudinis cum vulpibus etiam, Aquilis, & vulturibus certare; in Thraciæ *i* parte supra Amphipolim cum hominibus societate quadam aucupatum fuisse; in toto avium genere docillimam esse; avem sibi sorte sub noctem oblatam, totam noctem sub pedibus tenere, exoriente sole manumittere, obviam non persequi, tandem, succo Hieracii herbæ oculos tingere, sic claritatem pristinam recuperare, addi potest. De cætero, mortuum *k* lugere, & in oculos ejus terram ingerere, noctuæ à reliquis avib. infestatæ auxiliari. Turturem deprehensam *m* dimittere; unde Aegyptii, ne quando imprudentes avem ab Accipitre dimissam gustent, toto eorum genere in cibo abstinent, à *n* Tinnunculo *o* crocodilo, & vite nigra sibi metuere; cum salvia, mentha, abiete & salice sympathiam habere; Authores quidam prodiderunt.

Ingeniũ.

i *Aelian. H. A. l.2. c.42. Plin. l.10. c.8.*

k *Aelian. l. 10. c.17.*

m *Porphyr. l.4. de abstinent.*

n *Plin. l. 10. c.37.*

o *Plut. in Iside & Osiride.*

Vsum si spectes, pulli suaves sunt valdè, adultorum caro dulcis & levis. Totus assus & in cibum sumptus, morbum sacrum; in rosaceo elixus, oculorum vitia, pulvis in quo se volutavit, lino rutilo ægri collo alligatus, quartanam, adeps oculis inunctus caliginem, oculi à collo suspensi tertianam; depellere, sed frustrà creduntur. Stercus in vino dulci tritum, *p* conceptum juvare; fumum verò *q* ex eo, spolio serpentis, opoponace, myrrha, galbano, castoreo, sulfure citrino, & felle vaccino excitatum, & per fistulam in uterum exceptum, fœtum educere, credibile est.

Vsus.

p *Hippocr. de morbis mulier.*

q *Vellanivan. in Brevia.*

CAPUT II.

De Accipitricibus in Specie.

ARTICULUS I.

De Asteria, Accipitre Palumbario, & Fringillario.

ASTERIAS, qui & Astur aliis, corpore est grandi & oblongiore, unde Palumbario *a* comparatur, punctis & notis quibusdam stellas referẽtibus respergitur, hinc ipsi nomen. *Capitis* pars anterior extensa paulatim est in rostrum. *Oculi* varii & pellucidi: *collum* longius Aquilino. Femora longiora quàm falconum, crura horum respectu brevia, & crassa. Pedes magni. Cauda ob longitudinem dependet. Est ex eorum genere, qui, quòd emissi præterito pugno revocentur, Pugillares mansuefactariis dicuntur. *Differentias* sortiuntur Astures varias. *A natura.* Alii aut rupes mari adjacentes incolunt, aut flumina & aquas dulces sectantur, qui humilem propè terram volatum exercent, & clandestino astu prædam adoriuntur. Alii dissitis à mari locis delectur, & ex excelsis ar-

a *Arist. l.9. Histor. c.36*

ſis arboribus prædam deſpiciunt, & infeſtant. A *Sexu*, in quo fœmina colore ad Aquilam accedit, niſi quod maculis denſioribus & rufis aſpergatur. *A magnitudine*, quæ Aſtures ita commendat, ut in Syria aves quę prædæ ac aucupio ſerviunt, ad pondus emantur. *A loco*, ſunt namque *Armeni*, qui oculos habent virides, & ſi cum dorſo nigricantes, optimi cenſentur; crura candida, pedes magnos. *Perſis*, corpus grāde, plumis benè veſtitum, oculi concavi, ſupercilia pendentia. *Græcis* caput grande, & raræ in collo plumæ. *Africanis* dorſum nigrum, oculi, in juventute nigri, ætatis progreſſu ruffeſcunt. *Sardis* pennæ nigræ, crura brevia, femora longa, pedes pallidi. *Illyricis*, ſive Sclavis, ſtatura mediocris, pennæ rubræ, majori ex parte prunarum candentium ad inſtar; pedes magni, femora ab interna parte plana, volæ manus inſtar æqualia. *Alpinis* corpus magnum, oblongum, pedes ferè candidi, ſufficiēs ad leporum venationem robur. *Germanis* oculi iris & ſuprema capiti contigua roſtri pars, crura, tibię & pedes, crocea. Pennæ caudæ nigris & canis iisque latis & obliquis maculis aſperguntur; colli ſuperioris & capitis ruffeſcunt, & pūctulis, nigris interſtinguuntur. Carcani Aſtocellus, eſt fortè Tardici & Bellonii Semi Aſtur.

ACCIPITER PALUMBARIUS, qui Græcis eſt φασσοφόνος, φαβοτύπος, & φαβοκλόνος, ſeu columbicida, quis ſit, certò dici non poteſt. Ariſtoteles *b* meram nomenclaturam ſuppeditat, & ſimpliciter Accipitrem nominat. Epheſius à Niſpho citatus, Falconem gentilem vulgò dictum ex eo facit. Alberto cum Aſture idem eſſe videtur, Turnero cum Fringillario idem. Ariſtoteli eſt Chalcidis avis magnitudine, & Carnivorus: Porphyrio omnium celerrimè volat.

b *l.8. Hiſt. c.3.*

l.3. de abſtin. ab animal.

ACCIPITER FRINGILLARIVS Græcis veteribus Σπιζίας recentioribus ξυπέρ, corrupto fortè ab Oxyptero vocabulo; Latinis Niſus, quod ei Alberti ni fallor primum ęvo impoſitum eſt, ſed non Ovidij, cui Niſus idē cum Haliæto, aliquibus Sparverius, ab Italorum Sparviero dicitur. *Mas* qui Muſcetus vocatur, & fœmina minor eſt, quiq; ab Aldrovandro exhibetur, *roſtrum* habet breve, vnco acutiſſimo præditum coloris cornei ſubcærulei. *Oculi* pupillam ochræ colore pallido, lutea iris excipit, quod reliquum eſt intentu flavet. *Caput*, collum, pectus, venter, crura albicant, & variis maculis diſtinguuntur. *Dorſum* & alas maculæ multæ albæ reſpergunt. *Cauda* nigris & fuſcis maculis transverſim ornata, reliqui ferè corporis longitudinē æquat. *Pedes* & tibiæ crocei ſunt coloris. *Fœminæ*, vertex, collum, dorſum, alæ coloris ſunt obſcurè fuſci. In *Syncipite*, & alarum medio, qua dorſo incumbunt, alba macula conſpicitur. *Pars* totius corporis *prona*, eſt candida, & transverſis lineis luteis interſecatur. *Degit* tempore hyberno in ſylvis cæduis, earumq; gracilibus. Non ante occidentem ſolem ad ſedem ſuam revertitur. Plærumque adverſo vento *volat*. In legibus Salicis de eo legitur, quod qui furatus fuerit, centum & viginti denarios perſolvere deprehenſus teneatur. *Dividuntur* ab *Aetate*, in *Nidarios*, *Ramularios* qui necdum plumarum depoſuerunt exuvium & mutatos. *A loco natali* in *Illyricos*, qui vt plurimum lumbos, ac dorſum nigra obtinent, & vitam brevem agunt. *Orientales* quibus cauda duodenis pennis inſtruitur, *Africanos* quibus oculi nigri, pectus nigris & transverſis maculis varium, alæ longæ. *Tridentinos*, qui ſunt proceri, volaces, ſæpe captas, alaudas in terram deorſum dejiciunt; mox ſurſum arripiunt. *Vincentinos*, qui aut in montibus Vincentinis naſcuntur & omnes ſtatura ſunt exigua; aut in Mucroſticanis Spinaroli dicti, capite magno, reliquis minores, & ad aucupia inepti: & *Ignotos*, qui corpore mediocres, maculis ferrugineis ad rubrum inclinantibus, reſperguntur. *A colore* Albos namque in Septentrionalibus oris reperiri, Olaus Magnus author eſt.

ARTICULUS II.

De Circo Aesalone & Tinnunculo.

Nomen. CIRCUS Hesiodo ἴρηξ κίρκος, Homero & Aristoteli κίρκος simpliciter, Festo Circanea vel Circenda, fortè, quod, cum insidiatur, circuitum in aëre faciat; dicitur.

Descriptio. Si descriptionem Bellonii sequimur, haud multò milvo minor est: *Capitis* vertex & guttur inferius ex rufo albicant, plumulæ quæ auditus foramina tegunt nigræ sunt. *Rostrum* capiti continuum plumbeum est, extremum atrum, *collum* breve. *Crura* gracilia, lutea, falsò altero claudicare, Plinius prodidit.

Locus. Galliæ est inquilina, & ibidem in Arveniæ planis *nidulatur*.

Nutrimentum. Cuniculos, vulpes, *a* columbos, *b* Turtures, *c* Mures *d infestat*. Bibit cum in maritimis versatur. Amaraginem, lactucam sylvestrem, vel crocum nido imponere creditur.

Vox ipsi acuta, *e* & clangere dicitur, idq; tum facit, *f* cum prædæ propinquus, de ea apprehenda est sollicitus. *Volat* in gyrum, & quidem velocissimè, hinc *g* Homero ἐλαφρότατος, τάχυς, ἀγχέλος, Oppiano Equis Iberis velocissimis celerior.

Vox. *Volatus.* ÆSALO, qui Turnero Smerillus, Isidoro Merillus, Crescentiesi Ismerlus, Alberto Mirle, inter rapaces minimus est, & tum corporis specie, tum pennarum colore, Falcones refert.

Perdices & columbas *venatur*; Alaudas tam avidè ut ad *h* clibanum usq; ardentem, puteum, vel hominum vestes offendat, si peritia, & usus accedat, quatuor merilli, cygnum etiam dejiciunt. Solus omni tempore *i* apparet, quod tamen Buteoni Aristoteles *k* adscribit.

Inimicitias cum *l* vulpe & corvo gerit; illius catulos interficit; hujus ova confringit. Corvi vulpibus auxiliantur.

Inimicitia. TINNUNCULUS Gazæ aliquãdo Tristunculus, ut Italis Tristarellus, ut Italis Tristarellus, & Canibellus & Gavinellus. Græcis κίγχελος, κεγχείνας, κεγχρνίς, & κεγχρνίς, quod multis milij instar punctis insignis sit, dicitur. *Nomen.*

Descriptio. *Mas*, prout ab *m* Aldrovando describitur, habebat, *caput* in summo vertice nonnihil cõpressum, coloris cum universa cervice ad dorsi initium fermè cinerei. *Rostrum* statim deorsum molli declivitate tendens, unco insigni ac longiusculo, cujus pars capiti contigua fulvescit, media colore est cinereo, ad latera appendix erat, hemicycli formâ. *Alas* & dorsum ferrugineis pennis notis atris distinctis; gulam, pectus, ventrem flavis maculis nigris perspersis vestitum. Alas oblongas, & quinq; digitorum spacio ultra Uropygium extensas. *Caudam* maximâ sui parte cineream, reliqui corporis longitudinem æquantem. *Fœminæ*, quæ major erat, *rostrum* brevius cum rostro magis recurvo, cinereum. *Dorsi* & alarum pars superior ferruginea ad ruffum accedens. Pennæ extremæ dorsi cinerei coloris, & notis trãsversim fuscis obliquis utrinque in angulum medio scapo coëuntibus maculatæ. Habet Aldrovandus & Tinnunculum fœminam alteram, cujus descriptionem apud eundem vide.

Locus. Nidulatur in altis ædificiis, muris, turribus & cavis quercubus, monedularum more, non super fronde, sed in latibulis.

Generatio. Fœminas Mas semper sectatur, *n* de absentibus dolet. Illæ supra quaterna *o ova* edunt, minii modo rubẽtia. *Pullos* tam diu alit, donec proprio volatu vivere possint.

Victitat papilionibus, Locustis, vespis, muribus. Inventus aliquando in nido ejus & serpens: sed & ipse in picarum nido cum pullis inventus est. Bibat annon dubium. Aristoteles *p* rarò & solum inter uncungues tradit. Aelianus *q* & Suidas nullo potu indigere scribunt.

Cum columbis singularem colit amicitiam, cum Accipitribus aliis, etsi sui generis capitalem hostilitatem exercet. Ideo, *r* Plinius. Avis, quæ Tinnunculus vocatur, cum columbis habenda est. Defendit enim illas teret q;

Plin.li.10. H.N.c.8. a Arist.l.9. Histor.c.5. b Aelian.l. 3.c.45.de Animal. c Aelian.l. 6.c.45.de Animal. d Homer. in Batrachomyomachia. e Homer. Iliad.χ. f Eustat.in citati Homeri locũ. g Odyss.v. h Crescẽt. l.10.c.13. i Plin.l.10. c.8. k l.8.Hist. c.3. l Arist.l.9. Plin.l.10. c.74. m l.5.Ornithol.c.6. n Aelian. l.2.de Animal.c.43. o Arist.l.3. de gener. c.1. p l.3.degener.c.1. q l.2.de Animal.cap. 43. r l.10.Histor. Nat. c.37.

retq; Accipitres naturali potentia in tantum, ut visum ejus vocemque fugiant. Hac de causa præcipuus columbis amor eorum, feruntque si in quatuor angulis defodiantur in ollis novis oblitis, non mutare sedem columbas. Fumus ejus albugines oculorum *s* extenuat.

s Plin.l.29. Hist.Nat. cap.ult.

ARTICULUS III.

De Buteone, Subbuteone, aliis Accipitrum apud Aristotelem generibus, & sacro Aegyptio.

Nomen. a Plin.l.10. c.28.

BUTEONES, qui & à numero *a* testium Triorchis, Marcello, Millo dicitur, quæ ternam descriptionem Aldrovandus exhibet.

Descriptio.

Prima sub nomine Buteonis ex mõtibus Vineolanis allati ponitur. *Corpus* erecti duarum Spithamarum erat. *Caput* habebat compressum, figurâ trigonâ. *Rostrum* nigrum membranâ circa nares luteâ vestitum. Iridem circa pupillam in *oculis* nigerrimam. *Collum* breve & plumosum. *Dorsum* ad caudam coloris ferruginei. *Altera* ex Gesnerus sub Bushardi ut Sabaudis dicitur, maris cognomento, eaq; duplex. Magnitudine *prior* magnã Gallinam referebat. Caput pennis fuscis integebatur: Collum brevissimum erat. Pennæ in tergo fuscæ, extremæ nonnihil ruffi coloris præ se ferebant; in ventre & pectore albicantes nigrisq; plæræque maculis per medium insignes visebantur. *Testes* deerant. *Alteri*, circulus in oculis flavissimus iridem nigram ambiebat, colore nonnihil à superiore variabat. Venter, latera & crura superius plumis albis vestiebantur, quas latiusculi circuli obscurè ruffi per transversum distinguebant. *Testes* bini albi & pusilli ad spinam dorsi inter utrumq; renem consederant, in quorum medio particula teste minor & flava, testiculo proportione respondens, visebatur. *Tertia* est Bellonii sub nomine Guyrani seu Boudree. Huic rostrum est curtum, acie nigrum & hamatum, narium regio & rictus flavescunt. Venter plumis candidis, quarum apicem macula nigra, juxta scapi medij ductum insignis, vestitur. Rectrices alarum plumæ, crenas instar serræ exhibent nigras, ubi albere incipiunt. Caudæ color varietate Attaginis similis. Crura antica & postica annulis imbricata. *Quarta* est illius in quo dissecto tres testes inventi, & qui hactenus descriptis in omnibus ferè conformis erat.

Victus ipsi ex herbis *b* selarea, asperula seu alyso & Matrisylva; ex animalibus, *k* mures, ranæ, rubetæ, lacertæ, limaces, serpentes, scolopendræ, erucæ. Erepta illi aliquando ab *d* ardea & anguilla; inventa in dissecti ventriculo & talpa. *Volatus* est tardi, tam deses etiam, ut telo petitus vix ad tertium ictum cedere dicatur, ideò nullo negocio capitur.

Nutrimentum. b Bellon.l. 2. de Avib. c.10. k c.Arist.9. Hist.c.1. d Simonid. apud Athen.

Vsus ipsius tum in *cibo*, tum in *Medicina*. Sanè & in Balearibus insulis, *e* & apud Arvernos Galliæ populos in honore mensarum est. Carnem quippe habet, teneram, hyeme præsertim, & dulcem. Testiculi ex *f* aqua fontis cum melle decocti ad venerem commendantur.

Vsus. e Plin.l.10. c.49. f Bapt Porta l.3.c.34. Pythognõ.

SUBBUTEO seu Hypotriorchis, quod nomen Aristoteles *g* illis qui in Accipitrum genere latiores sunt adscribit, prout ab Aldrovando describitur, verticem habet ex cinereo & castaneo ad nigrum vergentem; ejusdemq; coloris macula, una à capite per tempora ad gulę latera descendit; altera ab initio rict° sub oculis utrimque per gulam in longum protẽditur. *Palpebræ* sunt subluteæ. Plumæ menti & gulæ totæ albæ, & color ille continuus, ad cervicis & verticis per tempora initium, quod minori oculorum cantho ex opposito est, perducitur. Pectoris totius plumę, nec non & ventris medio macula fusca oblongâ notatæ in oris albicant. In pedum *planta*, tubercula veluti calli ubiq; eminent. In nemoribus celsis & densis degit, & homines quos Perdicum vel Coturnicum venationi operam dare conspexit, ipsi insequi solemne est, ut aviculas Canum metu subvolantes arripiat. Sed hæc de istis sufficiunt: quid verò

Descriptio. g Arist. H. A.l.9.c.36.

h *l.9.Hist. c.36.* verò *h* Aristoteles per Pernem, Percum, Rubetarium, & Levem, intelligat, disquiritur. *Pernos* apud Hesychium & Phavorinum genus venatorij est accipitris, ultra ignoratur. *Percus*, seu Percuus idem cum Fringillario propter alarum nigritiem, esse videtur. Aristoteles per Fringillarium, Nisum fœminam; per Percnum marem vulgò Maschettum dictum, fortè intellexit. *Levis* quis sit ignoratur. Bellonius Smerillum esse existimat. *Rubetarius* vel idem est cum Levi, quia de utroq; Aristoteles. Abundè vivunt, & humivolæ sunt, vel Milvi species. Qui SACER ÆGYPTIUS Bellonio dicitur, corporis magnitudine Corvum refert, capite Milvum, colore ad Falconem sacrum accedit. In Ægypto est frequentior, quàm ulla alia Avis quæ rapto vivit. Rara in Syria conspicitur; sed & in Caramania aliquando. Serpentibus potissimum vescitur. Vnde ei olim apud incolas tãta

i *Herdot. in Euterpe.* *i* reverentia, ut illius vel per imprudentiam occisor, morte multaretur; ipsa mortua honorificè sepeliretur.

ARTICULUS IV.

De Lanariis & Collurionibus.

DE Lanariorum ignobili genere, Buteonibus rectius annumerãdo hic res est, de nobili inter Falcones

Nomen. agemus. *Nomen* ipsi seu à laniandis avibus: seu quod plumas lanarum instar molles habeat. Aliquando Lanius Molliceps Falco albus, degener, & Buteo albus dicitur.

n *Aldrovand.l.5. c.11.* Aldrovandus *n* duplicem iconem exhibet. *Prior*, accipitri palumbario magnitudine par, *vertice* erat lato, capite & collo crassis, omnibus uti & vẽtre, totâ parte pronâ, femoribus uropygio, & cauda inferna. Inter oculi canthum majorem & rostrum, maculam habebat nigram, alas oblongas; longè ultra uropygium protensas, *tibias* luteas, & pro reliqui corporis proportione valdè graciles, easdem à poplite ad ungues paulò plus palmo longas, & culmo triticeo vix crassiores. Vnguiculos uncos, sed tenues. *Alteri* lingua erat lutea & nigra. *Caput* & dorsum cum leucophæo fuscum, pectus totum leucophæum, ad anum usque maculis in longum ferrugineis distinctum. Alarum remigia ex sex ordinibus ratione coloris constare videbantur. Vropigium totum candicabat. *Pedes* habebat luteos, femora plumis ad poplites usq; vestita. Tibias erectas & instar stipitum. Vngues longos & admodum recurvos.

Victum ex muribus in agris quærit; sed & avium pullos, in nido, vel cum per terram volandi impotentes, reptant, rapit. *Albert.l. 23. de Animal. c.15.*

COLLVRIONES de minore sunt Lanariorum genere; illiq; vel *Majores*, vel *Minores*. Ex *majoribus*, qui Aeliano Merulæ venaticæ, Fœmina est *Differẽtia.* turdi mediocri magnitudine, è lõginquo contẽplanti tota cinerea. Capite ad reliqui corporis proportionem triplo majore. *Rostrum* habet parte superiore valdè inflexũ: inferiore sursum modicè curvatum. *Linguam* in extremo multifidam, & in fibras acutas, & quasi capillamenta quædam desinentem. *Oculos* totos nigros. *Caudam* picæ similem; quæ explicata, corniculatæ crescentisve lunę imaginem exhibet. In Mare gula, pectus, venter, femora, cauda prona dilutius quàm in fœmina albicant. Vertex & dorsum obscurius fuscescunt, plumulæ harum partium adeò sunt tenellæ, ut pili potius glabri ac leves esse videantur. Erat & *alter* totus albus, rostro, tibiis & unguibus exceptis. Interdiu semper ferè arbori summæ aut dumeto insidẽt: in Helvetia inter frutices spinosos, & considentes caudam erigunt.

Victus ipsis Papiliones, scarabæi, *Nutrimentum.* vermes, juli, erucæ hirsutæ, locustæ, grilli; quos, præda uberior si cõtingat, defectum penuria providi in aculeis & spinis arborum fingunt: inter aves Turdi, Fringillæ, Picæ sylvestres. Ossa comminuta devorant, & famelici, tantos carnis bolos in gulam ingerũt, quantos rictus capere potest.

Nidos ex musco, lana, fundos eorundem ex erica, componũt. Senos *pullos* *Generatio. Bellon. l. 2. de Avib. c.23.* excludunt, parentibus rostro, cruribus,

bus, pedibusq; exceptis, quia plumularum radices ad virorem nonnihil vergunt, omninò dissimiles.

Vox. *Voce*, canum à longè auditum latratum, aut Noctuæ aliam appellantis ululatum referunt, & vocem Houin, quam sæpius iterant, exprimunt. Uniformis ea hyeme & autumno; vere & æstate varias Avium modulationes imitati, eas ad se capiendas alliciunt. Capti in caveam inclusi, muti & elingues permanent. Hyberno tempore facilè capiuntur. Nam avem caveæ inclusam invadunt, decipulâ decidente, intercipiuntur.

Aelian.

Collurionum minorum quinque genera observavit Aldrovandus. Tria aliqua sui parte rubescentia: duo cinerea. Aviculæ sunt Alaudis paulò majores, duos palmos & pollicem circiter longæ. Omnes utraq; rostri quod recurvum est, modicè tamen parte, ternos pilos instar barbæ prominentis habēt. Utrorumq; pulli, antequam frequentibus integantur plumis, virescere nōnihil apparent. Tanta eis (expertus Bellonius) similitudo, ut difficillimè dignosci possint. *Cibus* ipsis sorices, mures, lacertæ, talpe. Inter edendum, uni tibiæ insistentes, cibum pede altero sursum retracto prehendunt. Humilius *volant*, & prædæ inhiantes aliquandiu sese in aëre librando suspendunt. In carduis sæpissimè *quiescunt*. Octonam aliquādo, senaam nonnunquam prolem excludunt. Rubore verticis qui insignes, in Italia inter delicatos cibos.

l. 5. c. 14. *Colluriones minores.*

Bellon. l. 2. de Avibus c. 25.

ARTICULUS V.

De Milvo & Harpa.

Nomen. Milvus, quod vocabulum & piscē, *a* & stellam *b* in Septentrionali parte significat; Græcis ἴκτινος, Cretensibus ἀρπετός, Hesychio si locus suspectus non est, ἀναπτηνιοκέρας, eidem & Phavorino σκίλλος, ἔλαιος, & καστανδ-ελον dicitur. Plinio *c* ex Accipitrum est generib.: Aristoteli inter carnivoras, sed vix rapacium nomine dignus.

a Plin. l. 9. c. 26. *Oppian. l. 1. de Piscib.* *b Ovid. l. 3. Fastor.* *c l. 10. c. 10*

Differētiæ. Tria ipsorum sunt *genera*. *Vnum*, ἴκτινος ἀίλωλος *d* Aristoteli dictum, minus nigrum & robustum. *Alterum* majus, colore propemodum rufo, infirmius. *Milvi regalis* nomine gaudet, quod à binis falconib. sacris in ipsum emissis, intra nubes etiam se condens, summa cum Principum voluntate in terram dejiciatur. Cui & Milvus palustris *x* accenseri debet. *Tertium*, albidius & rapacius, Angliæ, & Septentrionalibus regionibus, in quibus nigredo & albedo in candorem vertitur, frequens.

d l. 6. Hist. Anim. c. 6.

x Et Boualsati Sabaudorum, qui marinus est.

Descriptione operosâ opus non est. *Rictum* habet rectū, nulla marginum appendice à frēno seu lateribus extremis ad unci usq; initium. Intestino & hepati fel adjunctum habere Athenæus *e* tradit.

Descriptio.

e Athen. l. 8. c. 8.

Loca temperata Milvo sunt familiaria, nisi quòd in Lybia, circa fontes Nili perennare *f* dicatur. Ideò & insula S. Dominici, vicinoque mari multi, quibus bifurcata cauda, visi sunt: & in Anglia, nullo non anni tempore apparent, & quòd spurcitiem in plateis & ad flumen Thamesin legant, lege ab omni noxa immunes sunt. Ideò hyeme adventante vel calidiores regiones Aetolij citius, quàm Regales petunt, ibidemque hybernant; (sanè ultimo Aprilis tot circa Pontum Euxinum *g* Bellonius vidit, ut, si quindecim dierum spacio tot prætervolassent, hominum superaturos fuisse numerum crederet) vel in nidis ad breve tempus plumarum suarum vellere corpus à frigore tuentur: vel in quercubus aliisve arboribus carie excisis, corpus fovent. Ideò denique æstu accedente, calidas regiones deserūt, & in Europam, tardius tamen Aetolij, quàm Regales revertuntur; & æstu in eadem urgente, supra nubes, quò radiorum solarium reflexio pertingere non potest, ideò nec æstus ita urget, elevantur, ibique aliquantisper hærent.

Locus. *f Herodot. l. 2.*

g l. 2. c. 28.

Victitant carne, *h* animalium pullorum inprimis gallinaceorum & anserinorum tam vivorum, quàm mortuorum, & fructibus. In Ægypto *i* in palmas devolasse, & dactylos comedisse visi sunt. Fruges respuere *k* Aristoteles credidit. Bibunt *l* rarò, quia sicco cibo rarissimè utuntur; & si quando; ex solis pluvialibus aquis, si

Nutrimentum. *h Arist. H. A. l. 8. c. 3.* *i Bellon. l. 2. de Avib. c. 28.* *k l. c.* *l Arist. l. c.*

Tzetzi credimus; à quibus tamen dum pluit, abstinent. Quod ad fenestras domum in Ægypto *m* advolant, & in insula S. Dominici propè ad homines accedunt, in eorumque conspectu corpus à pulicibus expurgant, mansuetudinis est indicium: quod pueris cibum è manibus, carnes abluentibus, pisces exenterantibus, pileos deambulantibus in urbe, nidulationis inprimis tempore, eripiunt, rapacitatem arguit: quod in Elide nihil ex funerum ferculis *n* esculenti; nihil Olympiæ ex ara carnium Jovi sacrificatarum, auferre dicuntur, vel falsum est, vel timiditatis, *o* quia turba præsens, argumẽtum præbet. Cedunturprimo anno præ audacia nihil mortuum gustare; secundo præ metu nihil vivum edere; tertio fame interire.

m Bellon. l. 2 de Avib. c. 28.

n Plin. l. 10. c. 10.

o Ovid. l. 2. Metamorphos.

Generatio. *Pariunt* bina, magna ex *p* parte, interdum tamen terna, totidemque excludunt pullos, post vicenorum dierum incubatum: sed qui Aetolius vocatur (malè Plinius Aegolium vertit) quaternos.

p Arist. H. A. l. 6. c. 6.

Vox. *Vocem* si spectes, lippire vel jugere dicitur.

Visus. *Visus* ipsi satis *q* acutus. Unde Aristophanes *r* παντοφθάλμους dixit.

q Apulei. in Milesiac.

r In avib.

Volatus. *Volatu* & præstant, & in eo aliquid peculiare habent. Illud, tum quia intra nubila se recondunt, & indefesso labore maxima aëris *s* spacia emetiuntur: tum quia tanta velocitáte se præcipitant, ut sæpè rojecta in altum pulmonum bubulorum segmina, unguibus antequam in humum delaberentur, *t* arripuisse, visi sint. Hoc, tum quia ducunt per *u* aëra gyros, unde Circaneæ, κυκλενόσαι, & πολιοδέυσαι, aves dicuntur; tum, quia immotis alis diutissimè in aëre, motus tonici beneficio hærent. Scilicet, elatâ eâ ex parte paulisper ala, unde subit aura, motum aëris in reliquum etiam corpus excipiunt, & ita sustinentur. Sufficitur lata in alarum vicem cauda, quã, prout res postulat, dilatant, constringũt, deprimunt, attollunt. *Videatur*, inquit Plinius, *x artem gubernandi navium docuisse caudæ flexibus, in cœlo monstrante natura, quid opus esset in profundo.*

s Iuvenal. Satyra 4.

t Bellon. l. 2. de Avib. c. 26.

u Ovid. l. 2. de Amore.

x Plin. H. N. l. 10. c. 10.

Amicitiam colunt cum *z* Harpa & Cuculo. *Inimicitias* cum vulpe, corvo, gallinis & columbis exercent. A solstitiis afficiuntur *b* podagra, idcò tunc frequentius latent.

z Arist. l. 9. Hist. cap. 1. Aelian. 5. H. A. c. 48.

a Horatius in Epodo.

Vsus ipsorum apud pauperiores nõnullis in locis in *cibo*. In *Medicina* cinis cremati bibitur, contra Epilepsiam; testiculi ex aqua fontis, contra impotentiam; fimus, contra articulorum dolores, quod & vermes, qui ex eo XL. diebus in fimo macerato, nascuntur, faciunt, cõmendantur. De HARPA inter Aristotelem, Plinium, & Oppianum non convenit. Gesnerus vulturem aureum Harpam Oppiani, quod sub mento plumas barbæ instar habeat, esse credidit. *c* Aldrovandus Milvum palustrem opinatur.

b Plin. l. 10 c. 1 H. N.

Vsus.

c l. 5. c. 16.

ARTICVLVS VI.

De Cuculo.

CUculus, quo nomine mons in agro Bononiensi, piscis *a* marinus, *b* herba involucrum papyraceum, & alia veniunt, Græcis κόκκυξ, nomen à voce sortitus est. Accipitri apponitur, quod cum tanta similitudine referat, ut Aristotelis ætate hoc ipso creditus sit prognatus, & apud *c* Gallos Falco cuculi parens communi proverbio dicatur. Plinii is videtur error. Nam Aristoteles, *d* dum Cuculum ab Accipitre interimi scribit, quod nulla avis in suo genere solet facere, accipitrini generis eundem non esse docet.

Nomen.

a Athen. l. 7 c. 27.

b Fernel. l. 6 Methodi c. 20.

c Bellon. l. 2 de Avib. c. 29.

d H. A. l. 6. c. 6.

Duo sunt ipsorum *genera*, *Majus* nempe & *Minus*, quæ sola inter se magnitudine differunt. Nec est quod curiosè describantur. Neque aduncis sunt inquit *e* Aristoteles unguibus, ut Accipitres, neque capite accipitribus similes. Sed ea utraq; parte columbos potius quam accipitres imitantur: nec alio quàm colore repræsentant Accipitres, nisi quòd isti maculis seu lineis distinguantur, cuculi velut punctis. Cave tamen, illud quod de pedibus, extra aduncitatis defectum intelligas. Nec enim iis terni ante & retrò unus ut columbis; sed bini antici & to-

Differẽtia, & Descriptio.

e Arist. l. c.

& totidem postici, ut Picis, & nocturnis avibus, quod Antiquitati ignotũ. Sed & id, quod de punctis dicitur, strictè sumendum est. Nam quos Aldrovandus describit, pronâ parte totâ tam cinerei sunt, quàm albi, lineis seu maculis transversim ductis oblõgiusculis, fuscis, & interruptis interdum, interdum magis continuis distincti. *Crura* corporis magnitudini in ijs non congruunt. Nam & femora brevia, & tenuia sunt, & tibiæ vix pollicem latum longæ. Juvenem totum nigricantem maculis subruffis per alas respersum, Aldrovandus notavit, foramina narium in rostro multum eminebant. Oris pars interior flavi coloris erat.

Locus. *Loca*, si attendamus, ubiq; ferè gentium reperitur, novum orbem, & Æthiopiã, si Alvarezius fidem meretur, si exceperis. Aestate pro natura avis, in cujus nido parit, in arborib. petris, & fluminum ripis *degit*: hyeme in terræ, lapidum, & arborum cava se abdit, in ijsq; per totam hyemem latet. Auditam ejus latentis vocem fabulãtur, cum truncus fornaci calefaciendæ immitteretur.

Nutrimentum. *Cibus* ipsi erucæ, muscæ, fruges; sed & carnes, si verum est, grandiusculum nutricis pullos, imo ipsam devorare, quod *f* quibusdam creditum, quanquam exinde carnivoras esse *g* negetur, quod nonnunquam Accipitri in cibum cedat. Hyeme dum latitat & implumis est, vel congestis & ibidem *h* repertis vivere, vel hirundinum & ursorum modo vitam sustentare, credendus est.

Generatio. Quantum ad *Generationem*, quia naturæ *i* est frigidæ, majori ex parte *k* singula parit ova, ratò bina. Genus quoddam in petris *nidificat*; (sic Aristotelis *l* verba sumenda sunt) reliqua in palumbi, *m* alaudæ, luteolæ, sed currucæ inprimis nido ovis *n* jam fæto, ova sua deponunt: seu, quod *o* ob metum & ignaviam non fore tutam generi suo stirpem opinentur; seu quod propter frigidam *p* corporis cõstitutionem, ex ovis pullos excludere non possint.

De *ingratitudine* in nutricem, non conveniunt Authores. Alij, negant, dum, vel avis cum duntaxat in cujus nidum sua importat, ova *q* comedere, propria subjicere: vel deprehẽsa postquam adoleverint fraude, à nutrice *r* relinqui; vel ad volatum firmos, sibi conscios ad parentem *s* evolare; vel nutricem, seu viso cuculi, cujus ovum citius excluditur, pullo, tanquam eo contentam à suis incubandis *t* desistere; seu exclusos, specie cuculi elegantiore captam (arripit hic cibos avidus, & pinguescit) tanquam spurios *u* occidere, & in cibum cuculi pullo dare, scribunt. Alij affirmant dum, vel pullos nutricis ab ijs vel conculcari, vel cibo fraudari, vel ipsa *x* inspectãte absumi; & jam volandi potẽtes, ipsam nutricem *y* corripere credunt. Utut sit, hoc certum est, educare currucam subditum cuculum adulterato fœtam nido.

Volatus. *Volatus* ipsis brevis, interruptus, humilis, & ut hostem effugiant, instabilis. Ideo Milvorum scapulis, quo tempore adveniunt, suscipi putantur, ne per longa aëris spacia defatigati deficiant. Solent autem ineunte vere apparere; cujus adventantis primi post amphisbænam sunt nuncij. Caniculæ ortu *z* occultantur, post rarissimè *a* cernuntur. Hyeme deplumes in cavernis torpent.

Vox. *Vox* ipsorum propria Cucu. hanc minus explanant, *b* cum se abdituri sunt. Ad ultimum alibi Julium, ad S. Johannis, apud nos, festum, perfectam edit, si ultra, uvæ vix maturescent.

Antipathia. *Inimicas* tum omnes ferè aviculas, præcipuè cum ova pariunt, habent, seu quod illorum sint fraudis conscia: seu quod Accipitri per quam sint similes: tum cicadas ex ejus saliva *c* ortas, quę eos frequenti agmine invadunt, & postquam sub alas irrepsere, morsibus lancinant. Ideò sub ortum caniculę, quo raucis

Sympathia. *Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.* cantilenam suam abrumpit. De ejusdem cum Milvo amicitia superius dictum est, quod de paliuro in monte Coccygio à *c* Plutarcho refertur, omne animal, solo cuculo excepto,

f Arist. l. 9 H.A. c. 29.
g Arist. l. 6. H.A. c. 7. Plin. l. 10. H.N. c. 9.
h Author de Natura.
i Arist. l. 3. de Gen. c. 1.
k Idem l. 6. Histor. An. c. 7.
l Hist. Animal. l. 6. c. 1.
m Arist. l. 9 Hist. Animal. c. 29.
n Aelian. l. 3. de Animal. c. 30.
o Plin H. N. l. 10. c. 9
p Arist l. 3. de gen. c. 1. Aelian. l. 3. de Animal. c. 30.
q Arist. l. 6. Hist. c. 7. Isidor l. 12. Orig. c. 7.
r Oppian. in I l. 1.
s Aelia. l. c.
t Niphus apud Aldrov.
u Arist. l. 9. H.A. c. 29.
x Plin. l. 10. c. 9. H.N.
y Idem l. c.
z Plin l. c.
a Ael. l. 3. de Anim. c. 30
b Arist. l. 9. H.A. c. 49.
c Isidor. l. 12. orig c. 4
c Plut. de fluviis.

quod insederit, tanquam visco retinente hærere, non minus fabulosum est, ac quod de cicadis ex ipsius saliva natis dicitur.

Morbi. Inter *corporis affectus* referri potest, quod hyeme deplumescit, pennas mutat, & simul colore immutatur. Exuvio deposito, corpus ejus scabrescit.

Vsus. Usus ejus, & in *Medicina*, quia cineres *d* usti ad dolorem ventriculi valent; & in cibo, quia ejus pullo, qui jam volare potest, nulla avium suavitate carnis comparari potest, obtinuit.

d *Plin. l. 10. H. N. c. 9.*

TITVLVS IV.

De Falconibus.

CAPUT PRIMUM.

De Falconibus in genere.

Nomen. FAlconis ut avem significat, vocabulum adeò generale est, ut eo omne rapacium genus Authores inclu- serint; & Aquila, *a* cum Theodotione & Symmacho, omnes quarum in venatu volatico usus est, Falcones nominarint: Recentiores illis avibus à falcato unguium hamo nomen indidere, quæ Thuscis Campanis vernacula Capys dicebantur, & à nobis jam describentur; nec tamen tam strictè, ut non quædam Accipitrib. communia intercursura sint.

a *Albert. l. 23. de Animal.*

Differẽtiæ. Ad tres ipsos *classes Migratores* nempe, *Campestres*, & *Riparios* Bellonius redigit; ad *nobiles*, *ignobiles*, & *Hybridas* seu medij generis, quod promiscuo generosorum & ignavorum coitu generentur, *b* Albertus. Sub *illis* Falconem sacrum, Hierofalcum, Falconem montanum, peregrinum, gibbosum, album, rubeum, cynopodam arboravum, & lapidarium; sub *istis* Buteones, Lanarios, Tinnunculos, sed perperam; comprehendit. Sub his, Germanos & Tunctanos quidam enumerant, sed & hi omnes, ætate, colore, & corporis formâ variant. Hinc *Hornotinorum*, qui eodem anno nati sunt: *Nidulariorum*, qui statim à nido domi adoleverunt, nec ita ut ramularij pennas producunt. *Ramalium*, qui circa nidum ramulatim obvolitant; *Mutatorum*, qui vel deplumes sunt, vel plumam veterem cum nova jam commutarunt; nomina.

b *l. 23. de Animal.*

Quantum ad *descriptionem* exactã, *Descriptio.* In capite, dorso, superiore colli, exteriore alarum & caudæ parte cinereus sit & subniger, in aliis passim partibus varius, & virgulis quandoq; interruptus: sed primo anno secundus *color* ruffus est, remissæ rubedinis, albescit deinceps paulatim, eo magis, quò pennas mutarit sæpius. *Caput* habet crassum, nec oblongum, nec strictum, superiore parte à rotunditate deficiens. *Collum* & rostrum brevia, maculas in maxillis nigras, circa oculos albas; *oculos* croceos ad rubedinem accedentes, *pectus* cum osse pectoris acuto & duro. *Pedes* patulos, croceos, & ad albedinem declinantes. Crura brevia. Coxas longas, & pennatas &c. *Morantur* in tota septentrionali plaga, & quidem optimi. Bosnia albos profert, sed & Oriẽtis regiones haud malos. Degunt vel in altissimis montium verticibus vel sylvarum arboribus excelsis.

Vox. *Vox* ab acuto ingraviorem flectitur.

Volatus. Mira quadam *volandi* ratione, in principio, medio, & fine venationis utitur. Ad prædam pergens celeri volatu in sublime adscendit, & rursus compositis ad pectus, quibus icturus est vnguibus, tanto impetu in avem obliquato volatu descendit, ut strepitum quasi concitati venti suo descensu excitet, in descensu avem percutiens, adeò longum vulnus infligit, vt à capite ad caudam usq; discissa, aut toto capite truncata, nonnunquam in humum decidat.

Pugna. Cum Ardea ipsi periculosum certamen. Hæc enim *c* vbi infra positam se videt, rostro suo prælongo ac acuto, quod prius abscõderat, sursum elato, irruentem ita excipit, ut eo semet Falco sæpissimè medium pectus induat, & ambo interdum illisis interaneis humo affligantur.

c *Paræus l. de homin. & Animal. præf.*

Morbi. Cum multis sæpè *morbis* conflictan-

ctantur, Febri: Apoplexia, Apostematibus capitis, vertigine, oculorum suffusione, asthmate, vermibus, podagra, pediculis, &c. *Antipathiam* cum illis gerit, tum Alauda, quę in hominis manus, quam falconis ungues mavult incidere: tum Drepanis avicula lacustris, quæ auditis falconis tintinnabulis, tantoperè consternatur, ut malit lapidibus ab homine obrui, quàm volatu se in aëra attollere.

Antipathia.

CAPUT II.

De Falconibus in specie.

ARTICULUS I.

De Falcone peregrino, sacro & Gyrfalcone.

FAlconum species superius exposuimus. *PEREGRINO* qui primum ob audaciam & generositatem locum sortitur, nomen ex eo est inditum, vel quod semper de regione in aliam migret, vel quod nidus ejus nullibi gentium inventus, fuerit.

Differentiæ.

Quatuor ipsorum à colore *genera* posuit Carcanus, duo ab eodem Belisarius. *Vnum* quod pennis æreum colorem præ se fert, & in singulis pennarum capitibus ad coronæ modum albedine sigillatim distinctæ pennæ, quasi figuram ostendunt. Si excellere debet, Caput necesse est aliquantum in fornicem, vertice leniter elevato ac rotundo, curvatum, cinereo colore habeat: simul atque volandi potens evasit, in rostri parte superius plumulas quasdam, quæ veluti barbulæ speciem gerant; ostentet. Gula lineis in longum ductis nigris maculetur. Supercilia & maxillæ admixto modico rubore albicent. Dorsum livescat. Alę sint lõgæ in ultimam caudam recumbentes. Cauda longa, crassis pennis constans, in acumen paulatim desinens, femora longa, tibiæ breves, pedes colore inter flavum & plumbeum ambigente tincti, digiti graciles. Ungues magni, nigri & acuti &c. *Natales*, Sardiniæ, Ægypto, Cypro, Cretæ & Rhodo debet. Si qui in Italia vel alibi capiuntur, vi ventorum eo depulsos fuisse creditum est. In Alpibus etiam nidulari, fide veteri cujusdam Falconarii, Albertus M. refert. *Alterum*, Nigrius, quod multis à priore notis variat, femora lineis transversim distincta, crura item colore croceo sed diluto maculata, gerit. Qui ex hoc genere ab Aldrovando describitur, verticem capitis habebat planum ac compressum, Rostrum membranâ luteâ intensi coloris, nares ambiente, capiti conjunctum. Caput, cervicem, dorsum, alas fusca, per singulas ferè pennas maculis atris transversim per alarum maiores respersæ conspiciebantur. Gula ex albo nonnihil flavescebat, parte sui infima, maculis veluti guttis nigris transversis distincta. Pectus, venter, & femora alba, lineis latiusculis nigris transversis variegata. Videtur hoc genus idem cum illo esse, quod alii Nigrum absolutè, alii Carbonarium & Falconarium appellant.

Aldrov. l. 7. c. 1.

Creditur primò in montanis propè Babylonem visum, post in Salamine apparuisse. Nunc in alpibus & Pyrenæis *reperitur:* in Germania adhuc rarum est.

Locus.

Utrumque rarius in *volando* alas movet, sic à montano distinguitur: & à sublimi in pronum velocissimè descendit.

Volatus.

Adeò mites sunt, vt quandoq; irasci nequeant; ad hominumque nutus magnitudine quadam animi potius, quàm inedia venantur. Cretenses capiũt etiã Grues, Anates, Mergos, Tardas, Phasianos: Ardeas, inprimis si cibi abstinentiâ inducantur. Si Aquilam viderint nunquam imposterum aucupantur.

Ingeniũ.

SACER, qui & Britannicus, Aelyus, & Aëriphilus apud Avicennam Falco Sacchari, vel Græcorum imitatione quasi Hierax Accipiter, per excellentiam dicitur, vel à corporis magnitudine, viriumque præstantia, ita appellatur. Sanè à Bellonio *a* Accipitrum adiicitur numero. Tria ipsorum apud Tardivum *genera*; *Vnum*, quod lepores & hinnulos; *alterum*,

a Bellon. de Avib. l. 2. c. 14.

quod capreas parvas capit, *tertium* peregrinum exprimit, de quo superius.

Descriptio. In descriptione Albertus & Fridericus Imperator dissidēt, si Carcanum sequimur, corporis ipsi statura plerūq; oblongiuscula. Capite vertice plano canum. Rostrum cæruleum; Nares exiguæ, pectoris, dorsi, & alarum superiorum maculæ fuscę, femora interiora alba. Crura pedesq; tota ferè coloris cærulei. Cauda maculis circularib. phaseolorum aut renum figuram exprimentibus varia. &c. Excellit, cui color rubicundus, ruffus aut incanus, lingua crassa, pes amplius, digiti crassi, & colore cærulco diluti.

Locus. *Inveniuntur* apud Tartaros, & Moscovitas. *b* In Polonia, quod Maximilianus Cæsar per suos exploratores comperit, in arboribus non ita proceris nidulantur. Cum versus meridiem victus quærendi gratiâ proficiscuntur, ab aucupibus adventus gnaris, in Aegei maris insulis intercipiuntur, & Venetias etiam è Creta afferuntur.

b *Paulus Iovius in libro de legat. Moscovitico.*

Nutrimentum. De *victu* scriptores inter se non cōsentiunt. Belisarius cadaverib. etiam vesci dicit. Tardivus cibos etiam crassiores facilè concoquere scribit. Albertus delicatè, eos cibandos, cibo semper recente, cerebellis, sanis carnibus, reliquit. *Volacissimi* sunt, nisi è nidis abducantur, & nubes etiā transscendunt. *Capiunt* Anseres sylvestres, Grues, Ardeas, Lepores, Capreolos. His insident, & cerebrum capite perforato excutiunt. In eorum conspectu ne Aquilæ quidem volare audent.

Descriptio. *GYRFALCO* seu Gyrfalcus (malè à quibusdam Horodius dicitur) qui id ab *c* Aldrovando describitur, verticem habebat complanatum colore cinereo. *Rostrum* breve cæruleum, unco modico, deorsum incurvato, subcæruleo, instructum. *Dorsum*, alæ, venter, cauda alba erant. Verum tergi, alarumq; plumæ plenè singulæ nigra macula notatæ, quæ cordis quodammodo figuram ęmulabantur. Alę erant admodum longę. Remiges propè extremum apicem notâ majori ac longiori nigra ornabantur, quę tamen albo claudebantur margine. *Gula*, pectus, & venter pura tingebantur albedine. *Cauda* erat breviuscula notis nigris transversim variegata. *Pedum* digiti oblongi, validi, latè expansi, tabellarum continua serie per totum intecti.

c *l.7.c.3.*

Differētia. *Genera* ipsorum à colore petuntur. Alij sunt, flavi, rubei, & cinerei. Albos etiam in Moscovia reperies. Qui in pectore albicant, magis etiam albi sunt, & primo anno dorsum partim albicat, partim subruffum, vel subrubeū est. Ubi verò mutati sunt, color ille subruffus in nigredinem permutatur.

Locus. *Locum* ipsis natalem Norvegiam & Hiberniam Belisarius ponit: at certum in Tartaria *d* quoq; & Moscovia *e* inveniri.

d *Paulus Vanet. l.1. c.61.*

e *Mischov. c.14. Asiatica Sarmat.*

Nutrimentum. *Vescuntur* inprimis Columbis, & id genus aliis: & postquam semel de aliqua ave gustarint: illâ deinceps relictâ, novam semper prędam persequūtur. Aggrediuntur & Aquilas. Accipitres, Nisi, Falcones, iis advolantib., prædam vlterius non prosequuntur, sed pavidæ persistunt. Si in quinque Grues libero aëris campo unus emittatur, nō prius persequi desinit, quam singulas in terram dejecerit.

Pugna.

Ingeniū. Duo habent *peculiaria*. Unum, quod cum simul aliquot vehuntur, certo quodam senii ordine cibum capere soleant. Alterum, quod præter cęterarum rapacium morē, nunquam sese aquâ abluant, sed sola arenâ utantur. Frigore etiam tantopere gaudēt, vt perpetuò, aut super glacie, aut lapide, marmoreve algido stare gestiant.

ARTICULUS II.

De Falcone Montano, Gentili, & Tunetano.

Descriptio. FAlco MONTANUS, quod sit magis reliquis indomitus per excellentiam ita dicitur. *Caput* habet vertice fastigiatum & nigrum, coronulâ quâdam cineręâ cinctum, cui in fronte non longè à rostro plumulæ quędam exiles, & capillares eminent. *Guttur* ad sternum usq; nonnihil candescit, maculis consperſum majusculis,

lis, *pectus* reliquum versus inferiora, notis quibusdam, quandoq; ferrugineis, nonnunquam rubeis nigricantibus aliquando insignitur, quibusdam guttur & pectus nigris plumis vestiũtur, *Dorsum* ac lumbi majori ex parte plumis fuscis, minutis, obteguntur. Aliqui eorum post medium dorsum, lineas quasdam albicantes, aut rubescentes, quæ deorsum vergunt, habẽt. *Crura* & pedes plerumq; crocei, vel ex flavo paleari flavescentes, & squammis densissimis integuntur. Mutatos facilius est cognoscere: & optimus est hornotinus fuscus.

Nutrimentum. Non Anates solum, sed & Anates & Ardeas *capit*, & persequitur. Visus aliquando & Aquilam, quæ sibi prædam præripuerat, & seipsum interemisse.

Differẽtia. Ponit & *alterum* ejus *genus* Aldrovandus, quod *Leucophæum* nuncupat. *Corpus* eius totum cinerei est ad cæruleum vergentis coloris, pro diversa partium ad lucem obversione dilutioris obscuriorisvè. *Rostrum* crassum, breve, nigrum, robustum, pollicaris crassitudinis, tam validum, vt vix ulli alteri fortius. *Pectus* valdè teres ac grande. Diversum primò ab aliis Aldrovãdus putabat: sed cùm cũ descriptionẽ Montani apud Albertum conferret, & verò Montano, qui aliquoties plumas veteres cum novis commutavit, mediam partem dorsi cæruleam affingi, & quo frequentius senectutem exuit, eo tergum magis cærulescere, gulam cum pectore, abolitis, quæ distinguebant cum ætate maculis, albescere, observaret, *alterum* Mõtani esse *genus* conclusit.

Descriptio. & Differentia. GENTILIS per excellentiam propter generositatem ita dicitur. Friderico Imperatori alii sunt Gentiles *Peregrini*, alii *simpliciter* ita dicti. Illi Falconib. sacris sunt minores, & quo plus cum Gyrfalconibus participant, eò elegantioris esse formæ existimantur. Vertex *capitis* debet esse planus, occiput latum. *Rostrum* crassum, & recurvum. *Collum* breve, propè caput subtile, propè spatulas crassius. Habere debent *pectus* foris prominens, & carnosum, cavitatem inter pectus & collum magnam & profundam. *Coxas* plumis complurimis opertas, & sub genibus etiam dependentes. *Crura* crassa ac brevia, pedes amplos, digitos expansos & macilentos. Cum adhuc hornotini sunt. Alii sunt absolutè fusci: alii rubris, nonnulli pallidis maculis ceu guttulis perornantur. Alii ruffi sunt, aut simpliciter, aut ad nigredinẽ vergentes. Alii fulvi, vel absolutè, vel cum quadam rubedine. Maculæ à collo ad pectoris furculã parvæ sunt, inde verò progressæ ad anum usque majores evadunt. Fulvis ad rubeum vergentibus, color est ex æquo permixtus. Laudabiliores in suprema capitis parte ceu corona quadam in circuitu perornãtur; prope nares durities rostri virescit. Maxillæ sub oculorum parte subrubeę sunt. *Dorsum* fusco est colore, ad rubedinem inclinãte, marginibus rubescentibus & maiusculis sine guttis tamen exornatum. *Pennæ* alarum maiores fuscę cum marginibus. *Cauda* eiusdem cum dorsi pennis coloris, modò quod margines in ea in plurimis sint pallidiores, seu quod à corde sit remotior, seu propter aliam causam. *Simpliciter dicti* trium eidem sunt generum, sicut & peregrini, de quorum datis notis quo plures obtinent, eò magis probantur. Aldrovandus eosdem cum Carcani GERMANIS facit, qui Peregrino forma, capite, rostro & pedib. sunt simillimi. Corona albicans caput ipsis propè collum cingit, femora interna plumis albis vestiuntur. Mutatis caput, collum, & humeri fusca sunt, dorsum cyænea tingitur. Mares seu Tertiarii à maribus Peregrinorum nulla possunt ratione discerni. In volando crebriore spissioreq; alarũ motu utuntur. Rapiunt omne avium genus, Aquaticum præsertim, quod si è nido exemptus adhuc pullus ad hoc instituatur, Grues etiam capere audet. In eo solum Peregrino cedunt, quòd non sola animi magnitudine, sed etiam cibi aviditate prædam invadere dicantur.

DE TUNETANO inter Carcanum & Bellonium non constat. *Ille* corporis esse exigui, coloris perpulchri, capite flavo, alias nigro, peregrinos pedib. præsertim ita exprimere, ut mul- *Bellon. l. 2. c. 8.*

multi fallantur, ſcribit. *Hic* magnum eſſe, ad Lanarij ſimilitudinem, plumis & pedibus accedere, diutius & conſtantius volare, capite craſſo & tereti eſſe, ſtrenuè ſublimem aëra ſcandere, reliquit.

ARTICULUS III.

De Falcone Gibboſo, Albo, & Gallorum Lanario.

Deſcriptio. FAlco GIBBOSUS, quòd ei ob brevitatem colli, caput ante juga alarum dum eas ſupra dorſi latera componit, vix appareat, ita ut gibbum geſtare videatur, ita dictus eſt. *Corpus* habet exiguum, planum collo ferè cõtinuum. *Caput reliqui* corporis proportione magnum. *Roſtrum* perbreve & rotundum, oculos flammeos. *Alas* prælongas, & valdè exertas, in facie guttas. *Crura* proportione cæterorum membrorũ longiuſcula & ſquammoſa. *Pedes* in articulis digitorum, præcipuè ad interiorem plantæ pedem nodoſos. *Nidulatur* in montibus inacceſſis. Tam altè *volat*, ut hominis viſum effugiat. In aucupio non ſtatim inter deſcendendum percutit, ſed potius cum à deſcenſu rurſum aſcendere incipit, tunc poſteriore ungula ante pectus diſpoſita ferit, & quandoq; tam fortiter, ut unguem ſibi amputet, pectus lædat, imo ſeipſum aliquando occidat.

Falco alius. Eſt & aliud Falconis Gibboſi genus, quod ſemper alas tanquam ad volandum extendit, animoſius quàm robuſtiùs. ALBO nomen color impoſuit. Albertus eum in dorſo & alis ſubalbũ eſſe, alibi guttas valdè albas aliis guttis ſub pallidis interpoſitas habere; & regionem frigidam, & humidam in cauſa eſſe, ſcribit. Addit, Falcone Peregrino majorem, & ad ſimilitudinem Lanarii albi, qui per cãpos muribus inſidiatur, accedere. *Mittit* eum ſeptentrio, & ex illo inprimis Norvegia, Suecia, Eſtonia. Non tam eſt in volando velox ut Niger: diutius tamen in Avium perſecutione perdurat. Non debet ad venandum emitti, antequam pẽnas mutaverit. Ad eum refert Aldrovandus quendam *Sparverium*, cujus deſcriptionem Româ acceperat, qui corpore toto calotis lactei, maculis flavis perſperſi, roſtrum habebat album magis quàm cæruleũ, alas candidiſſimas ac ſine maculis, in cauda pennas duodecim candidas & flavis maculis conſperſas: quarum cõſpectum, pennarum præcipua & aliarum quaſi tegumentum, tota candida, eripiebat, easdem quaſi in vaginam recondens. Pendebat mortua tredecim uncias, pondus in eiuſmodi ave haud leve LANARIUS (generoſum intellige) GALLORUM dicitur, quod Rei accipitrariæ authorum teſtimonio, Galliæ peculiaris & proprius. *Aldrov. l. 7. c. 10.*

Roſtrum & crura cum pedibus habet cærulea, plumas anteriores albo & nigro varias, maculis non transverſis, ſed plumas in longum diſtinguentibus. Plumæ dorſi, alarum & caulæ, partem externam ſi ſpectes, non admodum ſunt variegatæ. Extenſarum interiora notis rotundis, inſtar exiguorum nummulorum per ſuperficiem diſſeminatis, conſpectuntur. Sic à Tardivo & Bellonio deſcribitur X qua Galliæ eſt perpetuus, ſemperque tam hyeme, quàm ætate ibidem conſpicitur. *Deſcriptio Lanarii.*

Ingenii ſunt tractabilis, & ad omne aucupii genus idonei. Picas, Coturnices, Perdices, Cornices, Phaſianos; imò Anates & Grues, ſi inſtitutio accedat, capiunt, & ſocietate maximè gaudent. Quoniam alis diutiſſimè in æthere ſupra prædam ſuſpenſi hærent, tantopere Anates fatigant, ut & canum operâ, & fuſtibus plurimæ occidantur. *Ingeniũ.*

Carcanus *Italicor.* meminit. Habẽt iſti caput totum planum. Roſtrũ falconis, peregrini & montani roſtro minus & cæruleum. Pectus flavum raris & ferrugineis maculis diſtinctum. Extremas alas veluti ocellis rotundis albisq; pictas. Mutatis, caput univerſum ad humeros uſq;, flavo colore ad rubeum vergente, & lineis tenuibus diſtincto, tingitur. Pes, qui ante cæruleus fuerat, in luteum abit. Naſcuntur in montibus Vincentinis & Alpibus, *Italici falcones.*

bus, quæ Germaniam ab Italia dividunt. Solent alarum æquilibrio, in aëre sese diu admodum & frequenter suspendere, sic metu incusso, ne Perdices, Coturnices, aut Phasiani diffugiant, faciunt, rarenter occisas in terram præcipitant. Visus aliquando qui & Accipitrem exanimaret.

ARTICULUS IV.

De Falcone Lapidario. Arborario & Rubeo.

Aldrovand. l.7.c.11. FAlco LAPIDARIUS rectè Lethofalcus dicitur. Est mediæ inter Peregrinum & Gibbosum magnitudinis. In præruptis petris, & Alpium rupibus nidificat. Regitur & nutritur simili modo quo Peregrinus.

ARBORARIVS, quem Gesnerus descripsit, *rostro* erat cæruleo, *oculis* nigricantibus, *pectore* albidis & nigricātib. maculis variegato; pennis alarum nigrioribus; *dorso* nigro, cujus pennarum margines infimos, maculæ ex cādido ruffæ distinguebant. An idem sit cum Accipitre Fringillario dubitatur. *Nidum* in arboribus exstruit. Rarus ipsius in aucupio usus; jucūdum in conflictu cum monedula spectaculum exhibet. Adeò quoque placidus est, ut per sylvas & agros emissus ad dominum redeat. In dissecti ventriculo plumas & Cantharides reperit Gesnerus.

RVBEVS à guttarum seu notularum quibus distinguitur, rubro colore dictus est. Peregrino minor est, nec citius rubere apparet, quàm alas exerat. Calor debilis in superficiem corporis effusus, & fumosum humidum, quod ad generationem pennarum excernitur, adurens, rubedinis causa esse putatur. Invenitur in locis planis & palustribus. *Phæniceos* in Moscovia dari perhibent.

Albert. l. 10.c.9. Crescent.l. 23.c.12.

Volatus. *Volatus* est agilis, sed non diu perseverātis. Nam penna rubea, quia mollior, non diu volandi impetum sustinet.

Ingeniū. Facilè cieurari, Albertus innuit, difficulter regi Tardivus. Post secundam aut tertiam pennarum mutationem melior; quod remittentibus per ætatem humoribus calidis, non parum temperamentum juvetur. *Vita* est minus quàm reliqui longæ.

Ad istum *duos ex Indiis Orientalibus allatos* Aldrovandus reducit, qui parte anteriore tota & alis internis adeò rubebant, vt qui pronos inspexisset, nihil præter colorem rubeum vidisset. Majorem putat fuisse fœminam; minorem, marem. Mares enim ob hoc ipsum Tertiarii dicuntur, quòd tertia parte fœminis sint minores. Mentum in fœmina, maculâ oblongâ cinereâ, quæ infernè desinebat, distinguebatur. Pectus quoque ejusdem coloris notulis anteriori sterno raris respergebatur. In mare color rubeus, saturatior & evidentior erat. Mentum nullâ maculâ insigniebatur. Pennæ remiges interiores notis fuscis transversim frequentibus; statoque intervallo distinctis, albebant. *Alii.* *Aldrov.l.7. c.13.*

ARTICVLVS V.

De Falcone Cyanopode, & illis, qui promiscuo coitu gignuntur.

FAlco CYANOPVS ad quod referri debeat genus, cum quatuor Falconum genera pedibus cæruleis instructa inveniantur, difficile est dicere. Ad Lanarium tamen potius, quàm aliam speciem pertinere videtur. Est Falconi Peregrino & magnitudine æqualis, & figurâ similis: sed in hoc differt, quòd dorsum ejus, & exterior alarum pars minus nigredinis, & pectus plus albedinis habeat; alæ sint breviores, cauda longior aliquantum; pedes hyacinthini. *Aldrv. l. 7. c.14.*

Vocem acutiorem, quia humidior, Peregrino habet. Raro aves Picâ, vel cornice majores invadit. Plærumq; se præcipitaturus, propter metum loco manet, & suspenditur. Audacior evadit, si aucupis accedat præsentia. Qui in Helvetia reperitur, diversus est ab isto. *Vox.*

Nidificat in excelsis juxta aquas, aut *Locus.*

Aldrov.l.7. c.15. profundas valles, petris. Nidis exemptus manſuefit. Capit Perdices, Columbas, Cornices, Anates, Phaſianos, & Tetraones.

Aldrov.l.7. c.16. Falcones PROMISCVO COITV geniti, à Peregrinis plærumque proveniunt. Hi enim à parentibus ſtatim expelluntur, & cum ſuæ ſpeciei conjuges non inveniant, ad ſpeciem alteram quam ſibi ſimil imam invenerint, libidinis tempore convertuntur. Carcanus ex altero parente Peregrino, altero Montano procreatos, *Falcones traverſos* vocat. Albertus *quatuor* eorum *genera* ponit. Cæterum, ſi cum Falcone pedis cærulei Peregrinus commiſceatur, ferè ſimilis Peregrino generatur avis, ſi cum Lanario nigro, ignobilis Falco niger. ſi cum Lanario albo, ſimilis Falconi albo, ſi cum Lanario rubeo, ſimilis colore & figura Falconi rubeo. Patriſſant autem plærumq;, & ignobilitatem matris, inſtitutio poſt unum vel alterum annum compenſat.

TITULUS V.

De Pſittacis.

CAPUT I.

De Pſittacis in genere.

Nomen. RApacibus Pſittaci ſubnectuntur, tum quod roſtrum & ungues aduncas habeant; tùm quòd cicures, carnem etiam ipſam devorent. Nomen ſortiti ſunt, ſeu à Pſittace urbe juxta *a* Tigrim celebri, ſeu ἀπὸ τῶν ψιτταχίων φύτων. Soli virides Pſittaci veteribus cogniti. Pſittaci fructus, in intimo quoq; cortice & tota nuclei carne, inſolenter admodum eundem imbibit.

a Stephan. de urbibus.

Deſcriptio. *Magnitudinem* ſi ſpectes, in regione cui nomen dedere, brachium cum dimidio longitudine explent. Viſus *b* Scaligero qui clathratæ feneſtræ ferè impleverat ſpacium. in quadam novi orbis regione Phaſanos ſuperant. in inſula Banda, columbam noſtratem vix excedunt. Alibi, Gallinis, Turdis, hirundinibus, imò Paſſeribus æquantur. *Color* quoque illis varius. In nova Hiſpania, Æthiopia *c* & ultima India, quosdam totos albos invenies. Circa Tarnaſſaram ſeptuplici colore ſuperbos; in Ternate Moluccarum una, Braſilia, & Aethiopia rubros: in quibusdam Æthiopiæ ſylvis nigros; in Malabar, praſſinos; ſcutelatos, purpureos; cinereos & cæruleos alibi. Bellonius magnos quosdam totos canere, mediocres ex rubro variegari, puſillos nonnullos prolixa cauda, totos virides eſſe ait. Circa Javam, alii ſunt rubri roſtro luteo; alii verſicolores, candidi quidan. Et quis omnes diverſitates enumeret, cum ſupra centenos magnitudine & colore diſcrepantes, curioſi obſervaverint. Antiquis *d* ſolus in intimis plumulis & extimis pinnulis, viror, notus erat. Vnde Avis; *e* viridis dicebatur. Communia ferè omnibus ſunt. Caput prægrande, ingenii ſignum, roſtrum, quod qua collo committitur, in ſolis infernè ſub faucibus apertum eſt, adeò durum, ut ferreis clathris vix parcant. Statius cornu vocet: aduncum idem, ut *f* eo, tanquam hamato & ſemicirculari forma conſtructo, ſe cum devolant, excipiat, illi innitantur, levioresq; ſe ita pedum infirmitati faciant. Mandibulæ ſuperioris, quod ipſis cum ſolo Crocodilo, & Thæmatopode ſi Oppiano credimus commune, motus. Lingua quæ cucurbitæ ſeminis figuram repræſentat cæteris avibus *g* latior. Unde ἀνθρωπογλωσσος dicitur. Pectus rotundũ. Pedum ſpecies, quia ante & pone binos habet, rara; illos in regno Æthiopiæ interioris propè mare arenoſum, ſi excipias, quorum quidam ſex in pede digitos habent, quidam tres. Crura breviuſcula, infirma, & plærumque fuſca. Ungues adunci, quibus eſcam elevant, & ad os extrorsùm convertunt. Capitis Anatomiam apud Aldrovandum vide.

b Scalig. Exerc.236.

c Scalig. Exerc.59. ſect.1.

d Apul.l.2. Floridor.

e Stat.l.2. Sylv. Ovid.El.2.

f Plin.H.N. l.10. c.43.

g Ariſt.l.8. H.A.c.12.

Locus. *Locum* ipſorum natalem ſolam Indiam eſſe, veteres *h* credidere. Tempore Alexandri M. in Taprobana primum inventi; Neronis, in *i* Gaugada Æthiopiæ inſula viſi ſunt; Diodori Siculi, in ultimis etiam Syriæ naſcebantur. Avorum temporibus, terræ cuidam

h Plin l.10 cap.42. Pauſanias in Corinth.

i Plin.l.6. c.29.

dam supra caput bonę spei, nomen ob copiam indidere. In regno Calecut tanta ipsorum est ubertas, ut Oryzam sæpissimè depascantur; tanta in Occidentali India, vt Psittacorum regioni inde nomen creverit. Nec Nigritæ in regno Senegæ illis carent.

Nutrimentum. *Victus* ipsis feris adhuc, frumenta, legumina, semen Carthami seu Cruci, quo pinguescunt, cum homo purgetur; fructus omnigeni, cum molli tum duro cortice intecti. Nux etiam myristica, ad quam in Insula Banda sæpissimè advolant: Cicuribus, quicquid porrigetur, caro, panis, saccharum inprimis. Bibunt aquam, sed vinũ multò libentius, cujus potu non solum lascivi, & solito loquaciores redduntur, sed & humano inebriantur more, & intra bibendum, pedibus suspēsi caudam in altum, & caput deorsum ad aquam extendunt. *Nidos* si Cadamusto credimus ex surculis ad tenellos procerarum arborum ramos pensilibus, pilæ modo rotũdos, per quam exiguo foramine, construunt, ut serpentum insidijs viam præcludant. Maximi, gallinaceis haud minora ova ponunt, mediocres columbaceis paria, fæcunditatis indicium, ingens illorum in natalibus locis copia; castitatis, quòd bini semper, mas & fœmina agere videantur.

Volatus. *Volatus* ipsis in natali solo expeditior. In nostris oris propter cœli frigidioris inclementiam minus eo valēt, impotentiam, reptandi facilitas, qua sursum, deorsum, & in maximam altitudinem scandunt, ob congruam rostri & pedum conformationem, compensat. Illius unco, dum pedes promovere nituntur, appensos sese sustinent; dum provolāt, ne pedes ob corporis deorsum labentis pondus debiles offendant, sese obvio adminiculo apprehenso, eodem velut anchora & præsidio excipiunt.

Vox. *Vocem* articulatam nullam naturaliter habent, quidam etiam ferè muti sunt; nec quicquam unica illa voce Perroquet exceptâ, quæ in ipsorum nomen abijt, ingeminant.

Amicitia *Amicitiam* singularem colunt, cum *k* lupo, cum quo simul pascuntur; homine, unde in America relictis sylvis interdiu propè domicilia agunt, & Turture, quod Ovidius *l* notavit.

k Oppian. l. *l. 2. Cyneget.* *l Eleg. 2. 6.*

Ingenio propè ad hominem accedunt. Accipiunt namq; verba & pronunciant articulatè omnia; facilius, si intra alterum ætatis annum docueris, segniores, ferreo in caput verberātur radio. non sentiunt aliter, propter duritiem, ictus. Sic Ascanij *m* Cardinalis cōtinuatis perpetuò verbis symbolum Apostolicum pronunciabat. Henrici VIII. Angliæ Regis in Thamesin delapsus auxilium implorabat, viginti libras promittens; extractus, quatuor denarios hospitatori suo dari jussit. Meditari eosdem Cardanus addit; Pherecides masculos, eos observare, & deferre, qui venena propinare moliuntur, & in domos important, refert. Quosdam circa Javam intelligere, & ad interrogata respondere, quidam narrant. Non facilè crediderim. At pueros *n* interdum imberbes amare; blandè attrectatos libidine, *o* ita ut oscula figant, tangi; quosdam pueros ita odio prosequi, ut in eorum capita de sublimi loco non aliter impetum faciant, atq; Falco in Anatem, si inter lugentes *p* agant, lamentari, quod Constantinus Manasses in historia Basilij Imperatoris testatur. Saltantes capitis gestu, depressis agitatisq; alis imitari, *q* dubitandum non est. Fœminas nunquam aut raro humanas reddere voces, *r* Tiraquellus reliquit. Virides macrouros, quibus collum torque rubro cingitur, annulo illo primum apparente, nil præterea discere quidam affirmāt. Scaliger acceptas è via publicitus voces reddidisse scribit. In insulis verò S. Michaëlis & Divite simplicitatis tantæ esse, ut ad crocitantem Psittacū innumera, ex arbore in cujus ramis anceps latet, multitudo convolet, facileq; se capi patiatur, apud Martyrem *s* legimus.

Ingeniū. *m Rhodig. l. 3. Antiq. c. 32.* *n Albert. l. 23.* *o Scalig. Ex. 236.* *p Manasses in Annalib.* *q Scalig. l. c.* *r de leg glo. 1. p. 12.* *s l. 10. de. c. ad. 3. rerū Ocean.*

Vsus Psittacorum apud Occidentales Indos in cibo apud Orientales olim, Aeliano † teste, facti habebantur. Heliogabalus capita ipsorum in convivio exhibuit, iisdemque leones, pantheras, & alia animalia *t* pavit.

Vsus. *† Aelian. H. A. l. 13. c. 18.* *t Lampr. in Heliogab.*

Oblectamenti loco apud Romanos olim fuere. Nam cum Gallinis rusticis & Merulis in *u* publicis ornatibus ponebantur. Viros Psittacos manu gestare M. Cato conqueritur. Articulatam ipsorum vocem in tantum eosdem miratos esse, Suidas author est, ut eos Indi mercem fecerint. Unde caveis eburneis, argenteis, vel ex alia pretiosa materia factis includebantur. Indis pennæ ipsorum in magno usu. Ex his imagines varias, papiliones, flores, herbas, pileos & perizomata cõficiunt; vestes, aulæa & tapetes contexunt; enses & clypeos exornant, aliaque utensilia miro artificio conficiunt. Sed de plumario opere alibi.

u Varro l. 3. de re rustica. c. 9.

De Psittacis vide quoq; infra Mantissam N. 4.

CAPUT II.

De Psittacis in specie.

ARTICULUS I.

De Psittaco maximo Cyanocroceo, Maximo Psittaco altero, Psittaco albo cristato, & Psittaco viridi alarum costa superna rubente.

Descriptio. Aldrov. l. 11. Ornith. c. 2.

PSittacus maximus Cyanocroceus in aula Ducis Mantuæ ab Aldrovando visus est. Magnitudine benè saginatum caponem exæquabat, ab extremo rostro ad caudam extremam bicubitalis. Vertex *capitis* erat planus & viridis, rostrum aduncum, in hemicyclum compositum, extrinsecus in perfectam dimidij annuli rotunditatem formatum, palmum longum, totum nigrum; superius longitudine duobus digitis inferius excedebat. *Oculos* habebat albos & nigros, quos ternæ lineę nigræ à rostro ad colli initium ductæ, figuram literæ S. jacentis repræsentantes, in longum succingebant. *Guttur* veluti torques nigra ambiebat. Pectus, venter, femora, Uropygium, cauda inferior, crocea erãt. *Cervix* superna, dorsum, alæ, caudæ pars superior, colore cæruleo vestiebantur. Qui apud Comitem S. Floræ erat, semel singulo die instante vespera bibebat, notis & familiaribus ablandiebatur. Æstivo tempore aquis se immergebat, aut pluviæ donec totus maderet exponebat, à madore frigore correptus, ad solem se vel focũ siccabat, ex podagra mortuus est.

Maximus Psittacus alter apud eundẽ Principem fuit. *Corpus* ei non ita ut superiori crassum. *Capitis* vertex compressus, palmo longior. *Rostrum* quam superiori brevius, nec longo adeò hamo incurvum, tres propemodum digitos longum, & totidem, qua capiti committitur latum; mandibulâ superiore albâ, inferiore nigra. Oculorum regio & tempora albescentia. Dorsum, alę incipientes, gula, pectus, venter, femora, cauda tota supernè, punicea. Remigum tegetes secundo in alis ordine lutei, punico is marginib., cæruleo velut ocello propè apicem ornatæ, &c. *Psittacus albus cristatus* magnitudine erat columbo domestico par. *Corpus* universum candido plumarum Agmine vestiebatur. *Capitis* verticem habebat plumis grãdiusculis, sesqui palmum altis, retrorsum nonnihil incurvis, acuto apice denuò antrorsum reflexis, candidis, denis, velut crista perornatum. *Rostrum* cinereum, ad nigrum vergens, qua capiti committitur naribus patulis pervium, ac harum medio tuberculo, quodam tereti clivosum. *Oculos* iride lutea, pupilla nigra. *Linguam* latam, rubicundam. *Caudam* in altum plumis dodrantalibus, frequentibus, candidis, surrectam. *Crura* cum pedib. sublutea. *Psittaco viridi alarum costa superna rubente* pullastri anniculi erat corpulentia, *capitis* vertex luteus. *Rostrum* superius extremo nigrum, post subcæruleum, reliqua rubicundum; inferius verò album. Oculi iride croceo aut potius rubente, cincti pupilla nigra, corpus totum viride, parte quidem prona virore flavescente ac diluto, alis verò & dorso saturiore, & qui in maxi-

Aldrov. l. c. c. 3.

Idem c. 5.

maxima & extrema penna remige ad cæruleum nonnihil tendat. Costa superna alarum in tantum rubet; uti & cauda eaq; breviuscula, parte inferiore ad latera, rubrâ in longum maculâ insignitur; supernè verò flavescit.

ARTICULUS II.

De Psittaco poikilorincho, viridi melanorinchio, Leuiocephalo, & Erythrocyano.

Aldrov. l. 11. c. 6. 7. 8 9.

P*Sittacus poikilorinchos* magnitudine erat gallinæ minoris. Corpore plęroq; virescens, dorso obscurius, pectore & ventre, interlucente luteo, radicibus ubiq; cinereis, dilutius. Rostrum superius in parte superiore habebat ex viridi cæruleum; ad latera, colore ochræ, in cujus extremitate macula transversalis candida percurrebat, inferius circumcirca coloris plumbei in medio lutescentis. Vertex plumulis aureis ornabatur. Remiges parte exteriore, ventrem versus, initio virides, paulatim in colorem subcæruleum, seu amethystinum, purpureumve potius terminabantur, nigra cætera. Secundæ in ordine longissimæ totæ luteæ erant. Quæ mediis fermè alis conspiciebantur, ad principium latere exteriore, quod vẽtrem respicit, primùm viridi, dehinc miniaceo obscuro, inde viridi, postremũ apice ipso partim violaceo, partim nigro vicissim variabant. *Cauda* duodenis instructa pennis, quarum quæ è latere sunt, utrinq; quaternâ, quà enascuntur, initio sui primum virides erãt latere exteriori, luteæ interiori, inde rubeo, coccineove colore, tertio ordine denuò viridi, postremo luteo variegatæ. Reliquæ quatuor mediæ totæ virides, at fine sui nonnihil lutei habebant. *Pedes* plumbei, quaterni *digiti* bini ante, retro totidem, ut in Picis Martijs, interiores quidem exterioribus multò breviores. *Vngues* ut rapacibus adunci. *Tibiæ* brevissimæ, nempe inter poplites & talos, digitum longæ sed crassiusculæ. *Psittaco viridi melanorincho* collum, dorsum cum alis virore pleno tinguntur. Costa alæ, qua corpori adnectitur, extrema, coccineo rubet, penna in extremis alis, qua ventrem spectant, est nigra. Uropygium inferius coccineũ. Rostrum totum nigrum. Caput & pectus lutea. *Psittacus Leucocephalus* ita ab Aldrovando describitur, &c. Dodrantem & digitum unum longus est. *Rostrum* duos digitos crassum, album: & pars capitis rostro cõtinua item alba. *Oculi* pupilla nigra, iris ferruginea. *Vertex* & *frons*, quę albent, maculis nigris variegatæ sunt. *Occiput*, collum, dorsum, alæ, uropygium supernum obscuro ac pleno virore tinguntur. Gula & alarum costa suprema rubore cinnabarino. *Pectus* ac femora virent denuò. Pars *ventris* inter femora & pectus interjecta fusco subrubido, aut eo colore, quem pictorum vulgus terræ umbræ vocat, insignitur. *Alarum* latera pennas quasdam, quæ remiges tegũt, easq; extremas cæruleas habeat, albo tamen nonnihil admixto. Venter postremus uropygio proximus lutescit. *Cauda* medio rubra, ad latera rubro & luteo, inde cæruleo variegata est. Pennæ penè omnes extremo apice nonnihil nigrescunt, cætera virides sunt. Tibiæ & pedes cinerei. Posset & hic idem ob multiplicem colorum varietatem Psittacus ποικιλὸς, i. e. versicolor appellari. Est enim coloribus non paucioribus quam septem distinctus, quorum tamen præcipuus est viridis. *Psittaco Erythrocyano, caput*, pectus cærulea sunt. *Vertex* summus macula lutea insignitur. *Rostrum* haud ita ut prioribus grande, nigrescit. *Oculorum* regio albicat. Pupilla nigra, Iris fusca. *Ventris* latera sub summis alis lutea sunt. Venter viridis. *Femora* è viridi albicant. *Vropygium* luteum est. Summum *dorsum* dilutè cęruleum est. Alarum tegetes viridi, luteo, roseo promiscuè conteguntur. Sic remiges & cauda totæ roseo perfusæ sunt. Dorsi extrema pars seu lumborum regio flavescit. Caudæ deniq; pennæ pauculæ, eæq; virides obtegunt. *Crura* & *pedes* cinereo imbuuntur, cætera roseo, Hic

fortè ille est, quem in Tarnasari urbe Indiæ pulcherrimum ac septemplici colore distinctum reperiri Ludovicus Patricius scriptum reliquit.

ARTICULUS III.

De Psittaço Cinereo, Erythroleuco, Torquato macrouro, Minore macrouro toto viridi, Erytrochloro macrouro, Erytrochloro cristato, & aliis & Gesnero positis.

Aldrov. l. 11. c. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16.

PSittacus *Cinereus* ex Mina adfertur, & à potissimo partium colore ita dictus est. *Corpus* enim totum cinereo obscuro, seu potius æqualiter subcæruleo tingitur, remiges paulò saturiore visuntur. *Oculos* macula candida cingit. *Cauda* vix ultra extremas alas protenditur, & tota cinnabarino colore tincta est.

Psittaco Erythroleuco magnitudo est caponis grandiusculi, corpus candidum, postrema tergi pars, uropygium, cauda tota, alarum remiges miniacei coloris. Rostrum unco quàm in alijs longiore.

Torquatus macrourus solus antiquis cognitus fuit. Caput & corpus omne habet viride. Rostrum miniaceum. A rostro inferiori sub mento &c. *Minor macrourus totus viridis* in Hispaniola reperitur, nec totus turdo major est. Rostrum habet superna parte rubrum, inferna è rubro nigricans. Iridem oculi rubicundam & croceam. Corpus herbaceo virore amœnum. Pedes & tibias rubicunda.

Erytrochloro macrouro ex Japonia allato, corpus quatuor colorib., quorum potiores viridis & ruber insignitum erat. Verticem habebat planum, rostrum rubeum, exiguum, & inferius etiam aduncum. Retro & ante oculos maculam cæruleam. Caudam corpore toto longiorem.

Erythrochloro cristato alæ, cauda ac crista, qnæ sex pennis, tribus majoribus, totidem minoribus constabat, sunt rubri coloris, corpus reliquum viridis.

His adde *Psittacum Erythrocyanum*, nec non *Erythroxantum* Gesneri; quorum *ille*, parte supina rubet, alis superius in flavo viridibus, cętero cęruleis; cauda partim rubra, partim cærulea, *hic*, illi per omnia simillimus, in hoc tantum discrepat, quod per medium alarum plurimum flavioris coloris habeat, nonnihil etiam in cauda.

Huc etiam Aldrovandus Avem illam, quæ in Hispania capta, magnitudine erat fringillæ; rostro nigro, adunco; capite, collo viridi, vertice ut in Garrulo Bohemico crista insignito; alis cæruleis, extremo nigricantibus; uropygio ferrugineo; femoribus albis; pedibus nigris; digitis quaternis, binis ante, retro totidem; refert.

TITVLVS VI.

De Corvino genere, & aliis nonnullis Avibus, quibus rostrum durum ac robustum est.

CAPUT PRIMUM.

De Corvo.

Descriptio.

COrvus, Græcis, seu à colore nigro, seu à capitis magnitudine κόραξ. L. Floro *a* Satyra avis, seu propter salacitatem. Virile enim membrum veteres Græci σάτο appellabant; seu à Satyra *b* palude, quæ & Pomptina, viginti quatuor olim urbium capace loco, dicitur. Locus ipsi post Psittacos vel eam ob causam datur, quod & ad rapacium naturam accedat, & olim apud veteres in tanto precio fuerit, ut per *c* illum jurarent. Magnitudine Cornicem superat, & adeò est ater, ut præ nimia nigredine cæruleus quodammodo appareat, nec ab *d* aquis mutetur. *Rostrum* habet aterrimum, nonnihil aduncum utrisq; marginibus incidens; *Oculos* lucidos; *Linguam* in apice latam, ad radicem rotundam, nigram.

a In Histor. Valer. Corvini.
b Rhodig. Antiq. lect. l. 29. c. 25.
c Aristoph. in Avibus.
d Scalig. ad l. 2. de caus. plant. c. 17.

gram. Visi tamen in Septentrionali-
e regionibus, Anglia, Neapoli apud
Alphonsum Siciliç Regem, Lestorum
Indiæ extra Gangem regione, quin &
tempore *f* Aristotelis, albi; seu quòd
ob aspectum nivium in nivosis locis
tales nascantur, seu quod frigus id ef-
ficiat, seu quòd alimento id attribuē-
dum sit. *Interiora* ejus si attendas, *gu-*
lam patentiorem propè ventriculum
pro ingluvie *g* habet. *Fel* renibus, &
h parte tantum altera intestino jun-
gitur. *Excrementa* alba esse apud Ho-
ratium legimus. Cuidam verò apud
Livones & Botnios generi, quod *ma-*
rinum dicitur, rostrum dentium ferè
instar serratum, sed fortè falsò, adscri-
bitur.

Locus. Quantum ad *Locum* in Asia non
nasci Theophrastus *i* prodidit. Locis
k desolatis, *l* humidis, excultis, turri-
bus, celsis ædificijs morari, nec ea, dū-
modo cibus suppetat, deserere; in a-
gris uberrimis gregatim ferri, & ejus
frequenti suo numero bonitatē, quam
innata sagacitate cognoscunt prode-
re, compertum. Binos *m* per ste-
rilem & infructuosum campum, nec
non arctiora loca volare, quod non
satis *n* cibi pluribus, unde in Crano-
ne Thessaliæ oppido nunquam plures
duobus reperiri, à quibus dā notatum.
In Galliæ oppido, quod Corvatum di-
citur, annos plus, quàm centum egis-
se, Albertus nescio, qua fide refert.

Nutrimentum. *Victitat* corvus frumento, pomis, *o*
ficubus, cerasis, quæ cum pediculis
deglutit, & dum binis *p* è pastu, horis
pulpam rejicit, ossa evomere solet, nec
non vermibus, hinc aratoris vestigia
rodit; piscibus, unde apud Anglos *q*
lege sub gravi mulcta cautum, ne quis
vim corvis inferat, cadaveribus, quæ
si non attingit, infecta esse conjiciun-
tur. Quin nec à vivis animalculis ab-
stinet. Alaudam & passerem devo-
rasse visus est, pullos verò alimonia
destitutos, parentem ipsum invadere,
& devorare † Aelianus author est.
In Bothnia non tantum lepores & cu-
niculos interimunt; sed agnorum et-
iam & arietum stragem edūt. Consti-
tutum è publico præmium, qui eos
occidissent. *Potus* est vehementer
appetens. Tradendum putavere me-
moriæ quidam, visum corvum per si-
tim lapides congerentem in situlam
monumenti, in qua pluviæ aqua du-
rabat, sed quæ attingi non posset, ita
descendere paventem, expressisse tali
congerie, quantum potaturo sufficere-
ret. Æstivo *s* tamen tempore sexa-
genis diebus, dum ficus maturescunt,
non bibit, seu quod, nisi Hyginus fal-
lit, guttur pertusum, dum ficus matu-
rescunt, habeat; seu quod eo tempore
relaxatione alvi se laborare sciat.

Generationem quod attinet. Ore *Generatio.*
coire † vulgus prodidit, inde fellato-
rum ipsis nomen, sed falso. Nam &
vulvas habent, & ova juxta septum,
nec cogitare *t* quomodo semen per
ventriculum, qui semper quod inje-
ctum est concoquit, perveniat, absur-
dum est, & visi duo Avicennæ, qui a-
liorum congrediebantur more. Ro-
strorum fit inter eos ante coitum cō-
junctio, seu ut alij, cātu prius quodam
velut hymenæo *u* demulcentur fœ-
minæ; tum mares admittunt, hinc e-
orta fabella. Ponit bina, sæpe quater-
na aut quina *ova*, post viginti dierum
incubatum *pulli* excluduntur. Ex-
clusi, forte quod *x* color ipsis sit albi-
cantior, negliguntur à parentibus, &
ad septimum diem, quo atrocem in-
duunt, seu cœlesti rore, ut Cassiodo-
rus credit, seu à muscis prætervolan-
tibus aluntur. Agniti recipiuntur in
curam, donec firmiores evaserint,
mox pulsi, quæ sunt ad vivendum
necessaria inquirunt. Circa Crano-
nem tamen singula perpetuo paria
degere, & genitores soboli loco cede-
re, Plinius *z* asserit. Ætatem eis lon-
gævam *a* Hesiodus tribuit, fabulosè si
γενεὰν pro centum sumas annis; verisi-
militer si pro uno, intra quē & omnia,
quæ terra profert perficiuntur, & ipse
homo in utero: Sic longævitas intra
CVIII. annos consistet. *Vox* eidem
minimè sonora, quamvis cātare Plau-
tus *b* dixit, quia crocitat, raucedine
& stridore aures offendens; hanc seu
propter diversos *c* effectus, seu im-
brium & *d* ventorum instantem in-
cursum, ita mutat, ut Fulgentius sexa-
ginta quatuor diversas habere di-
xerit.

e *Olaus Magn. l. 19. c. 8.*
f *l. 5. de gener. c. 5.*
g *Arist. H. A. l. 2. c. ult.*
h *Arist. H. N. l. 2. c. 15.*
i *Plin. H. N. l. 10. c. 29.*
k *Esa c. 34.*
l *Theon. in Aratum.*
m *Ael. l. 2. de Anim. c. 48.*
n *Arist. H. A. l. 9. c. 31.*
o *Athen. l. 13.*
p *Aldrov. Ornithol. l. 12. c. 1.*
q *Bellon. l. 6. de Avib. c. 1.*
r *Plin. H. N. l. 10. c. 47.*
† *l. 3. de Anim. c. 43.*
s *Ael. l. 1. de Animal.*
† *Plin. l. 10 c. 12.*
t *Arist. l. 3. de gen. Anim. c. 6.*
u *Oppian. l. 1. de Aucupio.*
x *Greg. M. Moral. l. 30. c. 8.*
z *Plin. H. N. l. 7. cap. 48.*
a *Plin. H. N. l. 8. c. 48*
b *in Aulularia.*
c *Lucret. l. 4. de Natura rer.*
d *Virg. Georg. l. 1.*

xerit. *Odoratu* cum vulture ferè certat, in *volatu* tardior & gravior est, idcò non mirum aliquando populi clamore *e* dissono gravius ictum, ὥσπερ, ἐμβροντηθὲν decidisse.

e *Plut. in Flaminio.*

Ingeniũ. *Mores* & *ingenium* admirationem merentur. Ad trigesimum & quadragesimum una viventes, conjugii jura servant, uno defuncto alter per vitæ reliquũ viduus permanet. Nummos quidam *g* Erfordiæ furabatur, & sub lapide absondebat. Alter Augustum ex *h* Actiaca victoria reducem, verbis, Ave Cæsar, victor, Imperator salutavit, viginti millibus seu D. aureis solatis emptus. Quidam *i* sub Tiberio Principe singulis matutinis in rostra evolans, in forum versus, Tiberium, deinde Germanicum & Drusum Cæsares nominatim, mox transeuntes P. R. salutabat. Occisi funus innumeris elatum est exequijs, interfectus, qui occiderat. Taceo illum sutoris, Cæsarem salutare edoctum, in quo opera & impensa periisset, nisi *k* operam & impensam periisse, eloqui potuisset. Nec non illum, † qui Cunradum coquum in fame implorabat, adeò expressè ut ab homine vocatus crederetur. Difficilimum elementum optimè exprimunt. Venatici (primum *l* Ludovicus Gallorum Rex instituit) perdices & corvos feros venantur. Phasianos aliquando.

g *Albert. l. 23. de Animal.*
h *Macrob. l. 2. Satur. c. 4.*
i *Plin. H. N. l. 10. c. 43.*
k *Macrob. l. c.*
† *Scalig. Exerc. 237.*
l *Scaliger.*

Amicitia. *Amicitiã* naturalem colit, cum lauro, quem depasto Chamæleonte comedit, cũ asaro & *m* aro, quib. remediis in quibusdam morbis utitur; cum salice Amerina, qua tanquam amuleto nidum munit; cum Coracio, quâ vim *n* toxici degustati frangit; cum Ocnuta qua se ad ebrietatẽ exhilarat.

m *Ruell. l. 1. de Nat. stirp. c. 2.*
n *Arist. de Mirabilib.*

Inimicitia. *Inimicitias* autem gerit, cum Milvo & Percnoptero, propter cibum, cum Aesalone, propter ovorum fractionem, Chamæleonte, Circo, Turture; & alijs. Cũ Eruce *p* semine, quo interit.

o *Cicero l. 1. de Natur. Deorum. Arist. H. A. l. 9. c. 1.*
p *Ael. l. 6. de Anima. lib. c. 46.*

Præsagiũ Tempestatem plenam *præsagiunt*, si cum *q* singultu quodam diu multumque vespertino præsertim *r* crepusculo latrant; & si de arbore pendent *s* alas sæpenumero motitant. Serenitatem, si contra solum hiantes manè per arborum ramos plumas & alas expandunt, si privatim primò crocitantes, mox turmatim congressi liberius vociferantur, aut si sub nocturnum crepusculum gregatim versantur, & dum separantur summè crociendo ad nidos advolant.

q *Plin. H. N. l. 18. c. 39.*
r *Ael. l. 7. de Animal. l. b. c. 7.*
s *Virg. Georg. 1.*

Vsus ejus in Medicina aliquis est. Pulli mense Martio combusti contra Epilepsiam propinati sunt. Ova ad denigrandos pilos adhibebantur; à Villanovano ad Epilepsiam commendantur. Cor portatum vigilias inferre quidam asserunt. Pes à collo pueri tussientis suspensus eum, si Plello credimus, sanat. *Vsus.*

CAPUT II.

De Cornice in genere.

QUæ Latinis Cornix, Græcis vulgo κορώνη, hæc ijsdem hodiè κορώνα vel κόρακα. Polyrrhænijs Cretæ populis κόμβα, Varino, κορώνις, Horo κορεὶ dicitur. Magnitudine vincit graculos. Rostrum, crura, & totum corpus habet undiquaque nigerrima, (falsus † Strabo, dum peculiare esse Hispaniæ, ut nigræ ibi sint cornices scribit) illud tamen, durissimum aliàs & acutissimum, propè caput albicat, superiori parte barbulas quasdam veluti setas circa palpebras habet, inferiore nigra, eaque minima veluti granula. Albam, capite nigricante, cęteris alarum apicibus in rubedinem vergentibus, Rhodiginus *a* vidit. *Descriptio.*

† *Strabo l. 3. Geogr.*
a *Rhodig. Antiq. lection. l. 11. c. 11.*

Versantur circa urbes, domos, maris ripas, fluminum littora & sterquilinia. In Britannia ingens ipsarum copia, quoniam in pabulo humido ejus soli vermes abundant. *Locus.*

Victitant frugibus, nucibus, olivarum baccis, vermibus, piscibus, & carnibus, & verè *b* πάμφαγοι dicuntur. *Victus.*

b *Arist. H. A. l. 8. c. 3.*

Generationem earum quod spectat, *Nidulantur* in summis arborum frondibus. *c* Non temerè nec impudenter inter se miscentur, & eandẽ cum corvis in conjugio fidem servant: hinc solitariæ cornicis occursus, malum in nuptialibus auspiciis omen: eliminare cornicem virgo jubebatur. *Ova* pariunt post solstitium gemina, natura ita di- *Generatio.*

c *Aelian. de Animal. l. 3 c. 9.*

ita dispensante, ut *d* quæ diu vivunt pauca procreent; *Incubant* fœminæ tam impensè, ut *e* assiduo, in incubitu plumas exuant. Pullos à cauda de ovo exire, seu pedibus primò prævolutis, falsum; cœcos nasci *g* verisimilius est. Non prius pasci quàm plumis vestiri incipiant, vulgò creditur. Volandi potentes *h* diu prosequuntur, & avolantes subinde comitantur, idcò justa naturæ talione & decreto, quantum *i* tempus impendere in fœtibus educandis, tantum & ipsæ senio confectæ, à pullis suis aluntur. Malè à solstitio æstivo *habent*, seu quòd *k* scabie & lepra afficiantur, seu quod carnes à lupo semesas comedant, *Aetates* ipsi humanas ter *l* tres authores tribuunt. Arato ἐννεάγηρα κορώνη dicitur, fortè quod diu vivat πολυγηρεῖν nãque Theon exponit. Aristophani πέντε γενεὰς ἀνδρῶν ζῶσι, quinq; generationes virorum vivit. *Vox* ipsius est κρώζειν vel κρώζειν, ob assiduitatem obstreperi cantus, garrula & loquax dicitur. Quamvis verò eas πανυγλώσσας Homerus *m* vocet, id est lingua longa & extensa, tamen tempore Plinij allata, *n* è Bætica, plura contexta verba exprimens, & alia atq; alia crebrò addiscens.

d Aphrodis. l.2. Probl.64. *e* Isidor. Orig. l.12. c.7. *g* Arist. l.4. de Gener. at. c.6. *h* Arist. H. A. l.6. c.8. *i* Isidor. l.c. *k* Porphyr. περὶ ἀποχῆς. *l* Plin. l.7. c.48. *m* Odyss. ε. *n* Plin. l. 10. c.43.

Volatus. *Volat* celeriter. *Graditur* lentè instante pluvia, celeriter dum pullos pascit.

Affectus. *Amicitias* colit, cum Ciconijs quibus maria transvolantibus Ducem se præbet, & cum *o* Ardeola, cum qua contra vulpem pugnat. *Inimica* est, Noctuæ *p* cujus ova merdie absumit; Mustelæ, quod ipsius nidos sæpè diripiat; & cum Tympano ave, quam occidit. *Ingenium* earum & singularem solertiam multa ostendunt. Si nucem perfringere nequit, in altũ sublatam ad saxa & tegulas *q* præcipitat. Verbenacam *r* supinam nidis imponit, ut ab ijsdem blattas aliasq; bestiolas abigat. Apud Marrem Ægyptiorum Regem educata, literas, quocunq; iuberet, detulit. Mortuę † sepulchrum ad lacum Myridis propè Crocodilorum urbem erectum est.

o Arist. H. A. l.9. c.1. Plin. l.10. c.74. *p* Aelian. de Anim. l.3. c.9. *Ingeniũ.* *q* Plin. H. N. l.10. c.12. *r* Zoroastr. in Geopon. † Ael. H. A. l.6. c.7.

Vsus. Quantum ad *Vsum* cerebrum cocum & in cibo sumptum inveteratis capitis doloribus remedio esse *s* Plinius testatur. Carnem in morbis chronicis utiliter sumi, & nidum corpori illitum vitę dies prolongare, olim vanè creditum est.

s Plin. H. N. l.20. c.6

CAPUT III.

De Cornice in specie.

ARTICUL. UNICUS.

De Cornice Frugivora, Cinerea, & Cærulea.

Descriptio. Cornicis tres sunt species *Frugivora* nempe, *Cinerea* & *Cærulea*. *Frugivoram* σπερμολόγον Aristoteles vocat, frugilegam & granivoram alij. Nigra est tota, rostro excepto, quod albicat. Magnitudine est inter Corvum & Cornicem media.

Victus. *Victitat* ut diximus frugibus, nec tamen lumbricos respuit. Quia Ardea in earum nidis *nidulari* solet, ideò circa villas nobilium, qui Ardearum aucupio delectantur, in summis arboribus impunè nidos faciunt. Angliæ sunt maximè infestæ. Ideò olim sancitum est, ut funditus extinguerẽtur; precium occisori daretur.

Cinerea Turnero Marina dicitur. Minor est Spermologo. Dorsum totum, collum superius, alarum latera, nates & totum ventrem cinerea habet. Aestivo tempore altos montes *incolit*, in quibus soboli propagandæ incumbere, ex eo colligi potest, qnòd nullibi in planis nidulari reperiatur. Sub autumni finem ad plana descendit, ibique totam post hyemem prope oppida & pagos degit. Fit id ob rupium asperitates, & nives continuas; vel ob intolerabilem frigoris sævitiam. *Victus* ipsius idem qui nigræ. Quadrupedum, hominum suspensorum cadavera & pisces affectat: nec à lacticinijs abstinet. Gesnerus in dissecto ventre, quasdam quisquilias, & cortices granorum, nec nõ substantiam quandam albam, pinguem, ex ijsdem fortè granis concretam & lapillos invenit. Nunquam in Helvetia nidulari dicitur. In inferiore Germania in cibũ à plebecula admittitur:

Cæruleam cornicibus, quamvis vix sciri potest, an ex earum sit numero, Gesnerus, Kentmannus & Aldrovandus annumerarunt. Cæruleo passim colore, in capite, alis, cauda, circa Uropygium & tota parte supina, nitet, alibi sinceriore, alibi viridi admixto. Dorsi & colli proni color fusc° est: majores alarū pēnæ nigrę. Crura fusca, & pro corporis ꝓportione parva habet. Reperitur trās Albim in saltu Luchoviano, & sylvis finitimis. Versatur in locis non frequentatis. A projectis, præter cætera, cadaveribus victitat, & nidum vt upupa ex oleto construit.

Aldrov. l. 2. Ornithol. c. 5.

CAPUT IV.

De Graculis in genere, & in specie.

GRaculus seu quod *a* gregatim volet, quæ etymologia Quintiliano *b* improbatur, seu quod jacta segetum semina plurimum gerat, seu quod ex olivetis cubitum sese recipiens binas baccas pedibus ore, verò tertiam ferat, dicitur

a Varro l. 4 de Lingua latina. b l. 1. Instit. Orat.

Victitat pręter segetes, carnib. glandibus, & *c* locustis. Unde à Lemni insulæ incolis, quòd adverso volatu locustarum exitio occurrat, colitur.

Victus. c Plin. H. N. l. 10. c. 29.

Ad *coitum* verno tēpore excitatur. Vox ipsius est κολοιὸν κοῖ κλώζειν, ut Pollux tradit, quorum istud & Gallinaceo quodam generi tribuitur. *Amicitiam* cum *d* Gavia gerit, hospitalitatem cum Accipitre. Hoc Homerus sub Hectoris & Aeneæ Græcis infensissimorum exemplo prodidit. Avem congregem esse, vel vulgaris paræmia, semper graculus assidet graculo ostendit. Mas mortem potius subit, quàm conjugem derelinquat, *e* altero mortuo, alter dolorem perpetua viduitate testatur. Loquacissimi sunt, coitus inprimis, & quo pullos enutriunt, tempore. In vini potu mira ipsis lascivia. Manibus retenti, oculos *f* impetere maximè solent, seu quod effigiem suam in illis cernentes, velut ad cognita desideria tēdant, seu quod à rebus fulgentibus & mobilibus quales oculi, facillimè alliciantur. Ciures voces pronunciare discunt *g* adeo, ut è caveis emissi spontè sua eas repetant. Matutino, verò suboriente sole tēpore, citius eas capiunt, & memoriæ tenacius mandant. Suetum id & veteribus. Paxillos *h* enim in parietibus domi suæ, quibus insisterent faciebant. | Epileptico *i* morbo obnoxij, velut extincti ex arborum, tectorumq; culminibus decidunt. Annuum fastidium lauri purgant folio.

Vox. Affectus. d Aelian. l. l. 9. c. 1.

e Ael. l. 9.

f Nicolaus Leonicus.

g Brujer. l. 15. c. 78. de re cibaria.

h Aristophan. in vespis.

i Dalechāp. in Plin. l. 3. c. 22.

Vsus ipsorum apud plurimos in cibis.

Vsus.

Quantum ad *genera* tria *k* Aristoteles posuit, quartum palmipes, tria & Gesnerus, Tullam nempe Becuam & Taham, Nos *Coraciam*, *Pyrrhocoracem*, & *Lupum* seu *Monedulam* ponimus.

Genera-tio. k l. 9. H. A. c. 24.

CORACIA magnitudinem habet cornicis, illa inprimis, quæ nigra & pamphaga. *Rostrum* quatuor ferè digitos lōgum, quodammodo arcuatum, coloris punicei, seu inter aurantium, rubrum & subflavum medij *Pedes* ejusdem coloris, unguibus exceptis, qui simul cum toto corpore sunt nigerrimi. *Incolit* præruptos montes, & rarò ad plana descendit. Cicur simila ex lacte, carne, pane, & tritico vescitur.

PYRRHOCORAX Cornice est minor, Monedulæ æqualis, luteis cruribus & *l* rostro, quod parvum Turnerus, in extremitate nonnihil aduncum Bellonius dixit, cætera nigerrimus. Tam *frequens* est in Alpibus ut peculiarem Alpium Plinius scribat, sed & in Anglia, Creta, Cycladibus mōte *m* Jura & alibi reperitur. Apud Rhætos hyeme duntaxat cernitur. Agros frumento consertos *depascitur*. Altum vociferat, & *vocem* Merularum acutam, ac ad fistulæ sonum nonnihil accedentem imitatur. Ex ejus volatu alto frigus augeri, humili minui quidam colligunt. Pulli in cibum pauperioribus mensis cedunt.

l Plin. l. 10. H. N. c. 48.

m Bellon. l. 8. c. 6.

MONEDULA, Aristoteli λάκκος omnibus nota avis est. Caput, pedes, totumq; corpus & rostrum nigra sunt. Nigredo de cinereo aliquid participat; *rostrum* circa narium foramina albicantibus punctulis insignitur; propè ventriculum *n* gulam pro ingluvie paten-

n Arist. H. A. l. 9. c. 24.

patentiorem habet. *Loca* plana amat, sed & in altissimis turribus sæpè tam numerosè nidificant, ut in una cetum interdum nidi conspiciantur. Quia frumenti aliorumq; granorum, ubi satiata fuerit reliquias terra recondit, & spicas sub sequenti anno ex ijs colligit, ideò frumentum *o* serendi rationem hominibus ostendisse creditur. Auri & argenti *p* furacitas in ea mira. Unde Monedula à moneta dicta creditur. Gaudet in capite fricari, quasi pruriret, ideo carnem ejus pruritum inducere Albertus credidit.

o *Plin. H. N. l.14. c. 17.*

p *Ovid. l.7. Met.*

Est & aliud Monedulæ genus, quod collum habet albo torque circumdatum, fortè illud quod Hesychius & Phavorinus στεφάνιον seu coronatum dixere, fortè & illud, quod in Helvetia circa Tugium albo circulo collū ambiente distinctum, cætera alteri simillimum, reperiri, Gesnerus prodidit.

CAPUT V.

De Picis in genere.

PIca, quæ Atticis κίττα, communiter κίσσα, Laconibus κέσσα, Hesychio & Phavorino βάσκιλλος, & κεγγρὼν, alijs κίττα, κίσσα, & ποικιλις dicitur.

Genus. *Genus* ipsarum unicum duntaxat agnovisse Aristoteles videtur. Alij in *urbanas* & *sylvestres* dividunt. In nulla non regione obviæ sunt. Glandaria in Batavia rara.

Victus. *Victum* si attendas, est pamphaga. Suum alveos quandoq; cibi causa petit, & quosvis acrodryos fructus. Visa passerem *a* devorasse, sed & una, à cancro, quem è fluvio abreptum in arborem vicinam portaverat, collo sub forcipibus compresso, miserè interempta legitur. In libidinem valdè sunt proclives.

a *Cardan. l.7. c.35. de variet. rer.*

Generatio. *Ova* circiter novem parere; multos sed imperfectos imò cœcos pullos excludere *b* Aristoteles prodidit. In nidis construendis singulari utuntur artificio. Nam cum in locis spinosis figunt, terrâ intus oblinunt, foris in circuitu, infra & supra spinis diligentissimè muniunt, foramen unum (duo quibusdam placent) idq; arctissimum pro introitu relinquunt. Ova verò interdum alio transferunt. Binos frequenter exstruere, ut qui pullis insidiantur dubios reddant, prodidere nonnulli.

b *l.9. H.A. c.13.*

Volatus ipsis rarò altus, quem etiam alarum brevitate impeditæ parū protrahunt. Saliunt, & caudam more Motacillæ perpetuò moverit. Κίττας κιττᾳβίζειν *c* Pollux scribit; sed singulis ferè diebus imò horis, vocem mutare, & unius cujusque animantis imitari, certum. Puerili vagitum *d* expressisse quandam, alteram hœdi primùm veluti à matre separati querulam vocem edidisse, mox vituli instar mugiisse, ovis more balasse, tandem ad instar pastoris, cum post pascua oves ad potum deducit, sibilasse, fide digni authores prodidere. Aliquid illi apud Plutarchum *e* ne subfuerit metuo, quæ alioquin loquacissima, auditis Romæ buccinatoribus obstupuit, paucos post dies quasi expergefacta, omnem eam buccinatorum harmoniam summa cum admiratione expressit.

c *Onomast. l.5. c.13.*

d *Pausanias in Arcadic.*

e *lib. de sollert. animalium.*

Infestantur ab Alucone & *f* ululâ. Epileptico eas corripi morbo quidam prodidere. Variæ *g* quotannis cum rapæ feruntur, calvescere, proprium. In Augusto id fieri Gesnerus prodidit.

Affectus.

f *Arist. l.8. H.A. c.3.*

g *Plin. H. N. l.10. c.29.*

Vsus ipsarum & in *cibis* & in *Medicina* aliquis. Glandariæ Bononiæ in foro venduntur, sed duræ carnis sunt; Athenæus tamen Cothyin Thracum Regem apposuisse testatur. Quidam seu vino albo ad consumtionem coctas, seu in olla tostas, & in pollinem redactas, seu destillatas, oculorum hebetudini rubori, & dolori prodesse, prodidere. Nonnulli vivam in partes dissectam, laborantibus articulis imponunt.

Vsus.

* * *

CAPUT VI.

De Picis in Specie.

ARTICULUS I.

De Pica varia seu Caudata, Caudata Indica, Glandaria, Garrulo Argentoratensi, Picâ Marina, & Persica.

A Aristoteles unicum duntaxat genus Picarum, glandarium nempe ponit. Plinius id duplex, sumpta à pedibus differentia, facit, nec de vario reticet. Nos & has, & quæ sequentur, huc pertinere credimus.

VARIAE seu Caudatę caput dorsum, collum, pectus, alæ femora, cauda, pedes eorumq; digiti atq; ungues aterrima, extremum alarum albicãs, dorsum & cauda & maxima nigredine viridescendentia, tota ventris superficies candida.

Caudata INDICA quam Aldrovãdus exhibet, ex Japonia allata erat. *Rostrum*, tibiæ & pedes rubescebant. *Caput* totum & collum, quod torquis albus ambit, erant cærulea, *dorsum* & scapulæ ferruginea. A superiore rostri parte inter utrumq; oculum macula tres ferè digitos longa, & pollicem lata punctulis seu potius lineolis nigris transversalibus conspersa ad dorsum usque protendebatur. Alarum pennæ vestitrices castaneæ, sed lineis nigris crassiusculis per longitudinem positis respargebantur, reliquę virides erant. *Pectus* & venter ad anum usque candescebant. &c.

GLANDARIA, Aristoteli μαλακόκερκος seu Molliceps, recentioribus Græcis καρδινάλα, alijs Picata Granata dicitur. Differt à varia, tum magnitudine, tum maximè colore. Habet ad alarum latera transversales notas cæruleas, quales in nullo fermè volucrum genere conspicias; tam amplum oris hiatum, ut glandes integras deglutiat. *Nares* plumis albis & nigris operiuntur. *Rostrum* aliquantulum recurvatur, *lingua* bifida est. *Color* corporis varius est. Nam cervix ex rufo & cæsio mixta est. Uropygium candicat, dorsum pallescit. Cauda longiuscula est, & duodecim pennis nigris constat.

GARRULUS Argentoratensis à garritu, & loco in quo maximè degere solet, nomen sortitus est, veteribus vel ignotus, vel saltem nõ descriptus. *Caput* ipsi crassum colore ex cæruleo & viridi mixto, maculis per longitudinem albis, quæ per totum pectus ventremq; deorsum feruntur. *Rostrum* mari duos digitos longum, crassiusculum, aliquantulum recurvum. *Oculi* magni, nigri, *Dorsum* à secunda, vel tertia vertebra ad Uropygium usque castaneum. *Alarum* color varius. *Cauda* superna parte virescit, inferna partim violaceo, partim cæruleo permiscetur. *Fœmina* toto cœlo à mari diversa est. *Caput, collum, pectus ventrem* ex castaneo ad Leucephæum vergũt. *Rostrum* est crassius. *Alæ* propè scapulas cæruleæ, mox ex cæruleo virides, remiges nigræ. *Cauda* latiuscula, ex viridi & cæruleo ad fuscum inclinans.

PICA MARINA, quæ & Gaza dicitur, tota, caput, cervicem, pedes, & alarum partem si excipias, subviridis apparet. *Rostrum* habet robustum, paulò quàm in Picis longius. *Capitis verticem* coloris castanei diluti, inferiorem eius partem ad tempora luteã. *Digitos longos*, pedes insigniter aduncos, secundi ordinis alarum pennas ex castaneo dilutas.

PICA PERSICA, tota ferè subfusca est, rostrum habet breviusculum & albicans. Oculos albos. Alarum secundi ordinis pennas, cum Vropygio, & prioribus in cauta luteas, pedes subcæruleos, tabellis nigris insignes.

NB. *De Picarum generibus quibusdam exoticis vide Mantissam.* N. 5.

ARTICULUS II.

De Garrulo Bohemico, Gesneri, seu Ampelide Aldrovandi.

A Vem, quæ Garrulus Bohemicus Gesnero dicitur, Ampelidem, à *Descriptio.*

potio-

Aldro. l.12. Ornit. c.18 potiori victu, Aldrovandus appellat. Magnitudine Merulas exæquat. *Caput* habet quodammodo cōpressum, coloris ferruginei, more alaudæ cristatæ apice retrò vergēte, coloris versus rostrum subcastanei diluti, retrò subcinerei ad fuscum vergentis, terræ Vmbriæ haud dissimilis, insignitum. *Collum* breviusculum, anticâ & posticâ parte nigrum, ad latera ruftum, propè rostrum candidum. *Pectus* castaneum dilutum ad roseum vergens. *Dorsum* subcastaneum, propè Vropygium leucophæum. *Ventrem* totum subcinereum. Exteriores *alarum* pēnas nigras maculis spactatu jucundissimis insignitas. Nam primæ numero septem solidæ & quodammodo cartilagineæ albæ sunt, appendices cinabaris instar rubescunt, has aliq; maculis luteis perornatæ, literam L. figurâ exprimentes subsequuntur, sicq; dispositæ sunt, ut in quibusdam septem, in alijs sex, in quibusdam quinq; tantum appareant. Vltimæ maculas albas habent. Cauda maris decem, fæmellę duodecim pennis constat. *Interiora* si spectes, ex Anatome habeto. *Intestina* in dissecta duos dodrantes longa fuisse, absq; revolutionibus & anfractib., ideò celerius fæces excernebat. *Ventriculum* in medio epatis velut recōditum, exiguum, carnosū & duro callo obductū; tunicam in eo substantiæ diversæ, uveæ quoad colorem non dissimilem, durissimam & quasi cartilagineam; *Iecur* in duas partes æquè divisum, pro sua magnitudine maximum. *Lienem* exiguum, linguæ humanæ figurâ, oblongiusculum: *Pericardium* duplicatum, & veluti pinguedini mersum: *Pulmones* qui in omni ferè avium genere ad medias usq; costas protenduntur, colli & dorsi vertebris & costarum duntaxat superiorum principijs adhærentes; *asperam arteriam* in principio laxiorem & ovalem, mox angustiorem, tandem latiorem iterum: *Linguam* duram & osseam, & in extremo, ubi velut alas quasdam habere & sagittam præ se ferre videtur, bifidam, & quasi in duas aciculas divisam. *Os hyoides*, quod reliquis animantibus pro implantatione linguæ datum est, ab osse occipitis ad latera foraminis, per quod spinalis medulla à capite ad dorsum transmittitur, originem suam deducere, & ubi ad radicem linguæ conjungitur, acutissimum angulum efformare videbatur. Ejus medio asperæ arteriæ caput insertum erat. *Oculi* intus adeò magni, ut cerebri ipsius magnitudinem superare viderentur. *Cerebrum* sphæricam referebat figuram; & superiores ipsius ventriculi ad mediam regionem capitis collocabantur.

Locum si attendas, Bohemiæ quidem peculiaris est, sed migratoria eadem. In Italiam delatæ, in Placentino & Mutinensi agro, ubi XL. simul capiebantur, morabantur; in Ferrariēsi, nullæ visebantur, fortè quod terræ motum ibi futurum prę̄sensissent. Anno 1552. inter Moguntiam & Bingam, in tanta copia apparuere, ut, qua trāsvolarent, ex earum umbra, veluti nox induceretur. *Locus.*

Victus ipsis uvæ, ligustri, juniperi, Cynorrhode baccæ, pineæ nucei, uvæ passæ, poma, amygdala. Baccas hederæ, carnem, & frumentum nonnisi famelicæ attingunt. *Volant* pernicissimè & gregatim. *Victus.*

Vox earum erat ziziri, unde fortè zinzivellæ quibusdam dicuntur. Facilè cicurantur. *Vox.*

Cibum sibi invicem offerunt, mas fœminæ, fœmina mari. *Caro* saporis est in cibo gratissimi. Nec ergo verè esse Pica videtur, quamvis jam, quia de genere non constat, inter eas reposita sit; quia linguam latam non habet, nec *incendiaria* Plinii, quia nec in incēdiis nascitur, nec carbones apportare visa est, nec *avis Hercynia* Plinij, quia ei noctu lucere non competit, utut in Voitlandiæ sylvis, quædam Turdi minoris magnitudine, colore partim cæruleo, partim aureo, quam croceo, talis esse dicatur; Nec *avis Nova* Plinij, quia columbo minor est. Nec denique *Merops Aristotelis*, qui nec apibus insidiatur, nec vermibus vescitur.

* * *

ARTICULUS III.

De Pica Brasilica & Rhinocerote ave.

PIca Brasilica, alijs à rostri magnitudine Ramphastos, Hipporynchos, & Burynchos, aliis Barbara & Piperivora dicitur. Magnitudo ipsi inter Picam & Merulam media. *Caput* pro corpore majusculum & crassiusculum & atrum. *Rostrum* duos palmos longum, unum latum, serratum, & velut è squammulis quibusdam compactũ, substantiæ ad instar membranæ tenuissimæ, osseæ, splendidæ, levissimæ, cavæ, atq; aëris intus capacissimæ, unde Naribus carere crediderim. *Oculi* in medio capite, illiq; maiusculi. *Collum, dorsum*, atq; alæ nigræ. *Pectus* aureo colore cum quadam rubedine propè initium micans. *Venter* & fœmora cinnabarino colore vestita. *Cauda* nigra, & in extremitate insigniter rubescens.

Victitat pipere, quod avidissimè devoratum, inconcoctum & crudum adhuc eiicit. Incolæ, vim ea ratione piperis domitam credentes, recenti illud præferunt.

RHINOCEROS à cornu, quod in fronte gestat, ita dicitur. Occisa in ipso volatu tum esse dicitur, cum Turcas Christiani ad Naupactum superarent. Caput erat duorum propemodum dodrantum, cirrhis nigris, altis, deorsum spectantibus ornatum. Rostrum quatuor ferè dodrantes lõgum, instar arcus cuiuspiam recurvum. Inferior pars tota ex luteo albicabat; supina versus caput colore miniaceo, reliquum ex luteo, albescat. Cornu è fronte enascebatur, & supinæ rostri parti adhærebat, prope frontem palmum unum latum, in fine recurvum, colore supera & infera parte miniaceo, mediâ luteo, &c. Fit taliũ Avium apud veteres mentio. Nam & Hesychius Rhinocerotem avem in Æthiopia reperiri scribit; & *Tragopanda* Plinii, Aquila maior, capite phæniceo, cornibus in temporibus insignitur; & *Tragopa* solini in capite arietinis cornibus armatur; & Pomponius Mela eiusmodi aves *Tragopæmanes* appellat. Et Cardanus avis meminit Aquilâ maioris, ex luteo & rubro splendidæ, ex cuius rostro fulvo cæruleoque capuli parentur. *Salig. Exercit. 231. §. 3.*

CAPUT VII.

De Loxia.

LOXIA seu corvi rostra, Trogon Plinii Roberto Constantino esse, videtur; ignota sine dubio Aristoteli. *Descriptio.* Magnitudine parum maximum vincit. Rostrum habet contra omnium avium morem ab utraq; parte recurvum, crassum & admodum robustum. Vnde ipsi nomen est. Colorem singulis annis hyeme inprimis, mutat, ita ut nunc ad viridem, flavum, nunc ad rubrum & cinereum vergat. Rubere primum solet pectore, collo, & vẽtre, deinde flavescere. In vertice, cervice, & circa oculos cæruleus apparet; in cauda & extremis alis nigricans, crura rubicunda.

Plurima Germaniæ *loca* incolit, in Italia rarius videtur. *Locus.*

Victitat seminibus cannabis, nucleis abietum, &, ut quidam produnt, cadaveribus. Voracissima autem est. *Victus.*

Nidificat in abietibus, & verisimile est à cauda de ovo exire, seu quod, si reliquarũ more prodiret, exitus à rostri curvitate impediretur; seu quod, cum media hyeme nascatur, subinde ab ambientis inclementiâ, calor animalis suffocaretur. Hyemali tempore *cantat*, & quidem suaviter, in æstate abstinet. Caveis inclusa Psittacorum more sursum atque deorsum reptitat. A potu pocillum rostro si potest abiicit, imaginem fortè suam in aqua conspicata. *Generatio.*

TITVLVS VII.

De Noctuis.

CAPUT PRIMUM.

De Bubone.

ABsolutâ Avium diurnarum Carnivorarum historiâ, ad Noctur- *Aldrov. Ord. l. 8. c. 1.*
nas deflectendum est. Hæ verò ob cæsios

cæsios oculos γλαυκῶπας, dicuntur, & magnitudine inter se differunt. Oculos magnos amplos & cæsios habent. Non solum in tenebricosis montium & rupium cavernis, sed & in cavis arboribus, desertis ædificijs, domorum, templorum, & turrium tectis latent. Inter duo denique crepuscula, *a* (de nocte parum aut nihil vident; de die excedens sensibile sensum lædit) lacertas, scarabęos, apes, vespas, mures, hirundines, interdum lepusculos, & cuniculos rapiunt. Numerantur autem inter rapaces nocturnas. *Bubo*, *Asio sive Otus*, *Scops*, *Aluco*, *Vlula*, *Noctua*, *Strix*, *Caprimulgus*.

a *Arist. l. 9. H. A. c. 34.*

BVBO, qui Græcis βύας, βύπαλος, σκλόψ, βαφος; Goropio Becano, cum Aristotelis Cyminde, Chalcide, Hubride, & Ptynge, idem: Aristoteli fortè Ascalaphos, omnium nocturnarum est maximus, *b* nec Aquilâ minor. *Corpus* ipsi breve, & propter caudæ brevitatem veluti decurtatum. Corporis tegmen plumeum ferrugineo seu obscuro quodam æris colore est. Maculis nigris sparsim & incerto ordine respergitur. *Caput* habet, adeò grāde, ut ob ejus magnitudinem pullus à cauda primum in lucem † prodire credatur; frontem orbiculatam seu teretem, plumis velut aurib. eminentibus in regionibus prout in Oto, insignitam. Cavernas ad auditum patulas, hocce pennarum ornamento ob magnitudinem tectas. Oculos maximos, & quiligneo splendore, ingenti magnitudine, & truci obtutu, terrorem aspectantibus incutiunt. *Rostrum* aduncum; Collum pro sua magnitudine perbreve; Ungues Aquilinis majores; crura brevia. Cujus *c* Gesnerus iconem exhibet, magnitudine Anserem vincebat. Alas habebat ad tres dodrantes longas. Caput magnitudine & forma felinum. Pennæ supra vtramq; aurem nigricante, & tres digitos subrigebantur. Cujus Aldrovandus, *d* in multis ab illo differebat. Nam huic quidem etiā ad extremos usq; digitos crura; sed breviora, graciliora, nec ita supra genu torosa. Color ei erat per totum corpus ex cinereo ferrugineus, in pectore potissimum; ubi etiam sub nigris maculis per longum ductis, promiscuè respersus erat. Dorsum & alæ è ferrugineo magis susceſſebant. Et cum ille Gesneri in singulis totius corporis plumis magis variegatus, & tenuibus quibusdam lineolis, transversim ductis Accipitrum & Anatum instar, minutim distinctus fuerit: & universo corpore magis verò dorso & capite, maculas quasdam incerti ductus, lituris nigris, crassis, & quodammodo figuratis gesserit: hic in alarum pennis majoribus, & cauda, lineis subnigris, transversis, largiusculis, distinguebatur; quæ ita efformatæ in cauda præsertim fuere, ut singulæ latiores supernè & infernè instar fimbriarum triplici ordine dispositæ, alijs subtilioribus, clauderentur.

b *Arist. l. 8. H. A. c. 3. Strabo Geogr. l. 17*

† *Plin. l. 10. H. N. c. 16.*

c *Gesner. in Ornith.*

d *Aldrov. Ornith. l. 8. c. 2.*

Locum si spectes deserta *e* incolit, nec tantùm desolata, sed dira etiam & inaccessa. Inter sepulchra etiam diu noctuq; versatur; aliquando propter mures, & juxta horrea reperitur. Cœtum aliarum avium fugit. Hinc solicana & devia *f* vocitatur. Nidulatur in altissimis rupibus, ne fœtum injuriis exponat, & ut securius ad prędam evagetur. Ovum ejus Plinij tempore vix visum *g* est, nostris non adeò rarum.

Locus.

e *Plin. H. N. l. 10. c. 12.*

f *Ovid. in Epist.*

g *Plin. H. N. l. 29. c. 4.*

Cibus ipsi *h* carnes avicularum, cuniculorum, & leporum. Tantum prædæ, dum pullos educat congerit, ut & venatoribus satis lucri adferat. Templa noctu frequentare, ut se oleo ex lampadibus ingurgitet, vix credi potest. Noctu autem victum quærit, & sublustri crepero gaudet in vespere. Vnde Noctiſicana, & *i* noctis mōstrum vocatur. Si diuturno tempore prodeat, ab aliis avibus cu visu insolens, convellitur. Roboris est magni. Visus & feroces canes abegisse, & cum Aquila depugnasse. Si se viribus imparem sentit, in dorsum supinus procumbit, unguesque ac rostrum sic adversum erigit, ut hostium nullus accedere audeat.

Cibus.

h *Arist. H. A. l. 8. c. 8.*

i *Plin. l. 10. c. 12. H. N.*

Quantum ad *volatum k* vix movet natas per inertia brachia pennas, nunquam volat *l* quo libuit, sed transversus. Hebetes ipsi interdiu oculi, minus tùm quàm Noctua videt. Non cantu

Volatus.

k *Ovid. l. 5. Metam.*

l *Plin. l. 10. c. 12.*

m Plin.l.c. cantu *m* aliquo, sed gemitu vocalis est, & bubulare, quod Græcis est βύζειν, dicitur.

Vsus. *Vsus* ejus est, tum in *Aucupio*. Nam & aviculæ dum eam interdiu circumvolant, & percutiunt, facillimè retibus capiuntur; & Galli *n* ejusdem opera, Milvos venantur: tum in *cibo*. A quibusdam enim editur: tum in *Medicina*. Cerebrum vulnera cum adipe anserino glutinat; cum aphronitro scabiem sedat. Sanguis asthmaticis est utilis. Cor ejus, si impositũ *o* mammæ mulieris dormientis sinistræ fuerit, ut omnia secreta pronunciet; si axillæ, ut canes obmutescant; efficere, sed falsò tradunt. Creditur *p* Agrippę Romę captivo, primo regnum cum libertate, post mortem portendisse; Chingis Canum ab hostibus victum, quasi servasse, ideò à Tartaris honorari, serenitatem deniq; si totam noctem cecinerit, portendere.

n Bellon. l. 2. de Avib. c. 28.

o Plin. H. N. l. 29. c. 4

p Ioseph. l. 8. Antiq. c. 8.

vide Haython. 24. l. Orat. Cap. XVI. p. 17. b. edit. Reinec.

CAPVT II.

De Asione seu Otò.

Descriptio. ASio seu Otus fortè ab auribus qui, Alexandro Myndio apud Athenæum Lagotia, quod aures leporinas habeat; aliis apud Aristotelem *Nycticorax*; quia Buboni per omnia, magnitudinem si excipias (magnitudine columbæ esse scripsit † Atheneus, quod de maximis intelligendum,) est similis, ternos quoq; digitos habet anticos, posticum unum (malè noctuę similem Plin. *a* dicit malè & Gaza τὸν σκόπτα per Asionem apud Aristotelem vertit; & Oppianus, *b* cum * Athenæo Otum cum Otide confundit) Bubonem sequitur. Aldrovandus *c* binos describit. Priori *caput* erat auribus velut cornibus plumeis insignitum, cinereo, bætico diluto & nigro ad supercilia usque & nares prope modum colore varium. *Facies* tota anterior, è cinereo candicabat, minutissimis plumulis veluti pilis tota obsita. *Corpus* totum è cinereo seu leucophæo ad ferrugineum dilutum vergebat, maculis, ubique fuscis consperſum, tam majusculis, quàm punctorum instar minutissimis. Per *ventrem* notæ fuscæ in longum rectà ducebantur, & in acumen desinebant &c.

† Athen. l. Dipnosoph.

a Plin. H. N. l. 10. cap. 13.

b Oppian. in Cyneget.

† Athē. l. 9.

c Aldrov. Ornithol. l. 8. c. 3.

Alterum semipalmum in longitudine minus, Fulvum Aldrovandus appellat. Toto propemodum anteriori corpore maculas fuscas, in longũ protensas, & singulis plumis albicantibus decussatas, ut crucis aut lilii Francici referrent, figuram, habebat. *Crura* & pedes ad ungues usq; hirsuti, uti totum corpus, flavescebant. *Cauda* infra alarum longitudinem, uno ferè digito erat. Describit & Bellonius *d* tertium, auribus patulis, cruribus ad ungues pilosis, facie Aluconi simili, ventre maculis nigris variegato. Caudâ alarum longitudinem æquante, ululâ multò majorem, qui vel superiori est similis vel Aristoteli incognitus & Arvernis in Gallia montibus peculiaris species, dicendus. Cranii Anatomen vide in Aldrovando. Auris & oculi hisce verbis idem exequitur. Avi huic supra aures cutis in longum producitur complicata, rugosa, sponte concidens, & meatum eo loco occludens, instar membranarũ, quę tamen in amplissimum, si voles, ambitum deduxeris. Sunt enim laxæ, implumes intus, candidæ, foris verò minutissimis & pulchellis plumulis consitę, & quę orbem venustum in marginum ambitu constituunt. Non alteri rei magis appositæ, hasce cutaneas valvas, quam branchiis piscium compararim. His apertis, auditus foramen amplum ac patulum in medio apparet, multis anfractibus instar humani tortuosum. Oculus inventus fuit substantia quadam cartilaginea, velut capsula circumclusus, non tamen undique. Nam infra in parte oculi posteriori haudquaquam membrana hæc substernebatur, sed circumquaque ad latera, à qua circulus supra totum oculum exporrigebatur, ante quidem hâc membrana angusta erat, intra verò & qua magis ad posteriora vergebat, dilatata. Oculus ipse ante orbicularis erat retro sessilis, & compressus, longè quã vel in medio latior. Resecta cornea uveam ab illa intus plurimo nigrore tinctam & veluti atramento perfusã, quippe quæ etiam humores subjectos digitis

d l. 8. c. 3.

digitis contrectata tingeret, observavi. Huic in orbem alia tenuissima pellicula instar annuli circũponebatur, crocea, seu aurea per totam substantiam, ita uveę connata, ut nullo modo integra ab ea secerni posset. Hujusmodi sanè nullam, quod equidem sciam, in alijs animantibus reperiri puto. Duæ igitur hæ membranæ coloribus diversis tinctę, & per corneam transparentes, horrendum illum nocturnarum avium oblutum faciunt, concurrentibus simul è nigro & croceo ex adverso radijs & velut flammæ è silice excussæ micantibus. Humor crystallinus minimè durus aut solidus erat, qualem in Aquilis & alijs observavimus, sed tener & molliculus, utpote qui facillimè vel sua sponte dissolutus refecta cornea simul cũ aqueo humore effluerer.

Locus. *Locum* si attendas, montes plerunq; inhabitat, locaq; edita. In montibus Arverniæ copiosi inveniuntur, & in Italia in monte Plumbicio passim sunt obvij. In Ciliciæ campis de die inter Ambrosiæ plantas abditum Bellonius invenit, cũ tamen eo loci, ne ad quartum quidem milliare, arborem ullam nascentem videre liceat. Nidulatur in arborum cavernis, & foraminibus *e* Aristoteli & *f* Plinio *migratorius* est. Nam cũ Lingulaca, matrice, & Cynchramo, Coturnicibus hinc proficiscentibus ducem esse scribunt.

e Arist. H. A. l. 8. c. 12.
f Plin. l. 10 H. N. c. 23.

Volatus & Vox. Levi faciliq; *volatu* fertur. *Vocem* edit ei similem, quâ homo frigore affectus reclamare solet hu, hu. Repetit eam solis occasu instante, aliquanto intervallo interposito, soneram, tanquam si fistulâ tenui ederetur. Cum à quopiam lacessitur, sibilum aut crepitum emittit, qualem felis solet. In pugna eadem ratione se defendit ac Bubo. κοβάλῳ ἔοικε καὶ μιμητὴς *g* Aristoteli, seu quod instar mimorum ac parasitorum collum contorquendo nunc in hanc, nunc in illam partem ridiculos & mimicos gestus edat, seu quod imitatione gaudeat: Quicquid faciẽtem aucupem cernit, idem quoq; agit. Stant *h* illi è regione, & v[illegible]oso quodam Pharmaco oculos inungunt, illud post in pelvibus relinquunt & abeunt. Accedit Otus & oculos sibi conglutinat, sicq; capitur. Aristoteles *i* cum in altero aucupe intentum, ab altero circumveniri reliquit. Magi recenti Asionis felle glaucomata curari dicunt.

g l. 8. H. A. c. 12.
h Athen. l. 9. Dipnosoph.
i Arist. H. A. l. 8. c. 12. Athen. l. c.

NB. *Est & genus exoticum Oti, de quo vide in Mantissa.*

Num. 2.

CAPUT III.

De Scope.

SCops, *a* Alexandro Myndio absque *σ* apud Latinos nondum invenit nomen, quamvis Bellonius † Ululam ex ipso faciat. Græcis vel à voce inepta, *b* vel quod ἐν σκιᾷ ὦπα habeat ἐνέργον, seu noctu maximè cernat, vel quòd varietate gesticulationum, quibus naturaliter utuntur homines, σκωπτόντας, id est, qui alios deludere solent, referat, sic dicitur. Habet ferè cum omnibus noctunis aliquid commune. Cum Bubonibus & Otis, quòd auritus sit. Cum Ululis & Alucone, quod pedes utrinq; in æquum digitorum numerum dispertitos habeat. Cum Noctuis, quod pedum compositione, figurâ, colore deniq; & magnitudine, his quàm alijs propior sit. Ab Athenæo & Aeliano ita depingitur, vt minor Noctuâ esse, in colore plumbeo albicantia puncta habere, & ab utrisq; temporibus duas pinnas subrigere, dicatur.

a Athen. l. 9. Dipnos.
† Bellon. l. 2 de Avib. c. 35.
b Eustat. in Odyss. 5.

Duplex apud *c* veteres ipsorum *genus.* Alij sunt *vocales*, qui omnib. temporibus patent, ideò ἀεισκῶπες dicũtur, glauci sunt ac esui propter vitium carnis inepti. Alij *muti* qui autumno interdum apparent, nec plus uno vel altero die commorantur, Scopes absolutè dicuntur, & ab Aeiscopib. crassitie differunt, turturi & palumbo similes. Tot & apud Neotericos differentiæ. *Vna* Italiæ frequens, quam isti Chiuuino vocant. *Altera* huic apud Germanos similis, paulò albidior, caudâ & auriculis longioribus. *Illa* prout ab Aldrovando describitur, noctuâ est minor, palumbo par, omniũ ferè nocturnarum minima, illam si

Genera.
c Athen. l. 9. Dipnos. ex Callimacho.

excipias, quæ Alaudam non superat, & rara est. *Caput* ei teres plumulis coloris ubiq; plumbei vestitum. Aurium plumulæ unâ tantum pinnulâ constabant, quę in mortuo vix appareat. Totius corporis superficie tenus color cinereus est, hinc inde nonnihil admixto, plumbeo, maculis albicantibus distinctus. Majores alarum & caudæ pennas, maculæ albæ, transversim ornant; minores reliquas omnes etiam linea in longum nigra secat. Circa collum & alarum initium ruffo decore promiscuè respergitur. *Pedes* habet exiguos fuscos, ad plumbi colorem obscurum accedentes, squammosos, depiles, in digitos binos anticos, & totidem posticos dispartitos, unguibus fuscis instructos.

Generatio. De *Generatione* ipsius nihil exploratum esse scribit *d* Aristoteles, nisi quòd Favonijs flatibus appareant. Plinius *e* amplius nasci negat, fortè quòd ipsorum satyricos motus, cum insidet, plęrisq; memoratos concipere mente non possit.

d *Arist. l. 9. H. A. c. 28.* e *Plin. l. 10 H. N. c. 49.*

Vox. De *Voce* superius dictum est. Quod ei ex *f* Athenęo potius quàm Aeliano à Gyllio applicatur, πάντα τὰ τῶν ζώων εὐγλωττα καὶ διηρθρωμένα εἶναι τὴν φωνήν, quasi omnes oris expressione & articulata voce longè superet; ad aves, quarum lingua latiuscula pertinet. Ridiculos sæpè exercent gestus. Cum enim colla retrò agilia habeant, caput modo adducendo, modo protendendo, vertice nutando, humeros, jactando, & saltitãdo, histriones imitantur. Vnde Scops saltationis apud antiquos genus, quod & Scopiam *g* nominabant, ἔχον τινὰ τῶ τραχήλα περιφορὰν κατὰ τὴν τῶ ὄρνιθος μίμησιν. Habebant quandam colli circumvolutionem ad avium imitationem. Perire mali Punici grano, Gyllius in Aeliano *h* addit.

f *Athen. l. 9. Dipn.*

g *Pollux l. 4. c. 14. Meurs. in Orchestra.*
h *Aelian. l. 6. H. A. c. 46.*

CAPVT IV.

De Alucone & Vlula.

ALVCONIS, qui Græcis ἐλεὸς, non ἐλειὸς, nec ἐλαιὸς, nomen, vel ab Italorum Alochone Gaza formavit; vel à Germanorum, ut Lazius vult, locken, quod allicere significat, desumptum est. Duo *a* ipsorum sunt *genera*. *Vnum* majus, *alterum* minus.

a *Bellon. l. 2. de Avib. c. 32. Aldrov. l. 8. c. 5.*

Majus Caponis est *b* magnitudine, hoc peculiare habet, ut palpebram à summo oculo ad imum adducens, cõniveat. *Auriculis* caret; sed eorum loco coronam quandam è plumis constructam, quæ faciem totam, pinnulis supra oculos superciliorum altorũ modo, elevatis, & utrinque per tempora nec non sub mentum descendendo in orbem coëuntibus, flammei muliebris formâ, habet. *Rostrum* ipsi album. *Oculi* in cavitatem profundam, à plumulis undique surrectis constitutam, magni, & toti atri immerguntur. *Dorsum* coloris est plumbei, notulis albidis variegatam. *Crura* plumis candidis conteguntur, *pedes* duntaxat pilis. *Incolit* tam loca campestria, quam saxa prærupta, rimas turrium, & cavernas quercuum. Muribus & aviculis & inter has *c* picis *victitat*. Quod fortè animalculum cœpit, deglutit, integrũ. Tam ampla enim ei gula, ut bolos ovo majores integros transmittat: neque quicquam cibi sumit antequam ossa, pilos, & plumas rejecerit. Transversim, Ardearum more inter *volandum* fertur.

b *Arist. H. A. l. 8. c. 5.*
c *Arist. l. 8. H. A. c. 3.*

Minus simili cum majore maculorum diversitate variegatur, domesticam columbam magnitudine non excedit. Vertex capitis, collum, dorsum, alæ ad pennas remiges usq; plumis vestiuntur ab initio propè radicem cinereis obscuris; reliqua ferrugineis dilutis. Anterior *capitis* pars, plumulis candidis in formam flammei cincta videtur, quas circulus luteus undiquaq; ambiens claudit. *Oculi* nigerrimi versus interiorem canthum plumeis luteis obsidentur.

Tibiæ & pedes villis horrentes nonnihil rubent, binis ante & totidem retrò digitis instructi. *Vnguibus* armatur longis, validis, acutissimis, & aterrimis.

Vocem noctu edit adeò terribilem, ut pueris & fœminis terrorem incutiat. Rarior multò cõspectu est, quàm major. *Vlula flammeata* Generi eadem cum Alucone.

Vox.

VLVLA, Græcis αἰγώλιον, ὀλολυγὴ, & ὀλο-

d Gesner. in Ornitholog.

ὀλολυγὼν dicitur. Quę à Gesnero *d* describitur, magnitudine erat Gallinæ, vel supra, colore rufta, vel nigro respersa. *Rostrum* breve & aduncum albicabat. *Oculos* habebat magnos nigros, pupillam obscurè ruffam, pinnulas inter oculos & rostrum multas, densas, cinerei ferè coloris, margines *palpebrarum* rubicundi, membrana nictati supernè abducebantur. *Collum* erat multum retrò agile. *Crura* albicantia punctis conspersa lividis, hirsuta ad pedes usq;. Pedum digiti bini antè, totidem retrò. Quam *e* Aldrovandus describit, & inter ululas, quod vocem non flebilem ejulando, sed Gallinaceorum haud absimilem rostro frendēdo, ediderit, reponere metuit. Caput, dorsum, alas, caudam colore cinereo, maculis albicantibus ac nigris distinctam habebat, sub ventre albicabat, & nigris maculis variegabatur. Capite erat valdè magno, tereti, enormiter crasso, admodum plumoso. Oculis ex toto nigricantibus, & plumulis albis undiquaq; in orbē cinctis, in quorum ambitu, ad palpebrarum oras lippientium, instar rubescens circulus conspiciebatur, superiori tātum palpebra inter nictandum oculus cōtegebatur. Rostrum erat subvirescens, &c.

e l.8. Ornithol.c.6.

Locus & Cibus.

Colit & campestria & saxa, ἀθαλῶ *f* est, *seu gemini cibi*. Fruges in humilioribus colligit. In excelsis rapinas agit, & carnes in cibum parat. Picas *g* venatur: sed & *h* colorem (subest mendum, nec nota cuiquam avis) forte collurionem, rapit. Est νυκτινόμος i καὶ ἡμέρας ὀλιγάκις φαίνεται, Noctu vagatur; de die rarò apparet.

f Arist l.9. H.A.l.17.
g Arist H. A.l.8.c.3.
h Idem.H. A l.9.c.1.
i Idem l.9. c 17.

Generatio.

Parit quaternos, si benè Plinius *k* Aristotelem † intellexit. Nam ne de Aetolio Milvo res sit verendum est. *Vox* ejus est ululare, seu mœsta & flebili voce plangere, idq; *m* vespertino tempore.

k Plin.H.N l.10.c. 16.
† Arist. H. A.l. 6.c.6.
m Apul.l. 2.Floridor.

Fel ejus prædicatur ad albugines, suffusiones, & caligines. *n* Adeps ad claritatem.

n Plin.l.29 H.N.c.6.

Vsus.

CAPUT V.

De Noctua in specie sic dicta.

Generatio & descriptio.

NOctua Latinis quòd noctu canat & volet, Græcis γλαῦξ, κοκκοβάξη, a κξίγη, & πυτὼ dicitur. Duplicis ipsarum *generis* mentionem faciunt Authores, *Majoris* nempe & *Minoris*. Utriq; *collum* breve, gulæ pars inferior paulo latior. ὑποφυάδες seu *appendices* infra *b* ubi intestinum desinit paucæ, *lien* tam parvus *c* ὥστε λανθάνειν ὀλίγας τὴν αἴσθησιν, ut sensum multorum effugiat. *Cauda d* brevis, & si *e* Bellonium audimus, pedes pilosi, *Capitis* vertex ex plumularum ibidem positu veluti introrsum excavatus. Quæ ab *f* Aldrovando describitur, erat columbæ magnitudine, *capite* majusculo supernè depresso. *Oculis* magnis & glaucis. *Rostro* ongiusculo, dilutè flavo, *corpore* toto plumis partim bætico partim albo distinctus. *Cruribus* plumosis, & ad pedes usque hirsutis, coloris è cinereo bætici. *Pedum* digitis subfuscis, cinereis, implumibus. Quam Germani *saxatilem* nominant, tota parte prona fusci, modico rufo permixti, & albicantibus maculis distincti est coloris. Crura & digitos pedum habet hirsuta, plumis albidis. *In extincta rostrum superius rubebat, cum prius in viva rubere non videretur.* Inter oculos & rostrum pennulæ quædam ceu pili aut barbulæ rigent.

a Hesychius in Lex.
b Arist.H. A.l.2.c.ult.
c Idem l.2. c.15.
d Albert. l.23.
e l.23.de Avib.c.32.
f Aldrov. Ornithol. l.8.c.7.

Locus.

Locum si attendas, in Creta nasci negat *g* Plinius, illatam mori tradit, nec in Alpinis Helvetiæ regionib. inveniri scribit. E Gallia Cisalpinâ, Lōgobardia, & Germania ad Rhenum eò advehuntur. In Attica *h* plurimæ. Unde Noctuas Athenas. Saxatiles montana & saxosa incolunt. Ideò ad frigus arcendum plumas cruribus & digitis natura induit.

g Plin.H. N.l.10. c.29.
h Apostol. Cet.6.Proverb.41.

Victus.

Cibus ipsis vespæ, apes, lacertę, *i* mures, quarum *k* cicuratæ, in domibus etiam venationem exercent, semel saturatæ trium dierum inediam perferunt, nec novem abstinentiâ læduntur.

i Arist.H. A.l.8.c.3.
k Crescent. l.10.c.16. de Agricult.

Generatio.

Quantum ad *Generationem*, quod de Bubone, id & de hac *l* Plinius dicit, solam inter uncungues, & carni voras non cœcos parere pullos, Eustathius & Varinus falsò tradunt, nec verius, cum formicas à suis pullis abigere cupiunt, vespertilionis cor in nido tanquam amuletum habere, Oppianus reliquit. Si enim ipsa lepus est, cur aliunde pulpamenta quærat. Nec de die ominò *cæcutire* verum; nec propter insitam vim igneam *tenebras penetrare*, ac luna silente videre, quod Eustathius, & Varinus scribunt. Die, *m* exorto quasi splendore visus ejus hebetatur, & quasi quibusdam errat in tenebris. Sicca nimis & tenuis humoris substantia facili negotio dissipatur. Noctu, quia aëre qui visionis medium est, non illuminato, objectæ colorum species non exprimuntur; si propius *n* accesseris, haud loco sese movebit. Moderata lux quia Noctuæ conveniens, ideò θηρεύει ὁ ἄχρις ἑσπέρας καὶ περὶ ὄρθρον, per vesperam & circa matutinum crepusculum venatur. Sonum edit duplicem, unum tou, tou; alterum vocant cucabare. *p* Aristophani κικκαβᾶν. Pollux *q* eam νύζειν scribit. Nigidius *r* novem habere voces prodit. Apulejus *s* serum & intortum ejus cantum vocat.

l *Plin.l.*10. *H.N.c.*17.

m *Ambr.l.* 5. *Hexam.* *c.*24.

n *Bellon. l.* 2. *de Avib.* *c.*24.

o *Arist. H. A.l.*9.*c.*34

p *In avib.*

q *Pollux Onom. l.*5. *c.*13.

r *Plin.l.*10. *c.*17.

s *l.* 3. *Milesior.*

Est etiam *saltatrix*, & corpus & cervicem frequenter in orbem contorquẽdo, nunc torvò & fixo obtutu hominem aspicit; nunc capite huc illuc acto scurras & histriones imitatur. Luce *t* vagantem aviculæ reliquæ sturnatim admirantium specie primò circumvolitant, mox impetunt. Ab his *u* circumdata, resupina pedibus repugnat, collectaq; in arctum, rostro & unguibus tota tegitur.

Ingeniũ.

t *Crescent. Agricult.l.* 10.*c.*6.

u *Plin.l* 10 *H.N.c.*17.

Inimicitia.

Inimicitias gerere dicitur cum *x* cornice, seu quod sibi ova meridie absumat, seu propter aliam causam. Lucretius *z* sanè cornices metu Noctuarum in Athenarum mœnibus unquam volasse negat: cum orchilo, *a* ejus ova itidem exedente; cum Pico Garrulo, & ovib. Contactu frondium platani torporem contrahere, sic à ciconiis à nido submoveri, fabulatur Aelianus. Auxiliatur *b* ei contra aviculas collegio quodam naturę passer, bellumq; partitur.

x *Arist.H. A.l.*8.*c.*1.

z *l. de Natura rerũ.*

a *Arist.l.*9. *H.A.c.*1.

b *Plin.l.*10 *H.N.c.*17.

Vsus.

Vsus captæ tum in *aucupiis*, prout in Oto dictum est: quod genus aucupii hodiè, à pipatu avium circumvolantium noctuam Pipatam vocant. Unde Pipare quod decipere; tum in *cibis*, apud tenuioris fortunæ homines; tum in *Medicinâ*. Nam cibus aquâ in qua Noctua lavit perfusus, Gallinarum pituitam pellit. Sãguis inter psilothra numeratur, jecur parotidas sanat. Anginis cerebro succurritur. Ebriosis ova pertriduum in vino data, tædium eius adducunt.

Præsagiũ.

Præsagia si respicias, si nemore deserto frequentior in urbibus apparuerit, sterilitatem; si vespertino crepusculo de suis lustris citius pro consuetudine egressa, plurimum cucubaverit, pluvias; si *c* pluviâ durante, cessaverit, serenitatem, polliceri creditur.

c *Aratus in phænomenis.*

NB. *De Noctuæ genere exotico vide Mantissam.* N. 2.

CAP. VI.

De Strige & Caprimulgo.

Descriptio.

STRIX quænam sit avium, non cõstare arbitratur *a* Plinius. Ovidius cam brevi compendio descripsit, dum scribit

a *l.*11. *H. N.c.*39.

--- Strigum
Grande caput, stantes oculi, rostra apta ruinæ,
Canicies pennis, unguibus hamus inest.

Ubera eas infantium labris immulgere, sanguinem in cunis noctu exugere, imò & dilaniato unguibus corpore mortem afferre, credidit superstitiosa *b* Antiquitas. Isidorus *c* verò propriis pullis lacteum humorem instillare, cosq; ultra modum amare prodidit.

b *Ovid.*6. *Fastor.*

c *l.*12 *Origin.c.*17.

Vox.

Vox ipsarum propriè stridor est Latinis. Omen semper triste habebatur.

Aldrovandus *d* huc *nocturnã* quandam *avem* refert, quæ habebat caput magnum, rotundum, anteriore parte plumulis exiguis, in orbem velut flãmeum positis exornatum. *Oculos* grandes cum iride dilutè flava ac pallente, pupil-

d *l.*8. *Ordmthol.c.*8.

pupillas maximas, & vehementer atras. *Rostrum* corneum, fuscum. Pennas, universi corporis ferrugineas, maculis fuscis in remigibus transversim distinctas. *Caudam* palmo ferè alis longiorem. *Crura* ad digitorum ungues usq; instar pedis leporini pilosa. *Digitos* pedum binos ante, totidem retro. Magnitudine erat Asionis. Dicebatur caprarum ubera exugere.

Descriptio. CAPRIMVLGVS etsi specie à reliquis multum differat; nocturnis tamen, ratione visus accensetur. Græcis Αἰγοθήλης παρὰ τὸ ἐξ αἰγὸς τεθηλακέναι, quòd capras sugat, dicitur. Magnitudine est *e* paulò major quàm Merula, minor quàm cuculus, seu ut Plinius, *f* grandioris Merulæ aspectu. Cujus iconem Aldrovandus exhibet, erat cuculo ita similis, ut nisi inusitata pedum, crurumq; exilitas & brevitas cum diversa constructione obstitisset, is idem esse crederetur. *Caput* habebat vertice longo & compresso. *Oculos* grandes, iridem & pupillā nigerrimas. *Rostrum* vix passerino maius, modicum aduncum, plumulis tanquam pilis quibusdam supernè ad nares & infernè sub mento, ornatum, &c. Quam Gesnerus exhibet, rostrum habebat aduncum, & tibias plumis obvestitas.

e Arist. H. A. l. 9. c. 30.
f l. 10. H. N. c. 40.

Locus. *Degit* in *g* montibus circa mare inprimis in Creta, propter viciniam stabulorum quibus capræ includuntur. Intrant *h* namque isti fures nocturni pastorum stabula, caprarumque uberibus advolant, propter suctum lactis, quâ iniuriâ uber emoritur; capræ, quas ita mulsere, cœcitate percutiuntur. Adeò terribilem clamorem habent, ut etiam audientibus pavorem incutiant. Duo aut tria cum *i* plurima ova pariunt. De visu ita Aristoteles: ἐστι γὰρ ἐζύωπος τῆς ἡμέρας, ἀλλὰ τῆς νυκτὸς βλέπει. Parum acutè interdum videt; sed noctu perspicax est.

g Arist. l. c.
i Arist. l. c.

TITVLVS VIII.

De Carnivoris mediæ naturæ.

CAPUT PRIMUM.

De Vespertilione.

VEspertilio, LXX. νυκτερίς, Hesychio & Phavorino φάλαν, Philiνυκτάλωψ & φιλέπτερος, Victorino Avis sorex, Vallæ semimus, Platoni in ænigmate, Avis non avis dicitur. Τοῖς θηνοῖς καὶ πεζοῖς ἐπαμφοτερίζον καὶ διὰ τοῦτο ἀμφοτέρων τε καὶ οὐδετέρων μετέχει, benè scripsit *a* Philosophus, malè *b* Macrobius, quatuor pedibus ingredi, & inter quadrupedes referendum, ut inferius patebit. Color nonnullis fulvus, aliis niger, subalbus, cinereus. *Magnitudo* diversa: Maiores † in urbe Assyriæ Borsippa, quàm alibi, in novo orbe columbas adequant, in Brasilia * monedulas, circa Vrabam * turtures, in Orientali India, si Pompilio Azalio credendum tanti, ut illas transeuntes, alarum verbere prosternant; multos etiam occidant. *Caput* quibusdam murinum est, caninum aliis. *Rostrum* à cæteris avibus diversum. *Nares* vituli instar. Dentes XXXIV, in mandibula inferiore octodecim, sedecim in superiore Bellonius observavit; viginti quatuor in singulis mandibulis duodenos, eosque serratos, teretes, & longiusculos *c* Aldrovandus utrinq; in superiore mandibula senos, in inferiore septenos quorum anteriores cæteris longiores; omnes valdè albi, Clusius. *Maxillas* intus & foris pilus oblõgus, niger, obvestit. *Auriculas* interdum binas, quaternas interdum habet: similitudo eis Asininarum, & superiores quadruplo sunt inferioribus maiores. *Mamillæ* soli volucrum datæ sunt; lacte sola nutrit ubera *d* admovens. *Alas*, quæ † pellitæ, exangues quidam dixere. Ab armis incipiunt, & per latera per axillas continuò ductu ad crura usq; ferũtur, eaq; circumambiunt. Quatuor hæ flexus, plicas seu articulationes habent, quibus alas inter volandum dilatant, & contrahunt, mediis superiorum, (cubitos Albertus nominat) quiq; in plures alios deorsum flexus divaricantur; *digituli* singuli, unguiculis hæmatis instructi, quibus parietibus se affigunt, annectuntur. In supremis alis rudimenta, quedam *brachiorum* nervosa apparent, quæ in uncum desinunt. *Pedes* illi bini, in quinos digitos dissecti & ungui-

Descriptio.
a l. 4. de partib. Anim. c. 13.
b l. 7 Saturnal. c. 16.
† Strabo. l. 15.
** Livius Hist. c. 10.*
** Gomara Hist. c. 61.*
c l. 9. Ornithol. c. 1.
d Plin. l. 10 H. N. c. 61.
† Strabo l. 15.

culis acutis instructi, singuli in medio, ac si palmam efformarent, ampli. Innituntur inferiori alarum membranę, atque ex ventre ad caudæ, si quæ est, latera, exporriguntur. *Cauda* quippe alijs nulla, ut rectè *e* Aristoteles, Africanis murium instar oblonga, *f* & quatuor digitos extra membranas alarum prominens. Aldrovandino medijs atque infimis alarum membranis sub ventre involvebatur, & ad extremam earundem exporrigebatur apicem. *Penis* mari sat magnus; exertusque, qualis simiarum est, genitalis fœminæ meatus pone podicem apparere solet. Quid sibi Plinius, verbis, *Coxendix huic avi una traditur*, velut, cum duo crura habeat, intelligi vix potest.

e de partib. Animal. l. 4. c. 11.
f Bellon. l. 2. de avib. c. ult.

Locus.

Locum si spectes, loca obscura, cavernas, & meatus subterraneos amāt. Ideò & in labyrintho Cretæ inter Cnossum & Cortinam, Borsippam, *g* urbem adde, plurimi, & in Appennini propè Puteolos, spelunçis multa millia, & in monasterio quodam Misniæ tanta, ut excremētorum acervis multi carrionerari possint. Delectantur in *victu h* culicibus & muscis, sed & lardum, candelas, & alia pinguia arrodunt. Succidiam sæpe ita exedunt, ut in excavata scrobe stabulentur. Invadunt & nudam corporis partem culicum more, & sanguinem exugunt, in Dariene ita infestatos Hispanos, tabe contracta obijsse, *i* Martyr author est. Gallinas, canes & catos morsu aculeo in cristam infixo interemisse addit. Solus volucrum, *k* animal tantum *parit*, & fœtus lacte uberibus admotus nutrit. Recens nati musculis sunt similes, glabri, infantis humani instar; sed omnibus partibus absoluti, matris uberibus, cum primum enixa est adeò tenaciter adhærent, vt ne à mortua quidem spontè decidant. Nullis secundinis obtectos quidam putavere produci, refellit *l* Bellonius, qui plures vigenis se in Pseudolabyrintho Cretæ prægnantes secuisse tradit, has etiam mater devorat, dū proli nuper natæ ob teneritudinem metuens, primo vel secundo die ad pastum evolare prohibetur. Cum duo tantum ei natura ubera dederit, plures geminis uno partu non edit; quia verò magna eorundem interdum copia ingruit, haud malè *m* quidam è putri etiam materia oriti, opinati sunt.

g Strabo Geog. l. 16.
h Plin. H. N. l. 10. c. 61.
i l. 6. dec. 3.
k Plin. l. cit.
l l. 2. de Avib. c. 2.
m Gemma Cosinocret. c. 8.

Volant manè & vesperi potissimùm; fœminę sæpè geminos implexæ infantes; volatu ob timorem indirecto seu tortuoso, atq; haud longè à terra semper. Volitatione fessi, hamis digitulorum, quorum in medijs alis rudimēta habent, *n* parietibus saxis, arborib., aut cavernarum fornicib. sese appendunt, & *o* continuata serie, ac veluti catena quadam inter se cohærent. Melius de nocte *vident*, *p* quia spiritus ipsorum visorius tenuissimus & dilucidissimus, per noctem modicè incrassescens, idoneus ad conspectum redditur, de die extenuatus, expanditur & evanescit, ideò face vel gladio volantibus objecto, decidunt.

Volatus.
n Homer. Odyss. μ.
o Homer. Odyss. ω.
p Alex. Aphrod. l. 1. prob. 66.
Ingeniū.

Voce exili gannitum potius & latratum canum imitantur, quàm murium sibillum. Latinis stridere, Græcis *q* τρίζειν, πτερυγάπειν, & πτερυγέναι *r* dicuntur.

Vox.
q Homer. Odiss. ω.
r A. Pollux. l. 5 c. 13.

Singularis ipsis cum columbis *amicitia*, detinentur istæ, si caput vespertilionis in peris summo columbarij fastigio suspendatur. *Inimicitias* verò gerunt cum Ciconia, *s* quia à solo illius contactu hujus ova sterilescunt, nisi platani folijs in nidum positis sibi caverit: Cum *platano*, qui præ foribus suspensus ne involent, prohibet; cum hedera, cujus suffitu & odore perimūtur; cum formicis, ad quarum nidos si alas suspenderis, nulla ipsarum egreditur, cum locustis, *t* quæ locum ubi vespertilio suspensus non transvolant.

Affectus.
s Ael. l. 1. de Anim. c. 37.
t Democrit. in Geopon.

Vsus vespertilionum est tum in *cibis*; nam à *u* Borsippenis condiebantur, ab incolis insularum *x* Catigan & S. Johannis eduntur, ferventi aquæ immersi & excoriati eduntur, † in Oriēte gallinas sapore vincunt: tum in *Medicamentis*, toti ‡ reparati, benè scirrho, & podagræ adhibentur. Sanguinem trichiasi conducere, Archigenes *z* & Serenus credunt, Galenus & Julius Alexandrinus negant. Cor & lingua hydrophobiā inducit. Caput dextro alligatum brachio vigilantis somnum impedit. Magicæ revera vanitatis est quod

Vsus.
u Strabo. l. 16.
x Scalig. Exerc. 236.
† Nirembergh. Naturæ Exot. l. 10. cap. 93. 94.
y Galen. in Euporistis.
z Galen. l. 4. de Compos. medic. s. l. c. 8.

quod tradunt, si ter circumlatus domui vespertilio vivus per fenestram inverso capite infigatur, amuletum esse, præsertimque ovilibus circumlatum toties, & pedibus suspensum in superliminari.

CAPUT II.

De Struthocamelo.

Descriptio. STruthocamelus στρουθὸς Philostrato & Aristoteli, στρουθοκάμηλος Hesychio, στρουθοιοκάμηλος Oppiano, στρουθοκάμηλος recentioribus Græcis dicitur, melius Chænocamelum, quia χῆνα sive anserem potius, quàm στρουθὸν sive passerem, nisi cum Scaligero, gallinam reddere malis, dixissent. Plautus eũ Passerem marinum appellavit, Phavorinus Lybicam avem, Diodorus Siculus Cervinam dixit. Aristophanis λυβικὸν ὄρνεον; Horatij Afra avis, gallinæ potius sunt, quas prægrandes Africa terra tulit. Maximus est omnium avium. Diodorus *a* Camelo parem esse. Plinius *b* equitis equo insidentis magnitudinem excedere; & verum est, si collum quantum potest erigat. *Rostrum* habet exiguum sed acutum. *Caput* in quo ferè nullum cerebrum, parvum, exiguis pilis, in fœmina pallidè lutescentibus, in mare flavescentibus, collo ad rubrum colorem vergente. *Palpebras* vtrinq; solus omnium alitum ut homo, pilos in superiore palpebra. *Collum* longissimum. *Dorsum*, cujus pennæ in mare nigerrimæ, in fœmina fuscæ, lanæ quandam substantiam sua mollicie efficiunt, tam latum, ut puerum lactentem insidentem † terre possit. *Alarum* pennæ ejusdem sunt coloris, sed in superiori parte candidissimæ. Gordianus miniatos habuit. In interioribus alarum cubitis spicula secundùm *c* quosdam, quibus ferit, habet; osseos in extremis alis, secundum alios, mucrones, quibus ceu calcarib. ad cursum velociorem se incitat. Aldrovandus observare eos non potuit. *Caudæ* pennæ in mare subalbidæ, in fœmina subfuscæ sunt. *Coxæ* prægrandes, quod in angustum sensim iuxta femur finiãtur. *femur* humanum potius imitantur. *Pedes* Camelorum cruribus similes † θαμνῆσιν ἀρηρέμενοι φολίδεσσι, frequentibus firmati squammis ad geminos, usq; duros poplites integunturur. Pedes more boum bifidi, in binas *ungulas* dividuntur. Cur bisulcum potius quàm solipedem aut digitatum natura fecerit, ignorare me fateor.

a Diodor. Biblioth. l. 3 c.12.
b Plin.H. N.l.10.c.1.
† Oppian. Cyneget. l. 3.v.490.
c Albert.l. 23. de Animalib.
† Oppian. l.c.

Reperiuntur, in *d* Africa, Lybia, *e* Aethiopia, *f* Arabia, & *g* Syria. Amant deserta & ferè aquosa, & tanta eorum aliquando conspicitur copia, ut velut equitum quandam aciem eminus efforment.

e Locus.
d Theophr. l.4. Histor. plant.c.4.
e Plin l.10. c.1.H.N.
f Xenoph.l. 1.Exp.
g Diod.Sicul.l.3.c.13

Quantum ad *Victum*, Carpophagum esse ex Strabone *h* colligi potest. ferrum, lapides, ossa, & quicquid obtigerit, sine delectu devorare certum fere est: sed an eadem concoquet, dubitatur, si fit, quod *i* Langius credidit, specificæ potius proprietati, quam intensissimo calore tribuendũ id erit. Nam leo *k* struhocamelo calidior, ferrum concoquere non potest. Interrogatus, qui circumducebat, à Brẽtio, † deglutire quidem ferri particulas, sed iterum, vel integras, vel summum perpusillo imminutas, respondit.

Victus.
h l.6.Geogr. Strabo.
i Epist.12.
k Aphrodis. in proœm. probl.
† Vossius in emend.ad l.3.de Idol.

In Venerem proclivis est, & Cameti Bactriani instar, aversus *coit*. Complura ponit *ova*, octuaginta *m* nempe, & quidem mense Julio; illaq; lapidea quasi crusta munita, & XV. plus minus libras pendentia. In arena cõdita, & neglecta, solis calore foventur: solo visu ex ijs pullos excludi quidam credidere, quod intueri ea avem viderẽt, nec propter gravitatem iis incubare posse scirent. Non *excluduntur* simul. Pars intra ova formatur, pars in lucem prodit, pars fovetur.

Generatio.
l Plin.l.10. c.52.
Arist. l.9. H.A c.15.
m Aelian. de Arim.al. l.14.c.13.

De eius *voce* nil memoratu dignum occurrit. Nõ elevatur à terra propter corporis molem; festinantissime tamen interdum incedit, ingruente in alas vento, & tanquam vela eas extendente. Naturaliter eum *calvere* Plinius *n* dixit; equum odisse alii tradũt. Collum frutice occultat, seu quod δι' ἀφροσύνην καὶ νωθρότητα ψυχῆς, *o* latere se ita existimet; seu quod eam corporis partem, quam se inferiorem habere novit, contra persequentium iniurias muniat.

Vox.
n Plin. H. N.l.11.c.37
o Plin.H. N.l.10.c.1.

Vsum

Vsus. *Vsum* si spectes, ova *p* propter amplitudinem pro quibusdam habentur vasis. Garamantes potoria & capitum tegmenta ex ijs conficiunt. Pennæ conos bellicos & galeas adornāt, quas apud Turcas solis Janitzaris gerere concessum. Lapis in ventriculo repertus, & collo suspensus, concoquendi vim promovet. Sebum efficacioris ad omnia quam adeps anserinus usus: ideò cum auctio regia per Caronem Uticensem fieret, LXXX. sestertijs vænijt; & apud Ægineta emplastrum diacinnabarios ingreditur. Carnes Arabibus, Æthiopibus, Numidis & alijs in usu, hinc Struthophagorum nomen. Heliogabalus † sexcentorum capita una cœna, ad edenda eorum cerebella apposuit. Firmus Seleucius, qui Hippopotami adipe delibutos inter Crocodilos impunè natabat, totum uno die comedisse dicitur. Sceletum apud *q* Pareum vide.

p *Plin. l. c.*

† *Lamprid. in Heliogabalo.*

q *l. 24. c. 22.*

NB. *Est & alia Struthocamelorum species. Vide Mantissam.* Num. 3.

HISTORIÆ NATVRALIS DE AVIBUS:

LIBER II.

De Avibus Phytivoris.

TITULUS I.

De Avibus Granivoris, Non Canoris.

CAPUT PRIMUM.

De Pulveratricibus Sylvestribus.

ARTICULUS I.

De Pavone.

ABsolutâ Avium Carnivorarum historia ad Phytivoras pergēdum est, inter quas pulveratrices tam sylvestres, quàm domesticæ primò occurrunt. Inter illas primus *Pavo*, propter exquisitum pennarum *a* ver, & gemmantes *b* colores, quos adverso maximè sole, quia sic fulgentius radiant, expandit; Junonium incessum, ingenium, de quo in sequentibus singulare, & magnum apud veteres æstimiū occurrit. Athenis *c* statuto precio singulis novilunijs per annos XXX. spectabatur, multi Lacedæmone & ex Thessalia spectatū confluebant. Alexā. † visis ijs apud Indos, gravissimas in eū qui occideret pœnas constituit. Tiberius *d* ob subtractum è viridario unum, capite multavit. In Lybia si quis tantummodò lædisset, non

a *Lucian. de domo.*
b *Plin. H. N. l. 10. c. 20.*

Varro l. 3. de re rust. c. 6.
Oppiā. l. 2.
Lucret. l. 2. de Natura rerum.
c *Aelian. de Animal. l. 5. c. 21.*
† *Ael. l. c.*
d *Sueton. in Tiber.*

non impunè ferebat, si Eustathio credimus. Quod si *precium* spectes, mille drachmis marem & fœminam vendi-
e in Orat. contra Erasist. tos fuisse *e* Antiphon scripsit: & tem-
f l.3.de rust.c.6. pore Varronis *f* ova earum denarijs
væniebant quinis, ipsi facilè quinquagenis, grex centenarius facilè quadraginta millia sestertia reddebat, vt quidam Albatius ajebat, si in singulos ternos excegisset pullos, perfici sexagena
g Suidas. h Aristoph. in Avibus. potuisse. Dicitur & *g* Medica, *h* Persica, *i* Junonis, & *k* picta avis.
i Statius l. 2.Sylv. k Athen. Dipnos. l.9 c.19. *Diversitas* illorum à colorum inprimis, & loci diversitate sumitur. Nostrates satis sunt noti. In Terra Firma
Genera. quidem ventre & pectore nigris, cæ-
l Martyr. dec.1.de reb.Occani l.8. tera flavi; alij pectore & ventre flavi, cætera nigri conspiciuntur. In Curiana regione sunt sylvestres, *l* qui per nemora vagantur, & adeò viles sunt, ut unica sunt, vt unica duntaxat vendantur acu, alibi in palustribus inveniuntur. Quod si & *Sexum* attendamus, fœmina mare multò minor est; neq; in cauda oculos illos gerit, Japonensem si excipias, quæ quatuor in Uropygio obtinet.

Descriptio. Placet maris & fœminæ *descriptionem* exhibere. Mas igitur capite, collo, & pectoris initio intensè cærulei, seu sapphirini coloris est. *Caput* pro corporis proportione habet exiguũ, & quodammodo serpentinum, maculis duabus oblongis candidis, quarum una oculos superequitat, altera brevior at longè crassior subjacet, ornatum. *Apicem* in vertice è nudis quodammodo scapis tenerrimis, viridescentibus, in summitate ejusdem coloris liliorum flores ferentibus conspicuum. *Rostrum* candicat & insigniter hiat. *Collum* est longiusculum tenue & exile. *Dorsum* ex albo cinereum, maculis atris transversalibus conspersum. *Cauda* in duas quasi dividitur. Non longioribus quæ ex dorso prope podicem oriuntur pēnis, in rotam extensis, minores quædam exq; fuscæ non rigent, sed ut in reliquis avibus extensæ conspiciuntur, datas vt longiores sustinerent crederes. Oculi ὑπόκρισις quatuor circulis, aureo, castaneo, viridi & sapphirina constant, & varios ad solem obversæ colores jaciunt. In *fœmina* pauca colorum conspicitur varietas. Alæ totæ, dorsum, venter, coxæ, ac pedes coloris sunt fusci ad cinereum vergentis. Capitis vertex & apex ejusdem coloris, in vertice tamen aliquot maculæ exiguæ, veluti puncta virescentia interseruntur. &c.

Quantum ad *Locum* in Asia fuisse
Locus. invectitios *m* Theophrastus author
m Plin. H. N.l.10. est, transmarinos *n* Varro. Babylonia
c.29. *o* multos pulchriore quam alibi varie-
n Varro de re rust. l.3. c.6. tate aluit. Media gulosis *p* celebratos.
o Diod. Sicul.l.2.c.53 Ex Asia in Græciam † primum, Sa-
Rhodig. Antiq. lect. l.1.c.10. mum inprimis unde Samii tanquam
p Clemens Alexand. in Pædagogo. prestantiores *q* commendantur, post
† Ael.l.5. de Animal. c.21. in Italiam & alias oras delati sunt. A-
q Gellius l. 7.Noct. Attic.c.16. thenis in precio fuisse superius dictũ.
r Athen. Dipn. l.14. Roma tempore *r* Athenei plures fue-
Generatio. re quàm Coturnices. In Suetia, quoq; Ostrogothia, & apud Normannos in agro Lexoviensi aluntur. Amant edita *loca*, pascuntur tamen cum Gallinis, & Gallinarium sub vesperam simul repetunt.

Summa ipsis *Coeundi* cupiditas. Masculus *s* quinque fœminas desiderat, & ni adsit alia, incubantem invadit, ac ova frangit. Agnoscitur irruisse libido, *t* quoties circa se amictum caudæ gemmantis incurvat, & singularum pennarum capita occulta, locis suis exerit, cum stridore procurrens. Accenditur eadem, si leviter tostam fabam tepidamq; jejunis quinto quoq; die exhibeas. *Coeunt* ab Idibus Februarij *u* ad Martium, vere præsertim, locis ferè apricis, cum Favonij spirare cœperunt. *Partus* à trimatu obvenit, cum varij colores funduntur, brevi à coitu agitur tempore. Ter is anno à fœminis, quæ non incubant editur: at quæ fovent ova totum tempus fœcunditatis aut excludendis, aut etiam educandis pullis consumunt, ita ut verè semel in anno parere *y* Aristoteles dixerit. De numero *ovorum* non consentiunt authores. Aristoteles octona in primiparis numerat, duodecim aut paulò pauciora in alijs; nec ista continuatis, sed binis ternisve interpositis diebus ponuntur. Alij primo anno unum & alterum, sequēti quaterna quinave, cæteris duodena

s Columella l.8. de re rustica c.11
t Pallad. l. 1. de re rustic. c 28.
u Columel. & Pallad. l.c.
x Aelian. l. 5.c.32. Columella l.5 c.32.
y H.A. l.8. c.11.

edere volunt; nec hic numerus transscenditur. Quæ ter *z* pariunt, earum primus partus, quinq; ovorũ est, quatuor secundus, trium aut duorum tertius. In Temistana viginti imò triginta aliquando enituntur. Concipiunt tamen *a* & *a sine coitu*, & ova Zephyria seu ὑπενέμια Gallinarum more, non *b* plura tamen duobus ponunt. Ut *commodius excludantur* Gallinis, sed non Rhodijs supponi possunt, recentiora, luna nonariâ existente, hoc est, *c* novem à primo Lunæ incremento dieb. Commodius inquam. Nam & mas seu libidine turgens, seu incubandi flagrans desiderio, illa interdum frangere solet; ideò à fœmina celãtur; & quia fœmina non continuè duorũ dierum *d* intervallo incubat, refrigerata, infœcunda evadunt.

z Columella. l. c.
a Aelian. l. 5. c. 32.
b Athenæus Dipnos.
c Columella.
d Aelian de Animal. l. 5. c. 32.

Aetas. *Aetas* ipsis *e* viginti annorum tribuitur. Indicus *f* centum memoratur vixisse. *Volatu* parum valent; seu quod Uropygium flecti ineptum obtineant, seu quod longitudine caudæ & corporis gravitate premantur.

e Arist. H. A. l. 6. c. 9.
f Aelian. de animal. l. 11. c. 33.

Vox. *Vocem* si attẽdas, Philomelæ author eas pupillare dixit, Varro à voce sua dictos tradit.

Ingeniũ. Si *Ingenium*, incessum suum ita cõponit, ne maculetur, pullus adhuc, si madescit (fide Alberti refero) moritur. Laudatus *i* gemmantes expandit colores, adverso maximè sole, quia sic fulgentius radiant, simul umbrę quosdam repercussus cæteris, qui in opaco clarius micant, conchata quærit cauda, omnesque in acervum contrahit pennarum, quos spectari gaudet, oculos. Si tacitus *k* spectes; recondit suas opes. Refrigerationis indigus, passis pennis, & in anteriorem reflexis, corpus suum operit: ingruente à tergo vento, alas pandit, & suaves auras excipit. Lini radicem *l* naturale fascini amuletum, sub altera alarum retrorsum gestat. Qui eos venenum detegere, defossum eruere referunt, fidem suam exsolvant.

i Plin. H. N. l. 10. c. 20.
k Ovid. l. 2. de arte amandi.
l Aelian. l. 11. H. A. c. 11

Morbi. Duplici inprimis *morbo* afficiuntur, Doloribus nempe dentientium infantum similibus cum crista produci incipit, & pennarum defluvio; de qua *m* Plinius. Idem cauda annuis vicibus amissa cum folijs arborum, donec renascatur iterum cum flore, pudibundus ac mœrens, quærit latebram.

m Plin. H. N. l. 10. c. 20.

Præsagiũ. De *Vi præsagiendi* hoc dixisse sufficiat, cum plus solito clamitant, noctu inprimis pluviam *n* imminere. Vocis enim illius obstreperæ congeminatio, vegetum & acutum intus cum calore vocalem Spiritum, per arteriam vaporoso aëre imbutum, erumpere testatur. Quod verò extra tempus cantillantem, Paracelsus mortem alicujus ea in domo præsagire tradit, fabula est.

n Mizald. in Ephem. text. 1. c. 43.

Vsus. *Vsum* & in *Medicina* & *in cibis* aliquem præstat. Nam jus pavonis pingue pleuritidem sanat, linguarum usus ab epilepsia præservat. Ova usta & in aceto trita impetigines emendant, fumus è pennis exceptus rubescentes oculos, *o* propter signaturam curat. Fimus podagrę fervorem mitigat. Caro propter siccitatem & frigiditatem, dura & concocta difficilis audit. Etiam mortui post annum nec olet, *p* ne putrescit, visa *q* post quadriennium cariem fœniculi odore, saporis amari & salsi contraxisse. Primus eos *r* Aufidius Lurco circa novissimum bellum piraticum saginare instituit, & ex eo quæstu, reditus seu sestertium seu minorum sexaginta millia habuit. Hortensius *s* Orator, primus editiali cœna cibi causa occidit, & ideò in jus vocatus est. Cerebella Vitellius in *t* famosa illa patina, quæ Minervæ clypeus, cum aliis prodigiosis cibis apposuit. Quæ vel de *u* virgine à Pavone in Leucadia adamata; vel de Pavone *x* Indico. Jovi consecrato, quem sacrilegi suffurari non potuerunt, dicuntur; inter historica recenseri debent.

o Porta Phytogn. l. 3. c. 29.
p August. de Civit. Dei l. 21. c. 2.
q Aldrov. Ornithol. l. 13. c. 1.
r Plin. H. N. l. 10. c. 20.
s Aelian. l. 5. de Animal. c. 21.
t Sueton. in Vitellio.
u Athen. l. 13.
x Aelian. l. 11. de Animal. c. 33

ARTICULUS II.

De Pavone albo, Pavonibus Iaponensibus & Gallopavone.

PAvones ALBI Septentrioni peculiares esse credebantur: & in calidioribus regionib. eosdem nasci, successu

cessu temporis compertum est. Vidit Aloysius *a* Cadamustus in Maderis; Johannes *b* Laurentius Ananias in parva insula, plures, Scaliger in Gallia binos; Gaudentius Merula Mediolani plures; Aldrovandus unum Bononiæ natum. Cum ex Norvegia Coloniam adveherentur, numero per feminium aucto, cum penitus in frigidiora loca commearent, & matres in ipso vere ovis incubantes nivosa loca perpetuò ob oculos haberent, vulgatiores facti sunt. Tales & in calidioribus regionibus nascentur, si caveas in quib. incubant & excludunt ova, ex parte albis velaminibus obtendas.

a *Cap. de Navigat.*
b *In fabrica Mundi to.3.cit. Aldrov. Aldrov. Ornith. l.13. c.2.*

Descriptio.

PAVONUM JAPONENSIUM maris & fæmellæ descriptionem Marchioni Facchineto, qui eã à Julio IX. Pontifice accepit, Aldrovandus debet. Mas nullam cum nostrate præterquam in cauda & pedibus similitudinem gerebat. Rostrum erat, ut in nostrate cineritium, sed longius & subtilius. *Vertex* capitis, qui planus erat, & collum superius virescebant, & maculis cæruleis ceu punctis, quæ pariter in medio exiguas lineas albas deorsum descendentes habebant, respergebantur. Apex in capite quatuor fermè digitos longus partim viridis, partim cæruleus, figura siliginis spicæ non omninò dissimilis *Oculorum* pupilla nigra, iris lutea, hanc ruber circulus ambiebat. *Pectus* & dorsum velut ex squamis, sed colore variantibus constabant. Pectoris enim squamæ, si ita vocare licet, ex cæruleo, viridi & aureo: dorsi ex cæruleo & viridi tantum tingebantur. *Alarum* principium ejusdem cum dorso erat coloris, sed squamæ illę virides haud ita apparebant, cæruleæ verò majores erant & lucidiores. Pennarum secundi ordinis primæ ejusdem erant cum superioribus colores; reliquæ in medio virides, ubi lineis nigris transversalibus notantur: post subluteæ similiter nigris lineis notatæ; in extremitatibus deniq; nigræ. *Venter*, coxæ, & deniq; pedes colore leucophæo & maculis nigris insigniuntur, quarum quæ in ventre sunt, lineas albas habent. *Cauda* pennis, quam in nostrate rariorib., colore magis fusco ad castaneum vergente, calamo candidissimo. *Oculi* caudæ multo quam in nostrate majores, primum aurei, dein cærulei, postremo virides, ut in nostrate. *Fæmina* mari quidem minor est, sed capite toto, collo, dorso, pectore & alis simillima. Illud vero in hac admirandũ est, supra uropygium, nempe ad dorsi finem, quid veluti caudam habere, cãque oculatam, ut in mari: sed oculi, licet quam in illo sint minores, sunt tamen pro pennarum portione magni. Habebat itidem caudam viridem pẽnis in ambitu cæruleis, & calamis albis. Postremò in eo etiam à mare differebat, quod ventrem haberet prorsus nigrum. GALLOPAVO, aliis Gallus Indicus, Peregrinus, & Calecutensis dicitur, & idem esse cum Meleagride, cujus synonima sunt, *c* Gallina Africana, Numidica, Afra avis, Numidica guttata, & alba Lybica, videtur; si vera est illa descriptio, quam ex Clyto Milesio Athenæus *d* adfert. Verba ejus sunt. *Circa templum virginis, Minervæ nempe in Levo* (sic legendum *e* non Olero. Insula est maris Icarij Sporadum una) *Meleagrides aves sunt. Locus ubi aluntur est* ἐλώδης non paludosus, (ut quidam vertunt, Meleagrides enim Aristoteles ab avibus paludicolis distinguit, & Hesychius καπικηδίας ὄρνεις vocat) sed arboribus consitus. *Animal illud non ita prolem amat; & juniores pullos adeò negligit, ut sacerdotibus illos curare necessum sit. Avis magnitudo ut gallinæ generosæ est, capite ampliore, quam pro modo reliqui corporis, glabro, ac super ipso crista carnosa, dura, rotunda, quæ clavi modo super caput extuberat, colore ligneo.* (Sic lege, χρῶμα *e* non σῶμα. Lignei coloris facit & *f* Theophrastus mentionem, fortè est subflavus.) *Ad malas jacet instar barbæ longa caro, incipiens ex ore, rubentior quàm in gallinis: at eam quæ rostro Gallinarum insidet, & quam barbam nonnulli vocant minimè habet, tanquam ea parte sit mutila: rostrum acutius & grandius quam gallinæ.* Cervix *nigra, crassior & brevior quàm Gallinæ.* Corpus *totum varium. Nigrescit enim totum, crebris maculis albis notatum ac compunctum, lenticula majoribus,*

c *Varro l.3. de re rust. c.2.*
Plin. H.N. l.10. c.26.
d *Athen. l. 14. Dipnos.*
e *Casaubõ. ad Athen. l.14. c.20. Dalechãp. ad l. eund. Ael. l. 5. c. 27. de Animalib.*
e *Casaubon & Dalechamp. ad l. c.*
f *Histor. Plaut. l. 7. c.3.*

quæ rhomborum figurâ parvis nigrisq; circulis ambiuntur, & pennarum illam varietatem efficiunt, quia niger color aspergitur candido, & vicissim candidus nigro. Alarum pennæ *linearum ductibus candidis serratisq; distinguuntur, in spiras protractis, intervallo pari diremptis. Nullum* calcar *in cruribus, quæ gallinaceis similia sunt.* Maribus *adeò fœminæ similes, ut vix Meleagridum sexus discernatur.* Similitudinem in colore & mole corporis intellige. Eo enim veluti clavo ligneo carent. Quem Aldrovandus ex Gyllio describit ex novo orbe allatus erat, eadem quâ Pavo proceritate. Collum ei simul cum capite à plumis omninò nudum, tantum purpurascente pelle obducebatur, & tam erat crassum, ut pellem quæ antea laxa & vacuâ, cum vocem emittebat, spectabatur, sic inflaret, ut ad brachii crassitudinem accederet. Cum quis ad Gallinam accederet, totis inhorrescebat plumis; & gradu superbo exterrere accedentes conabatur.

Locus. Quantum ad *Locum* Bœotij soli indigenæ Meleagrides esse videntur. Aetoliæ peculiares, Menodotus *g* sanius facit, & inde in alias partes translatas credit. Diodorus *h* ultimam Syriæ partem, Strabo *i* Arabiam ipsis tribuit. Certum, nostras calidioribus locis delectari, una cum Gallinis pasci, & longius à domo per agros divagari. Quod autem Scylax Cariandensis *k* lacui Cephisio, in Africa, Mnaseas *l* lacui ibidē Cratum amnem de se promenti, eas vendicat; vel error est, vel Gallinis, quibusdam Africanis, quæ paludes amant, rutilam *m* galeam & cristam in capite gerunt, quæque novissimę *n* peregrinatū avium in mensas propter ingratum virus (quod nostris Meleagridib. non competit) receptæ sunt, nomen Meleagridum propter similitudinem indidere.

Victus.

g *Athen. l. 14.*

h *Diodor. l. 3. Biblioth. c. 12.*

i *Strabo. l. 16. Geogr.*

k *in Periplo orbis.*

l *Plin. l. 16. H. N. c. 44.*

m *Columella l. 8. de re rust. c. 2.*

n *Plin. H. N. l. 10. c. 26.*

Coeunt o aliquando cum Pavonibus, & excluduntur pulcherrimi pulli, nitidissimis pennis fulgentes. *Incubant* verno tempore diebus tricenis.

Generatio.

o *Bapt. Porta l. 2. Mag. Nat. c. 14.*

Ad *Vocem* earum extendit Pollux verbum κακκάζειν. Crocitationi Gallinaceæ Pavoninæque non dissimilem edit, cum fragore per collum longe lateq; vagantem, & instar liquoris in dolium infusi obstrepentem. De usu ipsorum in cibis non est quòd dicamus. Olim Isidi Tithoneæ *p* à pauperioribus immolabatur.

Vox.

p *Pausan. in Bœoticis.*

ARTICULUS III.

De Phasiano, Vrogallo seu Tetraone, majore & minore.

PHasianus, Galeno Gallus Sylvestris, Statio Phasidis ales, Scythica volucris Juvenali, Itis quibusdam dicitur. Magnitudo non omnibus eadem. In regionib. Ergimul & Cerguth quæ Magno Chamo subsunt, maximos reperiri Paulus Venetus scribit, cū tantę prolixitatis caudâ, ut decem & octo palmos excedant. Is quem Aldrovādus describit libras tres duodecim unciarum pendebat. *Rostrum* coloris erat cornei, pollicis transversi longitudine, in extremo recurvum, superius inferiore longius. Membrana carnosa, qua capiti conjungitur tuberosa, sub qua nares occultantur, instructum. *Caput* in vertice colore cinereo ferè micabat; ad latera supra coccineam maculā, & propè rostrum viridi, & admodum vel in sole, vel in umbra varia. Ab utraq; capitis parte è regione aurium pennæ, quas Plinius cornicula vocat, elevabantur, sub his caruncula seu musculus qui cornicula illa movent, apparebant. *Aures* erāt admodum latę, profundæ, & rotundę. *Colli* pennæ infra propè pectus, & pectoris etiam propè collum tribus coloribus variabant, fusco nempe propè radices, dein aureo & viridi; sed viridis nisi complicatis simul pennis non conspicitur, si unicam à corpore ablatam examines, niger jam apparet, sed & aureus si pennas invertas splendorem amittit. *Tergoris* pennæ erant totæ ferrugineæ ad ruffum vergentes, & velut in exigua flamenta desinebāt. *Cauda*, quæ organi pneumatici figurā obtinet, duos dodrantes, cum duob. palmis explebat. &c. Fœmina mare per omnia deformior est, Coturnicis ferè colore.

Locus

Locus. *Locus* ipsis Phasis amnis, unde nomen sortiuntur Athenæus *b* ex Media accersiri solitas quasi meliores, traditsin Indiæ hortis cum Pavonibus enutritas *c* Aelianus. In Curiana *d* regione tam numerosi capiuntur, ut singuli duabus aciculis venditi fuerint.

b *Athen. Dipnos.l.*

c *Aelian.l. 13. de Animal.c.18.*

d *Martyr. l.8. Decad. Occan.c.1.*

Victus. In Scandinavia aliquando absque cibo sub nive latent. Fridericus Saxoniæ Dux ducentos emissos capi vetuit. *Victitant* granis, seminib. & baccis. Avena inprimis delectantur.

Generatio. *Coeunt e* mense Martio & Aprili. Unus mas duabus fœmellis sufficit. Viginti ferè ovis, illisq; rubris pariendi ordo concluditur. Semel in anno fœtificant, & trigesimo die maturos *pullos* emittunt. Optimè Gallinis incubanda committuntur, vt una matrix quindecim ova operiat. Quomodo verò ex Phasiano mare & Gallinis Gallinaceis simul coeuntibus Phasiani procreari possint, docet apud *f* Aldrovandum. Longolius. Intereunt pediculis, nisi se pulverent. Pennas dum nimis pinguescunt, si quibusdam credendum, amittunt. Capite in terram immisso, totos se latere existimāt; & dum propriam imaginem admirantur prius se capi sinunt, quàm aufugere possint.

e *Pallad.de re rust. c.29.*

f *l.13.Ornith.c.5.*

Vsus. Quantum ad *usum medicum* non pingues *g* bene purulentis in cibis exhibentur. Vinum in quo unus extinctus est bibitum, torsiones, si Marcello Empirico credimus, tollit. Adeps, tetanicis, marricis suffocationi, & renum *h* affectibus prodest. In *cibis* vehementer laudantur, nec vel Perdicibus vel gallinis domesticis, si pulli edantur, cedunt. Olim inter *i* summas delicias numerabantur, à quibus Ptolomæus abstinebat: at quibus Heliogabalus *k* Leones & alia bruta pascebat.

g *Trullian. l.7.c.2.*

h *Galen.de ren. affect. c.4.*

i *Philostr.l. 8. de vita Apollin.*

k *Lamprid. in Heliog.*

Descriptio. UROGALLUS major, qui veterum Tetrao Aristotelis Tetrix, vt Gesnero; Agricolæ, Jovio & Aldrovando placet, à quibusdam cum Otide seu Starda, vel Tarda; à nonnullis cū Ortygometra confunditur; ex Gallinaceorum est genere. Quem Aldrovandus describit, habet *collum* dodrantale, palmis nigricantibus, cinereo diluto colore sparsim notatis. *Caput* nigrū, rostrum breve, gibberum, latum. *Supercilia* & pelliculam circa oculos rubra. *Pectus* & ventrem coloris nigri. *Alarum* pennas longissimas palmorum quinq; nigricantes, aut potius fuscas, minores sub alis albissimas. *Poplites* & femora plumis albis, crura ad digitos usque fuscis vestita. Ex albis in cauda maculis ætas conjicitur, quo majores sunt, eò pauciores illas habere feruntur. Reperiuntur qui libras quatuordecim Germanicas: imò & viginti tres Italicas pendunt.

De *coitu* ipsorum mira tradit Enceralius. Ore coire, Gallum sperma ex ore tempore coitus evomere; Gallinas postquam id deglutiverunt, concipere; mox comprimi. Reliquias rore vel pluvia superveniente, putrefactâ materiâ, in serpentes mutari, non superveniente; in gemmam translucidam & candidissimam abire, sit penes authorem fides. *Generatio.*

Saporis sunt gratissimi. Caligula sibi eos immolari voluit. *Vsus. Suetonius.*

UROGALLUM minorem Stumpfius, Phasianum mōtanum appellat. A Gesnero conspectus multo majora supercilia & pellicula rubente, quandoq; cærulea, quàm Urogallus habebat, Rostrum longitudine transversi digiti, plumas in vertice nigras. Collū plumis Indicis &c. In Septentrione, si Olao fides, sub nive duobus aut tribus mensibus latitant. Capiuntur laqueo, ita ut collo adstricto suffocentur.

ARTICULUS IV.

De Grigallis & Attagine.

GRigallus vel *major*, vel *minor* est. Illam sub nomine Tetracis Nemesianus Poeta describit, dum ait

Et Tetracem Romæ, quem nunc vocitare Taracem
Cœperunt, Avium est multo stultissima.

Aldrovandus duplicem tradit descriptionem. *Prima* est illius qui à Medico

Cracoviensi missus fuit. Erat magnitudine anserina, rostro nigro adunco, gibboso. *Capite* plano, à rostro ad narium foramina usque cinereo, nigris maculis consperso. Reliquum, collum item pectus, venter, & coxæ coloris erant ruffi, modò nigris, modò albis maculis asperſi. *Cauda* ruffa, sed magis quam reliquo corpore ad castaneum accedens, maculis nigris maximis cõspergebatur. *Digitis* nudis, cinereis, quatuor erat instructa. *Oculorum* cilia coccineus color ambiebat. Tota avis si rostrum more rapacium & ungues adũcos habuisset, & parvo fuisset corpore, vel Lithofalcus, vel Accipiter Fringillarius videri potuisset. *Altera* ex Gesnero desumpta est, cujus Grigallus erat toto corpore Perdicis ferè, præsertim rusticæ instar colorato, & punctis maculisq; nigricãtibus distincto, ima colli pars prona intercedentibus lineis ex cæruleo virentibus rubebat, in ventre plurimum albedinis conspiciebatur. Propter mirificam colorum varietatem, Attagenem Alpinum vocare posses. *Minor a* perdice est major, sed eidem persimilis. Creditur à betulę colore Germanis Birckhun dictus. Supremum à betula corticem si detrahas qui albo subest, in nigroque rufescit, præcipuum hujus alitis colorem imitatur. Densa & opaca loca ut bombardarum minas fugiat petit, ideò sæpe in betuleto latet, & inde in sata & fænilia callidissimè excurrit.

a *Aldrov. Ornithol. l.13.c.9.*

Descriptio. ATTAGEN, Perdix *b* Asclepica quibusdam inter pulveratrices ab *c* Aristotele ponitur; quod inter palustres ab Aristophane *d* & ejus scholiaste; vel error est, vel ideò factum, quòd interdum ex montibus ad loca vicina *e* descendat ibidemque moretur; vel illa, nisi Turnerus fallit, intelligenda est, quæ ad ripas fluminis moratur. Gallinagini ita similis est, ut nisi paulò major esset, & pectoris color magis ad cinereum vergeret, altera ab altera difficulter distingui posset; rostrum habet longum, sed capta triticum non secus ac columbi comedit. Quantum ad veterum *descriptionem*, Alexander Myndius, perdice paulò majorem, totum circa dorsum καταφεγγον, id est versicoloribus maculis pictum, figulinæ testæ colore, sed magis ruffum, corpore gravi, alis brevibus facit. Quantum ad Recentiorum, Gesnerus Attagenem Corylorũ Gallinam esse putat. Bellonius *f* suum Anati campestri, quem coturnicibus benè maculatis comparat, similem esse scribit. Julius Alexandrinus *g* genus quoddam longiore collo & cruribus, plumis non ijsdem macularum notis distinctis, ex Hispania allatum se vidisse refert. Florentiæ *h* observatus rostro nigro sed in extremo rubescente, oculi pupillâ nigrâ, iride cinereâ, maculis per ventrem albis, dorso ferrugineo, nigris maculis insignito; pedibus ferrugineis. Aldrovandus avem ex Siciliæ montibus allatam pro Attagene ponit, quæ magnitudine & toto habitu ad Phasianum accedit. Rostrum habet breve, nigrum, & in acuto recurvum. Colorem totius varium. Caput inprimis aspectus pulcherrimi, cristam in medio vertice erectam, subluteam, nigris & albis maculis variegatam. Pupillam oculorum nigram, iridem luteam, supercilia ex pellicula coccineo colore rubente. Sub rostro & gulæ principio ceu barba ex tenuissimis plumis dependet. Collum est longiusculum, & ad corporis habitum assimilatum, tenue, & exile, cinereum, maculis albis & nigris consperſum. Pedum digiti anteriores longi, posterior brevis, singuli adunco hamo armati.

Descriptio.
c *H.A.l.9. c.49.*
d *in avib. & vespis.*
e *Bellon. l. 5. de Avib. c.6.*

f *Bellon. l. citato.*
g *Iul. Alex. l.13. salubr. c.5.*
h *Aldr. l.c.*

Loci si ratio habeatur, nulli sunt in *i* Campania, quod ibi aconitum, quo purgantur, non proveniat. In Creta *k* nonnisi in Cydoniatar. regione. In Cypro etiam domi aluntur. In Rhodo & Jonia laudatissimi habentur, sed & in Hispania Pyrenæis, Arvernienſibus Galliæ & Alpibus reperiuntur.

Locus.
i *Ambr. Leo Probl. 343.*
k *Plin. H. N. l.8.*

Victitant granis *l* & frugibus. Loquuntur nomen suum qua possunt voce, & decantant. Vocales capti, obmutescunt, si Plinio *m* & Aeliano credimus: in suas sedes dimissi καὶ τὸ φθέγμα καὶ τὴν παῤῥησίαν recipiunt. Ex Lydia *n* in Aegyptum aliquando deportati, & in sylvã dimissi, coturnicis primò voccm

Victus.
l *Athen. l. 9. Dipnos.*
m *Plin. H. N. l.10. c.48.*
n *Acl. H. A. l.15. c.27.*

vocem emisere, pòst τοῖς τοῖς κακοῖς τέρατα explanatissimè protulisse finguntur.

Affectus. Amant cervos & dorsis illorum insiliunt. Cum *o* Gallinaceis verò inimicitias exercent.

o Aelian. de Animalib. l.6.c.45.

Vsus. Caro in *Cibo* est laudatissima, seu sanguinis optimi generationem seu excrementi paucitatem, seu concoitionem alimenti attendas. Candida est, tenera, & fibris prorsus carens. Conceditur purulentis à Tralliano; Nephriticis à Galeno. Cerebrum genituram augere Avicenna reliquit.

ARTICVLVS V.

De Gallina Corylorum.

Descriptio. GAllina Corylorum Alberto Bonasa & Otix, Longolio falsò Otis, Bellonio Gallina rustica M. Varronis, alijs Perdix montana & Sylvatica dicitur. Caput ipsi & rostrum ex descriptione Bellonij & Gesneri, est instar Perdicis, ruber in supercilijs. *Dorsi* pennę superiores Ascolopacis similes: sub ventre è regione ventriculi albescunt, nigro maculatę, in utroq; latere sub alis. Remiges alarum ad instar Aluconis maculantur. *Caúda* grisea, in extremitate alba, deinde nigra ad pollicis magnitudinem; maculâ, quâ superiores pennæ quę cęteras tegunt, carent, tincta, cætera colli Tetraonis colore. *Tibiæ* plumis ad digitos usque teguntur, quæ villos leporinos fere referunt. Digiti pedum corticosi, squâmosi, glauci, multis lineis articulati. Aldrovandus fuscæ maculæ meminit, è qua ejusdē coloris tenues quædam pennæ ceu villi dependentes, tāquam barbam efficiunt.

Locus. *Reperiuntur* in Hercynia sylva; sed & circa radices Alpium, ubi Coryli & rubi abundant. Ijs enim insident, rapacium volucrum insidias magis timentes quàm hominum astum.

Victus. *Vesciuntur* granis, sed inprimis julis seu nucamentis, quę piper longum referunt.

Generatio. Pullos educatos extra locum educationis ipsorū abducunt: illi verò bini, mas & fœmina aliorsū seconferunt.

Vsus. *Cibum* suppeditant laudatissimum, & caro earum quatuor diversis coloribus secundum Gesnerum tingitur, secundum Albertum foris est nigra, intus alba. Mulieres quædam pennis certo tēpore decerptis, adversus uteri, suffocationem, utuntur. Stumpfius Epilepticis salubres tradit. Hippiatri tres quatuorve earundem vētriculos unà cum cibo in eis contento, equis asthmaticis devorandos, dari præcipiunt.

Gesnerus.

ARTICVLVS VI.

De Otide sive Tarda.

OTum & Otidem ex veteribus Aristoteles, Athenæus, Plinius & Oppianus confudêre; Starnam & Stardam seu Tardam ex recentioribus Conciliatoribus rapacem Albertus facit, & Bistardam vocat. Tetraoni congenerem non esse, quod ex Plinio Bellonius opinatur, vel peculiaris pedum constitutio, trydactilos enim est, evincit.

a H.N. l.10 c.22.

Descriptio. Quantum ad *Formam* fidipes est Athenæo, *b* tribus insistens digitis, magnitudine Gallinacei majoris, capite oblongo, oculis amplis, rostro acuto, linguâ osseâ, gracili collo. Bellonio *c* & Gesnero; crassior est & validior, gravis, tredecim cum dimidio libras interdum pendit. *Caput* habet inconcinnum, cinerei cum collo, & ad ventriculum usq; procedentis coloris. *Rostrum* robustum valdè, *linguam* serratam, utrinq; acutam, & in extrema duram. *Meatus* auditorius adeo patulus, ut extremitas digiti immitti possit. Si introspicias duo apparent sub plumis anfractus, unus rostrum versus, alter rectà ad cerebrum vergens. *Pectus* crassum ac rotundum; cum ventre & cruribus quatenus plumis vestiuntur ad media usque femora albicans. *Dorsum* castaneis ac subnigris maculis respersum. *Alarum* pennas majores candidas, circa finem nigras. Pennarum radices rubras. *Caudam* pennis ruffis, cum tenijs quibusdam & maculis nigris superiore interioreque parte albis ornatam. *Tibias* polli-

b Dipnos. l.9.

c l.2. de Avib. c.1.

pollicem crassas, medium pedem longas, squammosas. *Pedes* admodum crassos, sub quibus talus magnus instar musculi conspicitur. Digitos pedis utriusq; contra reliquarum avium morem ternos tantum. *Interiores partes* si spectes, *d ventriculum* habet magnum, in quo interdum calculi albi inveniuntur, in extrema gula ante stomachum partem capaciorem ex multis rotundis carunculis compactum. *Intestinis* diductis & extensis id quod à fundo vẽtriculi ad alvum recta procedit, dodrantum est septem cum dimidio: appendices verò duæ ab alvo retrocedunt; quarum altera tenuior est tres dodrantes longa; altera amplior, duos cum dimidio, tres verò isti meatus juxta alvum in unam capacitatem conveniunt.

d Gesner. in Ornith.

Locus. Quantum ad *Locum* in Italia non visuntur, *e* nisi fortè turbine advectę. Hispaniæ peculiares esse credit *f* Plinius, sed falsò. Nam & in Græcia circa † Cephissum Bœotiæ nascuntur, & in Britannia *g* magno sunt numero, & in Belgium sub autumnum gregatim advolant, ibidemq; in agris procul ab urbibus dissitis morantur, nihil de Polonia dicam. Falsum itaque cum coturnicibus quod *h* à Plinio traditur, quæ ab eo tempore Italiam deserunt, avolare. Arboribus nunquam insidẽt, nec aquas nisi eas, quas post pluvias in camporum foveis relinquuntur, sitis sedandæ causa, frequentant.

e Aldrov. Ornithol. l.13.c.12.
† Pausan. in Phoci. c.11.
f Plin.H.N. l. 10. c. 22.
g Hector Boetius in Hist. Scotica.
h Plin.H. N.l.10. c.23.

Victus. *Vescitur* frugibus sed & herbis, ut auricula muris; & *i* rapis ventrem implet.

i Longol. Dial. de Avibus.

Generatio. *Nidificat* in terra, tricenis *k* diebus incubatum absolvit, & parit cum matura seges est.

k Arist.H. A.l.6. c.6.

Volatus. *Volatu* est propter corporis pondus admodum brevi & tardo, & capitur manu, si quis *l* celerius instet.

l Xenoph.l.1 ἀναβάσεως.

Affectus. *Amicitiam* cum Equo *m* colit, huic appropinquare & fimum *n* dejicere gaudet, † ita capitur. *Inimicitiam* verò cũ vulpe & cane exercet. A vulpe inversa in terram *o* abjecta, caudamq; ut collum avis extendente, capitur. πεσόντα ὡς πρὸς ὄρνιν ὁμόφυλον. Humilitatis ob ponderosam *p* corporis molem sibi conscia, simul ac canes latrantes audiveris. εἰς τὰς θάμνους καὶ τὰ ἕλη confugit.

m Ael. l.2. de Animal. c.28.
n Plut. de Solertia Animal.
† Oppiã. l.3
o Ael.l. 6. de Animal. c.24.

Vsum & in *Cibis* & in *Medicina* præbent. In *Cibis* caro Xenophonti apud *q* Athenæum suavis, à Demetrio Constantinopolitano, *r* Accipitrib. tanquam suavissima præscribitur. Julio Alexandrino *s* quamvis nigra & durior, valenter tamen alit; si vel exquisitam in ventriculo concoctionem adepta fuerit, vel captæ & jugulatæ durities dometur.

p Idem l.5. c.24.
Vsus.
q Athen. in Dipnos.
r l. de Accipitrũ cura.
s l. 13. de Sabba c. 5.

In *Medicina.* Nam adeps *t* apud Phryges & Lycaones mammis puerperio vexatis applicabatur. Fimi usum Avicenna contra impetigines prædicat. Ova eodem teste capillos nigro colore tingunt. Piscatores repræsentatis ex ipsarum pennis muscis, piscibus insidiantur.

t Plinius in H. N.

ARTICULUS VII.

De Anate Campestri & Ave Stella dicta.

ANas Campestris propter consimilem digitorum numerum Otidi succedit. Bellonio Anas Campestris, Canne Petiere Gallorum: & Tetrax, & Galliæ peculiaris esse creditur; à rusticis Gallis Oliva dicitur. Ex ejusdem descriptione, est Phasiani corpulẽtia, *Capite*, si crassitiem demas, Coturnicem; *rostro* quod nigrum pullum gallinaceum refert. *Dorsum* tribus aut quatuor coloribus, nempe flavo tendente ad rubrum, subcinereo, & rubro intermixto variegatur. Quatuor pennę alarum in superiori parte in extremitatibus suis nigrescunt. *Pectus* alba torquis juxta ingluviem circumdat. Radices omnium plumarum rubræ sunt & sanguineæ. Tres duntaxat in pedibus *digiti*. Omnia intus in avibus granivoris communia.

Victus. *Vescitur* granis absq; discrimine omnibus, nec non formicis, scarabęis & muscis. Quamvis color colli & capitis semper idem non sit, & in hoc maris à fœmina differentia consistat; dorsum tamen & alæ nunquam colorem immutant.

STELLA tribus quoq; digitis incedit.

cedit. Totum corpus, si ventrem & caudam & alas majores excipias ex albo, luteo, & nigro ita variegata est, ut qui color superet difficile sit judicare. *Rostrum* est longiusculum, in extremitate parum recurvum, nigricās. Venter & coxæ candicant. *Cauda* maculis nigris plurimis, quarum binæ transversales insigni sunt magnitudine; consperguntur.

ARTICULUS VIII.

De Oedicnemo Bellonii, & ejus congenere Aldrovandi.

Descriptio. *Bellon. l. 5. de Avib. c. 5.*

AVis, quam Bellonius Oedicnemum à tibiarum infra genu propter os quod valdè crassum est, qua nota vel sola agnosci potest, singularem crassitiem, vocat; magnitudinem habet Elori, *rostrum* longiusculum, in extremo nigrum & flavum qua capiti jungitur. *Alis* intus albis, extra nigris Otidem, *dorso* Attagenem refert. Coloris enim est fumosi, maculis nigris per longitudinem ductis variegati. *Digitos* habet in pedibus ternos, *tibias* vt supra. Tardè parit; & ineptæ ad volandum, sub finem mensis Octobris repertæ sunt. Huic respōdet illa quam sub CHARADRII Aristotelici nomine Gesnerus descripsit. Gallinæ parvæ aut columbæ ei magnitudo. *Rostrum* longiusculum, anterius nigricās, posterius flavescens, extremis partibus inferiore & superiore leviter decussatis. *Pennæ* in collo, capite, & pectore maculosæ, posteriore colli parte ad fuscum tendente; in dorso & alis fuscæ, maculis quibusdam ruffis insignitæ. *Crura* oblonga, coloris sublutei. *Digiti* terni, brevib. interiore parte membranis juncti. *Vngues* brevissimi & mutili. *Degit* in pratis palustribus: & aliquando in lacu Tugurinensi glacie adstricto manibus se capi permisit.

Gesnerus in Ornith.

Victus. *Victitat* mutibus quos de nocte venatur.

Vox. *Vocem* tanquàm fistulæ edit. Domi inclusa subinde ambulat, aliquando in orbem ad multum tempus, circa columellam aut aliud quidpiam; aliquando recto tramite; & si quid impedimento fuerit, transilit potius, quam à via recta deflectat. Oculos etiamsi digitos admoveas, non claudit.

Addit Aldrovandus aliam Oedicnemo congenerem. Crassitie corporis & pedum constitutione Otidem refert. *Rostrum* habet superius & inferius æquè longum, rutilum, rictu amplissimo, naribus valdè, ut in Ansere patulis. Caput, cervicem, dorsum, caudam, & alas, ex flavo & castaneo elegātissimè diluta & maculata. Ventrem totum, & femora, intus candida. Gulam & pectus albicantia, intercurrentibus maximè in pectore, maculis. Tibias si digitos pedum compares longissimos.

ARTICULUS IX.

De Perdicibus in genere.

PErdix, Græcis πέρδιξ & περδίκη, Cretensibus πήγιξ, Pergęis σπιλαγός. Hesychio καλλάβα dicitur. Quo nomine nostra ætate hæc avis indicetur, non satis est compertum. Perdicem rufum, veterum minorem vulgarē Perdicem esse placet Turnero; sed rostrum *a* illius cinnabarinum non admittit. Quidam apud *b* Longolium Otidem cum Perdicibus confundit. Bellonius *c* ex eo quod Aristotelis Perdicem cum alijs avibus modò magnitudo par sit, coire scribit, Coturno Græcorum, qui cum Gallinis rem habuisse visus est, id nominis imponit. Aldrovandus cui Coturnus & Coturnix, magnitudinem quæ pro diversitate terrarum variat, (sunt in Allobrogibus *d* Perdices mediocri pulso non minores,) si excipias, eædem; Coturnicem, Perdicem rufam esse sentit, & Perdices minores ab Athenæo *e* appellatas, easdem cum Avib. novis Plinij esse; & Starnas tanquam externas vocari contendit; Rusticulam autem Plinij, quam Dalechampius & Suessanus Perdicem minorem esse credit, Gallinaginī quam Ascolopa seu Scolopacem Aristoteles vocat, ex descriptionum collatione accenset.

a *Athē. l. 9.*
b *In Dialogo de Avib.*
c *l. 5. de Avib. c. 13.*
d *Scalig. Exerc. 236.*
e *Athen. Dipn. l. 9.*

Genera. *Genera* ipsarum sunt plurima. Strabo *f* Indicos vulture & Anfere majores tradit. De Græca seu majore ruffa aliquid diximus. Aelianus *g* Syroperdicem vocat avem, perdice minorem & nigram, rostro ruffo, mansuescere nesciam, quæq; circa Antiochiam Pisidiæ lapidem exest, & conficit. Idem *h* Perdices Cyrrhæos vocat, qui neq; ad certamina valent, neq; pulchrè cãtare sciunt, & *i* allio vescuntur. In Chio insula sunt rubræ, Gallinæ *k* magnitudine. In Ægypto cinereæ, alibi albæ. Apud Troglodytas Gallinacei magnitudine, *l* rostro & cruribus seu fuscis seu luteis. In regno Barnagassi, quædam Caponum magnitudine, pedibus & rostro luteis, minores Gallinis alias pedibus & rostro purpureis, nonnullas rostro & pedibus cinereis. In Hispaniola diversicolores, suavissimi saporis. In continente, si Oviedo credendum, Hispanicarum Gallinarum magnitudine, duplici pulpa, alia alteri substrata, eæq; tantæ molis, ut unam ne insignis quidem helluo absumere queat. Colore sunt in pectore, alis & collo cinereo. Ova ponunt ovorum nostratium Gallinarum magnitudine, colore lapidem cæruleum æmulante.

f *Geograph. l.17.*
g *Ael. l.17. de Animalib. c.7.*
h *Athen. H.A. l.4. c.13.*
i *Athen. l. 9. Dipnos.*
k *Nicol. de Nicolais l. 2. Itin. Orient. c.8*
l *Scal. Ex. 236.13.*

Quantum ad *internam constitutionem* bina habere in Paphlagonia *corda*, falsò fortè, prodidit *m* Theophrastus, hybernis mensibus nullos habere *testes* eadem *n* fide alij. Ingluviem ventriculo in ipsis præjacere, *o* appendices non supernè ut piscibus, sed infernè ad extrema intestini haberi, cum *p* coeunt turgidos valdè testes obtinere; verissimè Aristoteles prodidit.

m *Plin. H. N. l.10. c.35*
Ael. de Anim. l.16. c.15.
n *Arist. H. A. l.3. c.1.*
o *Arist. H. A. l.2. c.ult.*
p *l.3. H.A. c.1.*

Loca si quæras, In Hibernia & Lemniorum insulis nullæ sunt, si Botero & Liberali credimus, nec minores in Creta, ruffæ in Belgio raræ. A duabus in Anapheu insulam immissis, tanta vis procreata, ut incolæ de loco deserendo cogitarent. Apud Tarnassaros, Æthiopas, Samios, Cretenses &c. eximia ipsarum fœcunditas. In insula Caprea adeò pinguescũt, ut adipem eximant incolæ, & in futura convivia servent. Qui in Bœotia, fines in Atticam non transvolant, si *q* Athenæo fides, & si fortè aliquo migraverint, voce ab indigenis dignoscuntur.

q *Athen. l. 9. Dipnos.*

Vescuntur limacibus *r* unde ibi nulli ubi Perdices, in Sciatho *s* insula cochleis, allio, quod de Cirrhæis *t* Aelianus prodidit; Sabulo, *u* granis & alijs, Pamphagam esse suspiceris.

r *Arist. H. A. l.9. c.37.*
s *Athen. l. 9. c.4.*
t *Ael. H. A. l.4. c.13.*
u *Scalig. in Aristot. de plantis.*

Libidinis sunt profusissimæ, unde salacitatis venereæ Symbolum. Sane *Mares* non tantum visis fœminis, *u* sed & voce illarum auditâ, semen emittunt, ex animi fortè impressione. Nam & si speculum contra eos posuerimus ad imaginem suam accurrentes idem faciunt. Idem, si Alexandro Myndio credendum, hiantes coeunt, & toto coitus tempore linguâ exertâ volant. *nata* jam ova, *x* ne circa pullitiei educationem occupatis fœminis, earum societate frustentur, frangunt, in aucupantes *y* interdum Veneris impatientiâ ruunt; & capitibus ipsorum insident, si fœminarum copia nõ detur, vociferantur & pugnant inter se. Victum ajunt Venerem pati, & quidẽ *z* tamdiu donec & ipse alterius victor evaserit, quin in proprios pullos idem scelus committunt, eosdemque simul fermè ac exclusi sunt, subagitant, nec Gallinaceo parcunt generi, ex quorum cum Perdicibus congressu, tertium quid progigni *a* Aristoteles reliquit. Nec remissior *Fœmellæ* salacitas. *b* Si contra mares steterint, aura ab his flante prægnantes fiunt. Hiantes per tempus exertâ linguâ æstuant, concipiuntque super volantium afflatu, sæpè voce tantum auditâ masculi. Adeoq; vincit etiam libido fœtus charitatem, ut illa furtim & in occulto incubans, cum sensit fœminam aucupis accedentem ad marem, recanat, revocetq; & ultrò se præbeat libidini; quod tamen Plutarchus inficiatur. *Nidum* cæterarum avium more non exstruunt, sed partui vicinę aream seu receptaculum è festucis substernunt, idemq; spinâ & frutice; *c* tum ut contra feras abundè vallentur; tum ne ova à rore decidente vel imbribus & sic infœcunda evadant, afficiantur, muniunt, nec in quo loco peperere incubant. Septem verò diebus nidum contexunt, septem in pariendo consumunt,

x *Aelian. l. 2. de Anim. c.5.*
y *Arist. l.9. H.A c.8. Plin. l. 10. H. N. c.33.*
z *Ælian. de Animal. l. 10. c.47.*
a *l.2. de Gener. c.2.*
b *Plin. H. N. l.10. c.33*
Athen. Dipnosoph. l.9
c *Plin. l.c. Aelian. l.3. c.16. & l. 10. c.35.*

in attica tuta Sodiq; enim est Copia et Colmi primo vere Cyanthus ova earum testmerejne nimio urvalata fingibq domna instrunt. Magni Phin. 11. 6. p. 980.

munt, septenos pullos enutriũt, si Aeliano *d* credimus: *Ova* bis quotannis ponere Albertus dicit; decem, sæpius quindecim & sedecim, illaq; seu alba, seu ovis columbæ similia, *e* alij addidere. An utraque Perdix *incubet*, ab aucupibus inquirendum est. *Exclusionem* quod spectat, pullos moræ impatientes, occupatis spatijs sponte erũpere, pertusisq; ovis, vbi primũ caput exeruerint, pedesq; protulerint, reliquo corpore adhuc adhærescente, procurrere, sibiq; cibum ductu matrum inquirere, *f* ajunt. Sanè more Gallinarum, plumis obvestiti, in agros ubi messis stetit, deducuntur, quod mater suo volatu ijs cibum subministrare nequeat. *Vitam* ad *g* quindecim vel sedecim annos extendunt, quòd ad vigesimum quintum pervenire, apud *h* Aristotelem legimus, mendum est. Olfactus ipsis exquisitus.

Volatus ob corporis gravitatem & brevis & humilis; *k* velox tamen & impetuosus, hyberno tempore gregatim, verno, cum proli student, binæ tantum volant. In Bœotia sui cum volant nõ esse juris, sed in ipso aere, quas transire non audent metas habere, inde ultra notatos jam terminos nusquã exire, nec in Atticum solum trãsmeare, Solinus *l* fabulatur. *Vocem* non eandem habent. Bœoticas exili voce uti ajunt. Athenis *m* circa Corydalum pagum oppidũ versus caccabant, ultra verò πιπιβίζουσι. Hesychi κάκκαβον scribit; Aelianus *n* quasdam vocis contentione & cantu valere ait. Ex ipsarum cantu certissimum jam appropinquantis diei signum, sed falsò asserit *o* Bellonius.

De *Pugnacitate* earum quædã produntur. Alexander Severus *p* Perdicum & Catulorum certamine sese oblectabat. Cypriij easdem *q* ad ejusmodi certamina enutriunt. Apud Gesnerum è Sedunis allata, felem mordebat. Pugnant & inter se cum gregatim per nemora pascentibus, fœmina ceu futuri certaminis spectatrix sese offert, & nisi victori copiam sui faciens.

Victus r nunquam in conspectum prodit. *Pulli* cum primùm ad coitum educuntur, sua cute armati, quam vel ad arbores affricando, vel luto oblinendo asperam reddunt, pugnant. acuitur pugnacitas, si trichomanes & polytrichum in cibo offerantur, si *s* Liberali credimus.

Sed & singulari pollere Perdices *ingenio* certum est. Si ad nidũ cœperit *t* accedere auceps, præcurrit ad pedes fœta, prægravem aut prælumbem sese simulans, subitoq; in procursu aut brevi aliquo volatu cadit, fracta aut alâ aut pedibus, procurrit iterum jam jam prehensurum effugiens, Spemq; frustrans, donec in diversum abducat à nidis. Eadẽ pavore libera, & maternâ vocans curâ, in sulco resupina, glebâ se terræ pedibus apprehensâ, operit. Discunt & pulli astum, *u* & quam primùm hominem adesse sibillo significarit mater, supini se collocant, & corpus quisquiliis tegunt. Nec deponit has venator fraudes. Ante retia propositus, cantum ad pugnam lacessentem orditur. Sylvestribus ingruẽtibus pedem refert, ipsi in laqueos incidunt. Nolo sermoni humano enunciando aptos dicere, quod aliqui ex *x* scriptoribus innuere, & latiuscula earundem lingua suadere videtur: Non diceret tamen fide, interdum ita cicurari posse, ut, cum Gallinarum domesticarum cohorte promiscuè habitẽt, quod apud Aloysium *y* Mundellam factum; domi educatæ, ad montes interdiu victum inquirendi ergò sub custodibus dimittantur, sibilo revocatæ sub vesperam redeant, quod Nicolaus à Nicolais *z* in Chio insula communiter fieri prodit; & ab homine de loco in locum ad quatuor millia, ita ut ille terra iter faciat, istę per aërem volent, quiescente quiescant, ducãtur, quod in Ponto visum, Odoricus de Foro Julij tradit. Ova deperdita per alterius *a* matris damna, ut adoptione alienæ sobolis suæ orbitatis incommoda reparent; resarcire; Natos in campos eductos, ut fuerint materna voce commoti, ovorum genitricem petere; ubi sensere *b* medicamentum lætale parari, vociferari. Cirrhæas *c* seipsas, ut ab aucupibus spernantur emaciare: porro ad vocem sonoram *d* conciliã-

d l.17. de Anim.c.15.
e Arist. H. N.l.9.c.8. Aelian. l. 10. de Animal.c.35.
f Ælian. l. 4.de Anim. c.12.l.10. Variæ histo. c.3.
g Athen. Dipnos.l.9. Plin. H.N. l.10.c.33.
h Arist. H. A.l.9 c.7.
Volatus.
k Ovid l.8. Metamor.
l Polybist. c.12.
m Athen. l.9.
n Ael.l.4. de Animal. c.13.
o l.5. de Avib.c.14.
Pugna.
p Lamprid. in Severo.
q Lusigmanus in hist. Cypri.
Victus.
r Ælian.l. 4.de Animal.c.1.
s in congimirab. narrat.
Ingeniũ.
t Plin. H. N.l.10. c.33. Arist. H. A. l.9.c.8. Ælian.l.3. de Animal. c.16.
u Plut. de solertia Animal.
x St.atius. l.2. Sylv. Athen. Dipnos.l.3.
y Aldr.l.13. Ornit.c.16
z l.2.Navig. Oriental.c.8.
a Cassiod. var.l. 2.
b Aetius l.13.
c Ælian.l. 4. de Animal.c.13.
d Arist.l.2. Probl.l.39.

dam uti; vulneri ori anum, *e* man-
sum imponere; laurifoliis *f* annuum
fastidium purgare; arundinis lectâ, &
seu comesta, seu in nidum imposita
comâ, oculorum fascinationem *g* a-
vertere, adductorum Authorum fide
refertur.

Vsus Cirrhæatum *in cibo* nullus *h*
alliis enim vescuntur, nostrates lau-
dem apud omnes, Martialem si exci
pias, meruerunt, sunt qui pullos vete-
ribus alas reliquis partibus preferunt.
Fucre & exta & ova in usu. Heliога-
balus *i* Palatinis ingentes dapes iis
refertas exhibuit. Sed nec *Medicina*
illis destituitur. Caro Elephantiacis,
lue venerea *k* affectis, fluxu alvi †
laborantibus prodest. Medulla & ce-
rebrum cum vino, ictericis; ventricu-
lus *l* ex vino nigro iliacis; jecur ari-
dum comitiali morbo laborantib. san-
guis *m* suffusioni oculorum. fel *n* in
hebetudine visus, & albuginibus cum
melle commistum; pennæ combustæ
ad uteri strangulatum; ova ad *o* lactis
copiam; facere creduntur.

c *Ælian. l.* 5. *de Anim.* c.46.
f *Plin. in* H.N.
g *Ælian l.* 1. *de Anim.* c.35.
h *Idem l.* 4. c.13.
Vsus.
i *Lampr. in Heliogab.*
k *Cardan. in Coment. in Aphoris.*
† *Hippocr. l.3. de diæta*
l *Plin. H.N.* 30. c.6.
m *Idem l.* 16. c.18.
n *Galen. l.* 10. *de simplicib. Dioscorid. l.2. c.72.*
o *Plin. l.* 30. c.14.

ARTICULUS X.

De Perdicibus in specie.

PUNCTUM I.

De Perdice Græca Bellonii, Perdice ruffa, Cinerea & Damascena.

PERDIX GRÆCA crassa quoq; & Coturnus ex descriptione *a* Bellonii dicitur. Nostratibus duplo crassior est; *rostro* pedibusq; rubris, maculis ad anteriorem ventriculi partem eisdem quibus rostra respersa, mediocris Gallinæ magnitudine. Frequens est in rupibus Colmensibus, insulis Cycladibus & Cretæ maritimis. *Vox* nostrarum voce major, coitus inprimis & partus tempore. *Nidificant* sub dio mense Majo. Ova edunt sub aliquo magno lapide octodecim, quandoque sedecim, ovis Gallinæ similia, minora, alba, maculis subrubris exiguis respersa, usui peridonea, sed quorum vitellus non congelatur.

a *Bellon. l.* 5. c.13.

PERDIX RUFFA sive major, columbam exprimit, rostrũ habet Cocci colore, pedes minus rubent. Color cinereus per dorsum, pectus & caput decurrit. Oculorum palpebræ in marginibus rubent, ab iis linea nigra retrò per collum tendit, inde reflexa per pectoris partem supremam sæpè circulum facit: quod intra eam est albicat.

PERDIX CINEREA, seu minor, Græcis ignota, ex descriptione Gesneri, coloris est varii, nec descriptu facilis. Rostrum subfuscum. Caput è ruffo fuscum; synciput, partes circa oculos, proram capitis simpliciter ruffa: collum & pectus cinerea, exiguis maculis nigris quasi per versus, crispos & undantes, interstincta: Dorsum, caudam & alas varios colores præ se ferenda, crura ex fusco albicãtia. Gregatim volat, vere verò bimatim.

Perdix quæ sub DAMASCENÆ nomine Aldrovando transmissa est, brevitate & crassitie corporis ad Perdices accedit, minor tamen est, rostrũ habet prolixius; pedes quodammodo luteos. Nec tamen † Æliani Syroperdix est, etsi magnitudo respõdeat. Nec enim est nigra, neq; rostrum habet ruffum, imò illa mansuescit, cum hæc semper in feritate perseveret.

† *Ælian. H.A. l.16. c.7.*

PUNCTUM II.

De Perdice alba, seu de Lagopode.

PErdix alba, Lagopus à pedibus leporinis & villosis; *a* Aristoteli, qui nullum animal præter unum leporem pedes villosos habere scribit, incognita; Hesychio & Phavorino λαγωίνης. Horatio Lagois, nisi fortè piscem Romæ rarum & ideò carum, quod interpretes volunt, intelligat; aliis *c* Perdix petrosa dicitur.

Duorum autem sunt *Generum*.

Prius est columbarum *d* magnitudine, tanti candoris, ut à venatoribus hoc solo, quod nives superat, visu deprehendatur, pedes tamen *e* & rostrũ nigricant, supercilia in mare inprimis rubent: collum maculis quibusdam nigri-

a *H.A. l.3. c.12.*
b *l.2. sermone Satyra.2.*
c *Aldrov. l.* 13. *Ornith. c.21.*
Genera.
d *Plin. H. N. l.10.* 48. *Scalig. Exercit. 59.*
e *Aldr. l.*

nigricantibus perspergitur, & radices pennarum nigrescunt.

Alterum nomine eodem à coturnicibus magnitudine tantum differens croceo tinctu; quod Aldrovandus Perdicem Bellonij Damascenam, seu Syroperdicem esse credit. Dorsi & colli colore Gallinaginem æmulatur. Alæ quæ corpori junguntur, albas, fuscas & fulvas pennas habent; decem remiges cinereæ sunt; pars interior & venter albent, & torquem in pectore rubro, fulvo, flavoque coloribus constantem habent.

f Gesner. in Ornith. Describit & *f* Gesnerus aliud, quod per æstatem fulvescere, & ne per hyemem quidem albescere dicitur.

Locus. g Plin. l. c. h Scal. l. c. *Reperiuntur* Lagopodes in *g* Alpibus, & Pyrenæis *h* montibus inque summis jugis imminentibus ei valli cui nomen Arbusti, quâ fauces aperiũt iter. Ita verò frigore, nive, & glacie delectantur, ut ubi locis inferioribus liquantur nives, altiora & soli aversa prosequantur loca, in quibus nix perennat.

Vox. *Vocem* edebat, quam Gesnerus describit, cervinæ non dissimilem.

Ingeniũ. i Plin. l. c. *Naturam* si spectes, non extra *i* terram, in qua nascuntur, ijs vesci facilè; quando nec vivæ mansuescunt, & corpus occisarum statim marcescat. Latent quidem homine conspecto; eoq; dissimulato sese motu prodere cavẽt, tanta iis fallendi similitudine nivis fiducia; sed tantæ etiam simplicitatis sunt, ut à venatoribus k dispositam lapidum seriem transire non audeant, sed secundum illam, quasi secus murum insuperabilem decurrentes in decipulas incidant.

k Stumpf. apud Aldr.

Vsus. *Vsus* earum & in cibis est. Præcipuo sapore esse Plinius dicit. Salubrissimas teste *l* Scaligero Norici credunt gustu, subamaras Gesnerus reliquit.

l Scaliger. Exerc. 59.

NB. *Perdices Indicas vide in Mantissa.* Num. 8.

ARTICULUS XI.

De Coturnice Latinorum.

Genera. COturnix Græcis antiquis ὄρτυξ, modernis ὀρτυκὴ & ὄρτυκι, Villanovano. Quisquila, Gasio Quaquila dicitur. Unum duntaxat ipsarum observatum *genus*. Visa tamen & Alba, si *a* Aristoteli credimus, & in campis *b* Russicis & Podolicis virentibus pedibus, quarum usus spasmum inducat, inveniuntur. Notæ quas suis veteres tribuunt, & in nostris reperiũtur. Parvæ *c* sunt, pedes *d* fissos, & pinnas *e* duras habẽt. Theophrasto fortè Perdices nanæ dicuntur. *Mas* & *Fœmina* distinguuntur, quod Fœminæ totus color quodammodo testaceus superius ad cervicem; dorsum, caudam & alas, ad mẽtum & pectus subluteus; ad ventrem ferè albus. A rostro ejus supra oculos & aures linea insignis longitudinis alba, circulares aliquot maculas habens excurrit. Cauda pro proportione major est. In *Mare* rostrum magis nigricat. Supra illud capilli quidam extant. Collum lineolis albis intercurrentibus ruffescit. Pedes minus lutescũt; digiti verò eorum ita constituti sunt, ut medius primò & tertiò longè major sit, posterior quem pro calce habet, longè exiguus. In *internis partibus* singulare quid obtinent. *Ossa* ipsis dura & solida. *f Ingluvies* & gula propè ventriculum ampla & lata. *Cor g* τῆ βολον, seu muricis modò in tres cuspides divisum. *Iecur* & fellis conceptaculum intestinis agglutinata. *Fellis* ad intestina labentis canalem vix aspectabilem. *Testes* jecori subditos.

a Arist. l. de colorib. b Cromerus l. 1. de Polonia. c Plin. H. N. l. 10. c. 23. d Athẽ. l. 9. e Arist. in physiogn. f Aristot. 2. H. A. c. g Athẽ. l. 9.

Quantum *ad Locum* Averrhoës in Andalusia, teste *h* Galeoto Martio reperiri negat, in mediterraneis Galliæ tractibus sunt raræ. In Delo, *i* unde nomẽ Ortygiæ sortita est, ad sinum k Arabicum, in superiore Aethyopia, Terra sancta, Madera, Capreis magna ipsarum copia, ad Tænarion, quæ nũc *l* Cerempolis tanta, ut hodiè Porto de Qualeis nominetur. In agrum Neopolitanum tanto numero ex Africa propelluntur, ut glomeratim sæpè in ædes maritimas incidant, & sine ulla difficultate capiantur. Migratorias esse aves, omnes, Albertũ si excipias, concedunt. Adveniendi habent tempora æstate depulsa. Cum maria tranant, impetus differunt, & metu spacii longioris vires suas nutriunt tardi-

h l. de promiscua doctrina. i Athẽ. l. 9. k Ioseph. Antiq. l. 13. c. 1. l Procop. l. 13. de bello Vandalico.

tate. Ubi terram perſentiſcunt, coëunt catervatim, deinde globatæ vehementius properant, quæ feſtinatio (ſunt verba *m* Solini *n* & Plinij) plerumq; exitium portat navigantibus. Accidit enim plerumq; noctibus, ut vela incidant, & præponderatis ſinibus alveos invertāt. Auſtro nunquam exeunt, nam metuunt vim flatus tumidioris. Plurimum ſe Aquilonibus credunt, ut corpora pinguiuſcula atq; eò tarda facilius provehat, ſiccior & vehementior ſpiritus. Ortygometra dicitur quæ gregem ductitat. Eandem terræ proximantem ſpeculatus Accipiter rapit, ac propterea opera eſt univerſis, ut ſollicitent ducē generis externi, per quem fruſtrentur prima diſcrimina. Quod de tempore dixit erratum eſt, niſi de terris tepidioribus æſtate apud eos depulſa intelligantur: quod de continuo volatu cum malis & velis inſediſſe obſervarit *o* Bellonius, in Delum ſæpiſſimè delatas alij; in Ponticis inſulis requieſcendi cauſa paucos dies morari *p* Varro; falſum, quod de navigantium exitio vix credibile, nec tantam ſimul abire multitudinem veriſimile, cum nonnullo corporis pondere & vento aptò deſtitutæ, in locis apricis & tepidioribus remaneant. Auſtro nunquam exire falſum. Cum & *r* Bellonius à Septentrione in meridiem tendentes, cum è Rhodo Alexandriam Ægypti navigaret, obſervarit; & Ariſtoteles Auſtro tanquam humido & gravi moleſtè volare prodiderit. Sec nec de Ducibus inter authores convenit. Ariſtoteles *s* hæc loca adeuntes, ſine Ducibus pergere; abeuntes. Lingulacam, Otum, Ortygometram, & Cynchramum Duces habere; ab hac noctu etiam revocari, ſcribit. Plinius id *t* ad ventum transfert, & de Ducibus ita. Glottidem ſeu Lingulacam initio blāblandita peregrinatione avidè profectam, pœnitentia in volatu cum labore ſcilicet ſubit. Reverti incomitatam piget, & ſequi, nec unquam plus uno die pergit. In proximo hoſpitio deſerit. Verum invenitur alia anno intercedente relicta: ſimili modo in ſingulos dies. Cynchramus perſeverantior feſtinat etiam pervenire ad expetitas terras.

m *Polybiſt.* c.18.
n *H.N.l.*10 c.23.
o *l.5.de Avib.c.*20.
p *Varro l.* 3. *de re ruſtic.c.*5.
r *Bellon. l.* 5. *de Avib.* c.17.
s *Ariſt.H. A.l.*8.*c.*11.
t *Plin.H. N.l.c.*

Victitant granis milij, tritici, & aliarum frugum. In Capreis inſulis Acinis herbarum; apud *u* Holandos Bryoniæ, ſecundum Portam malo Punico. ſemine cannabis, lolio, & tritico ſaginantur, ſed & Hellebori ſemen *x* perinde ipſis cibus, ac ſturno cicuta, quæ hominib. venena eſſe creduntur; (id-eò Plinius *y* veneni ſemen dixit) ſeu recuperandæ ſanitatis cauſa, cum Epilepſia tentantur, quod Aquę placet, ſeu peculiari quadam naturę ſuæ prę-rogativa, concoctio enim non vi duntaxat caloris, ſed tota ventriculi ſubſtantia perficitur; ſeu, quòd, cum pertenues habeant ad corda penetrātes meatus, antea devoratam cicutā concoquant, quam inde lethale gelu ad præcordia pervenerit, ut Divus Baſilius genſet. Aquam ſimul ac bibēre, turbant, ſeu quòd tali delectētur, ſeu quod ſingularem cum Camelis & Elephantis, quibus idem ſolenne, amicitiam gerant.

Victus.
u *Iunius in Novēdalib.*
x *Lucret.l.* 4. *de natura rerum.*
Ariſt l.l.de plantis.
Galen. ad Piſon.
Aphrodiſ. in proœmio Problem.
*Ambr.l.*3. *Hexā.c.*9.
y *Plin.l.*10. *H.N.c.*23. *&* 72.
*Solin. Polybiſt.c.*18.

Salacitas ipſis quæ *z* Perdicibus, ſæpius coitum repetunt, & humi nidulantur. Sunt qui quotannis quater *prolem edere* velint; bis in his quas petunt, bis in his ad quas revertuntur regionibus. Utut ſit, quo loco pariūt non incubant, ne quis locum longioris temporis morā percipiat. Sedecim *ova* cornicis ſimilia, ſi, Bartholomæo Anglico credendum, excludunt; ex his pulli fœminæ, rurſus ad decē menſe Auguſto pariunt. Unde non mirum tantam Coturnicum copiam, & mēſe Majo incubanti inſidiantem, ſpē centum & amplius perdere.

Generatio.
z *Ariſt.H. A l.* 9. *c.* 8. *Athen.l.* 9.

Volatus ſunt modici, Auſtro præſertim flante, cujus humiditas corporis gravitatem auget, ſed defectum curſu compenſavit natura, hinc Comeſtori Currelij dicuntur.

Volatus.

Vocem mari Ariſtoteles ademit, exilem Albertus credit, fœminę craſſam. Menſis Aprilis initio canere incipiūt; num ſubitò cum ad nos venerint, dubium. Vox nemini nota non eſt, & idcò apud Athenæum Pratinæ placuit, ut ἀδύφωνον dixerit. Sapientes olim prognomone utebātur, quod verum cantu

Vox.

cantu suo horoscopi emersum signare crediderint; cum in eo certum numerum servet.

Pugna. † *Arist. in Physiogn.* b *Dioscor. in l.4.c.131* c *Aristoph. in pace.*

Pugnacitas quæ avibus † duræ pennæ communis, in istis adianthi usu *b* accenditur, & occasionem, ut *c* Aristophanes Carcini Poëtæ filios, ἐρπύγας οἰκογενεῖς dixerit, & pugnax ἐρπυγίαν ψυχὴν ἔχειν dicatur, dedit, satis olim Athenis & alibi nota fuit, vbi ad certamen tanquam ad gladiatores ludos effusissimè conveniebatur, & Solon pugnantibus spectandis tempus impendere jubebat. Nec ignota Neapolitanis hodiè, aliquoties victrix, duodecim sæpè aureis venditur. Augustus quoq; tanti fecit, ut Erotem Ægypti Præfectum, quod victricem per contumeliam edisset, morte infami multaverit, & Areopagitæ *d* puerum, quòd Coturnicibus quas comprehendere posset, oculos erueret, damnaverint. *Antipathia* ipsis cum *e* Pelicano, sed & cum Luna & Sole exorientibus, si Oro credimus. His visis terram fodicant, pupillasq; identidem conscribillant.

d *Quintil. l.5.Instit. Orat.c. 9.*

e *Ælian. l. de Animal. c.49.*

Morbi. f *Plin.H. N.l.10.c. 23.* g *Hippocr. lib.re morbo sacro.* h *Arist.Cõment.in Aristot.in Plantis.* i *l 6.Antiq lect.c.7* *Ingeniũ.* k *In Ixeuticis.* l *Plin.H. N.l.10. c.29.*

Epilepsia eas laborare, experientia comprobavit, sed solas præter hominem quod *f* Plinius prodit, falsum cum *g* Hippocrates, capras & oves, Scaliger *h* canes, Rhodiginus *i* feles & arietem, Absyrtus Equos, Brodæus Accipitres & Graculos, eodem morbo vexari scribant. Quæ de *Ingenio* ipsarum Oppianus *k* & *l* Plinius, nempe adverso flatu pondusculis lapidum appensis aut gutture arenâ repleto stabilitas volare, & cum mare transvolant, singulas ternos ôte lapillos ferre, singulos per intervalla dimittere, sic utrum mare tranarint observare, produnt; πεφτώδη καὶ πίστεως πόρρω esse videntur. Bellonius in naves lapsas aperuit, & milium duntaxat reperit, lapidum non obiturus, si aliquos invenisset.

Vsus. m *Plin.l. 10. H.N. c.23.* n *l.6. Epidem.cõm.5*

Vsus Coturnicum olim *in cibis* apud quosdam nullus, *m* quòd veratro vescantur, & comitiali morbo laborent: Galenus *n* quosdam, qui edissent, in Doride, Bœotia, & Thessalia musculorum distentionibus correptos observarit. Nos nihil tale sentimus, ut nec ex capris vel avib. quicquam, ex modico esu assarum inprimis optimum pollicetur sanguinem Aldrovandus, ex immodico, pinguiorum inprimis, putredinalem febrim minatur. *Vsum in Medicina* si equitas, *o* cerebrum ex unguento myrteo tritum, & stanneo vase repositum, Epileptico paroxysmo medetur, si faciem eo illeveris. Adeps cum pauco helleboro mẽbro pudendi inunctus, venerem auget, cum melle, myrrha, & chalcanto albo oculorum vitia corrigit. Cum Zingibere tritus, Equorum oculos incolumes servat. Caro inveterata porcorum & piscium escæ inmiscetur.

o *Galen de Euporist. c.155.*

NB. *Coturnicis genus exoticum vide in Mantissa.* N.7.

ARTICULUS XII.

De Ortygometra.

DE Ortygometra quam Plinius & Gaza Matricem, Villanovanus Ethigometram, Scaliger *b* Coturnicomatrem, & verius vocat, vi, quid certi dicendum sit, habemus. De forma nihil ferè ab Antiquis traditũ est. Aristotelem *c* si excipias, qui palustribus avibus facie similem esse reliquit. Sed nec ex Recentioribus quicquam certi colligas. *d* Scaliger non absimilem gallinagini, magnitudine parem, colore tamen dilutiore, facie totâ coturnicis, esse, & ab aucupibus matrem Qualearum, ab aliis Rascle dici, scripsit. Bellonius duplicem *e* ponit. *Vnam* quam Rasclequoq; nuncupat. *Alteram* quam in genistis degere affirmat, magnitudine Ortygometræ nigræ, quam falsò Rallum nominat, colore præcipuè rufo, in alarum costis subrubente, in femoribus castaneo, maculis albis interstincto; capite perdici cinereæ simili. Aldrovandus, qui aquaticarum hanc ferè speciem esse putat, ut crura habeant oblonga, digitum qui pro calce est perbrevẽ, corpus gracile, plumas plærunque varias, ventrem albicantem, caudam brevem, rostrum longiusculum modicè flexum, avem, quam à Cardinali Paleotto acceperat, quæq; rostrum coturnice majus, caput, collũ, dorsum, & ma-

a *Plin.l.10*

b *in Comment. ad l. 8. Arist. de H.A c.15.*

c *l.8. H.A: c 12.*

d *loco citato.*

e *l 4. de Avib. c.19.*

& majorem alarum partem testacei coloris, alas qua ventrem contingebant ruffescentes; crura pedesq; pro corporis portione longos, colore inter croceum & viridem medio, obtinebat, pro Ortygometra posuit.

ARTICULUS XIII.

De Cynchramo.

a *Arist. H. A. l. 8. c. 12.*

CYnchramus Hesychio Cynchramas, *a* Aristoteli Cychramus, alijs Cenchramus quoq; dicitur. Quænam sit avis inter graviores non convenit, etsi ferè certũ est, nec linariam miliariam esse, ut Ruellio placet, & in sequentibus patebit, nec ex cenchritis avibus milio quidem pinguescentibus sed aquaticis, & ex Anserum genere: nec Cenchrin, à varietate punctorum milij instar dictum, ex Accipitrum familia. Gesnerus *b* Helvetiis **Brachvogel** dictam, ferè esse putat, quæ cruribus est proceris, rostro oblongo, eodemq; modicè inflexo, quæ autumno avolat, & tempore verno cum coturnicibus redit, & palustribus delectatur. Bellonio *c* est Gallorum le Prujer aut Preyer, quæ alaudâ cristatâ est major. *Rostrum* habet breve, crassum, tuberculo conspicuum, ad instar ossis durum, inferius cum superiore conjunctum, foveam in medio efformans, *ventrem* pallidum & nigris quibusdam maculis distinctum. *Crura* pedesque inter rubrum & castaneum media, posticum *digitum* longum. *Versatur* in pratis, hordeo & milio *delectatur*, nidos in agris avena & milio consitis exstruit, & sex pullos excludit.

b *in Ornitholog.*

c *l. 4. de Avib. c. 20.*

Descriptio.

Vox. *Vox* ipsi Tirtertirteriiz.

Volatus. Cum *volat* crura contra aliarum avium morem pendere finit.

d *Aldrov. Ornith. l. 13. c. 24.*

Aldrovandus *d* *Hortulanum* omninò esse credit, avem alaudæ magnitudine, at paulò minorem, cui *rostrum*, *crura* tota, pedumq; *digiti* rubescunt. *Caput*, *collum* & *pectus* in mare intercurrentibus punctis croceis, flavi, in fœmina partim flavi, partim viridis sunt coloris, alarum pennæ inter costales in utroque sexu, flavo & nigro colore tinguntur, mas sub oculis ad latera maculam habet rotundam, intensè luteam, quæ in fœmina non est.

Reperitur in agro Bononiensi & Florentino, ex milij esu vehementer pinguescit, & magno numero depilata, & scatulis asservata, Romam, transmittitur, ibidemq; caro pretio venditur, sunt verò & alia Hortulanorum *genera*, *Flavus* nẽpè colore propemodum paleari, alarum costis & remigũ pennarum extremitatibus albis. *Albus* cygno ipso ferè candidior, & *Hortulano congener*. Caput ipsi ex cinereo ad flavum vergit, collum cinereum nigris maculis punctatim distinguitur. Venter, crura, pedesq; crocea sunt. Cauda tota fusca ad latera latescens. *Locus.*

Albicilla cujus cauda alba, cætera vulgaribus Hortulanis similia, color duntaxat in omnibus pallidior.

CAPUT II.

De Avibus pulveratricibus domesticis.

ARTICVLVS I.

De Gallo Gallinaceo.

GAllus Gallinaceus, Gr. ὄρνις ἀλεκτρυών, ἀλέκτωρ, βρηπὸς, κίκιρρις, κοκκοβόας ὄρνις, κόρυθων, κότυος, κρωκίας, κοτίκας μικδικὸς, ὀλόφων, ὀρθοβόας, ὀρθάλιχος, πέρσικος ὄρνις, σέρκος, σέλκος, ὠιδὸς ὄρνις, Latinis coliortalis avis, lucis, cristati oris, &c. dicitur. Gallinam ἀλεκτρίωιαν, ἀλεκτορίδα, κίκκαν, ὀρθάλιδα, Cortis avem, Mylagridam, appellavere. Νέοσσοι, νίκρακες, ἵπποι; νεοπίδες ὀρθαλαχοὶ, pullorum sunt nomina.

Differentiæ ipsarum sunt variæ, quæ à *locis*, *voce*, *integumento*, *partu* & *incubatione* sumuntur. *Hadrianarum* Gallinarum Aristoteles *a* mentionem facit, quæ pennæ versicoloris, quotidiè pariunt, sed pullos interimunt; quas *b* Athenienses alere studebant, quæq; vel. sunt eædem cum *nanis*, & *pumilionibus* seu *c* Plinij, quibus certa fœcunditas rara, & incubatio ovis noxia, seu Columellæ, *d* quæ etsi vetustæ propter infœcunditatem improbantur, pluribus tamen locis fœcundæ reperiuntur, & ova plurima edunt, vel cũ Longolij Parturientib. seu Leyhennen,

Genera.

a *l. 6. H. A. c. 1.*

b *Athen. Dipnos. l. 7.*

c *l. 10. c. 53 & 56.*

d *Columella de re rustica l.*

nen, quas versicolores, & rostro longiusculo facit. Pumilas enim, quæ passim extant, & claudicando potius, quàm incedendo per terram reptant, nemo istis accensuerit. Sunt & Tanagræ, Lydæ, Rhodię, Chalcidicę, Medicæ, & Alexandrinæ. Ex *Tanagræis* Galli inprimis probabātur, alij μάχιμοι seu pugnaces dicti; alij Colliphi & Merulæ dicti, qui Lydas *e* magnitudine æquabant, Corvis colore similes, paleariam & cristam instar anemones, nec non candida & exigua in rostro supremo & caudæ extremitate signa, habebant. Cum omnes à prælijs *f* commendentur, & amplitudine pares sint, *g* facilè ejusdem generis esse suspiceris, fortè & cum Longobardicis, qui pedibus usq; sublatis incedūt, plumis ex auro fulvis teguntur, eosdem. *Patavinas* Hermolaus, & Longolius dixere; sed quia cauda destituūtur, quod veteres in suis non reticuissent, vix est credibile. Sunt & in regno Senegæ, Gallinæ Pharaonis dictæ: in regno Tarnassari nostris triplo majores. In Jamaica insula *h* Pavonib. nec magnitudine, nec sapore cedunt.

e Pausanias in Bœoticis.

f Varro de Re rustica.

g Columella.

h Petrus Martyr in Decadib.

Reperitur & propè Thessalonicum *i* genus quoddam Gallinaceorū perpetuò mutum nunquam familiari his alitibus cantu vocale. Nonnullæ quoque sunt *Lanigeræ*: ut in quadam Oriētis urbe, & nivei coloris, in regno Mangi pilis more felis nigris vestiūtur. De reliquis suis locis agemus.

i Ælian. de Anim. l. 15. c. 20.

Forma.

Quantum ad *Formam*, Gallum gallinaceum Alucone scilicet majore *minorem* prodidit *k* Aristoteles. Soli fidipedum altilium *colores* diversi sunt, & nitorem hunc si attendas, majori speciositate quàm † Crœsus vestiuntur. *l* Spectatissimum insigne ipsis, corporeum serratum, nec carnem id esse, nec cartilaginem, nec callum jure dixerimus, verū peculiare. Cristam Latini φοινικόφον, κυρβασίαν vel κυρβαβίαν, κορυφήν, & λοιφίον Græci, dixere. Semper est exerta & rubens dum integra sanitate fruitur, & mirum de ea. Herbersteinius. *m* Cum cuidam in Moscovia frigore jam ferè enecto, abscissa fuisset, sibi restitutum, erecto statim collo cantasse. Plicabilem Gallinæ

k H. A. l. 9. cap. 8.

† Laërt. in Solone.

l Plin. H. N. l. 10. c. 17.

Arist. H. A. l. 2. c. 8.

m In itinere Moscovitico.

obtinuere, & per medium caput deorsum dependentem. *Oculos* omnes habent splendidos, salacitatis indiciū. Paleæ (Aristoteles κάλλαιον ob purpureum floridumq; colorem vocat) ex rutilo albicantes, sub mento & collo, velut incanæ barbæ dependeant. *Rostrum* robustum, in superiori parte aduncum, coloris plærumq; cornei visitur. *Caro* quæ rostrum undiq; cingit, nonnullis mentum, Columellæ gena est. *Iubæ* (sic longiores cæteris plumas Columella dixit) collum & cervicem undiq; ambiunt. Vel pectus vel pars ventris posterior *Navis*, à qua pullum aperiri jubet *n* Apicius, vocatur. *Canda*, quam ὄπεραν Hesychius vocat, maribus major, quàm fœminæ, binæ longissimæ incurvi arcus imaginem propter teneritudinem præ se ferentes, in fœminis sunt; quę capis saginandis sub cauda eveiluntur, pinguefactorias Germani dicunt. *Calcaribus* quæ πλήκτρα, & κέντρα, armantur mares; inque iis in magnam quandoq; molem excrescunt, sed & gallinæ cum mares vicerint; cucuriunt, crista etiam caudaque erigitur, ita ut difficile sit, an sint fœminæ, cognoscere, nonnunquam calcaria parva, errore ne naturę an opere ignoro, ijs enascuntur. Plinius *o* Gallinas probat imparib. digitis, aliquando & super quatuor transverso uno, Columella quinq;, ita tamen ne cruribus emineant trāsversa calcaria, sed hæc ad Oeconomiam spectant. *Internarum partium* ista est ratio. *p* *Ossa* habent consistentiam laxam, cavam & levem. *Ingluvies*, quæ πρόλοφος & φάρυγξ ventriculo *q* præposita est. Appendices habet infra, qua desinunt intestina, ut verè ultra ventriculum esse *r* Plinius scripserit. Pellicula intra ventriculum stercori destinata, Echinus, ab aspredine dicitur, Dioscorides κοιλίαν vocavit. *Testes* gallinaceis sunt sub jecore, fœminæ supra caudam. Uterus ex descriptione M. Antonij Ulmi duplex habet foramen. Infernum per quod ovum ad externa respiciens jam perfectum egreditur: supernum & internum per quod sub septo transverso inchoatum, ad formam perfectam suscipiēdam ingreditur. Totus in parte

n l. 6. c. ult.

o Plin. H. N. l. 10. c. 56.

p Galen. l. 11. de usu partium.

q Aristot. H. A. l. 3. c. ult.

r Plin. H. N. l. 11. c. 37

sinistra ad spinam situs est, dextram abdominis & centrum, intestina obtinet. Exitum ipsi in superna ad spinam desinente parte dedit natura, quia animalia supergressu coëuntia, instrumenta in proximo habere oportebat, in inferiore podicis ad ventrē positus, quia infrà illius est officium. Uterque tam proximè cute, quod præputium dixeris, & musculo, sphæricæ figuræ, ut extensioni magis accomodi essent, obteguntur, vt arctissimè connivētia, sensim ipsū aliquando fallere possent. Vteri substantia membranea & crassa est, figura concava, trium digitorum longitudine, qua ad exitum pertinet latior. Porrigitur ab infimo abdomine, juxta ipsorum intestinorum exitū, ad locum conceptionis ovorum sub septo transverso, estq; cùm extenditur longitudine dodrantali, cujus longitudinis ratione, membranam obtinuit à spina dorsi proportionalem omninò ac persimilem intestinorum mesenterio, quam & venæ frequentes percurrunt, cum ad nutritionem ipsius uteri; tum ad ovi intrinsecus contenti, dum pertransit à loco sub septo transverso, ad ipsius uteri exitum, alitionem. Mēbrana autem (verba sunt Vlmi) spinæ colligans, eadem prorsus existit ipsi mesenterio intestinorum, quin imò eadem est & substantiâ, & origine: quapropter consensum habet uterus cum ipsis intestinis. Figura uteri inæqualis, alibi angusta, oblonga, alibi lata, brevis, juxta hāc varietatem, varia quoq; sortiri nomina debet. Nam uteri latitudo infimo abdomini proxima, & in qua ovum jam absolutum continetur, estq; ipsemet uterus, reliquum verò corpus angustum, oblongum, rotundum, quod ad septū transversum extenditur, vel *uteri stomachus*, vel *uterus productus* extensusve, vel *uteri gula*, nuncupari posset. Est autem membranea & tenuis, admodum diversa à reliquo utero protenso, & à substantia ipsius uteri, qui ad exitum jacet. Nam finis hic membraneus subtilis & pellucidus existit, ac exanguis. *Intestinum* quoque *uteri*, ratione figuræ & quantitatis, cūcum longitudine rotūditatem cavernosam habeat, meritò diceretur. Cui accedit membranæ occasio hanc uteri extensionem, vel productionem spinæ colligantis, quod *Mesenterium uterinum* appellamus. Intermedia pars uteri, quæ est illius portio ab utero propriè dicto, finem interjacens, crassam obtinet substantiam, albam, lacti similem, & in semetipsam considentē, cujus mesereō multiplices venas habet. Hujus substantia cocta ovi albuminis gustu saporem exhibet.

De *Victu* non est quod multa dicamus. Præcepta saginandi ad Oeconomiam pertinent. Vvis & ficubus impensè, sed infeliciter vescuntur. Steriles enim evadunt, & pituitosi, si vel semen *s* cannabis apposueris, numerosorum ovorum partu gaudebūt, si vel hordeum semicoctum, vel Nasturtii semen cum furfure & vino subactum, exhibueris, majora deponent, ad saginandum tum triticum cū aqua coctum, potu interdicto, tum Cytisus vehementer laudantur. *Victus.*

s *Mathioli in Dioscor. l.3. c.148.*

Quantum ad *Generationem*, & quæ ei adhærent. *Sexus* in hac ave manifestis signis distinxit, & mas erectâ cristâ, iubâ, à cervice per collum dependente, cauda majore, & insigni ad prēliandum calcari superbit. *Salacitatis* verò sunt inexhaustæ. Nam etsi peculiare ipsis coeundi tempus, vernum esse, unde majores fortè tum testes, Aristoteles innuere videatur, & ad unum ovum fœcundandum multoties *u* cum eādē gallina gallus coeat, quin & quidam effœminati à primo *x* ortu nascuntur, ut nec cucuriant, neq; fœminas ineant, & *y* Theophrastus agrestes cortalibus ad venerem procliviores dicat: certum tamen simul, singulis diebus quinquagesies & amplius uxores suas Gallum inire, si eas mori contingat, mœrore animi interdum contabescere, si illæ desint, ne à masculino quidem genere sibi *z* temperare, unde lege *a* vivicomburio damnabatur, alias non sui generis volucres, Phasianos nempe & Perdices aggredi, & semen *b* ad Gallinarum & conspectum & vocem emittere. Quin nunquam *c* qui in æde Herculis pascebantur ad Gallinas, quæ in Hebes, inter- *Generatio.*

u *Oppian. in Ixeuticis.*
x *Arist. l.9. c.49.*
y *apud Athen. l.9.*
z *Æl. l.4.*
a *Plut. in l. nū bruta ratione utantur.*
b *Athen. l. 9. Dipnos.*
c *Ælian. l. 7. c.46.*

interfluente utramq; ædem rivo perenni, transvolabant, nisi cum libidinis vexabantur stimulis. Non æquè tamen salaces omnes, lacertosi, rubenti, erectaq; cristâ; rostro, brevi, pleno, acuto, oculis ravis aut nigris, paleâ rubrâ, collo vario, fœminibus pilosis, unguibus longis, cauda magna, frequentibus pinnis, profusissimi in Venerem esse creduntur. *Coitus* tempus mari, statim ac à cubili surgit, fœminæ, progresso jam die, supervenente illo, cõsidet ista humi. à coitu *d* inhorrescit, sæpè festuca aliquâ se lustrat, & vapore per libidinem excitato membra extendente, sese excutit. *De partu & ovis* ne hoc caput nimia mole legentes perturbet, in sequentibus separatim dicemus. *Animales actiones* quod spectat, quia Gallinæ unico oculo sursum elevato, rapaces aves observant, *Visu*, quia aridissimum quodq; modò id ore recipere queant, illicò dijudicant, *e* gustu pollere videntur.

d *Aristot. H. A. l. 5. c. 2.*

e *Scalig. Exerc. 266*

Vox. *Vox* Gallinæ mutabilis. Circa partum κακκάζει seu singultit, dum incubat, glocit seu glocitat. Cum iniri debet, mancam & exilem vocẽ format, in genere gracillare & pipare dicitur. Cantus, pro malo omine accipitur, & inter obstetricum numeratur observata. Galli propè Thessalonicam nullam habent, apud nos graviorem, sed verè ἄπωδον, qui nec choro, nec fidibus concordat, ἄδειν & cucurrire solent. Vigiles hos nocturnos excitandis in opera mortalibus, *f* rumpendoq; somnò natura genuit. Norunt sydera, & ternas distinguunt horas interdum cantu, cum sole eunt cubitum, quartaq; castrensi vigilia ad curas, laborẽq; revocãt, nec solis ortum incautis obrepere, diemq; venientem nunciant cantu, ipsum verò cantum plausu laterum, hinc ἡμέροφονον, & lucis prænũcius dicitur, & veteres gnomonibus horarijs destituti, noctis deliquium & diei accessum eo metiri solebant. Matutinum cantum, quidam alimenti desiderio, (avidè animal calidissimum nutritur:) alij salacitati (initurus cucurrire incipit) nonnulli auræ mutationibus, quæ ex solis contingunt motibus, multi cum & satur, & à coitu canat, occultæ cum sole amicitiæ vendicant. Qui profunda nocte validius, manè remissius cantare putant, cantum vento ferri, ventum noctu magis quam sub crepusculũ spirare, sic gallum longius audire, opinantur. Muti evadunt, si vel circulum e sarmentis *e* collo addideris, vel caput & frontem oleo inunxeris, si Plinio & Alberto credendum.

f *Plin. H. N. l. 10. c. 21.*

g *Plin. H. N. l. 29. c. 4*

Singularem ijs inesse *Fastum* tum inde colligi potest, quod imperitant *h* suo generi, & regnum in quacunque domo sunt exercẽt: tum quòd nullam *i* ineundi sui absq; atrocissimo certamine copiam faciant, tum quòd ædes † ingressuri, sese, nescilicet crista usqpiam offendatur, inclinent.

h *Plin. H. N. l. c. c. 21.*

i *Athen. l. 9*

† *Ælian. de Animal. l. 4. c. 29.*

Pugnacitas nulli est ignota. Ejus spectaculum, quo Miltiades Græcos in Persas felicissimo successu animavit, Socrates Iphicrati Duci animos adjecit, Themistocles exercitum contra Persas ducens instituit, Pergameni quotannis celebravere. Eo Tarnallari Indiæ populi, Ambivariti, *k* apud quos per octo dies summo parciũ studio in curia quotannis committũtur, Galli, Angli, hoce tempore delectantur. Accendi, & *l* allio, unde ἐπιχρισμένοι, politricho, *m* trichomane & adiantho, fortè quod cristam *n* Galli quodammodo æmuletur, dicuntur, apud veteres stimulis ferris æneisque, quos plectra vocant armabantur, ut se facilius tutarentur in pugna. Nec hæc caret singulari artificio. Videre est ibi *o* intentata projectius capita, inflatas comas, vehementes ictus, cautissimas evitationes, & in omni motu animalium rationis expertium nihil non decorum. Si ex certamine *p* victoriam reportavit, tum oculorum eminentia, tum cervice erecta simul & cantus contentione insolenter efferitur, & triumphantis similis est, verè Ἀρεως νιοτῆς Martis pullus.

Pugna. Savan in Dist. Gallica de Cesarine Singulari p. 8. 9.

k *Becan. in Gottodanicus l. 7.*

l *Rhodig. Ant. Lect. l. 16. c. 13.*

m *Plin. H. N. l. 22. c. 1.*

n *Porta in Phitognõ.*

o *August. l. 1. de ordine*

Politian. in Rusticis.

p *Plin. H. N. l. 10. c. 20.*

Ælian de Anim. l. 4. c. 29.

Victus. Victus idcirco non canit, quod ex illa malapugna spiritus, fracti vocem supprimunt. Cujus offensionis verecundia confusus, in primam quamque latebrã sese occultat. Ad *Sympathiam* & Antipathiam, quæ sequuntur, pertinent. Quod de Gallinis circa præ-

Affectus.

q Colmella de R.R. sepia *q* decidit, immistam pabulo necem bobus affert. Porphyrionem tanto amore Gallum prosequutum, ut hoc occiso, ille inedia perire voluerit, r Ælian. H. A. l. 5. c. 28. Aelianus *r* oculatus testis est. Apes deficiente cibo gallinarum carnibus, & uvis passis refocillantur. Leo Gallum, & maximè album, ut Ambrosio s Ambros. Hexā. l. 6. *s* placet, metuit, quem ex cantu à longe, ex crista propius agnoscit, seu ob Ælian. H. A. l. 8. c. 28. occultam quandam causam, nam à leonibus & Pantheris homines non attingi, qui jure Galli peruncti fuerint, maximè si ei allium admisceatur, t Plin. Hist. Nat. l. 29. c. 4. *t* Plinius verè an falso prodit: seu † quod sint

† Lucret l. 4. de Natura rer.

--- Gallorum in corpore quædam
Semina quæ cum sint oculis immissa Leonum
Pupillas interfodiunt, &c.

Basiliscum, cum cucurrientem audit u Ælian. de Animal. l. 3. c. 31. adeò tremere dicunt, ut emoriatur. *u* Sic in Cyrenensium arenis ab itinerantibus abigitur. Vulpes una nocte quadraginta interdum & amplius aufert. Voce mustellæ Gallinæ ferò exanimantur. Superventu verò eorum, qui serpentis vel canis rabidi morsu læsi fuere, incubitus vitiantur. Eo tamen die quo peperere, à serpentib. non læduntur, & caro earum tum à serpentibus morsis remedio est. Florem vitis si comederint maturescentiū uvarum esu abstinent. Ex Sambuco magis canoram buccinam fieri pastor credit, si ibi cædatur, ubi Gallorum cantum frutex ille non exaudiat, seu quod in locis sylvestribus, in quibus Gallorum cantus non auditur, sicciora & solidiora ligna nascantur, ex talibus tibia magis sonora tornetur, seu & ob aliam causam. Nam ob streperam Galli vocem, stridore suo fungosam sambuci materiem convellere, vix verisimile fuerit. Denique taxi baccis quidem z Dioscor. l. 4. c. 75. impunè *z* vescuntur, sed sparti semine, & hominis qui helleborum bibit excremento, ut Avicenna testatur, a Arist. in H. A. Plinius in H. N. Columella. de R. R. intereunt, si cum incubant *a* tonuerit, ova pereunt, & semiformes pulli interimuntur. Auro liquescenti si Gallinarum membra misceantur, cōsumunt id in se, ita hoc venenum auri est, falso scripsit *b* Plinius, & ab experientia *c* confutatur. b Plin. l. 29. c. 5. H. N. c Scaliger. Exer. 88.

Morbi Gallis peculiares, Phtiriasis & Pituita. Hac inter messis & *d* vindemiæ tempus, & cum ficus ac uva immatura ad satietatem *e* permissa est, laborant. Aqua in qua origanum maduit, præservantur, restituuntur sanitati, si vel urina rostrum ablueris, membrana qua tum lingua obducitur leviter unguibus avulsa; vel scillam in aqua maceratam cum farina exhibueris. Aphtiriasi maximè dum incubant infestantur, si arena littorali vel saponariorum è lixivio relicto cinere cura mulierum sese pulverent, liberantur. Solent & cum abortu conflictari, qui ovi candido assato, cum uvis passis tostis æquo pondere tritis & ante alium cibum exhibitis, præcavetur. Pulli facilè Podagra tentantur, si stercus pedibus eorum adhæreat: quanquam an Galli quibus calor multus, cibi abstinentia non minor, *f* ea laborent, dubitetur. Capis sanè quibus pusillus calor & edacitas multa familiaris est. *f.* 2. *Morbi.* d Plin. H. N. l. 20 c. 6 e Columella de re rust. f Scaliger. Exer. 277.

Quæ de *Ingenio* dici poterant superius sunt attacta, singulari familiam amore prosequi, & simul ac aliquid escę nactus est, Gallinas & pullos ad vescendum invitare, easdem cōtra Milvos defendere, parientibus *g* fœminis condolere, & mœrorem exili testari voce, Luna exoriente *h* lętari, & quod summa admiratione dignum est, cum sese sanguinis copia aggravari sentit, unguib. sanguinem ex cristis prolicere, sic plethora levari, helxine se herba purgare, adjecisse sufficiat. *Ingeniū.* g Porphyr. l. 3. περὶ ἀποχῆς. h Ælian. de Animal. l. 4. c. 29. i Plin. H. N. l. 8. c. 27.

Nec omittendum, Gallos si tempore pluviæ canant serenitatem, si noctu citius, quam solent, aëris mutationem & ventum, si paulo post solis occasum vel à vespertino crepusculo, insolētes in raucisonum cucurritum non sine alarum motu prorumpant, k tempestatem *prædicere*. Scilicet, Auster vocalia instrumenta replet, ea sarcina dum se per motum exonerare volunt, ad cantum insolito modo stimulātur. Sed & Galline, si vel manè exire recusant, vel pediculos quęrant, & paludes more Anatum alis verberent, vel pectora rostro purgent, vel in arena ultra soli- *Præsagiū.* k Ælian. de Animal. l. 7. c. 7. Aldro. Ornith. l. 14. c. 1.

solitum sese concutiant, vel in principio pluviæ locum opertum quærant, imminentes imbres maximos præsagire, creditum est. Tempestivè serendum esse moneat, si pennas, cum deplumantur, ut ante hyemem solent, à capite amittere cœperint; serotinè, si à posterioribus.

Vsus. *Vsus* harum avium in cibis frequens & ab omnibus laudatur, signatarum inprimis. Ideò hoc primum *l* antiquis cœnarum interdictis exceptum invenio jam lege C. Fannij, annis undecim ante tertium bellum Punicũ, ne quid volucrum poneretur, præter unã Gallinam, quæ non esset altilis, quod deinde caput translatum, per omnes leges ambulavit. Inventumq; diverticulum est in fraudem earum, Gallinaceos quoque pascendi lacte madidis cibis, multò ita gratiores approbãtur. Nec tamen in hoc mangonio quicquã totum placet. Pertinax *m* Imperator lumbos amicis mittebat, & dorso laganis *n* sunt similes. Messalinus Cotta cristas cum palmis pedum & Anseribus torrere, atq; patinis condere reperit. Cerebrum assum cum pauco sale & pipere editur. Jecinora inter omnia edulia Cardanus celebrat. Vẽtriculus si concoquatur, *o* uberrimè nutrit. Intestina quæ & Gigleria vocabantur, cum alijs quibusdam rebus incocta edebantur. Testes apud Bononienses Calend. Augusti comedere solemne est. Uropygium inter militares cibos à Gallis computatur. Erant *p* Galeni tempore, qui & sanguinem Gallinarum edebant. Apud Ægyptios *q* nigræ arte certâ saginatq; in familiari sunt usu. Jus fœminæ in balneis potant, sic pingues evadunt. *Apparatum* pullorum Conchialatorũ, Parthicorum, Oxyzoniorum, laseratorum, cum cucurbitis elixatorum, Varrianorum, Frontonianorum, tractogalatorum, farsilium, leucozoniorum, & his similium, in Apicio vide, ex quo multa Aldrovandus desumsit. Olim tamen qui morbo *r* sacro laborabant, Galli carnibus abstinebant. Britannis *s* olim nefas Gallinam gustare, hodiè in Socotora insula eandem contingere, religio est.

l *Plin. H. N. l.* 10. *c.* 50.

m *Capitolin. in vita ejus.*

n *Athẽ. l.* 14

o *Galen. l. de cib. boni & mali succi.*

p *Galen. l.* 3. *de aliment.*

q *Alpin. l.* 3 *de Medic. Aegypt. c.* 16.

r *Hippocr. l. de morbo sacro.*

s *Cæsar l.* 5. *de bello Gallico.*

De *Vsu in Medicina* quis unquam dubitaverit. Inde olim superstitiosè Æsculapio immolabantur, nec quisquam ferè est morbus cui depellendo non adhibeantur. Reperti qui exsorbili ovo ter quaterve excreverunt, si Brasavelo fides. Febrientibus albumen ovorum in aqua concussum exhibuit *t* Hippocrates. Testes in hectica *u* commendantur. Cerebrum Gallinarum in tremore & narium fluxu. Melancholicis Gallina nigra per medium dissecta benè supra caput imponitur. Sunt qui Gallinæ pennam in aceto intinctam ad somni profunditatem conferre tradunt. Jus Galli veteris Asthmaticis prodest. Stercus album Galli ad occultas anginas commendatur, & certò vomitum educit, nec malè in colica exhibetur, & cum oleo & nitro mixtum clavos pedum sanat. Membrana ventriculo subdita cornu similis trita, stomachicis feliciter exhibetur. Jecur assatum Ilæo resistit. Marcellus deniq; Empiricus prodidit, osticulum extremum ex ala Gallinacea cochleari terebratum, nodisq; septem litio ligatum, atque ita brachio vel cruri ejus partis, quæ inguina habet suspensum, ijs mirabile remedium exhibere. Pro Coophone notandum est, quod Cælius Aurelianus reliquit, quendam à Gallo pugnante leviter læsum, in rabiem incidisse.

t *Hippocr. l.* 3 *de morbis.*

u *Trallian. l.* 12. *c.* 5.

AD ARTICULUM Primum.

APPENDIX I.

De Gallinarum ovis.

DUpliciter Gallinam ova concipere, *Per se* nempe & *ex congressu*, constans ferè veterum & recentiorum est sententia. Priori concipiuntur modo, quando mare absente, desiderio ipsius projiciũt intra sese *a* semen gallinæ; sic, tanquam maris initum passæ essent, prægnantes fiunt. Excitat ingentem in partibus genitalibus pruritum, seminantis materiæ abundantia; quam mutua inter se libidinis imaginatio auget, sed & si tempore certo

a *Aristot. H. A. l.* 10.

c Arist. H. A. l. 6. c. 2. suavitēr attrectentur, c idem motis attrectatione humoribus faciunt, ut haud falsò etiam pulvere concipere Plinius dixerit. Accedit ventorum Austrinor. Autumno & vere auxiliū. His flantibus, aves multiparæ loca ani per quæ concipiunt, obvertunt, ijs ad libidinem concitantur. Continuus caudæ ut motus, semen quod copiosum, nec menstruorum discessio ulla, ad matricem attrahit. Hinc à vento concipi d aliquando creditum. Hæc ova ὑπενήμια seu subventanea & zephyria dicta sunt, ut e cynosura & urina illa, quæ æstate ab humore contento inutili generantur. Neq; tamen omninò inania credas. Omnes enim partes habent, minora γονίμοις, liquidiora, minus suavia, & infœcunda per se, à superveniente Gallo fœcundantur. Nec obest vel ex luteo in album mutatio, ut Aristoteles credidit, vel utriusque à membrana ambitus. Ex albumine enim pullus generatur; ova piscium jam exclusa, post à mare injecto semine fœcundantur, & ovum in matrice subventaneum, præter testam & pellem completum, à semine Galli fœcundari, Albertus M. testatur. Quanto tempore maturescant, incertum: tardius propter caloris in semine penuriam, verisimile. Reliquias eorum quæ è semine generata sunt esse, falsum. Nam in gallinarum & Anserum genere, à novellis sine coitu edita, compertum est.

d Varro R. R. l. 2. c. 1.
e Arist. l. 6. H. A. c. 2.
Scalig. in l. 10. Aristot. Histor. animal. c. 6.

f Arist. l. 6. H. A. c. 2. Aldrov. Ornith. l. 14. c. 1. De *Ovis quæ ex congressu* sic habe. f Postquam fœmina de superiore loco quæ præcincturæ seu septo transverso subest genituram excepit, formantur ex ea à facultate formatrice ibidem ova, quæ spinæ pedunculis adhærent, exiguum tùm primò quiddam ut candidum videtur, & venulis distinctum, rubrum dein & sanguineum, luteum, & flavum totum tandem. Mox de spina in intestini uterini principium decidua & ad primos uteri loculos transmissa continuato congressu eo citius quo iste frequentior augescunt, & albugo à croceo secernitur. Tum in secundos loculos detrusa, justā molem acquirunt, & luteum, albumine involvitur. Deveniunt tandem in tertiam cellulam, in qua testæ natura duritiem largitur, eam tamen, ut mollia adhuc exeant, nec nutritio, quæ per eadem fit, impediatur. Sic vitello & albugini constantia, (gallatura seu sperma Galli, si Alberto & Aldrovando credimus, per totum albumen, usque ad vitellum pertingit, huic versus partem ovi acutiorem infigitur. Decimo à coitu die perfecta, trib. tunicis, quarum una vitellum ambit, altera tanquam pia mater albumen cōplectitur, tertia inter quam & illam humor crudus nascitur, & dum formatur fœtus excernitur, testæ adhærens, duræ meningis locum implet; intus instructa, mollia, ne dolorē pariant, latiore parte, ut mollius deponantur, & quia acutior adhæret, ideò postrema exit, egrediuntur, ac refrigerata, evaporato humore qui exiguus, relictaq; portione terrea, justam duritiem, sed acuta parte, qua pullus exit, & ubi grandinem generationi inutilem, qui non cernitur nisi fracto putamine, & injecta parte lutei infra, Aristoteles ponit, exactiorem, servata suâ figura, acquirunt. Poni cofnectà brumâ incipiunt. Circa Calendas Januarij etiam locis tepidioribus ac fœcundissimis. Optima fœtura ante æquinoctium vernum editur, post solstitium nata, magnitudinem non implent, tantoque minus, quanto serius provenere. Parituras se singultu g produnt; eodem, peperisse testantur, facilius, si festucam ore apprehensam dorso imposuerint, si h Oppiano credendum, libentius, si jam prius ovum in nido conspexerint sine dolore, vel exinde quòd testa membrana mollis fuerit, egresso demum induretur, colligas.

g Columella de R. R.
h in Ixeuticis.

Numerus pro ætatis ratione variat, quæ multa pariunt, bis in die ponunt, sed hyperinæ evadunt, & citò cōmoriuntur. Sunt qui quasdam noctu tenera; & nisi ad magnam diei partem, dura, eniti credunt, tenera edituras, dura, si aliquot horis antelucanis lumen viderint, ut sub ortū solis ponere cogantur, & salis supponatur paululū. *Monstrosa* interdum circa ea accidere certum. Vidit Aldrovandus cujus puta-

putamen punctis & lineis sanguineis conspersum. Uterum læsum vix dixerim. Sanguinem quo uteri interdum turgent venæ transsudasse verisimile est. Vidit & Albertus totum sphæricum, duabus testis inclusum, absq; ullo vitello, cum albumine aquoso tenui, & altero intra interiorem testam. Dantur & sine testa tam hypenemia quã vera: fortè quòd illa aquosa sint, & exiguo, si humidus Gallinis cibus apponatur, calore dotentur: his propter ictum, vel ex multitudine compressionem tale quid accidat, si Nicãdri opinioni standum est. Nec inter rara trilecitha, id est triplicis vitelli habentur; illaq; plærumque in medio testæ cavitatẽ habere Elluchasis prodidit. Vidit & Gesnerus aliquando cujus putamen, ab altera parte extrema, in angustum velut collum instar cucurbitæ se colligebat. Unum sphæricum ad columbarum vix accedens: alterum anserino haud minus, plicis rugisq; insigne in Aldrovandi Musæo reservabatur. Cæterùm *ponatve & Gallus ova* inter doctos quæritur. Nonnulli decrepitum & ad coitum ineptum, septimo, nono, aut ad summum decimoquarto ætatis anno, pro virium vel imbecillitate vel robore ponere ajunt. Ortum id putrefacto intus semini debet; vel ex humorum colluvio conflatur. Editur sub caniculæ exortum, quod tunc maximè ab ambientis calore expultrix languida in alite decrepita juvetur. Visum in Imperati Musæo oblongum, ab Aldrovando rotũdum, colore modò luteo, buxeo, flavescente, lurido, sed & quoddam luptum, vitello omninò carere dixisses. Quin & Lemnius Zirizææ duos annosos Gallos non tantum ovis incubasse, sed & ægrè fustibus ab illo opere abigi potuisse, reliquit. Confracta tandem ova, & strangulatus à civibus Gallus, quod, ne Basiliscus excluderetur, metuerent. Et hæc est quorundam opinio. Ovo simile aliquid ex conglobata intus putri cõcretione, in ultimo senio, cum non amplius coit, concipere, verisimilius est: At ovum cum testa non magis excludere potest, quàm vir fœtum, cum parere non didicerit. Basiliscum ex eo produci inprimis si rubeta incubaverit, nugæ, testâ carere, & adeò duræ pellis esse, ut fortissimis ictibus resistat, fabulosum.

APPENDIX II.

De Generatione Pullorum.

ABsolutâ Ovorum historia, de generatione pullorum aliquid nobis dicendum est. Horum verò principiũ veteres Græci, & inter eos Alcmæon Crotoniates, & Hippocrates Cous in vitellum; nutrimentum in albumen conjecere. Recentiorib. contrarium sentire placuit. Ex albo liquore ovi corporatur animal. vitellus alimẽto destinatus est, ἢ τοῖς ἀεὶ συνιςαμένοις τῶν μορίων ἐνπεῦθεν ἡ αὔξησις, inde membris subinde constituendis incrementum administratur. Et certè pullo jam constituto sæpe vitelli pars extat, & cum albumen πνεύμενον, *ignitum*, quod incubatione fit & fotu, σέρεον *solidum* fiat; luteum ἐν τοῖς πάγοις πήγνυται, θερμαινόμενον ὑγραίνεται, *gelu duratur & coit, calore humescit*. Excluduntur incubatu, vel αὐτόματα in terra. Nam in Ægypto & defodiuntur in fimo terra obruto, & turmatim fornacibus Cairinis exclusi prodeunt. Syracusis, potatorem quendam ovis sub storea humo stratis tamdiu potare nunquam opera intermissa solitum fuisse dum excluderentur, proditum est. Liviam ovum in sinu exclusisse, apud Plinium legitur; & vas in quo absq; Gallinæ opera excluderentur, à Porta descripsit. Oblonga & acuta excludunt fœminam, obtusa rotundaq; ab ea parte quę acutior esse solet marem. Incerto id argumento ab Aristotele proditum, contrarium apud Columellam legimus. Dies ter septem exclusioni adscripsit Philosophus, minuuntur, si tepidus aer accesserit, ἡ πέψις θερμότης τις. Concoctio calor quidam est, sed & deprauantur aliquando nimio, & urina evadunt, ὥσπερ οἱ οἶνοι ἐν τοῖς ἀλσίοις ὀξιοῦνται, ἀνιστρεφομένης τῆς ἰδυός, quemadmodum vina fæce subversa in calore accescunt. Formationem,

Arist. l. 3. de Gener. c. 2.

Hippocrat. de Natura pueri.

Arist. H. A. l. 6. c. 3.

nem, & quomodo alimentum pullus factus assumat, diligentissimè exposuit Aristoteles; hunc Aldrovandus secutus, sequentia nobis reliquit, quæ ipsius verbis proponemus. *Secundo* inquit ab incubatu die, luteum observavi deferri ad cacumen, aliquo pacto alteratum, & in medio quasi subalbidum: cujus rei inprimis Aristoteles non meminit. In aliqua verò parte albuminis, quæ pariter erat alterata, semen Galli apparebat, quod tres illas videbatur obtinere qualitates, quales jam ante diximus. *Tertia* die ablato putamine in parte ovi obtusa, vidi albumen, & reliquam substantiæ ovi partem in superiori putamine separatam. Recesserat autem albumen aliquantulum à putamine, quemadmodum fieri videmus in ovis omnib., quę minus recentia sunt. Hinc Plinius ova schista appellat tota lutea, quæ triduo incubatu tolluntur. Vocat autem *schista*, teste Hermolao, quia dividantur, & discedebat vitellus à candido. Videbam item manifestè admodum membranas illas tres quas ovis inesse ex Alberto dixi, & ex Aristotele etiam colligitur: neque verum est, quod secunda earum sit recenter genita. Si enim illud ita esset, minime in ovis nōdum incubatis conspiceretur. Inest autem & his, ut etiam vidi, sed albior in incubatis caloris causa. Eadem die vitellus videbatur versus ovi partem acutam: atque hoc est, quod dicebat Philosophus. Effertur per id tempus luteus humor ad cacumen, ubi est ovi principium, nam ibi est major calor, & vis spermatis. Apparebat etiam in albumine exiguum velut punctum saliens, estque illud quod Philosophus cor statuit. Ex eo vero evidenter admodum videbam enasci venæ trunculum, & ab hoc duos alios ramulos proficisci, qui meatus illi fuerint sanguiferi, quos ad utramq; tunicam ambientem vitellum, & albumen protēdi ille dixerat. Sum autem omnino ejus sententiæ, ut ejusmodi vias credam esse venosas, ac pulsatiles, sanguinemque in ijs contineri puriorem, principalium membrorum generationi, jecoris nempè, & pulmonis, similiumque idoneum: adeo ut rectè dixerit Philosophus, tertia die signa apparere, an ova fœcunda sint futura; licet ejusmodi observatio in majorum avium, utpote Cycnorum, Anserum, acid genus aliarum ovis locum minime habeat. In ejusmodi enim, ut idem Philosophus testis est, paulo tardius ea signa apparent. *Quarta* die bina videbantur puncta, & quodlibet eorum sese movebat: quæ haud dubio cor, & jecur fuerint, q̄ viscera in ovis triduo incubatis idem dixit. Apparebāt item duo alia puncta nigricantia, nempe oculi: & jam luteum manifestè ad acutam ovi partem, ubi major calor est, & spermatis vis sese receperat. Trahitur autem à spermate illud pro carnis generatione, ut in omnibus animantib. fit, quæ sibi simile generant. *Quinta* die non amplius punctum illud, quod cor esse diximus, extra videbatur moveri, sed obtegi, ac cooperiri, & duo illi meatus venosi evidentiores conspiciebantur, alter vero major altero: nec verum est, quod Albertus scripsit, apparere in tunica illa, quæ albumen includit: nisi forte id de tertia tunica, seu secundaria dixerit, cui evidenter venæ insunt, nam alioqui in illa nullius venæ vestigium inerat. Harum venarum insita vi reliqua albuminis portio quasi in palearum colorem immutatur. Videbantur etiam ramuli ad locum tendere, in quo caput formatur, eo scilicet puriorem materiā, à qua caput, ac in eo cerebrum fiat, una cum virtute formatrice deferentur: Erat autem capitis fabrica valde rudis adhuc ac informis: oculi vero conspectiores, atq; erui quasi magnitudine. *Sequenti dein' die* ablato superiori partis obtusæ putamine, ejectisq; duabus prioribus tunicis, tertia evidenter cernebatur venulis referta: de hac locutū fuisse Philosophum arbitror cum inquit: Membrana etiam fibris distincta sanguineis: atque hæc meo judicio secūdina dici potest. Dein inter hanc, & quartam membranam, quæ fœtum involvebat, humor erat aquosus: quem autumno serosam albuminis partem esse, quæ post natū fœtū superest, tanquam ad generationem

nem inepta. Eam vero membranam innuere videtur Aristoteles à meatibus illis venarum ortum ducere, quatenus scilicet vi fibrarum à venoso illo meatu ortarum in palearum, vel sanguineum colorem immutatur. Cernebatur deinde totus fœtus moveri, & oculi jam majores erant, quam in præterita die: at partes inferiores, thorax nempe, venter, & pedes, erant valde imperfectæ, nec discerni adhuc poterant, & rostrum erat muccosum: ut rectè dixerit Aristoteles: pars inferior corporis nullo membro à superiori distingui inter initia cernitur. Caput denique tota inferiori corporis parte majus erat. *Septima die* aperta quarta tunica fœtum conspeximus parvum adhuc, ac indistinctum cum oculis tamen magnis, triplicique in illis humore, crystallino nempe, vitreo & aqueo. Aperto capite jam cerebrum apertè cernebatur, minus verò reliquæ partes. Unde dicebat Philosophus. Paulo post (intelligit meo judicio diem quintam vsq; ad nonam inclusivè) & corpus jam pulli discernitur, exiguum admodum primum, & candidum, cõspicuum capite, & maxime oculis inflatis, quibus ita permanet diu, uti nos conspeximus: & sero, inquit, decrescũt oculi, & se ad ratam proportionẽ contrahũt; quod quidem verissimum est: siquidem in quarta decima, aut quinta decima die aliquantum resident diminuti propter caloris digestionem. *Octava* rursus *die* oculi majores adhuc videbantur, utpote ciceris fere magnitudine. Totum corpus tunc sese velociter movebat, & jam crura, & alæ distinctè cerni incipiebant. Rostrum tamen interim muccosum adhuc erat. Sed fortè quispiam quærat, cur prius superiores, quam inferiores partes in ejusmodi formatione appareant: cui responsum velim, virtutem, seu facultatem formatricem in superioribus magis quam in inferioribus vigere, quod spiritales sint, & per consequens plus caloris obtineant. Cæterum ist hæc omnia, quæ hac die videbam, *sequenti* manifestiora apparebant. *Decima die* non amplius caput toto corpore majus erat, magnum tamen, ut in infantibus etiam videmus: magnitudinis autem causa est humidissima cerebri constitutio. Quod vero Aristoteles dicit oculos fabis majores esse, id profecto minime verum est, si de vulgaribus nostris fabis locutus fuerit, cum alioqui ervi, vel ciceris albi, magnitudinem non excederent: atq; hinc etiam nõ absurde quispiam colligat fabas antiquorum fuisse rotundas, quales araci sunt, quem ideo fabam veterum quidam existimãt. Neque etiam verum est: quod tradit, tunc scilicet oculos pupillis adhuc carere. Etenim hæ non tantum hac die apparebant, sed duabus etiam præcedentibus, una cùm omnibus partibus ac humoribus. Quod vero ait, detracta cute nihil solidi videri, sed humorem tantum candidum, rigidum, & refulgẽtem ad lucem, nec quicquam aliud, id de crystallino humore mihi dixisse videtur, qui tamen haud solus apparebat, sed vitreus quoq; & albugineus, unde non parum hallucinatus videri potest Philosophus, uti etiam Albertus, qui eo tempore nil duri, & glãdulosi in iis reperiri existimat, cum crystallinus humor solidus sit, ac quã maxime conspicuus. *Eadem* item *die* vidi omnia viscera, nempe cor, jecur, pulmonem. Cor autem, & jecur erant albicãtis coloris: & cordis motus non solum apparebat, antequam fœtum aperirem, sed jam secto etiam thorace moveri videbatur. Erat autem pullus involutus quartæ illi membranæ plurimis venis refertæ, ne in humore iaceret. Cernebam etiam vasa umbilicalia prope anum ad umbilicum deferri, ibique inseri, ut cibum per illum petat fœtus. Vidi denique, quod Aristoteles non advertit, in dorso prope uropygium pẽnarum principia nigricantia menti humani cuti non absimilia, cui pili abrasi sint. *Die subsequenti* hæc omnia erant manifestiora, & in superioris rostelli extremitate erat quid albidi: cartilagineum, & subduriusculum, quod rursus die decimatertia magis erat conspicuum. Erat autem rotundum milij grano haud absimile. Sagacissima rerum parens natura id ibi fabricasse videtur, ut im-

pediat, ne rostello suo vel venulas, vel membranulas, vel alias quascunq; tenerrimas particulas pertundat. Ajunt mulierculæ, pullos iam natos cibum capere non posse nisi prius id auferatur. *Decimaquarta* die pullus iam totus plumescebat. *Decimaquinta* in digitis ungues albicātes apparebant. *Die vero decimasexta* ovum aperire placuit in opposita parte, ubi nativa tunica, sed unica tantummodo apparebat, eaque alba. Alteram enim quam in altera parte semper videram, hic observare minime datum est. Itaq; dubitabam an ea tantum pro albuminis tutela nata sit, cum scilicet ovum non sit recens, vel ad pulli defensionem in ovo incubato. Nam indies illa magis magisq; decidere videtur, & fœtum sequi, qui sui gravitate deorsum decidit. Aristoteles etiam unicam tantum esse eiusmodi tunicam his verbis innuere videtur. Sunt, inquit, quandoq; locata ova hoc ordine, prima postremaq; ad testam ovi membrana posita est, non testæ ipsius nativa, sed altera illi subiecta: liquor in ea candidus est, quasi diceret, omnes partes in ovo locatæ sunt hoc ordine: nempe prima, postremaq; ad testam ovi membrana posita est. Intelligit meo judicio per primā, & postremam membranam, eas membranas recēs in incubato ovo genitas, eas videlicet, quas aliquoties appellavi tertiam secundinam, & quartam, quam involventem fœtum dixi. Nam cum dicit testæ nativam non esse, ostendit nec primam, nec secundam esse, quæ ab altera ovi parte reperitur. Videtur igitur excludere hanc nativam sive primam, vel secundam, & intelligere tertiam, quam secundinam sæpe vocavi. Cum verò dicit, sed altera illi subiecta, intelligit eandem, secundinam nempe testæ subiectam, quod vel ex hoc maximè liquet, quod cādidum in ea liquorem inesse dicat. Is enim, ut supra ostendi, inter tertiam & quartam continetur. Hinc manifesto errore Suessanus convincitur, qui ex Ephesio per primam interpretatur eam, quæ testæ adhæret, per postremam vero, quæ albumini. Quæ omnia à nobis observata quotidie in sequentibus diebus evidentiora, utpote in perfectissimo pullo apparebāt. *Die vero vigesima* pullus putamine à parente Gallina ablato hora vigesima secunda sua sponte exivit. Post exclusionem reperiri in putamine tunicas duas albas nativas una cum duobus aliis in incubatu genitis secundina nēpe, & quæ fœtum ipsum involverat, in qua excrementum adhuc inerat subalbidum. Evidenter adhuc apparebāt in pullo tria illa *vasa umbilicalia*, duę scilicet arteriæ, & vena una, & orificium umbilici valde erat contractum. *Vena* vero jecori per alium rarum, qui rectà ad illud tendebat, inseri videbatur. Mirum autem erat, quod extra id nihil lutei appareret, cum tamen in cavitate abdominis, ubi intestina sunt, prope anum pullus per umbilicum totum fere id absorbuerat, simul cum quinta tunica, quę id involverat. Tanta autem ibi lutei inerat copia, ut vix duplo plus sit in ovo nondum incubato. Aristoteles etiam scripsit, decima ab ortu die, si alvus abscindatur, aliquid adhuc lutei in ea conspici. Sed consideratione inprimis dignum est, quomodo ejusmodi membrana, quam una cum vitello à pullo absumi diximus, post eiiciatur. Videtur autem dicendum, quod per eandem viam, umbilicum videlicet, regredi debeat, vel per anū, quod potius credo. Tunicę huic duo vasa implantātur, quorum unum arteriam esse, & à corde proficisci, pulsus indicat: alterum vena est, deferturq; ad intestina, lutei videlicet vehiculum: Hepar erat coloris admodum lutei, forte quod ex luteo per venas attracto nutriatur. *Hactenus Aldrovandus.* Auxit naturæ dotes ingenium. Fœminas habebis si lunâ plenâ nata, eādē supposueris. Eo colore nascentur, quo tincta ova fuerint, pulcherrimi excludentur, si cum Palumbi mare Gallina creverit, & ne de mōstrosis laboremus, à Johanne Baptista Porta absq; causa provisum est. Solent in partu numeroso quòd conceptus cohæreant sępe monstra nasci; nec vel geminas vel quadrupedes pullos, nulla sectis membranæ vitellis, vidisse, rarum est.

ARTI-

ARTICULUS II.

De Gallis Gallinaceis & Gallinis in specie.

PUNCTUM I.

De Gallinis Patavinis, Pumilione, & aliis quibusdam monstrosis.

HActenus de Gallis & Gallinaceis; in specie occurrunt nobis Gallinæ, Pumilio, Patavinæ, Gallinæ Turcicæ, Persicæ, Galli Scotici sylvestres, Palustres, Galli & Gallinæ Indicæ, Gvineenses, Capi. Gallina PUMILIO seu Nana, quam Aldrovandus describit, erat ferè tota nigra. Majores alarum pennæ in extremitatibus candicabant. Maculis in collo mediam lunam æmulantibus ornabantur. *Oculos* macula subluteſcentis coloris rotunda ambiebat. Caput erat cirratum, Paleæ & crista intensius rubebant. Ungues impensè candicabant.

Ex PATAVINIS Gallina tota ex nigro virescebat. *Cristam* gerebat exiguā coloris vix rubri. Pellicula quam propè aurium foramina obtinent, albebat. Mas quinq; duntaxat coloribus ornabatur, nigro, albo, viridi rubeo & luteo. Corpore erat ater, caput cirrhatum, cirrhi radices erant albæ, rostro & pedibus luteis. Visa aliquando Gallina tota candida, cristata, visa & alia in lapideam substantiam inter parietes cōversa, caudiculis suis absque pennis histricis instar horrida. Dantur & pedibus pennatis seu hirsutis quarum descriptionem apud Aldrovandum vide. Cristam Gallus habebat duplicem non admodum magnam. Visi aliquando & monstrosi. Tacebo gallinam quæ tres pedes, tertium propè anum enascentem habebat, pullum, qui totidem instructus, tertium velut ex Uropygio enatum ostentabat. Nihil vel de eo dicam, cui pes è podice natus, quinq; digitis instructus, visebatur, vel cui seu quatuor, priores imperfecti & pallidi; perfecti & lutei posteriores, seu quinque erant, vel de eo pullo cui quatuor alæ erant: nō tantum contrarium alarum pennæ situm; sed & cervicis plumulas caput versus cirri instar erectas. Tagliaferus Medicus observavit in quodam. At qui in aula Hetruriæ Ducis visebatur Gallus, habebat caput & paleas ex plumis militum, conos quibus galeas exornant æmulantibus duos in fronte pennarum calamos velut duo cornua surrectos; totidem ab utraque rostri propè nares parte, qui in extremitate plumas tenuissimas setarum instar edebant, unum in cervice, qui à principio ferè ejusmodi setis ornabatur. Pennæ veluti squammas toto corpore æmulabantur. Propè Uropygium qua cauda exit tuberculum rotundum & subalbidū visebatur. Cauda carnosa, pilis nuda, in extremitate floccum album habens propendebat. Tibiæ velut ocreis induebantur.

Aldr. l. 14. Ornit. c. 5.

PUNCTUM II.

De Gallinis Turcicis, Persicis, Gallo Scotico Sylvestri & Palustribus.

TURCICUS Gallus, quem Aldrovandus describit corpore erat candicante. Alis & alvo nigris. Cauda partim viridi partim nigra. Tibiis & pedibus subcæruleis. Toto corpore, modò argēteis, modò aureis lineis variegato. Gallina tota erat alba, maculis ubiq; nigris conspersa, pedib. subcęruleis. Visa & alia cum pedib. cæruleis ex albo & nigro maculata. Post carneā cristam, aliam ex pennis albis Alaudæ instar habebat, ut in icone expressum est.

PERSICUS cristā veluti caudam obtinebat, pedes cinereos, ipse totus niger erat. Gallinæ totæ coloris ferruginei visuntur.

Gallus SCOTICVS sylvestris Phasiano carne ac magnitudine est similimus, sed nigrā plumā, rubentibus admodum palbebris. Mas collo, pectore, alis, coxisque punctis rubicundis asper-

Boeth. in descript. Scotiæ.

aspersus est; fœminam leucophæam, maculæ nigræ variant, supercilia & barbulæ in utroq; sexu maculis nigris asperguntur. Similis est huic ille quem Turnerus Morhenā vocat. Mas enim totus splendescentis est nigredinis, eam caudæ partem, quæ podicem tegit, quæq; alba est si exceperis. Caput ruber sed corneus cirrhus tegit, & circa genas duo veluti lobi rubri & carnei. Fœmina tota maculis distincta est, & à Perdice nisi major esset, & ruffa, magis ægrè dignoscitur. Degunt in desertis, & erica consitis locis. Granis, & summis erucæ germinibus, vescuntur.

Gallo PALVSTRI corpus est subruffum aut sufflavum, punctis nigricantibus undiq; distinguitur. An idem sit cum illo qui frumento abstinet, & enascentibus minutisque Cytisi folijs vescitur, ut Boethius prodidit, dubito.

PVNCTVM III.

De Gallinaceis & Gallinis Indicis.

GAllum INDICVM duplicem nobis Aldrovandus exhibet. *Primus* est auritus, tridactylos, nulli volucrū generi pulchritudine inferior. *Rostrum* illi in superiore parte aduncum, totum rubrum. *Caput, pectus, & venter* integer colore roseo diluto, qui in pectore maculis sub roseis dilutioribus exiguis, in ventre longè majoribus, quas alba linea transcurrit, insigniuntur. *Cristas* habebat duas, carneam unam, quæ propè rostrum est, inter quam & rostrum superius, macula oblonga cærulea est: alteram pennis luteis propè primam cristam parvis, mox majorib. quæ sursum primò ascendunt, mox descendunt deorsum, constantem. *Oculi* eundem ferè qui in homine est præ se ferebant situm, oblongum scilicet, in cujus medio illi positi. *Aures* habebat erectas asininis non absimiles. *Alas* admodum diversi coloris. *Caudam* duplicem. Priorem exiguam, quinq; pennis ruberrimis constantem. Aliam novem longissimis, diversum colorem obtinentibus. De *collo* superiori & Vropygio pennæ cæruleæ albis calamis ornatæ dependent. *Alterum* simpliciter Indicum idem nominat. Coloris toto corpore erat aterrimi. *Rostro* superiore adunco, utroque caput versus luteo, cætera atro. Vbi foramina narium alijs, ibi rotūdum quid & luteum cerasi magnitudine conspiciebatur. Cristæ loco citros gerebat. Cauda & calcaribus carebat. Tibiæ pedesque tabellis albicantibus' præditi erant. *Gallinas INDICAS*, tres idem exhibet. *Primam* colore corporis fuso. Capite cirrhato, rostro in medio tuberoso, albicante, nigris maculis insignito. Coxis ex ferrugineo lutescentibus. Cauda nulla. Vropygio, simiæ instar, nudo. *Alteram* corpore à rostro ad caudæ extremitatem exiguo, ad cæruleum vergente, rostro recurvo & rubicūdo. Cauda longa, ut in Pica extensa, candida, & lineis nigris conspersa; quæq; in fronte tuberculum magnum, figurâ ficus, coloris ferè cærulei gerebat. *Tertiam* colore fusco, in collo & alis ad cinereum vergente, rostro rubicundo, sed non adunco, tuberculum simile in fronte gerentem. *Numidica* dicebatur.

vide Georgi. III. 1. 29. p. 189.

PVNCTVM IV.

De Gallinis Gvineis.

GAllinæ Gvineæ à regione ita dictæ, Perdices Terræ novæ quoq; dicuntur. Corpulentia vix nostrates Gallinas superant, iisdemque quoad mores & vocem ferè similes sunt. Peculiare ipsis acervum quendam pilorum supra caput obtinere, sed qui in anteriori parte reflectuntur, à prima vertebra aut osse colli procedēdo per posteriorem capitis partem. Gallum Mauritanum ita Gesnerus ex Cajo descripsit. Pulcherrima inquit avis est, magnitudine corporis figurâ, rostro & pede Phasiano similis, vertice corneo in apicem corneum à posteriori parte præcipitem, in anteriori leniter acclivem elevato, armatus. Eum natura videtur inferiori capitis parti tribus veluti laciniis se promittentibus committere atque deligare: inter

Bellonius l. 5. de Avib. c. 9.

ocu-

oculum & aurem utrinque una omnibus ejusdem cum vertice coloris: ita ut insideat capiti eo modo quo Ducalis pileus Duci Veneto, si quod jam adversum est aversum fieret. Rugosus is est inferius per circuitum; quâ se attollit in directum in summo collo ad occipitium, nascuntur erecti quidam atque nigri pili in contrarium versi. *Oculi* toti nigri, æquè & in orbem palpebræ & cilia. Si maculam in summâ & posteriori parte supercilij utriusque demas. Imum *caput* per longitudinem utrinque caro quædam callosa colore sanguineo occupat, quę ne propendēt veluti pālea, ut replicaretur, natura voluit, & averso ductu in duos processus acutos à capite liberos finiret. Ex hac carne attollūt se utrinq; caruncullæ, quib. nares in ambitu vestiuntur, & caput in anteriori parte à cętero rostro pallido separatur. Harum ad rostrum margines inferiores, replicātur leviter sub vtraq; nare. Quod inter verticem & carnem est à dextra & sinistra parte, squammosâ duplici incisura notatæ: in posteriori nulla sed lævves, & veluti punctis quibusdam sui coloris respersę. Color illi in faucibus exquisitè est purpureus: in cętero corpore per summa contuenti, qualis cōsurgit, si album & nigrum pollinem, utcunq; tenuiter tritum, colori fuscō rarius aspergas, nec tamen cōmiscens. Tali colori maculæ ovales aut rotundæ per totum corpus inesse visuntur, per summa majores per ima minores comprehensæ intervallis linearum, ut apparet in plumarum compositione naturali, qua se mutuo intersecāt obliquo hincinde ductu per summa tantum corporis, non item per ima. Id non ex toto corpore solum deprehēdes, sed ex singulis avulsis pennis. Superiores enim obliquis lineis se intersecantibus, aut si mavis, orbiculis quibusdam ex albo & nigro, ut dixi pollinę confectis, & per extremitatem cōjunctis; ut in favis aut retibus, maculas ovales aut rotundas, in spaciis fuscis comprehendunt, inferiores non item. Vtræq; tamen simili lege positæ sunt. Nam in alijs plumis ordine ita junctæ sunt, ut ferè triangulos acutos faciant; in aliis ut ovalem figuram repræsentent, &c. *Vox* illis divisus sibilus non sonorior, nec voce Coturnicis major. similem Gallinis communibus scribit Bellonius. Fœcundæ sunt, & in nutriendis pullis sedulæ.

ARTICULUS III.

De Capo.

CAporū tot sunt genera quot Gallorum, & sola castratione ab his differunt. Capitis tamen juba major est quàm Gallis, caudæ pennæ longiores sunt, & calcaria in majorem mollem excrescunt. *Vox* etiam magis demissa & rauca. Scaliger unum insigni magnitudine, perpetuum convivam habuit, qui cum ater fuisset totus, anno quarto evasit candidus, quanquam erant alij quibus nulla pluma nigra fuerat. Duobus olim *castrabantur* modis, lumbis nempe adustis candente ferro, aut calcaribus ad infima crura usque. Hodiè vulnere tanto quantum digito superius lumbos subsepto, ubi testes adhærent immittendo sufficit, inflicto, testiculi per posteriora evelluntur. Mori interdum contingit, si erratum fuerit: & Gallum à castratione ita intumuisse Aldrovandus observavit, ut pellis digitis pulsata, tympani bellici instar sonum ederet. Brevi quidam *pinguescere* scribunt, si cerevisiam aquæ loco apposueris.

In Persia non ita prædem adhibitis, Chardin. ll. 2. 10. p. 180.

Arist. H. A. l. 9. c. 50. Varro de R. R. l. 1. c. 2. Plin. H. N. l. 10. c. 21. Columella R. R. l. 8. cap. 2.

Vsus in cibo multus est. Optimum enim sunt nutrimentum & perfectum generant sanguinem, ut omniū avium laudes quātum ad obsonia pertinent, una caro Gallinacea, cujus patina stomachum juvat, pectus lenit, vocem sonoram facit, corpus obesat, Platina comprehendat. Maximè circa sex, septem, vel octo mensium ætatem probantur. In *Medicina* jus caponum ad virium restaurationem commendatur. Quidam ossa crurum medicamentis ad alba mulierum menstrua, immiscent. Alij Fistulæ indolenti pelliculam ventriculi interiorem, in sole torrefactam, & in pulverem redactam inspergunt. Græci asserunt, fabæ semina caporum sanguine macerata, ab adversantibus herbis immunia fore;

Vsus.

& si pridie quàm seruntur aquæ simplici infusa fuerint, citius nascituras; sin nitrata difficilimam coctionem non habituras.

CAPUT III.

De Avibus, quæ se pulverant simul & lauant.

ARTICVLVS I.

De Columbis.

AVes, quas Latini Columbas, seu quod in culminibus villarum degere soleant; seu quod bibentes rostrum aquæ diutius immergant, ut Hermolao videtur. (κολυμβᾶν Vrinare est) seu quòd lumbos frequenter colant, ut Alberto M. placet, dicũt, Græcis περιστέραι, & περιστέροι, πέλειαι aliquando τρηρῶνες πελῆρες, & εὔριποι apud Homerum, Hesychium, Phavorinum & alios dicuntur. Descriptionem non est, quod apponamus. Proprium omnib. utraq; connivere palpebrâ. Aristoteles *k* pedibus & unguibus cucullum repræsentare dixit. *Internas* si spectes *partes l* Ingluviem parvam & ferè rotundam ultra ventriculum, id est geminos sinus habẽt; unum in quo merguntur recentia, ut guttur: alterum, in quem ex eo dimittunt concoctione maturata. *Ventriculus* ipsis *m* fervention. *Lien* tam exiguus, ut visum fugiat. *De felle* inter eruditos non constat. Sunt qui habere negant, *n* Galeno ridiculi, sunt qui affirmant, seu in Vropygio vel dorso, quod verisimile non est: seu non eo loco, quo cętera animantia, sed & inter eas alijs ventri aliis intestino jungitur. Cysti carere dum affirmat Galenus, nedecipiatur metuo.

Locus. Quantum *ad Locum*, ubiq; ferè conspiciuntur. Ingens olim earum in Assyria circa Ascalonem quia sacræ, *o* & lege edi vetitæ; in *p* Cypro, Papho, Cythera, Sicilia, Cnido, quia Veneri dicatæ, copia. Tanta apud Pœonas & Illyrios, ut incolas militari contra eas ordine exire, Textor *q* nescio cujus fide, prodiderit. Nil de portu, & navali, Thisbæorũ, Insula Columbaria *r* Solini, quæ in Tyrrheno mari sita est; Lucaiis insulis, in quib. columbis quãdoque onerantur naves, regno Pegu, Fessa, & aliis dicam. Amant verè propter innatum pavorem eminentia loca: naturaliter tamen specus & latebras quærunt, quæ de *nidulatione* in arboribus *s* dicuntur, Palumbis potius competunt. *Sexum* difficulter, nisi interiora scrutentur, discernas. Vox tamen exigua fęmellam, gravior marem prodit.

Coituri mutuo se exosculantur, & senior quidem primum congressum ab osculo exorditur, sequentem sine osculo celebrat, *t* at junior quoties libet coire, osculatur, observatum tamen sine osculo marem *u* admitti, si fœmellæ ereptus post triduum eidem restituatur. Si mares desunt, ruunt in mutuos amplexus fœminę, ita singulis diebus ad octiduum & ultra hypenemium ponitur. *Ovum* quinto à coitu die perficitur: per oblivionẽ factum, quod † Plinius intra decem maturescere scripsit, & fœmina sæpè ipsâ quâ peperit, postridie *x* aliquando, marem repetit, ut fortè ad partum alterius ovi alacrior accedat. Vexata, vel spontè paulò morosior, ovum per tristitiam retinet. Bina ferè *z* ponuntur, ita natura moderante, ut aliis crebrior sit fœtus, aliis numerosior. Sed & quia volaces, *a* consumitur volatu materiâ, & in alas pennasque abit. Ex priori marem, fœminam ex posteriore edi veteribus *b* creditum, visæ tamen binas fœminas aliquando, binos aliquãdo mares uno exclusisse partu. Benè autem Plinius crebriorem iisdem fœtum innuit, & falsò δίγονον appellavit Varinus. Singulis namque seu *c* tricenis, seu quadragenis *d* diebus concipiunt, pariunt, incubant, & pullos enutriunt. Continuatur toto anno fœcunditas, si locum *e* apricum; unde Ægyptiæ *f* duodecies pariunt; & cibum, quem facilè acquisitum eximio corporis & ventriculi calore nullo negotio conficiunt; (hæc fœcunditatis causa Aristoteli) habuerint, si horum aliquid deest, à bruma *g* ad æquinoctium hybernum otiantur. Sic duodecim ex eis imo tredecim *h* & quatuor-

Generatio.

a Varro l.3. de re rust.
k l.2. de partib. Anim. c.13.
l Arist. H. A. l.3. c. ult.
m Arist. l. 3. de partib. c.7.
n de atra bile.
o Euseb. præpar. Euang. l. 8. c.5.
p Athen. l.14.
q in cornu copiæ.
r Polyhist. c.9.
s Horat. l. 1. oda. 2.
t Arist. H. A. l. c. 2.
u Aldrov. Ornithol. l.11. c.1.
† Plin. H. N. l.10. c.
x Athẽ. l.9.
z Plin. l.10. c.52. H. N.
a Arist. de Anim. Gener. l.3. c.1.
b Arist. 6. H. A. c.4. Plin. H. N. l.10. c.48. Ælian. l.1. var. Histor. c.1.
c Arist. H. A. l.6 c.4.
d Varro l.3 de re rust. c.7.
e Idem l.5. c.13.
f Plin l.10. c.53.
g Varro. l. 3. de re rustic. c.7.
h Plin. l.10 H. N. c.58.

tuordecim, haberi possunt paria. Æstate enim binis interdum mensibus terna edunt, sæpè inter pullos ova inveniuntur, & alij provolant, alij erumpunt, hi rursus simul *i* ac creverunt, & robur habent, cum matribus pariunt, & quanquam *k* Aristoteles intra annum eos coire, semestres incipere Venerem agnoscere scribat: Plinio tamē quinque mestres fœtificare scribenti, Albertus & experientia subscribunt. Non est ergò mirum quod M. Varronis temporibus, quinq; millia columbarum quandoque in uno peristeroptrophio colebantur, cum vel decem paria paucis annis in talem numerum excrescere queant. *Incubatio* maris & fœminæ *l* perficitur opera, hęc noctu, ille interdiu incubat, de tempore inter scriptores non constat. Plinius, æstate octavo decimo die excludere putat, *m* vicesimo aliàs. Apud *n* Aristotelem, quod ovum prius editum fuerit, intra vicesimum diem & absolvitur, & excutitur à pullo. Pertundunt ovum pridiè quam excludatur pullus. Alberto denique completur septem in utero diebus, fovetur per quatuordecim, postea fisso ovo, pullus exit. Experientia ab Aristotele militat, qui *o* etiā cœcos & imperfectos, quod, quia pauciparæ sunt, copiam alimenti cum prole parere soleant, pari affirmat. Possunt ab ortu *p* versicolores haberi; si miscentibus jam oscula maritis,

Stragula flammeolis oculis rubrosque tapetes
Et vestes ostro perfusas objicit auceps.

Aetas. *Vitam* columbarum octonis annis Plinius *q* definivit; quos etiam allectricibus, excœcatis Aristoteles *r* tribuit. Albertus domesticis viginti annos adscribit. Athenæus *s* ad triginta producit, fuit, quæ viginti duos annos vixit, & semper, excepto ultimo generavit.

Vox. *Vocem* per γογγύειν, γογγύειν, πονθορίζειν, & τοπίζειν, quod Latini gemere, murmurare, & meditari dicunt, expressere Græci.

Volatus. *Volatum* quod attinet, nullæ domesticarum neque longius domo, neque diutius abvolant, sed & altè per aera volitasse, in Paphlagonia Bellonius *t* observavit, ut conspectum effugerēt, seu ijs cum aëre tanta intercedit familiaritas, ut securius in eodem degant: seu alia causa. Celeritatem multi testantur *u* authores, hujus operam uno eodemque † die victoria Tauro-sthenis ex Olympia Æginum parenti ipsius nunciata est. Sueta intecta fides, ut Hircius & Brutus in *x* Mutinensi obsidione, Leydenses in sua; Romani in Circum vel Theatrum euntes, quæ vellent domum nunciaturi; * Ægyptij, Cyprij, & Cretenses nautæ ad terram appropinquantes; Benēses † Cattiæ urbis incolæ eis usi tanquam tabellionibus fuerint; effecit. Frustra vallum & vigil obsidio per cœlum eunte nuncio. Duplicatur celeritas, dum se à rapacibus insectari sentiunt. Sed & strepitum in volatu *y* quandoq; edunt, quā ostentatione, ut vinctæ præbentur Accipitri implicatis strepitu pennis, *z* qui non nisi ipsis alarum numeris eliditur. Speculatus occultus fronde latro, & gaudentem in ipsa gloria rapit.

Ad *Ingenium* & *Mores* Columbarum pertinet, quod cum bibunt, collum *a* non resupinant, sed quia breve & amplum, multarumque aquarum capax habent, largè jumentorum more bibunt, quod

——ubi mollia frangunt
Nubila, jam longum cœloq; domoq; gregatæ,
Si junxit pennas, diversoq; hospita tractu
Venit avis, cunctæ primum mirantur & horrent,
Mox propiusq; volant, socium jamq; in aere ipso
Paulatim fecere suum, plausuque secundo
Circumeunt hilares, & ad alta cubilia ducunt.

quod corpus primò humectant, dein pulvere *b* sese conspergunt, sic à pulicib. & omni sorde mundantur, quòd manè fœminas vagantes in nidum cōpellunt, & incubare cogunt. Sæpè ex hac causa castigatio pigrius intrante fœmina ad pullos, *c* quod conjugii fidem non violant, communemque ser-

i Varro l.3. de re rust. c.7.
k H.A. l.6. c.4.
l Athē. l.9. c.16.
m Plin. H. N. l.10. c.58.
n Arist. H. A. l.6. c.4.
o 4. de Generib. c.6.
p Oppian. l.1. de venat.
q Plin. H. N. l.10.
r Arist. H. A. l.9. c.7.
s Athen. l.9. Dipnos.
t l.6. de Avib. c.23.
u Virgil. l. 5. Aeneid.
† Ælian. variar. l.9.
x Plin. l.10 c.37.
* Bellon. l. 6. de Avib. c.21.
† Boter. in Relationib.
y Virg. Aeneid l.5.
z Plin. H. N. l.10. c.36.
Ingeniū.
a Athen. Dipnos. l.9. Plin. H. N. l.10. c.34. Arist. H. A. l.9. c.7.
b Arist. H. A. l.9. c.49
c Plin. H. N. l.10. c.34.

servant domum. Nisi cœlebs aut vidua nidum non reliquit, & imperiosos mares subinde etiam iniquos ferunt: quippe suspicio est adulterij quamvis natura non sit. Tunc plenum querela guttur, sæviq; rostri cibus, mox in satisfactione exosculatio, & circa veneris preces pedum orbibus adulatio. Appetunt tamen maribus defunctis, cujuscunq; coloris, non nigræ tãtum, quod proditum quibusdam, novas nuptias; & si *d* domini jussu conjugia permutent, pristino domicilio redditæ, prioribus spretis, novissimis adhærescunt, quin & nonnullas ex maritatis cum alijs coire Aristoteles dixit: & ut nigrâ apud Ægyptios mulier perpetuò vidua, quòd pulla semper incederet significabatur: sic ingrati apud eosdem columba, quòd masculus validior factus, patrem rostro incessit, & à matre abigere conatur. Huc etiam pertinet, quod *e* mas adultos pullos, cum ex nido tempus prodeunti est, subigit, quod eis pavore perculsis (sunt autem *f* timidissimæ) med æ natium partes *g* tremunt, quòd, dum etiam sub mensis cum Gallinis conversantur, hominum consuetudine se delectari ostendunt, quod deniq; Aquilam sublimipetam abhumipeta discernere norunt, & si hic invadit, in sublime *i* feruntur, si ille, deorsum versus ruunt. Nec tacendum, recens natis pullis vel k terram salsuginosam, quam in locis lotio conspergi suetis quærunt; vel salis ipsius *l* grana, seu ut livorem abigant, *m* ne fascinantium noceant imprecationes; seu, ut ad recipiendos cibos præparentur; seu, quod verisimillimum, ut eis tam fœcunditatẽ quam cibi appetentiam ingerant; insuere, corporis mundiciei impensius studentes, nidos à fimo repurgare. *n* Helxine, herbâ ad evacuationem uti, laurinos ramulos tenues primum pro amuleto colligere, deinde ad pullorum custodiam nidis imponere. Colores suos varietatemque dispositam nosse. Memoriâ, ideo temporis, quando fœminæ in cucubitu succedendum est, nunquam mas obliviscitur, † pollere. Ita denique cicurari, ut & literas ferant, & cibum ex auribus, quib. præstigijs nebulo ille Saracenus Muhamẽdes usus est, capiant.

d *Aldrov. Ornithol. l.15 c.1.*

e *Arist. H. A. l.9 c.7.*

f *Ezechiel. c.7.*

g *Tzeket Chilia. 12. 433.*

i *Ælian. H. A. l.3. c.45.*

Arist. H. A. l.9 c.36.

k *Arist. H. A. l.9. c. 24*

Ælia. H. A. l.3. c.45.

l *Gomesius l.1. de Sale.*

m *Athen. Dipnos. l.9*

n *Ælian. H. A. l.1. c.35.*

† *Rhodig. l.20. c.10.*

De Pugna satis est dixisse, in nidorum vicinia mares pro uxoribus has pro illis pugnare. Antequam coiverint, mares adhuc cœlibes, suas alijs subtrahere conantur. Vidit & Avicenna duas pro fœmina pugnantes; hæc victori adhæsit; quem, pugnâ repetitâ, deseruit victum. *Pugna.*

Amicitia eis intercedit cum homine. Alliciuntur in columbaria & manent, si vel humano sanguine cum pisis integris in vase figulino circumacto illinantur, & pisa deglutiant; vel cranium hominis senis in iis *q* suspendatur; vel lorum quo homo *r* strangulatus est, deponatur; vel lac mulieris puellam à bimatu lactantis, occultetur. Cum capite capræ, quod excruciatũ, cum multo sale, & cumino Romano coctum, ac ibidem depositum, eos retinet. Cum Tinnunculo & vespertilionibus ut suis locis expositum est, deniq; cum vite agresti, peristerione, saliva, carlina, semine viticis, & aliis. Detinentur vel peregrinas adducunt, si aliquid horum vel in columbario sparseris, vel suspenderis in nido. *Amicitia*

p *Gesnerus de colũbis.*

q *Albertus de Avib.*

r *Palladius l.3 c.44.*

Inimicitias autem exercent, cum circo, ad cujus vocem perhorrescunt, quod vociferans invadat; *s* Milvo, *t* Aquilis, marinis inprimis; Bubone, qui ova exsorbet. Noctua, corvino genere, vulpibus, catis, Mustellis, *u* helleboro albo, & dentibus humanis, *x* quibus virus quoddam inest, quod & fœtus impluimes necat, taceo de aliis. *Inimicitia.*

s *Hont. l.E. pod. ed. 16.*

t *Aelian. l. 3. de Animal. c.45.*

u *Serapio. l.4 de Methodo c.114*

x *Plin. H. N. l.11. c.37*

Affectus ipsorum sunt, Pulices & pediculi, quibus nisi mundentur, macilentæ evadunt; varioli circa oculos, *y* qui mense Augusto inprimis infestant; & vitiligo ac lepra ob quam à Persis pulsas apud Herodotum *z* legimus. *Morbi.*

y *Crescent. l.9. c.90.*

z *Herodot. l.1.*

De *Vsu columbarum in Medicina* multa prodita sunt. Ventriculo quia sunt ferventiore, lapillos comesos conficiunt, Margaritas eis exhibitæ poliri *a* Cardanus prodidit. Pestiferis haud corripi morbis, qui carne assiduè in cibo usi fuere, ex Aegyptiorum accepimus arcanis. Odor etiam sylvestrium in aërem resolutus, ab Epilepsia & Paraly- *Vsus.*

a *de varietate Rer.*

ralysi, si Villanovano & Abenzoari credimus, præservat. Cerebella cœcitatem inducendi proprietatem habere, metuo ne falsò, dicuntur, medicamentis venerem promoventib. rectè præscribi, certum. Sanguis *b* cruorem membranis cerebri emanantem cohibet, & oculis *c* suffusis eximiè prodest. Lusciosis benè illinitur. In masculis efficaciori Hierocles eundem medicamento ad stranguriam Equi admiscet. Adeps ad dysuriam cõmendatur. Pennæ primum enatæ & cum urtica ustæ podagræ dolores leniunt, ut Marcellus author est. Ovis rectè condyloma fovetur; sed desidere ante æger in aqua debet, in qua verbena decocta est. Fimus tanti est fervoris, ut i nem sæpè concipiat, & in ea *d* Mysia quæ est Asiæ pars, domus hac ratione conflagrarit. Cum hordeacea farina vel aceto mixtus, struinas discutit; arefactus, & cum nasturtij semine tritus, inveteratos coxendicis, cervicis, & lumborum dolores extirpat, ut scriptum Fernelius reliquit. Prodest *e* calculosis, si vel in aceto maceretur, illud propinetur colatum; vel in eodem septem diebus infusus, & aquæ rosaceæ instar destillatus exhibeatur. Excutit fœtũ, si cum Castoreo, opoponace, myrrha, vel felle vaccino suffitus excipiatur. Emplastrum cum aceto forti, rectè super ani ficus posueris. Imbecillius tamen domesticarum stercus, validius earum quæ in montibus vagantur. De reliquis consule Aldrovandum.

b Dioscorides.
c Galen. de Simp. Medic. c. 3.
d Galen. l. 9. de Tempore.
e Gesnerus de Columbis.

Laudatus *& in cibis Columbarum usus.* Commendantur in epatico morbo ab *p* Hippocrate, in virum, post diuturnum morbum imbecillitate à Rhase; & Peguani ita iis delectantur, ut advenis, interdum vendere nolint. Sylvestres, quas elixabis, domesticis, quæ assæ, magis valent. Pulli propter molliorem succum veteribus vernales æstivis & autumnalibus (vescuntur tamen & hæ melioribus granis) præferuntur. Et videbis ex ijs, apud scriptores Messos, Crustas, Miranse Catalonicum ludebat, quod & Rui dicitur, & alia cibarii genera. Pullos tamen, caput & oculos lædere, lepram nimio usu gignere, Simeon Sethi; Cynanchen inducere Rhasis, meminere. Quod verò *q* Varronis tempore, singulorum pullorũ paria ducentis nummis, & si eximia essent, singulis millib. sestertiorum vendebantur, quòd *r* Columellæ diebus sunt inventi, qui quaternis millibus nummûm bina paria mercabantur: quod deniq; *s* Plinius L. Axium Equitem Romanum ante bellum civile Pompejanum denarijs quadringentis singula paria vẽditasse scribit, luxuriæ potius & delicijs quam usui adscribendum est.

p Libro de interm. affectib.
q de Re Rustic. l.
r de Re Rustic.
s Plin. H. N. l. 10. c. 37.

ARTICULUS II.

Columbæ apud Judæos in violabilis ob quia Principis usi & Oeconomiæ Theanot III. l. 44. p. 227.

De Columbis Domesticis.

GEnera columbarum tria Varro *b* posuit. *Vnum* agreste, seu saxatile, quod in turribus & culminibus villæ habetur, quod falsò Perottus πελειάδας esse credidit, quidam malè cum illo saxatili, quod in agro Bononiensi capitur, prorsus ferum, saxatil bus Varronis majus, coloris lividi, rostro rubicundo, conferunt, quodq; *c* Galeno νῆσας & βοσκας, dicitur. *Alterum* clementius, quod cibo domestico contentum, intra limina januæ solet pasci. Καποικίδιον seu Domesticum Galeno. *Tertium* ex his stirpib. Miscellum fructus causa. Aristoteli sex sunt species, nempe, *Columba, Oenas*, Gazæ vinago, *Phabs, Phassa, Pelejas*, & *Turtur*. Aldrovando verò ex magnitudinis ordine, *Phassa* primum, *Phabs* secundum, *Oenas* tertium, *Columba* quartum, *Livia* seu Pelias sextum, *Turtur* postremum locum occupat. Palumbum Pyrallidem, Columbam, & Turturem, nihil inter se similitudinis habere falsò à Callimacho *f* dictum, in sequentibus exponetur. In Sylvestres & Domesticas commodissimè distinguuntur. Et Domesticæ quidem, si Differentias attendas coloris, magnitudinis partium, & coitus, ratione variant. Fuere in insula Capitis viridis & Madera sylvestres adeò mites, ut domesticarum more se capi manibus paterentur. In Therapne maximas nasci ait Perottus, Spoleti perexiguas. Tantum duo-

b Generà.
b l. 3. de re rust. c. 7.
c l. 10. de Compos. simpl. Medicament.
f Ælia. l. 12. varia. hist. c. 15.

decim passuum millia efficiunt discrimen. Habentur in Norvegia totæ albæ, quas & alibi vulgatissimas conspicias. In *g* Græcia eo primum tempore visæ sunt, quo Persicus exercitus circa Athon montem interiit. In Eryce *h* Siciliæ ingens numerus unum rubrum tanquam Ducem sequitur. In Persia *i* deniq; Columbi si qui sunt, oblongo & anserino illi sunt collo. Genera tam indigenarum quam Exoticarum plurima apud nos sunt, quæ an veteribus cognita fuerint, jure dubitari potest; etiamsi Romanos Columbarum amore insaniisse *d* Plinius prodiderit. Sunt *Gutturosæ* vulgaribus domesticis duplo ferè majores, pedibus hirsutis, quæ inter volandum, & dum murmurant, fauces in ingentem tumorem inducunt, Plinij Campanas dixeris. Aliæ *Cypriæ*, seu ut Gesnerus nominat, Rusticæ, Anglicę, Monachicæ, seu Ferrariensis, ex quib. quædam *Cucullatæ*, cristam gerunt, & pedes vel pennis ornatos vel nudos habēt: quædam crista carentes, rostro sunt admodum exiguo, & pedibus nudis. Aliæ *Turcicæ* & *Persicæ* colore toto pullo seu betico, præter oculos, qui miniacei, pedes qui pallidè rubent, & rostrum, quod lutescit. Aliæ *Indicæ* rostro Anatis, nihil præter pedes, & magnitudinem cum columbis commune gerentes, quarum illa quam Aldrovandus Vienna acceperat, rostro albicabat, circa nares rubescebat, postremò serpentum instar subcæruleis & nigris maculis, quæ per totum fermè verticem producebātur, variegatum erat. Sub oculis macula longa alba totum caput tanquam torquis ambiebat. Aliæ, quæ, quod in honorem fœmellæ, vel suę vel aliarum post longa murmura à terra sese elevent, & ultra illas volaudo alas quatiant, Belgis *Overslagers* dicuntur. Alię *Gyratrices*, quę, dum in orbem supra fœmellas maximè obvolitant, tam fortiter alas quatiunt, ut duorum asserum simul collisorum sonitum superent. Unde remiges earum pennæ semper ferinæ fractæ conspiciuntur. Aliæ *Galeatæ*, quarum caput, cauda, remiges, semper alius coloris sunt, quàm reliquum corpus. Taceo hic *monstrosas*, quarum una in Germania propè pagum Rikenhoven capta, præter quatuor pedes, duplicem alvum habebat; altera duplici quoque alvo Bononiæ nata est; tertia bicorpor quodammodo erat, ex uno nimirum corpore, alterum par pedum remittens, cum reliqui duo alteri corpori perfectè inessent.

g *Athen. Dipnos. l. 9. c. 16.*

h *Aelian. l. 4. de Animal. c. 2.*

i *Scaliger. exerc. 231. c. 7.*

d *Plin. l. 10 H. N. c. 17.*

ARTICULUS III.

De Columbis Sylvestribus.

PUNCTUM I.

W. D.

De Palumbis.

SYlvestres columbæ quæ sint, præterito ex Aristotele articulo recensuimus. Primus ex illis *Palumbus*, qui vel *Major*, vel *Minor*. Hic Phabe Philosopho dictus, à nemine hactenus descriptus est. An ille sit, qui in Marchia Anconitana Palumbo vocatur, incertum.

Nomen.

Maiorem Græci φάσσαν, Attici φάτταν, moderni φάκα, Niphus Torquatum, Servius, Titum vel Titium; sed per hos fortè vultures intellexit Persius ut Aldrovandus opinatur; Villanovanus Cadonem vocant. An *Generis* diversitatem admittat, nondum liquet. Hispani *a* in quadam novi orbis insula grandiores nostris. Gustu & sapore meliores Perdicibus qui aromaticum spirabant, odorem, & quarum dissecta ingluvies floribus plena deprehensa, invenere.

a *Martyr. Decad. Oceani l. 10.*

Descriptio.

Corporis crassitie ad Gallinas propemodum accedunt, magnitudine haud multo minores. Color est cinereus, *caput* ex rubro & cæruleo mixtum, alæ in lateribus maculis albis insigniūtur, torquis coloris est à capitis, dorsique colore diversi. Ingluviem *b* ventriculo præpositam habent. Ideo benè Plinius, Aves quædam sinum unū habent, quo merguntur recentia, ut gutturalterum, in quem ex eo demittunt, coctione maturata, ut Palumbes. *Testes*, cum Venerem exercent, insigni magnitudine augentur; hybernis mēsibus, ne ullos quidem habere arbitrantur nonnulli.

b *Arist. H. A. l. 2. c. ult.*

Locum

Locus. *Locum* si spectes, nullibi noti non sunt. Apud Delphinates, & Vesates Aquitanos, magnus eorum provētus. Rarò humi insidere visę, arboribus vel editioribus locis delectantur. *d* Aristoteles dum campestres vocat, per loca campestria, illa quæ arboribus consita sunt, intelligere videtur. Migrare prodidit Plinius, *e* nec abnuit experientia. Nec hybernare quidem apud nos sese pati, falsò apud *f* Aristotelem dicitur. Nam si tepidiora defuerint loca, in angustis montium jugis sese recondunt. Ideò verno tempore deplumes conspiciuntur. Phattas semper conspici, quòd apud Aristotelem extat, error est. De Phabis id intelligendum Athenæus innuit.

d H.A.l.1. c.1.
e Plin. H. N.l. 10. c.24.
f Plin. H.A. l.8.c.12.

Nutrimentum. *Cibus* eis inprimis Fabæ. Unde Fabarianum apud Ferrariensēs nomen, in Gallia glandibus sæpius, cum ilicis cocciferæ tum suberis; ilicum viridiū, nec non fragorum repletum invētum in Gallia stomachum, Bellonius affirmat. Hinc Glandiferarum appellatio. Alicâ vehementer saginantur.

Scalig. in Arist. de Animalib. l.5.c.12.

Generatio. *Coeunt* & fœtificant *g* trimestres, unde tanta ipsarum copia. In Venerem accensæ, mutuò sese ante initium *h* exosculantur. Ante veris ingressum, intenso adhuc frigore nidificare, & plumas sibi, ut pulli calidius recumbāt evellere, ex inspectione, an authoritate. Alciat. ꝓdidit. *Nido* locus arbores, juniperi inprimis, si *i* Theocrito credimus. Bis quotannis parere ex Plinio *k* habemus; semel ex *l* Aristotele. Terna plurimum pariant *m* ova. Sed quamvis tot peperint, nunquam plus duobus educunt. Tertium quod irritum est, Urinum vocatur. Palumbes incubat fœmina post meridiana, in matutinum cætero mas. Incubatus *n* citius quam à columbis perficitur. Decem & quatuor diebus uterum fe- rūnt. Totidem iterum fœtus, sed *o* cœcus & imperfectus involucris evadit, atq; perficitur. *Vivere p* palumbes ad XXX. annum, aliquos ad XL. habemus authores, uno tantum incōmodo unguium eodem & argūmento, senectæ, qui citra perniciem recidun- tur. *Marem* prius mori *q* credunt, cum in avib. cæteris fœminæ prius abeant. Salacitas fortè in causa. Nam & in passerum qui salacissimi genere idem contingit.

g Arist. H. A.l.6.c.4.
h Oppian. de venat.
Mantuan. l.1. de Cal. Tempor.
i Eidyll.5.
k H.N.l. 10.c.58.
l H.A.l.6. c.4.
m Plin.l.c.
n Arist. H. A.l.6. c.4.
o Arist l.4. de Generat. c.7.
p Plin.l 10 H.N. c.35.
q Arist. H. Ad.9. c.7.

Quantum ad *Vocem* gemere Philomela authore, minurire Spartiano dicitur. Cantus omnibus similis, inquit *r* Plinius, atq; idem trino conficitur versu; prętęrquam in clausula gemitu. Hyeme mutis, vere vocalibus. Audiūt tamē, si ex asperrima hyeme placidum & serenum tempus successerit, si aurito testi Nipho credimus. Genere ordinariè vere *s* incipiēte, & nisi cōfecto solstitio incipiunt. Sic hujus tempus indubitatis notis signavit natura. Et vox rusticis præsentis veris signum habetur.

Vox.
r H.N.l.10 c.35.
s Plin.H. N.l.18.c. 28.

De *corporis affectibus* nil occurrit, unguium in senectute incrementum, de quo supra, si exceperis.

Morbi.

Sed nec de *Ingenio* & *Moribus* multum. *t* Amisso corporali consortio solitariæ incedunt, nec carnalem ultra copulam requirunt. Adulterio corruptæ, *u* corruptorē, si assequi possunt, interimunt. Ingenij sunt simplicis; ideò in eorum nidis deponit ova cuculus; & Plautus hominem ignavum, Palumbem vocat. Vulnere denique accepto *x* origanum imponunt, & ad sanitatem redeunt.

Ingeniū.
t Isidor. in Originib.
u Porphyr. l. de Abstinentia.
x Ælian. H.A.l.5. c.46.

Invenere & in *cibis* & in *Medicina* Vsum. In Carani nuptiis appositas Athenæus; *y* in Nasidieni convivio sine clune ceu lautiores Horatius meminit. Carnes in fluxu mensium pituitoso Hippocrates: *z* in tympanite Trallianus; in Elephantiasi Aretæus, in colio affectu Aëtius; in pestilentia Alexāder Benedictus, in dysenteria & colica Plinius præscripsere. M. Cato Censorinus ægrotis exhiberi voluit. Paulus tertium inter aves locum eidem assignavit. Venerem propter glandium esum extinguere, creditum quibusdam. Oculi, quia confossi renascūtur, ad vulnera oculorum & cicatrices commendantur. Jumentorum vermi- natio finitur, *b* ter circumlato verendis Palumbo, palumbus emissus moritur, Jumentumque liberatur confestim. Sanguis vulnera purgat. Fimus urinam provocat, & calculo in

Vsus.
y Dipn.l.4.
z l.2. de morb. mulier.
a Porta l.1. Phytog. c.14.
b Plinius in H.N.

faba sumptus resistit. Lapilli in ventriculis inventi, contriti, potioni contra eosdem insperguntur.

PUNCTUM II.

De Oenade seu Vinagine, Alchata seu Filacotoa Arabum & Columba Livia.

OEnas Tzetzi Οἰνὰς, non tam ἀπὸ τῶν ἰνῶν à fibris carnis, quæ dura, & nisi terg⁹ detraxeris esui inepta est; quàm, vel à colore uvarum nigrarum maturarum, quas οἰνωπὰς Græci vocant; vel à vindemię tempore, quo & conspicitur & capitur; unde Lycophroni οἰνότροπος φαψ, dicitur. Gaza vinaginem, Josephus Scaliger Vinitorculum, alij viniferam, Julius Scaliger Rupicolam, vocavit. Major est columba. *Rostrum* habet, si Oenas est quam Aldrovādus exhibet, cinnaberinum, longum, in extremo acutum. *Caput* totum ventrem & alarum pennis cinerea. Remiges notabilis magnitudinis & nigricantes. Cervicem, intercurrentibus plumis nigris viridem. *Caudam* versus Vropygium cineream cætero nigram. *Pedes* rubros.

ALCHATAE quam cum Filacotona eandem Aldrovādus facit, alæ sunt oblongæ, pennæ & plumæ coloris coturnicum, cutis extrema dura, in Syria pedes nigri & breves. Ad eam proxime accedit illa, quæ nomine Angeli Monspessulanis venit, quamq; Perdici persimilem, rostro & pedibus nigris, plumis ex fusco colore in nigrum vergentibus, & luteis in ruffum, esse Rondeletius ad Gesnerum scribit.

COLVMBA LIVIA Alberto Cavernalis, Græcis πέλειας, ex descriptione Gesneri, est columbâ domesticâ minor. *Rostrum* ipsi albicat, & circa nates parū purpurei habet. *Collum* pronum ad latera habet pro diverso ad lucem posita variè splendens, in se partim subviride partim purpureum. Supinum ex cinereo tale. Plumas ubiq; cinereas, alarum pēnas quatuor longiores cinereas, medias, partim cinereas, partim ad extrema nigricantes, ultimas dorsum versus subruffas. Pedes rubros.

Vescitur glandibus & granis. *Nidificat* in arborum cavis & templorum muris. Migrat, & in cibo, palumbo tātum tenerior, præfertur. In India, prodente Aeliano, virides pennas habēt, Psittaco simillima: Cruribus & rostro Græcam refert Perdicem.

PVNCTVM III.

De Turture.

TVrtur in Columbaceo genere ultimo loco ponitur. Tria aut quatuor earum in Hispaniola observata genera. Visæ in locis frigidioribus, & nivosis candidæ & in Aquitania duas ejusmodi se vidisse testatur *a* Scaliger. Turcarum verò Imperator, parari & peculiaris generis Hērico Galliarum Regi transmisit. Ex Alexandria diversi à nostratibus adferuntur coloris. Observatum & nostro ævo quoddam genus, cujus fœmella candicat naturaliter; mas coloris est cinerei ad subruffum vergentis, habetque torquem nigrum. *Differētiæ.*

a Scalig. Exerc. 19.

In *Descriptione* non est quod immoremur. Falsò Orus Apollo soli inter omnes volucres dentes & mammas tribuit. falsò *b* Ovidius nigrum dixit. *Collum* torquis ambit lōgè aterrimus, viridibus maculis conspersus, ante vix conspicuus. *Alæ* sunt versicolores. *Dorso* & pectori vicinæ elegantissimo colore ruffescunt, nigris, quarum extrema viridia, intercurrentibus. Hinc virides cum ruffis marginibus sequuntur. Remiges sunt atræ; si albi aliquid occurrit, in extremitate illud est. Fœmina *c* nisi interiorum aspectu difficulter cognoscitur. Ex *Indicis* fœmina, pedibus exceptis, qui rubri, & rostro quod nigricans, tota est candida. Mari caput, collum, pectus alæ ad remiges, dorsum ad Vropygium dilutè ruffescit, nec ulla macula respergitur. Iris in oculis miniaceo colore resplendet. Torquis tenuis & nigra circum quoque collum ambit. Venter propè anum *Descriptio.*

b Ovid. in Epistol.

c Arist. H. A. l. 9. c. 7.

anum lutescit. Pedes rubei tabellis albicantibus ornantur.

Locus. *Nullibi* ferè non visuntur, rarius alicubi vel frequentiùs. In Æthiopia tanto numero per aëra volare traduntur, ut nebulas effundant, & solis radios impediant. Apud Tartaros quia in cibis prohibitæ, abundant. Sed & Peru numerosè eas alit. Morantur ferè semper vel in montium jugis vel ulmi aut aliarum arborum cacuminibus Hyeme vel latent, vel tepidiora loca petunt. Unde Trimestres, quod totidem mensibus nobiscum agant. Plinio. Cum ad Italiam *d* veniunt, in Pontijs insulis, primâ volaturâ requiescendi causa paucos dies morantur. Redeunt ad nos adventantis veris nunciæ, cum jam prolem fecerunt.

d *Varro de Re rust. l. 3. c. 5.*

Nutrimentum. *Vescuntur e* frugibus, glandibus & olivis. Milio vehementer delectantur. *f* Æstate sua sponte dummodo sit facultas cibi; hyeme offâ panis vino madefacta pinguescunt, & si novella sunt ætate, in tantum, ut *g* pinguedine suffocati intereant, tanquam nimio infartu elisis faucibus.

e *Arist. H. A. l. 8. c. 3.* f *Columella. de Re R.* g *Scalig. in Theophr. l. 5 c. 20.*

Generatio. De *Generatione* eadem ferè quæ in Palumbis occurrunt. Bis anno pariũt, & trimestres fœtificans. Mas & fœmina vicissim incubant. Nidus inter densos arborum ramos ex duris & nodosis lignis construitur. Indicę quotiescunque ova rumperentur, nova pariebãt; fortè non facturæ, si illa exclusissent. Proprium omnibus crepitus ventris; & cum vocem edunt, novissima pars alvi vehementer citatur.

Aetas. Octonis annis *vivere*, reliquit Aristoteles; quindecim iisdem cubare *h* Bartholomæus Anglicus.

h *l. 3. de propr. Animal. c. 34.*

Vox. *Gemere* Latinis dicuntur; Græcis τρύζειν, quibusdam στένειν. Tum *volatu*, tum pedibus plurimum valent.

Amicitia. *Amicitiam* colunt cum Psittaco, *i* Merula, Pavonibus.

i *Scalig. in Theophr. l. 3. c. 16.*

Inimicitia. *Inimicitiam k* cum corvo, & chloreo exercent. Helleboro, quo columbæ intereunt, propter peculiare temperamentum impunè vescuntur; malo punico trito perimuntur.

k *Ælian. H. A. l. 6. c. 46.*

Ingenium. Ad *Ingenium* pertinet, quod si mori alterutrum contingat, *l* à secundis nuptijs abstinere, soli volare, nec ramis frondentibus insidere, nec limpidam aquam bibere, nido suo contra lupi incursus, *m* squillæ folia, quæ isti fugere consueverunt, superjacere, & gladiolum seu tanquam fascinationis amuletum comedere, seu nido imponere, qua fide non addo, prodatur.

l *Mantuã. l. 2. Part. Mar.* m *Ambr. 6 Hexam. 4.*

Usus. *Usum* quod spectat Aegyptij ijs, *n* quod Accipitris sacri sibi alitis ungues aliquando evaderent, abstinebant. Martialis, *n* cujus ævo capita Turturibus amputabantur; clunes laudat. Vulgus pingiores commendat. In *Medicina* idem quod Palumbes præstant; Fimus albugines extenuat. Facilitatur partus, si tribus juniperi septem lauribaccis, cum cinnamoni drachma, & corticis cassię drachma una & semis farta assata & pinguedine Gallinæ ad ignem inuncta, vesperi bis in hebdomada sumatur. Non tangi venereis, qui in corio lupi cor Turturis delatum gustavit, falsò à Mizaldo proditum est.

n *Porphyr. l. 4. de Abstinent. l. 7. Epigr.*

ARTICVLVS IV.

De Passeribus in genere.

Nomen. PAsseres, Græcis στρουθοί, δίγκρες, δηγῆρες, δηρῆρες, Macedonibus δρῆς, Eleis, *a* δειρῖται, alijs ἐλλεπόδες & ἔλλοι, ut apud Hesychium extat, dicuntur. Eidem σμικρὸν passerculus est.

a *Athen. dipnos. l. 3.*

Differẽtias. Aristoteles vix alios præter domesticos novit: ideò omnia quæ de illis scripsit, huic conveniunt. Athenæo ex Alexandro Myndio, alij sunt *sylvestres*, quorum fœminę corpore sunt debiliores, rostri colore magis testaceo, facie id est anteriore parte, nec nigra, nec valdè alba; Hollandorum fortè lignipetæ: alij *Domestici*, qui στρουθοπυργῖται *b* Galeno, ἀστεργίας modernis Græcis. Alberto sunt quidam in vertice rubei, in cavis arboribus nidulantes. Visuntur & albi, & semper, si *c* Pseudo Aristoteli credimus, tempestatem nunciant conspecti. Sunt in insula S. Thomæ virides, *d* canori. Meminit Avicenna *e* cujusdam, qui quindecim diebus continuis in principio veris suavissimè cantillet, post colorem im-

b *l. 3. de Ament.* c *insecret. secret.* d *Scalig. Exercit. 236 h. 2.* e *l. 8. de Animal. c. 7.*

immutet, mutescat, & sese abscondat. Est in India *Passer Nocturnus*, qui noctu volat, interdiu quiescit. Hirundinibus est alis & volatu similis, ex cinereo niger, nisi quod in medijs alis albam habeat fasciam. Noctuam odio ingente prosequitur. Fortè Aristotelis *f Colaris*, quem ab ulula capi affirmat, vel Actuarij Passer sylvestris magnus, in summis fruticum surculis desidens, colore & magnitudine Alaudæ, voce garrula, hyeme latens, quique à Noctua capitur. Sunt ibidem & Turdo minores, velocissimi volatu, qui aquas sequuntur, & natant. Sunt & alij de quibus inferius dicetur.

f H. A. l. 9. c. 1.

Descriptio. *Descriptionem* non est, quod quis à nobis postulet. Pennæ quoties acriora urgent frigora abeunt in albas. Non est ipsis gula, nec ingluvies, sed ventriculus longior. *g* Ad imum intestinum paucæ appendices visuntur. Fel alis ventri, alijs intestinis jungitur. Nullibi non inveniuntur. In Media *h* tanta aliquando eorũ copia, ut incolæ, quia semina terris concredita absumebãt, aliò commigrare coacti fuerint. Delphis in Hollandia, sæpè una die in uno cerevisiariorum granario aliquot cẽturiæ capiuntur. Migratorios esse vel sese occultare, Hieronimus innuere videtur. Athenæus mares hyeme latere, fœminas permanere, ex eo quod color in ipsis mutetur, collegit. Aldrovandus inter migratorias vel latentes poni credit; quod, mares vere, calore tam interno quam externo accrescente, quãdo iterum calor accrescit, conjuges suas ad sobolis propagationem adhortari incipiant.

g Arist. H. A. l. 2. c. ult.

h Diodorus Sicul. l. 4. c. 3.

Nutrimentum. *Victitant* granis jactis in terram seminibus milio, muscis, formicis, grillis, scarabæis, vespis, apibus delectatur & hordeo, cujus corticem celeriter à grano separant. Sed nec grana sambuci rejiciunt. Et hyosciami semina absque ullo detrimento, seu propter venarum exilitatem seu causam de Coturnice redditam, devorant.

Generatio. *Generationem* quod attinet, falacissimi esse comperiuntur. Vidit *i* unum Scaliger in cavum quoddam plus decies ad fœmellam quam iniret, ex adverso muro, pusillis interpositis momentis advolasse. Vidit *k* Aldrovandus alterũ, qui longè minori quam horæ spacio, vigesies fœminam inivit, pluries initurus, nisi ista locum mutasset. *Nidulantur* vel sub tegulis tectorum, vel in foraminibus parietum, & ut pulli mollius cubent in fœno & plumis. Occupant & hirundinum aliquando nidos. Unde apud Ægyptum ob limum, quem invehit Nilus, cum hirundinibus artem parietum è luto construendorum invenisse, credũtur. Pariunt cœcos & imperfectos *l* pullos: bis terve quotannis, octo ad summum, quatuor ad minimum, ut plurimum septem.

i Exercit. 269.

k Aldrov. Ornithol. l. 15. c. 10.

l Arist. 4. de Gener. c. 4.

Aetas. *Aetas* passerum diversimodè definitur. Mares negantur anno diutius vivere, argumento, quia nulla veris initio appareat nigritudo in rostro, quæ ab æstate incipit. Fœminis longiusculum spacium, ait, Plinius. *m* Albertus id à tempore coitus computat. Scaliger *n* nullum excedere bimatũ, verisimile esse credit. Ex illis, inquit, parum captatur, minimum capitur; fœcundissimi sunt, frequentia nõ magna. Aldrovandus eam ad quadriennium extendit, quòd columbæ etiam falacissimę, decimum sextum imò plures attingant. Cognoscitur ætas ex rostro, cinereum hoc, & circa fauces croceum juvenibus, nigrum ac durum provectis. *Vox* eorum apud Græcos est τρίζειν, quod stridere vertitur. Apud Homerum τρίζειν, apud authorem Philomelo pipere. Rhadivus cantillare dixit. Cum gradiuntur, saliunt.

m Plin. H. N. l. 10. c. 38.

n in Arist. de plantis.

Ingenium si attendas, ita sunt timidi *o* ut sæpè à somno excitentur, ad domorum fastigia concurrunt, ut à suspectis casibus reddantur alieni, qui multis periculis probantur obnoxij. Visus *p* qui ab Accipitre impetus in Xenocratis sinum confugit. Taprobanenses *q* in alto mari emissos, terram petituri, sequuntur. Evadunt interdum ita domestici, ut ad puerorum manus vocati advolent. Ad Noctuam confugere, dum aucupis artes effugere conantur, quod Orus Apollo prodidit, falsum. Quid ijs cum nocturnis avibus?

o Ael. H. A. l. 7. c. 19.

p Idem Var. Hist. l. 13. c. 31.

q Acosta. l. 1. Hist. ind.

Inimicitia. Gerunt & *Inimicitias* cum Vulture, *r* Mu-

r Barthol. Angl. l. 12. c. 33.
s Æl. H. A. l. 6. c. 46.

r Mustela & alijs. Calamodyles, qui ex Passerum genere esse videtur, folio s cedri perit. Pestem à milio atq; panico, Sturnorum, Passerumve agmina, scio abigi herba, cujus nomen est ignotum, in quatuor angulis segetis defossa: mirum dictu, ut omninò nulla avis intret, inquit Plinius: Eodem re-

u Plin. H. N. l. 18. c. 17.

ferente u multi ad remedia ejusdem segetis rubetam noctu arvo circumferri jubent, priusquam sarriatur, defodiq; in medio inclusam vase fictili: ita nec Passerem, nec vermem nocere; sed eruendam priusquam metatur, alàs amarum fieri.

Vsus.

Vsus Passerum in *cibis* rarus. Galenus tamen eos alibi cum columbis, Perdicibus, & Phasianis inter cibos attenuantes numerat. Alibi autumno maxime laudabilem carnem habere testatur; & Suidas in delicijs habitas

x Platina l. 5.

prodit. At Platina x ob nimiam caliditatem malè alere, difficulter concoqui, & libidinem excitare ponit. Invenere & in *Remediis* locum. Caro

z Plin. H. N. l. 30. c. 15

venerem z excitat; & ritè Epilepti-

a Galen. l. 6. de sanitate tuenda. c. 2.

cis, Tympaniticis, renum a calculo, vel articulorum vitio laborantib. præscribitur. Idem de cerebellis & ovis

b Porta l. 5. Phytognom. c. 16

prodidere scriptores. Adeps Nicolai ad tophos Emplastro inseritur. Fimus, faciem purgat; quæ facultas ex marinis agnoscitur, b quòd guttatim albis, & nigris punctulis distinguantur. Idem cum vino potus virgam erigit. Cum sputo hominis illitus, varices extirpat, cum adipe porcino inunctus alopeciam sanat. Stomachum exsolu-

c Archigen. apud Galen. l. 8. sec. loca c. 4.

tum & nauseabūdum c inspersus corrigit. Cum oleo calefacto proximæ d auriculæ infusus, dolorem dentium

d Plin. H. N. l. 30. c. 3.

pellit. Cinis denique pullorum utiliter ad eundem infricatur.

De Passeribus in Specie.

PUNCTUM I.

De Passere Albo, Flavo, Maculato, Albicilla, & Montano.

PAsser *Albus* totus est candidus, rostrum, pedesq;, quæ partes flavæ sunt, si excipias. Oculorum etiam nigram pupillam lutea iris ambit.

Flavus ad Aldrovandum delatus, totus erat flavus, præter oculos, qui nigri. supra per dorsum, caput, alas, & caudam ad castaneum vergebat colorem. Quali etiam femora, tibiæ, & pedes tegebantur.

Maculatus qui dicitur, albo, nigro, & subflavo constabat colore. Caput totum, ac collum alba, intercurrentibus maculis subluteis. Rostrum erat flavescens in superiori parte, in inferiore omninò flavum. Alæ tribus prædictis coloribus ornabantur. Oculorum iris candida. Cauda tota penè flava erat.

Albicillæ rostrum & cauda ex cinereo candicat. Caput & omnes inferiores partes ex alba lutescunt. Dorsum maculæ coloris ferrugineiamplę, lineolis admodum candidis, exiguis decoratæ, percurrunt. Pennæ alarum castaneæ sunt, circumcirca luteæ, tibiæ pedesque fuscæ.

Montanus est omnium Passerum nostratium pulcherrimus. Vertex capitis est coloris ferè punicei, vel potius castanei. Mentum, ut vulgaribus atrum; inter quod & verticem color albus est, qui descendens totum ventrem occupat. Ad oculorum latera maculæ sunt binæ, una altera major, utraque nigra. Dorsum atq; alæ partim flavæ, partim nigræ. Alæ, qua ventrem contingunt, modo ferrugineæ, modo atræ, modo albæ. Cauda tota ex luteo fuscescit. In fœmina sunt omnia pallidiora, & mentum eam maculam non habet. Aldrovand. Ornit. l. 15. c. 15.

PUNCTUM II.

De Passere Sylvestri, Torquato, Pusillo in juglandibus degente, stulto Bononiensium, & Illyrico.

PAsser *Sylvestris* verticem capitis habet ferrugineum ad cinnabarinum vergentem. Oculorum ambitum album, itidem flavam. A mento ad podicem cinereus est, sed plumarum extremi- Aldrovan. Ornithol. l. 15. c. 16.

tremitates ad ſubruffum inclinant. Mentum & collum inferius lineæ admodum continuæ, transverſales. Nigriuſculæ percurrunt; cum aliàs in omnibus Paſſeribus maribus totum atrum ſtatuendum ſit. Dorſum, cauda, & pedes ex ferrugineo fuſceſcunt, niſi quòd pennæ in extremitatib. ſuis omninò ſint luteæ. Alæ eundem colorem exhibent, ſed pennæ primæ coſtas obtegentes, in notabilem deſinunt candorem.

Idem lib. c. c.18. *Torquatum* Bellonius ab albo torque oculos ſub ſupercilio ambiente vocat. Macula ei lutea eſt. Dorſum & alæ cinerea. Habitat in ſylvis, in cavis arborum nidulatur, vocem edit magnam, & aliter ſe & pullos, quàm is, qui in urbe degit, alit. *Bellon. l. 7. de Avibus c.20.*

Paſſer in juglandibus degens omnium eſt minimus. Roſtro admodum brevi, nigro, craſſo; pedibus, cruribus, capite, alis, Paſſeri murali ſimilis.

Idem. c.20. *Paſſer ſtultus Rononienſium*, eſt avicula habitu Paſſeribus ſimilis, ſed colore diverſiſſima. Totus namq; flaveſcit, maculis ubiq; ferrugineis, aut potius ruffis, oblongis, ſed per dorſum multò longioribus & craſſioribus, ubiq; deorſum deſcendentib. conſperſus. Roſtrum ipſi eſt ruffum, craſſum, curtũ. Oculi majuſculi, quorum pupillam lutea iris ambit. Cauda & alæ ad nigrum vergunt; extremitates tamen pennarum minorum in alis candidæ ſunt, pedes toti ex luteo ruffeſcunt.

Idem c. 21. *Illyricus* noſtratibus major eſt, colore ferè ſimilis. Pronus enim planè candicat. Supinus pallidè ruffeſcit, nullo intercurrente alio colore. Oculi & roſtrum, quod cãdicat, pro corporis proportione ſunt magni. Cauda bifurcata, pedes lutei, lineis transverſalibus coloris penè carnei ornati.

His adde *Paſſerculum Brachyurum noſtratem*, cui cauda admodum brevis. Totum corpus flaveſcit. Pectus & venter magis albicant, Roſtrum intenſius luteum eſt.

Idem c. 17. Sed & avicula *Paſſeribus congener* huc referatur, cui roſtrum, ut in domeſticis, candicat, totum corpus maculis ſubruffis, oblongis, deorſum deſcendentibus tingitur. Venter ac femora albeſcunt. Tibiæ, pedesque ſubflavi ſunt.

PUNCTUM III.

De Paſſeribus Indicis.

PAſſeres Indici ſunt varij, ſed præcipua eorum genera ſunt quatuor. *Vnus eſt macrourus, & hic duplex. Alius roſtro miniaceo* magnitudine domeſticis, caudam ſi excipias par, roſtro brevi, craſſo, & prædicti coloris. Capite plano propè cervicem elevato, intercurrente ſub viridi ad cæruleum vergente colore, ſubnigrum. Gutture, collo inferiore, pectore & ventre candicantibus. Alis ſubviridi ad cæruleum vergente, albo, nigro, & luteſcente colore tinctis. Cauda duplici minore nẽpe, alba, quæ majoris fulcrum; & majore quatuor pennis longitudine dodrantale anguſtiſſimis conſtante aterrima. Tibiis & pedibus ex nigro & albo maculatis, unguibus nigris & acutiſſimo hamo armatis. *Aldr. Ornith. l.15. c.22.*

Alius roſtro cæruleo, cui caput ut in illo planum, ſed in cervice magis elevatum totum nigrum. Oculi nigri, circulo albo circumdante, & inde luteſcente. Collum & pectus coloris coccinei; venter & coxæ candicant. Alæ, tergus, & caudæ nigricant. Caudæ longiores pennas, quæ ſunt binæ longiſſimæ quinq; nimirum palmorum, & latiſſimæ, tertia primum etiam lata, ſed in exilia admodum filamenta deſinens, minores aliæ ſuſtinent. *Idem c.23.*

Alter eſt Brachyurus ſuperioribus omninò diſſimilis, minor nempe, & præter pedes & roſtrum, quæ carnei coloris, totus niger. Cauda breviore. Oculis nigris, albo circulo cinctis. *Idem c.26.*

Tertius eſt ſine Vropygio, & hic vel Erythromelanus, in quo totum corpus pronè & ſupinè, item alarum principia coccineo colore ſplendẽt. Reliquum alarum atrum eſt. Roſtrum pro corporis proportione exiguum, & domeſticorum roſtro minus, colore qua capiti jungitur albo, cætera nigro, acutum & exile. Vropygium nullum. Inde ex ejus pennis opera plumaria conficiunt: vel *Cyanerii thromelanus* ſuperio- *Idem c.27.*

riori longior, rubri, cyanei, & nigri coloris; quiq; habet caput, collum, pectus & inferiora omnia coloris rubri saturati: ad colli latera maculas binas, contiguas, semilunares, magnas cæruleas, rostrum parvum, recurvum, nigrum, propè frontem album; alas admodum longas, nigras, ad latera cęruleas; pedes breves & nigras.

Idem c. 28. *Quartus Porphyromelanus*, cui, caput, dorsum, Utropygium coloris sunt purpurei saturati. Rostrum collurionis æmulum, superius nigrum, qua capiti adhæret album. Remiges alarum nigræ. Cauda quinq; digitos longa, decem pennis nigerrimis constans.

PUNCTUM IV.

De Embriza Alba & Pratensi.

Gesner. in Ornithol. HÆ Passerini etiam generis esse videntur. *Albam* ita Gesnerus describit. Emberiza alba, quæ mihi demonstrata est media hyeme apud nos capta, major est flava, *rostro* brevi, latiusculo, flavi nihil habet. *Colore* similis Alaudæ, alioqui dissimilis, ventre albicante, à quo etiam Albam cognominavimus. In superiore rostri parte retrò mucronem, tuberculum intus cõspicitur. Digiti fusci sunt; crura album & puniceum colorem præ se ferunt.

De Pratensi sic idem, Emberizam pratensem voco quam aucupes nostri Wise Emberitz à pratis in quibus versari solet appellant. Hæc, ut pictura indicat, colore est testaceo, seu figlino, cruribus, pectore, ventre, alis & cauda media. Vtrinque enim in ea nigræ sunt pennæ. *Dorsum* quoque nigricat, & in alis superius maculæ nigræ sunt subrotundæ: inferius verò marginis *pennarum* secundum longitudinem nigricant. *Rostrum* fuscum, *vertex* niger, infra quem utrinque macula albicans retorsum tendit: tum rursus aliæ duæ nigræ & albicantes per intervalla sequuntur. Hanc avem circa lacum Verbanum Ceppa vocant.

TITVLVS II.

De Avibus Granivoris Canoris.

CAPUT I.

De Carduele, Spino & Passere Canario.

CARDVELIS Carduelus, & Cardelus Gazæ Hermolao & Gesnero Thraupis; Aldrovando ab aurea in alis vitta, Chrysomitres. Aurivittes, Kiranidi Jena, & Avis Jovis; alijs Corydalis, Græcis ἀκανθὶς, ἀσεραγαλῖνος, τραγωδῖνος, ποικιλὶς, καρδέλι etiam dicitur. *Nomen.*

Avis est parva, cui *dorsum* cinereum & fuscum, *Alæ* croceo colore, nigroq; mixtim & alternatim variatæ, albisq; notatæ maculis; *vertex* nigricans; *rostrum* acutum subrubens apice fusco. *Oculi* ambitus exterior niger, hunc miniatus, miniatus, miniatum cæsius circumdat. Nec tamen hæc colorum pictura in omnibus apparet. *Fœmina* alas habet cinereas, guttur album. Visa nõdum adulta ubiq; unicolor, ex cinereo ad ruffum tendens. Visæ & aliæ, quarum quædam in anteriori capitis parte & in mento aliquid rubri obtinent, dorso, pectore, ventre, & reliquis capitis partibus albescunt: quædam totę prorsus albæ sunt, capitis partem rubram si demas, & aliquot lutescentes in alis pennas. *Descriptio.* Schvvēckfeld. in Astriviar. Silesia. Aldro. Ornith. l. 18. c. 3.

Sexus facilè cognoscitur, si coloris, ut supra attigi, vocis & plumarum habeatur ratio. Vox fœminis exilior, nec diuturnus cantus. Plumæ costas obvestientes cinereæ aut fuscæ, maribus aterrimæ. *Sexus.*

Victitat seminibus lapparum, papaveris, rutæ, dipsaci. Cannabino adeo pinguescit, ut cantandi alacritatem amittat. Quæcunque verò edit, rostro decorticat, ut pura medulla vescatur. *Nutrimentum.* Porta l. 1. de Villa.

Nidum in truncis arborum & spinis construit, ter in anno, Majo nempe Junio & Augusto. Aliquando & in hypocaustis pullitiem educit. Septē sępè *Generatio.*

N ova,

ova, octo interdum, quinq; aliquando ponit. Præstant cæteris, qui mense Augusto excluduntur. In dumetis nascuntur, atriores sunt, & prunis aut malis aurantijs potius quàm alijs arboribus insident.

Vox. *Canunt* omni tempore, sed maximè, cum alias è suo genere adventare cognoscunt.

Volatus. *Volant* gregatim, & ad duo millia quandoque.

Aetas. *Aetatem* ad XX. annos producunt. Visa Moguntiæ viginti tres egressa, cui singulis annis rostrum ac ungues præcidebantur, ut cibum potumq; capere posset Depositis geminis pennis canæ, quo locabatur vel prona vel supina jacebat. Plus voce quam patinâ hominem delectāt. Haud mali tamen sunt alimenti, si pingues, & non nidificant, Assas iliacis & colicis prodesse Kiramides author est.

Descriptio. SPINVS seu Ligurinus avicula est, pectore luteo, rostro mediocri, tenui & acuto. Duas habet maculas nigras. Alteram in fronte, alteram sub mento. Mari capitis macula multo nigrior; idem toto corpore magis quam fœmina lutescit.

Locus. In frigidioribus regionib. vel nunquam vel rarò apparet, nec in Italia quotannis cernitur.

Victus. Iisdem quibus Carduelis *vescitur*, nasci inprimis & comizæ semine.

Generatio. *Nidulatur* in montium sylvis. *Ova* secundùm nonnullos duodecim, secundum alios quatuor aut quinque ponit. Amænissimè cantat; & non tantum Carduelis, sed & aliarum avium aliquando vocem imitatur.

Vox. *Aldro. Ornith. l. 18. c. 4.*

Volatus. *Volant* gregatim, & toto agmine facillimè autumno capiuntur. Sanguis ejus cum sali sanguine non coit. Asino verò, quod spinas tempore verno depascens, nidum dejiciat, infensus est.

Descriptio. PASSER CANARIVS ab insulis Canarijs, unde adfertur, ita dictus, avis est vulgaris Pari magnitudine; rostro albo parvo & in acutum tendēte; alarum & caudę pennis totis viridi colore. Mari pectus, venter, & pars superior capitis, quæ rostro adjacet magis lutea sunt, quàm fœminæ.

Victus. *Pascitur* Phalaridis semine, saccaro, & auricula muris, quâ ad cantum excitatur.

Concentu est valdè amœno & acuto, quem spiritu diu non interrupto nunc in longum, nunc in altum varia vocis inflexione extendit. *Vox.*

Præferundi quibus cauda longior, corporis magnitudo minor.

CAPUT II.

De Fringilla, Montifringilla, & Linaria.

FRINGILLA, seu quod frigus prænunciet, seu quod plures in frigore convolent, ita dicta, Spiza est Aristoteli, modernis Græcis Fringillaro. In ea capitis & colli pars prona ad subcæruleum vergit; quod hinc ad Vropygium subvirescit. Pectus & venter inter rubrum & spadiceum ambigunt. *Fœmina* minus vegetis ornatur coloribus; pectus & venter ex rufo albescūt. Visa toto corpore candida. Visa & ex albido flavescens. *Descriptio.*

Locis gaudent hyeme moderatè frigidis, æstate tepidis. Nam in Helvetia fœminæ per hyemem recedunt, & valido frigore ita offenduntur, ut volare nequeant, & manibus capiantur. *Locus.* *Arist. H. A. l. 9. c. 7.*

In infimis arborum, & summis fruticum ramis *nidulantur*. Nidus intus ex lana & aranearum telis, extus ex musco construitur. Quinq; aut sex ponere *ova* aucupes referunt. *Generatio.*

Non uno eodemque modo *canunt*. Quædam concisè quasi quærulantur, quædam in longum trahunt. Maribus vox alta est & plena. Fœminis exilis & submissior. Fringutire vel frigere authores dicunt, si suavius ut canat volueris, locustam mandendam appone. *Vox.*

Difficulter ob astutiam capiuntur; facilius vel zephyro flante, vel sudo. Nam & demissius tum volant, & melius allectricum voces audiunt. Quædam nunquam mansuescunt, & inedia consumptæ commoriuntur. Omnes primis captivitatis mensibus prę mœstitia obmutescunt; nec nisi blanditijs exhilarantur. Manè si canant, tempestatem præsagiunt. *Ingeniū.* *Theophr. design. tēpest.*

MON-

Descriptio. MONTIFRINGILLA magnitudine fringillam excedit. Color in capite, dorso & cauda nigrior quàm Fringillæ. Supina pars albicat. Pectus cum gutture nonnihil ruboris habet. Alæ duabus transversis lineis ex ruffo flavescentibus distinguuntur, media linea interjecta. In fœmina, vertex, cervix & dorsum plus habent ferrugineí: alarum linea superior adeò est angusta & brevis, ut ferè delitescat. Non adeò suave canunt, & caveis inclusæ aliarum alitum Passerum inprimis voces imitantur.

Descriptio. LINARIA Passeris est magnitudine, specie admodum similis, colore testaceo seu ferrugineo ad cinereũ vergente, eoq; in mare intensiore. Idem in pectore maculis respergitur ruffis, fœmina fuscis & majoribus. Alarum rectrices pennæ nigricant, sed ad latera & in extremitatibus suis candicant.

Nutrimentum. *Cibus* ipsi Phalaridis, lini, cannabis, raparum, & caulium semen, panicum, avena fracta &c.

Morbus. Laborat interdum *morbo*, quem subtilem dicunt, in quo mœsta silet, pennæ obrigent, venter solito tumidior venis rubris conspergitur, pectus ex carne apparet.

Vox. Exoriente caniculâ obmutescit, ac plumas vellicando circa medium excutit; sic certum canicularis syderis exortum indicat. Celebris est apud Italos ejus astutia. Unde proverbium *egli è un Fanello.*

Gesner. in Ornithol. Huc pertinet *Linaria Rubra* Gesnero à coccineo verticis colore dicta, sive illa Aster Oppiani, sive aliud quid. Advolant aliquando turmatim, & ferè pestilentiam brevi futuram circa Norimbergam indicare putantur.

Aldrov. l. 18. c. 9. Nec non *Linaria marina* Aldrovandi, quæ rostro lutea, vertice miniacea, pectore & ventre candicans. Collo & dorso ex luteo fusca est. *Alteri* quam exhibet per tergus & superiora prorsus leucophææ, percurrentibus strijs deorsum vergẽtibus, color miniaceus magis splendet, alæ sunt longè pallidiores; Gula & pectus leviter lutescunt; retro oculos macula fusca, rotunda data est.

Quæ circa Argentinam *Gyntel* nominatur, per caput dorsum & caudam fusca est, pectore ruffo, fuscis distincto maculis, cruribus rubicundis, ventre inferiore albicante; seminibus papaveris & alijs vescitur; & gregatim volat.

CAPUT III.

De Alauda in genere, & in specie.

Nomen. ALAVDA, seu Cassita & Galerita, quæ tamẽ cristatis vocabula propriè conveniunt, Græcis veteribus κόρις, κορυδαλὸς, κορυδῶν, πίθιγξ, ut apud Hesychium lego; modernis Cuzula, τρυλίπς, & in Creta, teste Bellonio, Chamæchilados nuncupatur. Cirrum non esse, tum cirri seu innulæ oblongæ pulcherrimæ, tum pedes rubri, qui in alauda non sunt, Scaligero agente, evincunt. *Formam* non describam, obvia omnibus est avicula. In posteriore digito pedis longissimum habet unguem. *Scaliger Exerc. 233.*

Locus. In Andalusia non reperiri, Averroës tradit; nunquam arboribus insidere Aristoteles. Visæ tamen in illis cristatæ, si rugosum nec levem habuere corticem. In angustiis montium hyeme alicubi conduntur: in Italia & Gallia omni eas videbis tempore. *Arist. H. A. l. 9. c. 8.* *Agricola. l. de Animal. subter.*

Nutrimentum. *Vescuntur* granis, sed & vermes deglutiunt, attelaborumque ex genere locustarum ova diligenter perquirũt: ideo à Lemniis coluntur. *Plut. l. de Iside.*

Generatio. *Nidum* ex siccarum herbarum radicibus humi ter in anno, nempe circiter Calend. Maij, Junij, & paulo post Idus Julias construunt, eundemque auræ obversum ita in segetibus & gramine recondunt, ut prætereuntium & Accipitrum minimè obvius sit oculis. *Ova* quinque pariunt, quæ à bufonibus foveri falsum; quia auræ exponuntur. Superincidentes solis radij parentum defectum supplere videtur. Pulli exclusi implumes adhuc deducuntur ad pastum, ut prædantium eripiantur injuriis. *Arist. H. A. l. 6. c. 1.*

Vox. Quantum ad *Cantum* mira alacritate pennis exertis in aëre vocis modula-

dulatione, lætæ serenitati temporis, quasi applaudit. Nam nubilo pluviove cœlo, vix aut unquam canit, ut neque humi, sed inter ascendendum. Ascendit autem paulatim, subitò verò & instar lapidis descendens cantillat. Matutino verò potissimum audiuntur, meridiano silent.

Inimicitia. *Arist. l.9. H.A.c.1.* *Inimicitias* exercent cum Pella ex ardearum genere, cujus ova diripiūt, ut Aristoteles vult; cum Acanthyllide, ut Philes & Aelianus; cum corvis, quod ab ijs devorentur; cum Accipitribus Alaudariis, à quibus adeò expavescunt, ut in hominum sinus confugiant; cum Arcturo sydere, quia in ipsius cum sole exortu, obmutescere incipiunt, ægrotant, & plumas vellicando excipiunt. Denique cum sinapis semine, quod nulli non innoxium; alaudas conficit. *Antō. Myzald. cit. Aldrov. Ælian H. A.l.6.c.46*

Morbi. Laborant *morbo* comitiali, & alterius oculi cœcitate, idq; nono accidere anno Albertus experientiâ propriâ nixus testatur.

Vsus. De *usu* in cibis taceo. Juniores & pinguiusculas nemo non appetit.

Species. Species Alaudarum sunt, CRISTATA & NON CRISTATA. Illa est vel *Major* vel *Minor*; quarum hæc Aristoteli incognita, Schvvenkfeldio *Arborea, Fera*, ἀνώνυμος, apicem pro corporis magnitudine longiusculum, & pedes rubros habet. Cum frigus intensum est, & nix agros tegit in sterquilinijs & propè horrea *versatur*, per æquinoctium avolat, si Longolio credendum; nidum in fossis senticosis sternit; nullam particularem cantiunculam habet; sed ineptè aliarum quibus cum victitat vocem refert: Congener est ipsi Alauda *Sylvatica*, quam Germani Waldlerch vocant, parte inprimis prona albicantior.

Major rostrum habet cavum; cristā, cujus radices inter utrumque oculum situantur, aliquantulum nigricātem. Dorsum cinereum albo maculatum. Ventrem albicātem, pectus cinereum albis maculis conspersum. Caudę plumas nigras. *Linguam* exiguam ferè furcatam, quia ramis rarò insidet; ungues longiusculos. *Habitat* in agris, circa flumina, & lacus; hyemis tempore ad vias. Non volat aliarum more, sed vento cogente, nunc ima nunc summa petit. *Bellon. l.5. de Avibus c.22.*

Non cristata suavius canit.

Laudatur ad colicos dolores, † seu cocta seu assa. Quidam cor alligari femori jubent: alij recens tepensque devorant. Consularis Asprenatum domus est, inquit Plinius, in qua alter è fratribus colo liberatus est ave hac in cibo sumpta, & corde ejus armillâ aureâ incluso; alter sacrificio quodam crudis laterculis incluso corde, ad formam camini, atq; ut sacrum peractum erat, obstructo sacello. Thraces vivente adhuc Alauda cor exemtum sinistro femori pellendæ colicæ ergò circumdabant, ut Alexander Trallianus scribit. Porta causam in loquacitatem conjicit. Nimia enim garrulitate, flatus, ex quo morbus sæpè exoritur, eximitur. *Vsus.* † *Galen. de simpl. Medic. facult. l.11.* *Dioscorides l.2.c.48.*

Non CRISTATA, Hermolao, Sipontino, & Grapaldo Terrancola, Nipho falsò Aristotelis Tetrix, colore similis est cristatæ, sed magnitudine minor. *Caput* habet nigrius fulvo colore intermixtum. *Dorsum* spadiceum, cinereum, & subnigrum. *Pectus* pluribus maculis distinctum. *Ventrem* subalbidum. Posticos digitos & ungues ejusdem magnitudinis cujus & posteriores. *Degit* in planis locis, erica & Junipero consitis. Hyeme gregatim volant, æstate binæ. Alta petunt volatu, diutius in aëre hærent, & majora spacia conficiunt. Amœnitate *vocis* inter omnes excellunt. Galli ex uno tēperamento in alterum facilè transire, & pro ventorum diversitate, diversimodè etiam immutari, tradunt. Flante Austro macrescunt, Aquilone pinguescunt. Captura hyeme largissima, nisi nives diutinæ sedeant, & maxima sit frigoris inclementia. *Arist. H. A. l.9.c.25.* *Bellon. H. Avium. l.5. c.23.*

Ad hanc *Calandra, Alauda pratorum, & Alaudæ congener* spectat.

Calandra Græcis χαλανδρος & χαλανδρος fortè ἀπὸ τοῦ καλῶς ἄδειν, seu suavitate cantus; alijs, sed falsò Acredula, Charadrios, Gurgulio, ad Sturni magnitudinem accedit. Alaudæ de cætero in omnibus similis. Collum qua jubæ Capiti connectuntur gracile habet, & ro-

& rostrum crassius. Victitat duriusculis granis. Vocis modulatione audientes mirificè oblectat, ac omnes avium voces expressimè imitatur. Capta, vix unam diei horam sine cantu præterit.

Bellon. H. Avium. l. 5. c. 24.

Alauda Pratorum Alaudis est minor. Rostrum habet tenue, & longiusculum. Plumas cutem contegentes omninò nigras. Caudæ, in extremo albicantes. Humi dormit. In pratis nidificat. Difficulter educatur, sed educata suavissimè canit. Cum Accipitrem supervenientem adspicit, in arborum ramis latitat.

Alaudæ congener illa Aldrovando dicitur, quæ Bononię Petrone, Genuę Pettonella & Chiapparone dicitur. Cristatæ majoris magnitudinẽ æquat, vel superat. Eidemque colore ferè similis est. Pectoris & totius ventris color magis ad subflavum vergit. Ungues in tantam longitudinem non excrescunt. Tibiæ & pedes albicantiora sunt. Humi sępè quiescit vel cursitat; in arboribus verò & fruticibus summa semper cacumina petit, quibus diu immobilis insidens, suavissimas cantilenas modulatur.

CAP. IV.

De Chloride, Citrinella & Serino Gesneri, & Luteis earumq; congenere.

Descriptio.

CHLORIS Germanis Grünfinck / seu Fringilla viridis, magnitudine est alaudæ, aliquando tota viridis, aliquando valdè lutea. *Mas* à fœmina in hoc differt, quod hæc spadiceo partim, partim cinereo ubique coloratur; minusq; multo lutei coloris, imò modicum admodum habet. Pedes ei & crura mollicula, carnea ferè substãtia & colore. Gula, venter, pectus, uropygium, & alarum suprema ora, pulcherrimo ochræ colore flavescit.

Victus. Arist. H. A. l. 8. c. 3.

Aristoteles vermiculis *victitare* scribit. Verum pascitur quoq; seminibus, Carduorum majorum, Lapparum, raporum, & phalaridis. Adeò aliquoties cicuratur, ut una manu detẽta, cibum altera porrectum, capere non recuset. *Nidum* ex hymphito stirpitus evulso facit. Sed stragulum ex lana & villo subjicit. Quatuor aut quinque ova parit.

Arist. H. A. l. 9. c. 13. Generatio.

Ælian. H. A. l. 4. c. 47 Aldrovãd. Ornith. l. 18. c. 18.

Congener est huic illa, quam Aldrovandus *Chloridem Indicam* vocat, quæque prono, ventre nimirum & pectore est candidissima, rostro subviridi ad fuscum vergente, capite toto dorso & Uropygio viridibus; pennis, alarum remigibus & tota cauda cæruleis, sçapis albis, pedibus nigris.

CITRINELLAM Gesneri, quam Galli Tarin vocant, Thracipedem Aristotelis Bellonius esse opinatur. Color capitis dorsi caudæ intensior est quàm in Ligurino, ideo ob flavedinem magis fusca videtur. *Mas* plus flavi coloris in toto corpore & præsertim in pectore & circa nates habet, quam fœmina. *Vescitur* iisdem seminibus, quibus aliæ canoræ. Rarò plures quàm septem, aut octo uno incubitu excludit, & in cantu omnibus hujus generis excellit.

SERINVS Gesneri Ligurinum magnitudine & colore refert; pectore & ventre ex viridi flavescens; parte superiore, partim ejusdem coloris partim fusca. *Congener* est illa, quam Germani Hirngrylle vocant, magnitudine Ligurini, sed magis lutea. Capitur in Helvetiæ montibus. Auceps cum sexum utrumq; domi aleret, ita ut aliqua volandi libertas esset, pullos etiam ex eis habuit. Sed cum aliquãdo pro mare Gryllo marem Ligurinum adhibuisset, ova quidem nata sunt, sed ex quibus foris nihil provenit. Suavissimè cantillat.

Gesner. in Ornithol.

LVTEARVM duo sunt genera; *Vnum*, quod Ciam simpliciter Itali vocant; *Alterum*, quod à colore paleari, Ciam Pagliariã, seu Pagliaricciam, Angli Gelgorstam dicunt. Capiuntur facillimè omni aucupij genere. *Vescuntur* granis hordei triticei pane; hyeme alimentum in equinis stercorib. quærunt. Captæ per duos vel tres menses merum Cici ingeminãt; servitutis oblitæ ad suos modulos revertuntur. In caveis sæpè cum morbo comitiali conflictantur. Mediâ hyeme magno nu-

mero in Italia apparent, & in pratis ingentes earum catervæ conspiciuntur. Quæ de harum *congenere* addit Aldrovandus vide si libet capite vigesimo primo, libri decimi octavi.

TITULUS III.

De Avibus Baccivoris.

CAPUT I.

De Turdis in genere.

AVis Latinis, seu per Onomatopœiam, seu à colore, Turdus dicta, à Græcis veterib. κίχλη, κίχλα, χλα; à modernis *a* Schynopoullos, ac si lentiscinas aves diceres, vocatur. *Genera* ipsorum tria prodidit Aristoteles. *Viscivorum* seu ἰξοβόρον picæ magnitudine. Τειχάδα à stridore dictum, quãtitate Merulæ; & *Ilias*, omnibus minus, minusq; maculis distinctum, *c* quod gregatim volat, & nidos è luto hirundinum more construit, & apud Gallos † non extare putatur. Recentiores plura enumeratis annumerant. Nam & *Turdela* Hermolao est genus Turdi alterum, quod in Veneta provincia Drexanos vulgò vocant, major Turdo, penna subfuscâ, varia; & Turnero illa, quę Saxonicè **Brachvogel** / (commune hoc ferè illis nomen, quæ in novalibus & quiescentibus agris immorantur) colore fusco, terreo, obscuro, ut humi sedens agnosci vix possit, ex Turdorum est genere. Idem Germanorum **Trostel** / Turdum pilarem esse putabat. Scaliger † secundi apud Aristotelem generis, *duas species* facit; quarum una *Trida* à Vasconibus, altera *Turdus* dicitur, figurâ & facie adeò dissimiles, ut nonnunquam in agnoscendo fallãtur. Saxonum Ziepdruschel colore Iliaco similis, quæq; circa rubos versatur, & fructibus eorum victitat, minimum Turdi genus, & βαπὶς Aristotelis quibusdã, Germanorum verè **Klein Zimmer**/ Merulâ minor, rostro acuto, brevib. pedibus, ejusdem nonnullis Cyanus. Helvetij habent Turdum sylvestrem. Carinthiorum avis dicta **Leimtrostel**/ pedibus albis, Turdis minoribus annumeratur. De *Albis*, qui in Septentrione, non est quod aliquid dicam.

a Bellon. Obser. l. 1. c. 10.

c Athen. Dipnos. l. 2.

† Scali. g in H. A. Arist. l. 9. c. 26.

Genera.

† l. Commẽtar. citato.

Forma si spectetur, cinereus color eis ferè peculiaris est, huic quàm illi remissior vel intensior. Omnes per collum inferius, pectus & ventrem maculis æstate conspergunturur, *d* quas per hyemem deponunt. Unde Plinius, *e Turdis color æstate circa collum varius, hyeme concolor.* Visus tamen viscivorus, nescio quo anni tempore captus, qui ita plumbei coloris evaserat, ut quodammodo ad amethystinum accederet. Visus & Turdus vulgò dictus, tribus diversis coloribus diversis nimirum temporibus captus. *Rostrum* omnib. est longiusculum, crassiusculum, rectum. *Lingua* lata, & ad imitandum humanum sermonem parata. *Pedes* figurâ similes, & colore non in omnibus eodem. *Intestinum* appendices nõ habet, nec gula versus stomachum dilatatur, nec superius ingluviem habet. Nullibi non sunt obvij. Daphnios, seu à Laureto illo Alexandrino, ubi baccis vesci poterant; seu à Daphne delitioso quodam Syriç suburbano ita dictos, Clemens Alexandrinus celebrat. Advenas esse, & quotannis in Italiam circiter æquinoctium autumnale transmare verno revolare, Author est *f* Varro. Unde trimestres Plinius dixit; per hyemem latere scripsit *g* Aristoteles: nec tamen omnes, vel ex eo evidens, quod in *h* Helvetia circa Tigurum per hyemem abundẽt, hyeme in Italia loca maritima juniperis & myrtis consita, frequentent. Ab *i* Ambrosio inter eas quæ sub hyemis initium ad nos accedunt, numerẽtur; Bononiæ deniq; Martio *k* etiam mense copiosè habeantur.

d Arist. H. A. l. 9. c. 49

e H. N. l. 10. c. 29.

f de Re Rust. l. 3.

g H. A. l. 8. c. 3.

h Gesn. in Ornithol.

i l. 5. Hexam. c. 14.

k Aldrov. Ornithol. l. 16. c. 1.

Victus.

Quantum ad *Victum* delectantur baccis myrti, juniperi, sambuci, hederæ; nec nõ olivis, ut est apud Calphurnium Poëtam. Vnde Olivariorum nomen; fagigland bus, insectis, lumbricis & culicibus. Ex semine ab ipsis excreto provenire viscum Theophrastus *l* & Plinius *m* prodidere, tã falsò quam Satyria & Orchides ex eorum genitura nasci, falsum est. Quot enim in arboribus Turdus stercus excernit, & tamen

l Theophr. de Caus. Plant. l. 2. c. 23.

m H. N. l. 16. c. 94.

tamen viscum non generatur? Quot in regionibus Turdi non sunt, ubi viscum nascitur? Concoquitur in Turdi ventriculo granum, *n* cum labruscarum longè duriora & majora concoquantur gigarta: & exhibitis uni visci baccis, nulla in excrementis reperta est species. De saginatione videantur Oeconomica.

n Scalig. in Exerc. 168.

Generatio. In cacuminibus arborum *nidificantes*, penè contextim in successu, generant. Ova, decem à conceptu diebus pariunt & fovent. Increbuit alicubi mos, ut vasa ibidem collocentur.

Vox. *Vox* eorum trutillare, ut Philomelæ author inquit. Sermoni assueti, *o* tanquam è modulis sermocinantur. Habuit Agrippina, qui omnium sermones *p* imitabatur. Et mirum est adeò surdos dici, ut vitium in proverbium cesserit. Invenere & in

o Scalig. Exerc. 237.

p Plin. H. N. l. 10. c. 42.

Vsus. *Medicina Vsum.* Myrtorum baccis fatti & assi ventris profluvio laborantibus *q* exhibentur. Tempore pestis in cibo, macerati, laudantur.

q Plin. H. N. l. 30. c. 7

Bellon. l. 6. de Avib. c. 3. *Quid de usu in cibis dicam?* Duriores quidem concoctu, Perdicibus, Attagenis, Phasianis & Gallinis, Galenus facit: sed quia idem Phasianos Gallinis concoctione & nutriendi vi pares, edendi suavitate superiores *r* alibi scribit; alibi *h* laudatis cibarijs, quæ neq; tenuem neq; crassum succum gignunt annumerat, vel locus prior mendosus est, vel sibi ipsi contradicens, fallitur. Græci *t* sanè ova cum Turdis, leporinis carnibus, ac mellitis placentis secundę mensæ frequentius inferebant. Iisdem Turdorum turmæ in propomatibus seu primis *u* cœnæ ferculis in usu. Eorundem pectora in patinam Apicianam conjiciebantur. Et quantus circa eos Romanorum luxus, sive copiam, sive pretia spectes. Tanta Turdorum *x* aliquando fuere aviaria, ut ex ijs stercorarentur agri. Lucullus *y* alios videbat Turdos in mazomo positos coctos, alios volitare circa fenestras captos. Ex uno Ornithone quinq; millia scio vænisse Turdorum denarijs ternis (id est computate. Budæo denis solidis Turonicis & semisse) ut H. S. sexaginta millia ea pars villæ reddiderit eo anno, inquit *z* Varro.

r l. 7. Method.

h l. de cibis boni & mali succi.

t Alex. ab Alex. l. 5. Genial. dier. c. 26.

u Athen. in Dipnosf. l. 2

x Plin. H. N. l. 17. c. 9

y Varro. de R. R. l. 3.

z l. 3. de Re R. c. 2.

At nunc ætatis nostræ luxuries quotidiana fecit hæc pretia, &c. Nostra ætate quoquo modo capti eduntur. Quibusdam jecur ovis integrum cum medulla panis contunditur, & per linteum transmittitur. Hinc aromatibus ad saporem coloremq; commendandum insperſis fervescit. Turdi in jure carnium elixi, & modicè frixi imponuntur.

CAPUT II.

De Turdis in specie.

ARTICVLVS I.

De Turdo Viscivoro & Trichade.

TVrdus Viscivorus, Aristoteli ἰξοβόρος, Athenæo ἰξοφάγος dicitur. *a* Major est cæteris Turdis, & paulò infra columbam. Capite, alis, & ventre fuscus; plumis tamen juxta caudam aliquid flavi admixtum apparet. Cutem intra rostrum pallidus & subruber colores mixti tingunt. Collum parte pronâ, venterq; totus nigris punctis in albicantibus plumis, & alicubi flavis variant. Pedes digitique, posteriore præsertim tibiarum nervo, flavescunt. *b* Aldrovandus semel unum adeò, in cauda maximè, & alarum remigibus albescentem observavit, ut penè albesceret; capite verò, tergore, & supernis alis omninò cinereus esset. Nullo non tempore apud nos visuntur. *Cibus* ipsis abietis viscum & resina; æstate inprimis; hyeme fructiferarum arborum semina. Sed & baccis arborum, Juniperi præsertim & Ligustri, inhiant. Dum singuli singulas visciferas arbores occupant, & propè eas morantes, alios persequuntur, facilius capi, prodidere nonnulli. Observata in ijs à rusticis & præsagia. Diu nempe duraturæ hyemis, si circa hujus finem in cacumine arboris cantillent. Futuræ æstatis, si in ejus medio consideant.

a Gesner. in Ornith.

b l. 16. Ornith. c. 2.

TRICHAS, qui Pilaris perperam dicitur, & à stridore nomen sortitus est, totus ferè magnitudine & figura est Merulæ. Rostrum habet subflavum

Gesner. in Ornithol.

vum in extremo nigricans. Os & linguam flavo colore tincta. Collum pronum cinereum maculis nigris asperſum. Dorſum charopum, & per medias pennulas nigricans. Pars circa Uropygium cinereis plumis obtegitur. Caudam nigræ pennæ conſtituūt. Collum ſupinum & pectus varia ſunt. Pennæ alarum partim nigricant, partim ruffo colore tinguntur, &c. Nunquam aut rarò in æſtate in Anglia *viſitur*, hyeme tanta illorum multitudo, ut nullius avis major. Veſcitur baccis juniperi, Aquifoliæ, & ſorbi minimæ. Apud Helvetios poſtremò advenit. Acutè *c* ſonat, & quamvis colorem mutet: vocem tamen non variat. Volat gregatim, & inter volandum obſtreperus eſt.

c Ariſt. H. A. l. 9. c. 20

ARTICULUS II.

De Turdo Illade, & ſimpliciter dicto.

TVrdus Illas, Tyllas Alexandro, Myndio dicitur. Fuſcus eſt per totum dorſum. Pectus eſt varij coloris, medius venter albicat; utrinq; rubet. Eodem colore pars ſub alis tingitur. Interiora oris penitus flaveſcunt. *Nidificant* in Bohemia vel Hungaria. Gregatim plærumq; in dumetis *degunt*. Initio hyemis per quatuordecim ferè dies ante Pilares in Helvetiam advolant, circa Paſcha recedunt. Racemis *victitant*, vineisq; multum damni inferunt. Ideò tempore vindemiarum capiuntur. Geſnerus in diſſecti ventriculo menſe Novembri baccas ſpinæ albæ quam Oxyacantham dicimus, reperit.

Quem Aldrovandus *Turdum ſimpliciter dictum* vocat, is Bellonio *Turdus primus Ariſtotelis*, & Turdus *viſcivorus minor* dicitur. Crura in eo ex deſcriptione Geſneri albicant. Pectus, ventrem, & latera puncta nigra inſigniūt; illud ſubflavo & ruffo colore in unum commixtis inſignitur. Idem ſub alis color merus. Tota ferè pars prona fuſceſcit. Alæ fuſco ruffum miſcuerunt, & maculas ſubflavas habent. Venter candidus eſt. Crura albicant. Proprium illis eſſe apparet, ut circum oculos maculentur. Sexum ſolo cantu diſcerni poſſe dicunt.

NB. *Genus Turdorum exoticum Vide in Mantiſſa.* N. 9.

CAPUT III.

De Merulis.

MErula, Græcis κόσσυφος, κότυφος & κόψυχος, quibusdam à nigro colore Nigretta; Latinis quod ſolivaga ſit & ſola paſcatur, *Merula* dicitur. Duo ipſarū *Genera* Ariſtoteles *a* ponit. *Vulgare* ſeu nigrum, & *candidum*, quod tantum circa Cyllenam Arcadiæ naſci ſcribit: nos & in Norvegia, & in novo orbe inveniri ſcimus. Varro *b* inter res inuſitatas reponit. Addit & *tertium* fuſco colore, & minoris magnitudinis, quod Paſſerem ſolitarium vel Merulam montanam quidam eſſe judicant. Vidit Aldrovandus totam ex flavo ad caſtaneum vergentem, mutato fortè priore colore. Magnitudinem ei Turdi Trichadis Ariſtoteles tribuit citante Athenæo, colorem nigrum, roſtrum puniceum verè an falsò neſcio. Albertus roſtrum & pedes crocea. Sed ut plumarum colorem pro temporis diverſitate mutant: ita & roſtrum idem non ſervat. Nam id anniculis, teſte Plinio, in ebur transfiguratur, at maribus duntaxat. Scaliger † pullos nigrum habere, anniculos buxeum affirmat. *Sexus* optimè diſcernitur. Fœmina namque fuſca eſt, roſtro inferius tantum luteſcente, ſupra planè fuſcido. Gula pectusq; totum ex albicante & fuſceſcēte colorib. maculantur. Nominat Aldrovandus *c* quādam *Leucophalum*, cujus caput præter tres maculas oblongas nigras, quæ retrò oculos conſpiciebantur, prorſus candidum erat, roſtrum & oculorum iris lutea, pedes fuſceſcebāt. Cauda & venter atterrimi caloris. Alæ albo maculabantur. Apponit & *candidam totam*, roſtro duntaxat rutilo, & pedibus luteſcentibus. Aliæ ex albo & nigro ſunt maculatæ, mas minus quàm fœmina, caudâ nigrâ, roſtro & pedibus inteusè in mare rutilis, pallidè in fœmina flaveſcentibus.

Genera.
a H. A. l. 9. c. 19.
b de R. R. l. 3. c. 9.
† In Ariſtotelis H. A. l. 9. c. 5.
c Ornith. l. 16. c. 6.

Quan-

Locus. Quantum ad *Locum*, versantur in locis densis consitis arboribus, spinetis, angustis montium angulis, & lapidum fissuris. Mutant ut Turdi *d* locum, & hyeme in vicina demigrant aprica. Parasitus tamen apud Athænæum, si algor sub dio perpetiendus sit, se Merulam esse profitetur.

d *Arist. H. A. l. 9. c. 16.*

Victus. *Vescuntur* ijsdem quibus Turdi. Sed & pomis sorborum, orni sambucique acinis. Caveis inclusæ etiam carnib. Plantæ ex quibus pręcipuè cibum decerpunt, sunt Oxycedrus Dalechampij, Ilex Aquifolia ejusdem, Myrtacanta, philyrea angustifolia, myrtus laurea maxima, myrtus exotica Plinij, & area Theophrasti effigie alni.

Generatio. *Nidos* figurâ hæmisphærica oblongiusculâ, admodum scutellæ cavos, ex surculis ramulisq; exilibus, & fibrosis radiculis luto inter se contextis, substrata molliore materia construūt. Bis anno, omnium avium primæ, ante exactam hyemem, in Helvetia mense Martio vel Aprili *pariunt*. Numerum pullorum nemo exponit. Nido Aldrovando allato quinq; inerant. Persarum Magos ex salvia sub ficu putrefacta, dum sol & Luna secundam solis faciem occupant, avem Merulæ similem procreasse, cujus adustæ cinere lampadi insperso domus serpentibus repleta videbatur, author est *e* Langius.

e *Epist. Medic. 38.*

Vox. De earum *Voce* fringulicire quidam usurpat. Veteres ejus non exprimunt proprium, sed inter canoras ponunt. Quandam adeò in novem vocū modis exprimendis excelluisse, ut nullus hominum perfectè eam imitari potuerit, Albertus author est. Incipiunt autem vere canere, continuant per æstatem. Hyeme cohibendo vocem, *f* strepunt & tumultuosè voculantur. Plinius hyeme balbutire, circa solstitium mutas esse *g* ait.

f *Arist. H. A. l. 9. c. 49*

g *Plin. H. N. l. 10.*

Amicitia *Amicitiam* eum ea Rubecula colit. Sequitur enim eam, & noctu, vel juxta ipsam, vel in proxima arbore conquiescit. Ipsas Noctuæ ita infensas quidam volunt, ut quotiescunq; clamantem audiverint, tanquam injuriam vindicaturæ, advolent. Mali Punici grano perire Aelianus *h* author est.

h *Æl. H. A. l. 6. c. 46.*

Ingenium resipit, quod *i* humanum sermonem, quamvis linguam strictā, rostrum rectum, & angustum habeāt, imitātur: & quòd Laurifolio annuum fastidium purgant.

Ingeniū.

i *Philostr. l. 7. in vita Apollon.*

De *Vsu in cibis*, hæc pauca dixisse sufficiat. In pectore ipsarum *k* adusto haud parvam collocasse voluptatem Romanos. Inter popinæ verò professores *l* clunesne tergoribus sint præferendæ, disceptatum. Tardè tamen concoquuntur, parumque alunt, si *m* Platinæ credimus; inter laudatas cēseri debent, si Salernitanis. Nonnulli à Noctua captas præferunt. Alij pingues & retibus vel laqueis captas eligunt.

Vsus.

k *Horat. l. 2. sermon.*

l *Plin. H. N. l. 10. c. 50.*

m *Platina l. 5. de tuēd. sanit.*

Quantum ad *Medicinam*, benè illis qui laxa sunt alvo præscribuntur. Plinius inassatas cum myrti bacci dysentericis mederi scribit, Porta *n* Melancholiæ. Fimus ex aceto mistus, si orizam avis comederit, extirpat lentigines. Caput ad brachium sinistrū, cum leporis pedibus portatum, audaces facere, mendacium est.

n *l. 3. Physiognom. c. 11.*

CAPVT IV.

De Merulis in specie.

ARTICVLVS I.

De Passere solitario & ejus congenere.

PAsser *Solitarius*, quod cum nullo sui generis unquam, nisi tempore generationis versetur vulgò dictus, quē tertiam Aristotelis Merulam esse Gesnerus, Niphus, & Aldrovandus asserunt, Merulus Solitarius circa Tridētum, Merulus stercorosus, quod in latrinis habitare credatur Romanis, si Alberto credendum; Merula saxatilis Placentiæ dicitur. Avis est Merula paulò minor, tota nigra, rostro lōgiusculo, parumper arcuato, capite pro corporis proportione parvo, superius plano, nigroque ad latera, nempè circum oculos, aures, & in collo inferiore cæruleo. Fœmina tota fusca est, & pectore maculis lutescentibus variegatur,

Gesner. in Ornithol.

gatur, mari planè dissimilis. In saxis & testis (non tectis, *a* κεράμιον, namque textus habet) diversorium habere Aristoteles dixit. In parietibus alijs Passeribus cõjungi, & cum eis ad pastum volare Albertus. In dumosis rupibus circa Larium lacum nidulari, neque cum alijs avibus degere, Gesnerus affirmat. Canorus est, & Mediolani ac Genevæ magno propter cantum precio venditur. Quem Bellonius descripsit, & Charadrium esse primo aspectu putabat, Turdi Iliaci est crassitie, Luscinia morib. præditus. *Rostrum* habet rotundum, acutum, subalbum, in extremo nigrum. *Pennas* sub pectore & duabus costis colore dactylorum, maculis interstincto. *Dorsum* cinereum, fulvo maculatum. *Pedes* Turdo similes, *Caudam* ut in Luscinia ruffam, quam mox ut è nido eximitur, immutat. *Mas* quia pulchrior, coloris elegantiâ à fœmina distinguitur.

a Arist. l. 9. c. 19.

Forma.

Generatio. In rupibus solitarijs nidificat, & rarò in plano aut per valles cernitur. Certo anni tempore sub tegulis seu imbribus *degit*. Canit noctu æquè ac interdiu ad lumen candelæ maximè: Franciscus Gallorum Rex tanti ejus cantum fecit, ut nullam præter hanc audire dignaretur.

PASSERI SOLITARIO *congener* est illa avis, quam quidam Petrocos scyphum, Germani **Steinrotele** & **Blauvogel** vocant, Bellonius *b* Cyaneum Aristotelis, sed falsò (Ex Picorum enim genere est, rostro etiam ad saxa durissimo; & quis Merulam totam cæruleam vidit) dixit. Magnitudine est Sturni, pectore, cervice, & lumbis Cyanea: dorso & alis nonnihil nigricans. Rostrum ei sesquidigiti longitudine subter nares fuscum, imo aculeatum, superiore parte adunca, inferiorem ut plurimum contegente.

b l. 1. Observ. c. 11. & l. 6. de Avib. c. 6.

Seiler. ad Gesnerum.

Locus. *Degit* in altissimis, præruptis, & nivosis scopulis, in Creta, Citharea, Corcyra, Zacyntho, Eubæa, & circa fluvium Athesin.

Generatio. *Nidificat* in deviis solitudinibus, pullosq; quos ternos aut quaternos excludit, ut à rupicapris etiam tuti sint, in cavernas deorsum condit.

Vox. *Vox* ipsi articulata, amœna & varia. Mediâ & intempestâ nocte expergefacta, ad astantis provocationem claro spiritu canit. Ante tempus autumni cum colore etiam vocem mutat, ac alis expansis novos, secum continuò murmurans, excogitat cantus, nec veteris obliviscitur.

Color sub hyemem niger è cæruleo evadit. Circa veris initium, in pristinum commutatur. Adulta vel è nido semel egressa & volatui adsueta, nullis astutiis capitur. Moris denique ei, oculos hominum aliorum alitum more adpetere. Tamq; diligenter res observare, ut plæraque, vocis aliquo articulo indicet.

ARTICULUS II.

De Merula Montana, Germanorum Torquata, Bicolore, & Saxatili.

MErula Germanorum MONTANA, avis est paulò infra Turdum majorem. *Caput*, dorsum & alæ, ruffo quodam modicè admisto nigricant. *Pectus* est, ex plumis partim subfulvis, partim nigricantibus obscurè maculosum. *Os* interius & lingua lutei seu melini coloris. Ventris color ex nigro & cinereo mistis; crura ex glauco nigricante, & ruffo, constant. Cauda est atra.

TORQUATA, quæ & Montana, Saxatilis, & Equina, quod in sylvis vermiculos in fimo equino quærat, avis est barbatula, magnitudine ferè & colore Turdi. Parte pronâ inter collum habet albas duorum digitorum latitudine plumas, reliquâ maculosas, nigris in medio pennis, ambitu albis, superiore fuscas, alarum pennis, margine extrinseco albicantibus. *Fœmina*, quam Aldrovandus descripsit, erat corpore toto subnigro; rostro circa nares, & in apice nigro, ad latera flanascente, pennis remigib. alarum nec non ventris, extimis oris, nonnihil albicantibus, cæterà candicantibus. In ultimo gutture seu pectoris principio macula albissima pollicẽ lata ad humeros pertingente, vel torque candido, ornabatur.

Meru-

Merula BICOLOR quod duobus potissimum coloribus fusco aut subnigro, & luteo rubescente variet, dicta, est avis Merulâ paulò minor, capite fusco, lineolis candicantibus variegato, rostro in luteo rubescente, qui etiam color in tergore & cauda intensior; in pectore & ventre remissior, videtur. Alarum remigibus fuscis, in extremis oris albis, pedibus breviusculis, digitis pro proportione longis luteis, unguibus rubicundis.

SAXATILIS, quam Turnerus ex Graculorum genere facit, quidam Cyanon Aristotelis credunt, nonnulli Rubiculam Saxatilem, Nucifragâ, Merulam Alpinam vocant, avis est cum *Caryocatacte* Gesneri eadem, merula major. Sturniferè instar maculata, supra nigricans, minus tamen in capite & dorso, quàm in alis, maculis ubiq; distincta semilunaribus, quę pariter per tergus & alas majores sunt quam per caput. Pronè à rostro ad anum usque lutea maculis ferrugineis albisq;, quæ & ipsæ magnitudine variant, percurrentibus. Alarum pennas majores habet nigras, & in extremis oris candicantes. Caudam supinè nigram, pronè ferrugineam, pedes fuscos. Vaga est, nec invenusta.

ARTICULUS III.

De Merula Rosea, Exoticis, & Merulæ congenere.

Aldr. Ornith. l.16. c.15. MErula ROSEA, ab aucupibus, Italis Sturnus marinus vocatur. Est merulâ paulò minor; tergore, pectore, & alis supernis roseis seu carneis, capite cirrhato, rostro qua capite jungitur nigro, cætera carneo, alis & cauda nigris, remigibus ferè sub castaneis. In *fœmina*, color est dilutior, caput si excipias. Reliqua enim pars colli, alæ & cauda minus quàm in mare nigrescunt. Plurimùm adipis corpori adjiciunt, & in cibo maximè commendantur.

Bellon. l.6. de Avibus c.27. EXOTICA est duplex, *Brasilica*, & *Indica* Apos. BRASILICA ut à Bellonio describitur, differt magnitudine à Merula. Rostrum illi breve. Color totius corporis, si caudam & alas, quæ atræ sunt, adeò intensè rubet, ut nullus intensior rubor possit excogitari. Cauda oblõga est, crura nigra. Illius, quam Aldrovandus exhibet, pennæ superius omnes ad scapulas rubent, dein nigræ succedunt, has rubræ rursus excipiunt. Rostrum est insigniter recurvum, intus luteum. Pedes, qui pro tibiarum proportione majusculi ex cinereo leviter fuscescunt. APOS monstrosa fortè est. Rostrum habet Merulæ in extremitate nigrum & recurvum, infra qua capiti jungitur cãdicans. Caput, venter, dorsum, colore coccineo intenso & vegeto, alæ & cauda nigro, unde Porphyromelanos dici posset, tinguntur. *Ornith. l. 16. c. 16.*

CONGENER Merulę est duplex. *Vna* rostro, propè quod linea rubra conspicitur, nigro; capite, dorso, & cauda, ad subcastaneum vergentibus, extremis oris albicantibus. Pronè pectore, ventreque toto & cauda, lineis quibusdam cinereis per transversum ductis albicat. *Altera* Merulis erat minor, Passeribus major, capite cinereo, oculis nigris aureo circulo circumductis, rostro pro corporis proportione robusto, luteo, crassiusculo, in extremitate nigro & acuto. Dorso ad caudam castaneo obscuro, pennis alarum quæ dorso junguntur albis. Qua ventri nigris. Remigibus in extremis oris cinereis. Similis Collurioni cinereo videbatur.

CAPUT V.

De Sturno.

STurnus, Græcis ψάρ ψάρος, βύτα, βύτος, & γέλμις, quod apud Hesychium & Phavorinum leges, dicitur. Avis est ob colorum varietatem, & conspersas per corpus maculas, elegans, & benè, picturata à Poetis dicitur. Non tantum autem albis maculis tingitur; sed rubescit quoq;, lutea aliquando; in alis, propè oculos, & in infimo tergore virideſcit. Rostrum habet Picorum non absimile, in fine fuscum. Caudam brevem & nigram. Pedes ferè croceos. Aristoteles *a* solum vulgare genus, quod super tecta cantu suo aures fati- *Genera.* *a H.A. l.8. c.16.*

b Ornith. l.16.c.19.

fatigat, agnovisse videtur. *b* Aldrovandus tres exhibet, *Vnum* totum, album, rostro quod ex luteo rubescit, & pedibus, qui leviter carnei exceptis. *Alteri* caput, collum, & rostrum erant alba; Maculæ supra oculos binæ nigræ: venter candidus, alarum principia maculis subcærüleis varia. Remiges alarum & cauda ut in Sturno vulgari. Pedes lutei. *Tertii* totum corpus ex cinereo lutescebat. Pectus pūctulis conspergebatur. Rostrum & pedes nigri coloris erant.

Locus & Victus.

Locum si attendas, nullibi non inveniuntur. Avenis, pratis aquosis, ubi armenta pascuntur, & agris gaudent. Turribus inprimis & tectis hyeme latent. Si *victum* pamphagi sunt. Nam præter baccas & uvas, quibus impensè delectantur, & pinguescunt; milium quoq;, panicum, cicutam, stercora, & lumbricos, imo suspensorum cadavera, ideò ab eorum esu Belgæ abstinent, depascuntur.

Generatio.

Nidulantur iisdem ferè locis, eodemq; penè modo, ut Passeres. Ter anno *parere* dicuntur; & uno tempore septem vel octo *ova* ponunt. Græcis dicuntur κιχλίζειν; authori Philomelæ pisitare. Summo mane maximè sunt obstreperi, nocte silent. Visi qui omnium avium voces imitabantur. Et

c Brujer l. 15. de re cibar. c.42.

c in Gallię urbibus habentur, qui sermonem explanatè, longiori etiā contextu, exprimunt. Habebant & *d* Cæsar es juvenes ejusdem peritiæ unum.

d Plin. H. N. l.10. c.24.

Volatus.

Proprium ipsis catervatim *volare*; & quodam pilæ orbe circumagi, omnibus in medium agmen tendentibus. Vespere potissimum aggregantur, & tanta multitudine atq; impetu quandoq; volant, ut nubem facere, & tempestatis modo sonare videantur. Dicuntur sibi ipsis medicinam facere. Atterebat *f* pedi luxato ova formicarum, comminuta, & sub alis calefacta; unus. Sic integer intra paucos dies evasit. *Metuunt* Accipitrem, eundemq; supernè vel à latere accedentem, alis eventant, subtus volantem stercoribus opprimunt. Semine alii intereunt; & à canibus metuuntur.

f Gesner. in Ornith.

Vsus.

Galenus *g* eos inter *cibos* attenuantes & boni succi refert; quod vel de juvenculis, vel de illis, qui in montibus degunt sumendum est. Vindemiæ *h* tempore pabuli melioris copiâ non improbantur. Suaviores evadere, si mox captis capita amputentur, *i* Cardanus author est. Stercus oryza pastorum ad faciem exornandam facit. *k*

g l.6 de sanit. tuēda.

h Alex. l. 13. salub. c.8.

i l.3. de sanit. c.21.

k Aegineta l.28. c.8.

NB. *Sturni genus Indicum vide in Mantissa.* Num. 6.

CAP. VI.

De Coccothraustis.

Descriptio.

DUplicem Coccothrausten Aldrovandus exhibet, *vulgarem* Gesneri, & *Indicam cristatam*. Illa ita dicta, quod rostro suo coccos & interiora cerasorum grana confringere soleat. Circa Verbanum Lacum Fringilla Montana, Bellonio, à rostri magnitudine Grosbec dicitur. Putabat hanc esse Aristotelis Pardalum quiddam. Falsò, ex collatione utriusq; patebit. Pardalus enim colore toto cinereus est, magnitudine par Sturno. Coccosthraustes autem est, si Bellonij descriptionem sequemur, sturno paulò minor, rostro duro, & magnitudine pro corporis proportione insignis. Capite superiore mali aurantij colore, cum macula sub gutture nigra, collo cinereo, dorso fulvo, alarum extremitatibus ex viridi lutescentibus sicuti torques Palumbis, caudæ extremitate albâ subtus fulvâ. Ventre, pectore & gutture ejusdem coloris. Gesnerus ei tribuit, Alaudæ aut Loxiæ magnitudinem. *Rostrum* durum, validum, breve, latum, quod inferius à pennis nigris ambitur. Colorem capitis, in fœmina, charopum, vel ex flavo ruffum; in pectore & ventre ex cinereo rubicundum. Pennas alarum superius nigricantes, in medio albentes, in imo coloris ferè cærulei seu Indici. Collum pronum, & utrinque ad latera plumis cineris vestitum. Dorsum ex fusco nigricans.

Aristot. H.A. l.9.c.23. Bellon. de Avib. l.7. c.30.

Locus.

Æstate in sylvis capitur, & tum in Italia in montib. agit. Sub Octobrem ad plana descendit. In Germania æstate rarius, hyeme frequentius cernitur.

Nidi-

Victus. *Nidificat* in arborum cavis. *Victitat* nucleis cerasorũ, quæ rostro confringit; necnon olivis, & alijs baccis. Non servat accrescẽte ætate colorem. Caveæ inclusa, non solum rarò cantillat, sed ne institutionem quidem admittit.

INDICA incolis capitis viridis apud quos repentur, dicitur Fruso, Lusitanis Cardinalitius, quod galerum purpureum gestare videatur. Habet cirros in capite figurâ trigonâ coccineos, quo colore pariter, collum, pectus & venter refulgent. Alarũ extremitates dilutè purpurascentes. Caudam pro corporis proportione, longiusculam, digitum auricularem latam, aliquantulum su. rectam. Tibias breves & albicantes, ungues robustos & nonnihil recurvos. *Victitat* panico, amygdalis, & alsine herba, & cibum è manibus accipit. *Voces* avium, luscinias maximè imitatur. Sæpè se aquæ immergit, unde temperiei calidissimę esse putatur. Visa icone sua in speculo, mirabilibus modis sibilos edendo, cristam deponendo, Caudam more Pavonum erigendo, alas motitando, gesticulatur, & speculum impetit.

* * *

HISTORIÆ NATVRALIS DE AVIBUS:

LIBER III.

De Avibus Insectivoris.

TITULUS I.

De Insectivoris non Canoris,

CAPUT PRIMUM.

De Picis Martiis.

Descriptio. PIcus Martius φ Marti sacer sit dictus, δρυόκολαψ Hesychio, δενδροκολάπης, ξυλοκόπος, & δρύκοπος Aristoteli, δρυοτόμος Aristophani, κολάφος Miletio, recentioribus Græcis κορκυνίας vocatur. *Genera* ipsorum tria *a* Aristoteles recenset; nos de pluribus inferius dicemus. An verò vel illa quæ occidentalibus Indis Alcatran teste Cardano dicitur, rostri & corporis magnitudine celebris, cinerea croceave pluma distincta, rostro duorum palmorum, in acutum tendente; vel Picutus dicta, cui rostrum toto corpore majus, ubi capiti jungitur tribus digitis latũ, aduncum, quo & arbores terebrat, & à parvis simiis se defendit, quæq; linguam loco pennæ habere dicitur, ad Picos pertineat, penes eruditos sit judicium. *Formam* ipsorum si attendamus, habent omnes *rostrum* rectum, durum, rotundum, & ad pertundendas arbores percommodum. *Linguam* ijs Aristoteles tribuit πλατεῖαν καὶ μεγάλην. Aldrovandus longam

a *l.9. H.A. c.9.*

gam quidem in omnibus & ad occiput usq; extendi, & super totum capitis verticem ceu in glomum convolvi, adeò ut cum exoritur, tanquam è multis involucris in longum admodum extendatur, observavit; latam minimè; quin est acutissima, & in extremitate quodammodo cartilaginea. Anatomen vide apud Aldrovandum. *Crura* quoque omnibus sunt breviuscula, at admodum robusta. Digiti pedum ante bini, totidem retrò, ijque valdè conjuncti, ut arborem quam scandunt firmius apprehendāt. Cauda rigida, & duriuscula, cujus pennę in extremitatibus fermè nudę, quibus haud aliter quàm pedibus inter rependum innituntur.

Locus. *Locum* si spectes, in quibusvis reperiuntur regionibus, rarò in Belgio, in Tarentino agro negari scribit *b* Plinius; sed *c* Aldrovandus omnia genera in Italia al', maximum si excipias, affirmat.

b *Plin. H. N. l. 10. c. 29.*
c *Ornith. l. 12. c. 30.*

Victus. *Victitant* vermibus, culicibus nempe formicis, quas exporrecta lingua velut in veru infigunt, & latitantibus sub lignorum corticibus, & medulla cossis. Ideò arbores tundunt, quarum *d* percussi corticis sono pabulum subesse intelligunt, & tam vehementer eas interdum excavant, ut ipsas sternant. Quidam apud Aristotelem, *e* amygdalum tertio ictu pertudit, & nucleum comedit.

d *Plin. l. c.*
e *Arist. l. 9. H. A. c. 9.*

Generatio. *Nidificant* in cavis arborum, olearum inprimis. Tanto artificio nidum exstruunt, & excavant, ut admoto circino rotundius reddi foramen à perfectissimo Geometra non posset; & ligna quibus inter se consertis cōstat, facilius manibus separentur, quàm ferro dissecentur. *Pullos* septem vel octo educant, quos exire ex ovo à cauda Hylas, referente Plinio, tradidit. Quoniam pondere capitum perversa ova posteriorem partem corporum fovendam matri applicāt. Nunquam humi consistunt, vel in saxis consident, ne aciem unguium obtundant. Scandunt verò per arbores omnibus annis κατάπιερ ὁ ἀσκαλαβῶτας tanquā stelliones, seu ut Plinius vertit, feles, non modo sursum per arborem reptando, sed deorsum etiam & sub ipsis ramis, pedibus & ventre sursum, tergore deorsum terram versus converso; quod Aristoteli est ὕπτιον καὶ ἐπὶ τὴν γαστέρα.

Humano ipsos *sermoni* assuescere Scaliger *d* author est: sed minus aptè, & rariora & pauciora quàm Picam reddere, addit. Albertus *e* perfectè aliquando loqui scribit. Validius quàm soleret stridens pluviam præsagire credebatur. Hinc ei pluviæ avis apud veteres nomen.

Vox.
d *Exercitat. 237.*
e *l. 23. de Animal.*

Vsus. *Vsus* ipsorum & in *cibo*; ideo tota fere hyeme & autumno Bononiæ in foro venduntur; & in *Medicina*. Nam cum sale torrefactum quidam ad internas ani eminentias applicant. Assatum vel elixum incantatione ligatos solvere; oculos, gestantibus visum acuere; rostrum è collo suspensum, dentium, uvulæ & tonsillarum dolorem curare; Kirandis sunt deliramenta. Idem ferentes ab apibus etiamsi mella earum eximant, non feriri, Plinij. Clavum & cuneum arbori, in qua nidificant infixum, diu non hærere. *f* Foramen verò nidi lapide vel ligno obstructum, herbâ appositâ, seu illa linaria major, seu æthiopis, eundem aperire, pari fide affirmatur.

f *Plin. H. N. l. 10. c. 18. Ælianus H. A. l. 1. c. 45.*

CAP. II.

De Picis in specie.

ARTICULUS I.

De Pico Maximo, Majore, Vario minore Viridi nostrate, Pico luteo Cyanopide, Viridi majore, & Murario.

PICUS MAXIMUS, est omnium longè maximus, cornicis interdum magnitudine, infra gallinam aliquid, & excepto capitis vertice *totus niger*. Plumæ tamen in vertice coccineo vel flammeo colore egregiè micant, & velut cirrhum efficiunt. *Rostrum* habet longum, robustum, digitum parvum, longum, cujus superior pars, quę juxta caput lata eminet, & duas strias, ut fo-

ut folium Cyperi, obtinet. *Linguam* oblongam duram & in extremitate asperam. *Digitos* binos ante & totidem retrò. Ungues recurvos.

PICUM MAJOREM πίπερον Aristoteles vocat. Magnitudine merulam vincit, scribente Aristotele. Is quem Aldrovandus depingit, *rostrum* habet canaliculatum, *linguam* longissimam, musculosam, extremo apice duro nervo aculeatam. *Caudam* robustam, & ob superiores reliquas cooperientes plenas duro calamo donatas & inflexu difficillimas, renitentē. In tota ave triplex color conspicitur. *Plumæ* medio vertice rubicundæ, & saturo cocci colore conspicuæ sunt, quę in fœmella mari alioquin per omnia simili desiderantur. In oculorum ambitu, ventre toto, & alis internis insigni macula albicat. In alis & cauda nigri aliquid conspicitur.

PICVS VARIVS MINOR majori per omnia simillimus est, & prorsus videretur idem. Nisi rubræ illæ maculæ in vertice & Uropygio deessent. *Dorsum* ejus versus lumbos magis quàm superioris varium. Et ex albo nigroq; promiscuè maculatum, lineis interim obscuris transversalibus quæ alarum notis respondere videntur, conspersum est.

PICVS VIRIDIS κολιὸς est Aristotelis, inter Picos quidem eidē non recensitus, inter Picos tamen vel ob solam pedum & Caudę dispositionem (duobus digitis ante & totidem retrò insignitur, & caudam rigidam habet) numerandus. Turturem magnitudine æquat. *Rostrum* habet nigrum, durum, robustum, acutum duos digitos longum. *Caput* crassiusculum in superiori parte ex maculis partim miniaceis, partim nigricantibus variegatum. *Oculos* alia quædam macula nigra ambit, sub qua rubræ illæ maculæ superioribus correspondentes pallidiores sunt. *Dorsum & alæ* virides cum luteo tamen intermixto. *Mentum*, pectus, venter, crura pallidè virescūt, adeò ut ex albo & viridi permisceri videantur. Aestate eum silere ajunt. Ideò cum mense Aprili quidam clamitantem audivisset, hyemem adhuc metuendam prædixit. Altissimas arbores volatu trajicit.

Ossa ipsius tosta in pollinem redacta, & in vino epota validum sunt contra calculum remedium.

PICVS LVTEVS CYANOPVS ex Persia adfertur. Magnitudine à superiore nihil differt; caput tamen & collum crassius, & rostrum prolixius obtinet. Pennæ à medio vertice ad extremum *caudæ* usq; aliquid ferruginei habent, *rostrum* vero omnino ferrugineum. *Pedes* subcærulei, *ungues* nigri, cætera lutea, nisi quod *alarum pennæ* omnes in extremo quodammodo ferrugineæ sint.

PICO VIRIDI MAJORI seu Maximo, Rostrum, quod in omni Picorum genere rectum est, incurvum, pedes ad similitudinem aliorum, varias maculas in alis, tribuit Bellonius. *Aldrovād. Ornith. l. 12. c. 35.* *Bellon. l. 6. de Avib. c. 15.*

PICVS MVRARIVS muris turrium maximè adhæret, & vermiculos in eorum rimis inquirit. Passere domestico paulò major est, sturni ferè crassitie. Rostrum habet oblongum, tenue, nigrum. Caput, collum, dorsum cinerea. Pectus albicans. Alas partim cineras, partim rubeas. Caudam brevem. Digitos pedum longos, tres ante, unum pro calce. Alas *in volatu* semper motitat, nec uno loco insidere novit. In foraminibus parietum *nidulatur*. Suavem *vocem* edit.

ARTICULUS II.

De Pico Cinereo seu Sitta, Pico nidum suspendente, Chlorione Indico & Picis congenere.

PICUS CINEREUS Aristotelis σίππη seu σίττη; aliis ὑλοτόμος quasi materiem contundens, nomine omnib. communi; quibusdam σιμοπύγος & κινάδος, quòd Uropygium motitet; modernis Græcis κορκυνίτης dicitur. Annumeratur Picis, quia eorum more super arbores repit. Caput ei parvum; Oculi exigui; Rostrum longiusculum, nigrum, rotundum Collum, dorsum, alæ,

ale, nec non & cauda superius è plumbeo ad cinereum vergunt: sub collo verò & ventre è castaneo ad ruffum. Cervix ad latera lutescit. Quâ parte inter rostri principium & retrò oculos macula oblonga nigerrima insignitur. *Vivit* maceriem contundens. In foraminibus arborum, quas terra & limo artificiosissimè claudit, angusto aditu sibi relicto, *nidulatur*, & prolem numerosam progignit. Frangit Aquilæ ova. Res malefica ei tribuitur, quasi rerum cognitione calleat.

PICVS NIDVM SVSPENDENS cũ Oriolo, Alberti, Aristotelis Chloreo, & Plinij Chlorione, Galbula seu Galgulo, Ictero, & Bononiensium Regalbula idem esse ab Aldrovando creditur. Modernis Græcis συκοφάγος dicitur. Chloreum & Chlorionem Aristoteles & Plinius appellavere, ut luteum & viridem in ea reperiri colorem innuerent. Junior virescit; adultior aut saltem annua facta alis tantummodo exceptis tota evadit lutea. Magnitudine est par Turturi; colore pro ratione ætatis variat. In juniore rostrum est subfuscum. Adulta inter rostrum & oculos maculam habet nigram. Junior minimè. Illa alas habet nigerrimas, quarum pennę & remiges maximè in extremitatibus suis albescunt: junior superiores pallidas, inferiores nigricantes.

Arist. H. A. l. 9. c. 17. *Idem l. 9. c.* *Plin. H.N. l. 37. c. 10.* *Aldrov. Ornit. l. 12. c. 39.*

Locus. *Locum* si attendas Germaniæ esse peregrinam Gesnerus reliquit. Migratoria verò est. Plinius & Aelianus hyeme eam videri negant; æstivo tempore in conspectum venire, exortu arcturi syderis discedere, & pullis editis Italiam relinquere, adjiciunt. In Helvetia mense Majo apparere incipit, in quibusdam Galliæ locis Martio. Dependens pedibus somnum capit, quia se tutiorem sperat, si Plinio credimus.

Plin. H.N. l. 10. c. 25. *Æel. l. 4. de Animal. c. 47.* *Plin. H.N. l. 10. c. 33.*

Victus. Vermibus more picorum *vescitur*, sed & ficubus. Vnde ipsi συκοφάγοι nomen.

Generatio. Proprium ipsi *nidum* in arboribus suspendere. Constat ille ex musco & lanugine quandoq; ex fœno & culmis nonnunquam, ex cannabe & festucis interdum. Forma ipsi corbis vel calathi ficarij è juncis intexti; vincula de quibus pendet sunt, culmi, junci, fila è lino, serico, setæ equinæ & cætera. Iconem in Aldrovando vide.

Cum *cantillat* orio vel loriot sonat, imminente pluvia fistulæ instar canit. *Vox.*

Vsus ipsius in cibo est & *Medicina*. Pinguescit mirum in modum. Emoritur si ab icterico conspicitur æger, ipsa evadit. Ad Germanos accedens, non amplius nascituras pruinas promittit. *Vsus.* *Plin. H.N. l. 30. c. 11.*

CHLORIO INDICVS maxima sui parte, quin toto corpore luteo est; si coronam verticis & caudæ alarumq; maculas cæruleas, & rostrum pedesq; quæ insigniter rubent excipias.

PICIS CONGENEREM Aldrovandus Marchioni Fachineto debet. Erat, quantum ex pictura conjicere licebat, Coccothraustis magnitudine, rostro luteo, acuto, Picorum haud absimili; vertice, cervice & toto dorso viridi, Vropygio albo, pennis alarum vestitricibus viridibus, remigum superiorib. albis, inferioribus, & cauda cæruleis. Prona pars à rostri initio ad anum usq; coloris cinnaberis erat.

NB. *Picarum genera exotica vide in Mantissa.* N. 5.

CAPUT III.

De Iynge seu Torquilla, Iyngi congenere, & Certhia.

PRopter rostri & linguæ constitutionem, Picis Jynx subjungitur, quam Galenus & Suidas κινναμόλγον Tzetzes σεισοπύγιον & Cinclida, Athi montis incolæ teste Bellonio Alcionem, Theocriti interpres σεισυρίαν, alij Turbinem, Gaza Torquillam vocat. Vincit magnitudine fringillam, Rostrum habet firmum ex plumbeo & nigro permixtum. *Linguæ* aculeum tam acutum & validum, ut humanam cutim haud aliter ac acicula penetret. Ea infra arteriæ summum subit, & supra cranium reflexa, propè nares inseritur. Est autem gemina ubi ab occipitio reflecti incipit, & in syncipite rursus

rursus utræq; partes conveniunt. *Digitos* pedum utrinq; duos habet. *Digitorum* utrobiq; longior alter, cum altero breviore conjungitur. Conspicitur in quavis regione circa arbores.

Victus. *Vescitur* formicis, easq; exertâ linguâ velocissimè aculeo transfixas venari & devorare solet; nec unquam rostro attingit. Dicitur τρίζειν, id est stridere. Sed Ælianus obliquam tibiam voce sua æmulari ait.

Generatio. *Nidulatur* in arborum foraminibus, villis & domibus. Octo vel novem *ova* uno partu excludit. Ægerrimè cicuratur. Si manu teneatur, caput in utramq; partem circumagit. Apud Gesnerum enutrita, accessum hominis ægrè ferebat, collum in sublime erigebat, rostrum sine morsu modo extendebat, modo retrahebat. Plumæ capitis rigebant Caudam erigebat & dilatabat. Vsus ipsius est in cibis.

Aldrov. l. 12 Ornith. c.43. JYNGI CONGENER, quem Aldrovandus describit, magnitudine erat par Jyngis; colore capitis, dorsi, alarum, & totius caudæ ferrugineo; maculis luteis transversalibus distincto, pectore & ventre albicantibus, & lineis luteis per longitudinem exornatis. Tibijs luteis; digitis picorum more oblongis.

CERTHIA, Aristoteli κέρθιον, vel ut Robertus Constantinus opinatur ab astu κερδίον dicta, avicula est exigua, Regulo paulò minor. Rostrum habet arcuatum, in superiori parte longius & crassius. Guttur & pectus candicans; dorsum & alas fulvescentia, nigris maculis ubiq; distincta. Caudam brevem, rigidam, & in extremitate acutam. Vngues valdè aduncos. *Victitat* insectis minoribus. In cavis arborum *nidificat*, & viginti quandoq; *ova* ponit. *Vocem* ipsi claram tribuit Aristoteles. *Arist. H. A. l.9.c.17.* Perpetuò ferè nunc in hanc nunc in illam partem volitat. Toto anno eandem patriam incolit. Arborum ramis fringillaginis instar sese annectit, & Picorum more arbores perreptat. Sagax ipsi in vitæ officijs *ingenium* Aristoteles adscripsit.

* * *

CAP. IV.

De Merope.

MEropis nomen Albertus Pico viridi, Niphus Grallo suo, alij Paro majori, sed malè imposuere. Convenit illi aviculę, cujus vox multiplicem partitionem capit, ideò à μεριστῷ ἐπὸς *a* dicta est; quæque Cretensibus *b* μελισσόφαγος, seu Apiaster, Rasi Alkenius, vel Alkerius; Alberto Muscipula, alijs Riparia, Parra, & Gangrena teste Kiranidis interprete dicitur. Magnitudine sturnum superat, Merulis par est. Aristoteles *c* hoc tantum de illa habet. Pennas ejus inferiores pallidas esse, superiores cæruleas, ut Halcyonis, postremas pinnulas rubras. Plinius *d* Aristotelem secutus, pallido intus colore pennarum, supernè Cyaneo, priori subrutilo esse dixit. Aldrovandus & maris & fœminę descriptionem tradit. Mari rostrum est longum, durũ, ad instar falcis messoriæ arcuatum, & quasi triangulum Iris ita rubescit, ut aliam omnem rubedinem superet. *Fœminæ* color ubicunq; minus intensus. Tergus quodammodo virescens. Linguam habet sublongam & gracilem: oris rictum tam amplum, referente Alberto, ut multas muscas in os ejus humoris insidentes capiat. Vesiculam fellis amplam humore viridi smaragdi instar refertam.

a Prob. in l.4.Georg. *b Bellon. l. de Avibus c.27.* *c H.A. l.9. c.13.* *Descriptio.* *d H.N. l.*

In Creta insula tam vulgaris est, ut nusquam non in ea conspiciatur: reperitur & in Italia. Græcis per continentem, incognitam scribit Bellonius. *Locus.*

Victitat e apibus; ideo *f* Virgilius Meropis nidum propè alvearia prohibet, & cicadis. Sed nec lampsanę, caucalidis, & raparum seminibus, vel tritico abstinet. *Nidificat* in *g* cavernis, interdum *h* ad sex pedum altitudinem, interdum ad quatuor cubitos, defossis. Et sex *i* aut septem pullos parit. *Victus.* *e Arist. H. A. l.9.c.40* *f Georg. l.1.* *g Arist. H. A. l.8.c.1.* *h Plin. H. N. l.10. c.33.* *i Arist. H. A. l.9.c.13.*

Volat gregatim, circa montes qui thymum ferunt frequenter; & cum reliquæ aves quasi sursum ad oculos versus volitent, ille retrorsum caudam versum eum exercet. *Volatus.*

Vox. *Vocem* instar hominis quodammodo edit, qui ore in rotundum clauso sonet grul gruru, urubul, & longè auditur. *Ingenium* & *Mores* si spectes, migratoria est. Pullos ne facilè capiãtur de loco ad locum transfert, & author est Aristoteles esse qui confirment, Meropes parentibus senescentibus vicem reddere; imò eosdẽ quam primum facultas datur, liberorum operâ ali.

Vsus. *Vsus* ejus in *Medicina* aliquis. Fel si cum gallis & oleo omphacino misceatur, firmam capillis nigredinem inducit. Frixa in oleo manus ab apum punctionibus immunes reddit, si credere fas est. Est & alius *Merops* quem Germani Hirundinem marinam vocant. Est superiore paulò longior, & crassior. Rostrum habet nigrum, longum, acutum, & proprius ad falcem messoriam, quàm in illa accedens. A rostro maculam nigram, quæ per oculos retrò ad colli initium usque defertur. Alarum pennæ, variis coloribus insigniuntur. Primæ cæruleæ sunt. Secundæ ex cæruleo & flavo mixtæ, Tertiæ omninò flavæ, remiges nigræ & in extremitatibus rubræ.

CAPUT V.

De Regulo.

REgulus, Græcis Trochilus, Orchilus, Tyrannus, σκλπιγτης, βασιλίσκος, ῥόβιλος τρίκκος, κόρταλος, βασιλισκόν, & Tettigon, in Creta inprimis, alijs Rex Senator, Parra, Bitricus, & Acalanthis dicitur, quæ omnia nomina Passeri Troglodyti communiter tribuũtur. Aristoteles *a* ipsi corpus non amplius tribuit quàm Locustæ, & cristam è pluma elatiuscula rutilam. Quem Aldrovandus describit, à capite ad extremitatem caudæ mensuratus, vix palmum exsuperabat. *Cristam* in fronte erectam colore ferè aureo gerebat, quæ in mortuis non conspicitur. Caput, collum, dorsum, & mediæ alæ ex viridi lutescebant. Remiges nigricabant, & ad latera flavescebant. Propè earum exortum notabilis visebatur macula. Guttur & pectus ex albo flavescebant, venter candicabat. *Fæmellæ* pallidioribus capitis sunt conspicuę. Minores etiam ipsis cristâ pennulæ, quarum caput linea crassa satis velut corona eleganter ambit. In alis duas habent albas maculas, parvam unam, longam alteram, cum mas hãc solam habeat.

a H.A.l.8. c.3.

Hyeme *degunt* in urbibus & foraminibus, reliquo tempore in sylvis, inter fruteta & juniperos. Locus.

Vescuntur b vermiculis, quorum nomine muscæ, formicæ, cossi, & similia insecta intelliguntur. Muscis adeò ingurgitari quidam dicunt, ut aliquãdo de vita periclitentur. Victus. b Arist. H. A.l.8.c.3.

Bis anno *pariunt* & *ova* septem aut sex pisorum ponunt magnitudine. *Volant* solitariæ; & aliqui post migrationes recedunt. Generatio.

Vox ipsorum zinzulare, ut Authori Philomelæ placet. Magni & sicci in hyeme frigoris tempore, præcipuè cantant. Parvitatem corporis ingenij solertiæ in ipsis natura pensavit. Ausu enim magno contra *c* Aquilam pugnare conantur. Cum se proximè quasi manu capiẽdas obtulerint, casso hominis conatu profugiunt. Multi uno specu in hyeme conduntur, ut parvus in tam minimis corporib. calor, societate augeatur. Cum in veruculo igni apponuntur, tametsi nemo vertat, tamen per se convertuntur: scilicet, ubi ea pars, quæ igni obversa fuit, assata est; altera, quæ non est assata, quia gravior, descendit. Motu insolito & cantu quamvis suavi gestientes, quia ariduli vaporosum aërẽ plausibiliter excipiunt, & adventantem humiditatem, quâ refocillentur implorant, pluvias affuturas denotant. Eædem ingruunt, Arato teste, si cava terræ subierint. Vnde floricomis hymenæis infestos dixit Avienus, quia isti sereno cœlo gaudent. Vox. c Aristot. H.A. l.9. c.11. Aratus in Phænomenis.

Datur & alius REGVLVS NON CRISTATVS, qui quandoq; in agro Bononiensi capitur. Similis hic, cristam si excipias, superiori Regulo. Rostrum ei gracile, oblongiusculum, saturrimo atro colore resplendens, interna capacitate, & utraq; mandibula, unà cum linguis rubicundis. Vertex, collum, Dorsum colore bęrico ad flavum

flavum nonnihil vergente. Oculi nigrescentes, quos plumæ cinereæ ambiunt. Alæ & cauda exteriori superna superficie ex fusco ad spadiceum vergunt. Pectus, alæ internæ ac supremæ, caudæq; inferioris initiū sunt flava. Postici digiti unguiculus omnium est maximus; digitus à medio anticorum magnitudine secundus, duo cæteri antici minores & æquales inter se sunt. Mascula alba, quam cristatus habet, in hoc non conspicitur.

CAPUT VI.

De Passere Troglodyte, & Asilo ave.

PAsser Troglodytes, quem Aetius σιλιπιπδα vocat, etsi multò minor Regulo, quod hic pluribus pennis vestiatur, appareat: duplo tamen plus carnis possidet. *Rostrum* habet longiusculum, acutum, supernè fuscum, infernè albidum; *lingulam* admodum exilem, bifidam, continens. Ventrem, collum, ac dorsum ex fusco ad spadiceum inclinante vestitum. Pectus cinereum; Caudam semper subrectam & albo colore interpunctam. *Victitat* vermiculis. *Nidum* sæpius in sylvis, aliquando in posticis ædibus, & stabulis stramine tectis; juxta parietes domuum, & sepes, ex musco foris, ex plumis intus construit. Ovi is erecti, & in altero suo fine consistentis formam habet; in medio latere ostiolum. Per hoc ingreditur, & regreditur. Bis anno parit, & *ova* novem, uno tempore deponit. *Volat* solus, nonnunquam gregatim, semper breviter; & quoties aliam sui generis offendit, eam aggreditur. Mira ipsi *Cantus* inprimis si cicuratur, (cicuratur difficulter) suavitas; quem Majo præsertim, sæpè hyeme exercet. In festo trium Regum, cum omnibus, quos eo anno educavit pullis cantillare Galli fabulantur. Cinis in pulverem exusti, & ex vino bibiti, calculosis opitulatur. Cerebellum in Diasatyrion recipitur.

Bellonius l. 7. de Avib. c. 4.

Quem Bellonius pro *Passere Troglodyte* quemq; Galli Favette ronse à colore fulvo vocant, ponit; Ruticillę admodum est similis, paulò verò minor, corpore oblongiusculo, rostro gracili & oblongiusculo. *Mas* magis quàm fœmina rubet. Vix plus carnis obtinet, quàm digiti extremum. Unus tantum in eo color, qualis in Luscinię cauda. Hyeme non videtur. Nidulatur, sæpè inter dumos hortorum, & in ramis cicutæ; aliquando retrò parietes in urbibus & pagis. *Nidum* ingeniosè intus ex setis equinis cōstruit. Quinq; plærumq; *ova* edit, eaque cinerei coloris, nigro maculati.

ASILUS seu ὄιςος inter aviculas vermivoras ab Aristotele numeratur; quanquam hoc nomen & insecto volatili, quod Equos infestat, tribuatur. Si ea est, quam Bellonius ob parvitatem Philosopho ita vocari scribit, & depingit; habet cristam capitis flavā, rostrum nigrescens, sed in his extremitatibus aliquando luteum, longiusculum, & debile: Caudā, tergus, alarum plicas & extremitates, lutea: crura, pedes, & ungues nigra. *Degit* in umbrosis nemorum locis. *Victitat* bestiolis vivis & grana aversatur. Semper *canit*.

CAPUT VII.

De Hirundinibus in genere.

HIrundo, seu à voce sua, ut Varro credit; seu ab hærendo, quod tectis ædium, vel trabibus, ubi nidificat, adhæreat, dicta, à Græcis χελιδὼν, χελιδὼ, κοπίλλη, κεκρόπις, κωπίλ, ἀτιμίρος, ἀδωνίς, κρίς, & ὀλολυγόνα vocatur. Vagam volucrem Ovidius, Daulidem avem Plutarchus, Bistonis alitem Seneca, Pandione natam alij dixere. *De Generibus* Hirundinum non conveniunt authores. Aristoteles, *a Domesticas, Apodes, & Falcuas* agnoscit. Plinius, *b Domesticas, Rusticas, Apodes, & Riparias*. Gesnerus, *c Domesticas, Sylvestres & Riparias*. Scaliger, *d vulgares nigras. Subfulvas*, simili formâ in ripis nidificantes. Quater illis grādiores, toto corpore atras, fœdissima facie, crurib. brevissimis, crassissimis,

a Plin. in H.A.
b H.N.l. 10.c.33.
c in Ornit.
d Ex. 228.

hirtis; & *Buteonis* magnitudine, sed facie nullo modo ab his dissimili. Dantur & albæ, seu quod præ nimio *e* frigore albescant; seu quòd canescant ante tempus, *f* ut alia quædam animalia, seu quod artificio tales evadãt. Si quis albas, inquit Aldrovandus, *g* desideret, ova earum dum cubant, olivâ illinat.

e *Arist. H. A. l. 3. c. 12.*
f *Arist. l. de coloris.*
g *Ornith. l. 17. c. 6.*

Descriptio. *Descriptione* longa opus nõ est. Formæ est gratæ, nigredinis decentissimæ, modicæ carnis, plumarum multarum. Albedo totum cingit ventrẽ; hinc ποικίλη Aristophani. Color cæruleus, ad latera per caput alasq; refulget, unde Cyanea Simonidi. Rubedo sub gutture potissimum & pectore emicat. Unde Ovidius.

—— *Neq; adhuc de pectore cædis*
Excessere notæ, signataq; sanguine pluma est.

Oculi eruti *h* renascuntur, seu quod pullorum acu puncti visum recipiant, quod Aelianus *i* de alba in Samo nascente ab Aristotele proditum ait; seu quod laceratis eorum oculis, alij subnascantur, ut nonnulli prodidere. *Cauda* est bifurcata, & longa. *Pedes* breves nigri & debiles. *Interna* si spectentur, *k fel* alijs ventri, alijs intestino adhæret. *Ventriculus* ipsis longior. In dissectis pullorum qui primo partu exclusi sunt, ventriculis lunâ crescente, lapilli, chelidonij dicti, magicis narrati artibus reperiuntur. De colore non constat. Nigrum & album Trallianus, *l* candidum & rubenti colore *m* Plinius, varium & parvum *n* Dioscorides, prodidere. Aldrovandus, unum intus albicãtem, extra melinum, alterum subrubentem habuit.

h *Plin. H. N. l. 12. c. 37.*
Ælian. H. A. l. 2. c. 3.
i *Ælian. H. A. l. 17. c. 2.*
k *Arist. H. A. l. 2. cap. ult.*
l *Trallian. l. 1. c. 15.*
m *Plin. H. N. l. 11. c. 17*
n *Dioscor. l. 2. c. 49.*

Locus. In nulla non regione inveniuntur. A Thebarum *o* duntaxat, quod urbs illa sæpius capta sit, & Biziæ in Thracia, propter Therei scelera, abhorrent. In Ægypto perennant, nostræ hyeme mense Septembre seu Octobre vel conduntur, vel in vicina tepidiora *p* loca abeunt. Inventæ multæ in apricis montium recessibus nudæ atque deplumes. In quadam Germaniæ superioris sylva, incisa quercus putrida, plena Hirundinibus inventa

o *Plin. H. A. l. 10. c. 24.*
p *Aristot. H. A. l. 8. c. 16.*

est. In Septentrionalibus locis inter cannas descensuræ, sese colligant, & sæpissimè in modum conglomeratæ massæ, à piscatoribus extrahuntur, & in æstuaria deportatæ, caloris accessu resolutæ, volare incipiunt, sed exiguo tempore durant. Redeunt sub veris initium: ideò à Rhodijs sub hyemis finem invitantur. Et Calpurnius illis visis oves ab hybernis stabulis educi jubet. Easdem redire indicio observatum. Migraturæ † cum rubro filo pedi alligato dimissæ sunt, idem retulere reduces.

† *Vossius de Idolol. l. 3. c. 82.*

Victitant insectis, ut cicadis, ideò eas in ędibus haberi vetabat *q* Pythagoras; apibus, unde nidos earum alveis propinquos tolli, Aristoteles *r* jubet; muscis, culicibus, papilionibus, & aliis. Carne vesci, credidit *s* Aristoteles, an granis dubitatur.

Victus.
q *Plut. l. 8 Sap. q. 7.*
r *H. A. l. 9. c. 40.*
s *H. A. l. 8. c. 3.*

De artificiosa *Nidorum* structura, in sequentibus dicemus. Quantum ad *coitum t* cum cæteræ aves in eo à maribus conscendantur, Hirundines, contrario quàm aliæ modo miscẽtur, aversæ nempe. Bis anno, *u* quinq, semel ova, magnitudine olivæ, ferrugineis maculis conspersa pariunt, nec plura utero gerunt. Primi partus, injuria frigoris (prima namq; parit) corrumpuntur; posteriore pullos, sed cœcos proferunt. *Fœtus educatio* summâ peragitur à mare & fœmina æquitate. *x* Alterant cibum, *z* & à primo natu, finitur in ultimo. *a* Nil amplius, qui accepto cibo locum mutavit, accipit, donec in pristinum redierit. Hesiodus citante Ælianò, dimidium tantummodo somnum perficere ait.

Generatio.
t *H. Aelian. H. A. l. 2. c. 3*
u *Arist. H. A. l. 6. c. 5.*
x *Plin. H. A. l. 10. c. 33.*
z *Ælian. H. A. l. 3. c. 25.*
a *Oppian. in Cyneg.*

Vox ipsarum per fritinnire, thrinsare vel drinzare, zinzilulare, minurizare, à latinis; per ψιτυρίζειν, πιπυβίζειν, & πιπίζειν à Græcis, exprimitur. Canunt stantes; aliquando in volatu clamant breve & abruptum quiddam. Manè & tempore coitus magis strepunt.

Vox.

Rarissimè propter pedum debilitatem & brevitatem *incedunt*. Volucrum *b* verò solis, flexuosi volatus, velox celeritas, quibus ex causis neq; rapinæ cæterarum avium obnoxiæ sunt.

b *Plin H. N. l. 10. c. 33.*

Ingenium & in eo qui quidem quod cicu-

Ingenium.

cicurari nequeant pullis Chelidonia applicata, visum restituant, blattas ovis infestas apio fugent, & postquam pullos à serpente laniatos † animadverterint, circa ejus maxillas se tamdiu, donec conficiantur, volvant; testantur; sed in Nidorum structura maximè. c Hos luto construunt, stramento roborant. Si quando inopia est luti, madefactis multâ aquâ pennis, pulverem spargunt. Ipsum verò nidum mollibus plumis floccisq; consternunt, tepefaciendis ovis, simul ne durus sit infantibus pullis.

† Oppian. Halieut. l. 5.

c Plin. H. N. l. 10. c. 33.

Præsagiũ Putantur pluvias *præsagire*, cum circa lacus ita proximè volitãt, ut etiam ventre contingant; vel hac & illac volantes parietibus subinde hærent; vel usque adeò humiles feruntur, ut pedibus humum verrere videantur; seu quòd tum muscas & alia animalia venentur; seu quod commotam sursum auram perhorrescentes deorsum pavitent.

Affectus. Quantum ad *Sympathiam* vel *Antipathiam*, vix aliquos videntur, vel amicos vel hostes habere. Cum passeribus tamen, qui initio veris earum prę-occupare nidos conantur, pugnant, & observatum Coloniæ, Hirundinem cum Passerem ejicere non posset, stridore suo multas convocasse. Hæ cum impetu advolãtes, luto, quod ore singulæ gerebant, nidi foramen obstruxere. Passer inclusus suffocatus est.

Vsus. *Vsus* ipsarum pullorum inprimis sylvestrium *in Medicina* maximus. Cor cum melle devoratũ, quartanas pellit. Lapilli, croceo linteo involuti, linoq; ad collum suspensi, easdem tollunt. Caput matutino pascenti præcisum, & lunâ plenâ lineo panno adalligatum; capitis medetur doloribus. Idem lapilli si manu singuli teneantur, faciunt, si Marcello credimus. Aqua hirundinum destillata Epilepticos sublevat. Lapilli ad brachia alligati, si Sexto credimus, eosdem sonãt. Nec malè fimus cum aceto & castoreo à quibusdam iisdem exhibetur. Stercus cum felle taurino inunctum capillos denigrat. Fel & sanguis mirè caliginibus prosunt. Idem, si tepidò applicetur, oculum ictu læsum restituit. Celebris nidorum in angina usus, sed & crematarum cinis eandem discutit.

CAP. VIII.

De Hirundinibus in specie.

ARTICULUS I.

De Hirundine Agresti, & Riparia.

HIrundo *agrestis*, quam Plinius *Rusticam* vocat, in capite, collo & dorso, hirundinis domesticæ est colore. Sub rostro, gutture, & toto ventre ad caudam usque candicat. Pedes habet pennis obsitos. Sed & maculam propè caudam albam tantę magnitudinis, ut dũ volat, nihil in ea nigredinis, caudæ extremitates, caput, alas, & dorsum si excipias, appareat. His notis à domesticâ distinguitur. Caudam quidem etiam bifurcatã habet, sed longissimis illis, quæ in domestica visuntur, destituitur. Raræ sunt in domibus. Diversos figurâ, sed eadem materia confingunt nidos. Totos supinos, faucib. porrectis in angustum, utero capaci; mirum qua peritia, & occultandis habiles pullis, & substernendis molles. In Ægypti Heracleotico ostio molem continuatione nidorum evaganti Nilo inexpugnabilem opponunt; stadij ferè unius spacio; quod humano opere perfici non posset. In eadem juxta oppidum Coptom insula est sacra Isidi, quam ne laceret amnis idem, muniunt opere, incipientibus diebus vernis palea & stramento, rostrum ejus firmantes, continuatis per triduum noctib., tanto labore, ut multas in opere emori constet. Ea militia illis cum anno redit semper.

Plin. H. N. l. 10. c. 33.

Idem ibid.

RIPARIA Marcello Empirico Ripariola, Gazæ Falcula, Græcis Drepanis dicitur. Fœmina pronè præter pectus candicat, supinè fusca est: mas verò magis nigricat, collo toto, præterquam sub rostro, ubi macula est, lutescens. Hoc tantum cum Hirundinibus omnibus commune habet,

quòd pedibus sit curtis, multum volet, & insecta in volatu capiat. *Nidos* non faciunt. Ripas excavant, atq; ita internidificant. Aldrovandus illatis tantum plumis & stramentis nidulari audivit. Aestate tantum apparent, mense Augusto cum Sol est in Leone, & cum imber incessit. Eo tempore pariunt, cumque pulli convaluerint, moriuntur. Plinius, migrare multis diebus antequam futurum est, ut amnis auctus attingat ejus nidum, author est. Huc refer Hirundinem MARINAM aucupibus Italis dictam, quę corpore est major, pedibus longioribus, ventre toto ad pectus usq; candicante, capite, alis, & dorso fuscescentibus, Rostro robusto, nigro; Rictu maximo eoq; coccineo. Caudâ bifurcata, pedibus aterrimis. A rostro per oculos ad pectus ferè usque notabilis linea atra defertur, & velut torquem propè pectus constituit.

NB. *De Hirundine exotica vide Mantissam.* Num. 11.

ARTICULUS II.

De Apode.

APos, alijs κύψελος, nonnullis *Hirundo marina* vocatur. Est toto corpore plumis egregiè munita, unius coloris, qualis in murium pilis, conspicitur. Caput habet supra admodum latum; collum brevissimum, rictum adeò amplum, ut integros scarabeos deglutiat, rostrum exiguum, nigrum, alas longas, caudam bifurcatam, crura breviscula, ad digitos usque pennis obsita, ad rependum potius quàm insistendum facta. Digitos utrinque binos, ut in Picis Martiis, unguibus acutis armatos, quibus quod rapuit adeò constringit, ut id perfodiat.

Victitat insectis per aëra volantibus, eaque nisi volans capit & edit. *Oculorũ* verò acie ita valet, ut per mille passus muscam observet, & subitò insequatur. *Volant* plurimum, & gregatim, arcus tensi figura, sæpè alas non movendo. Hæ sunt quæ toto mari cernuntur, nec unquam tam longo naves tamq; continuo cursu recedunt à terra, ut non circumvolitent eas Apodes. Cætera genera resident, & insistunt: his quies nisi in nido nulla, aut pendent aut jacent. Nidificant in foraminibus turrium. Visæ & in speculis & abruptis fluminum littoribus. Fœtus earum Bononiæ magno væneunt.

Plin. H.N. l.10.c.39.

CAPUT IX.

De Vpupa.

UPupam avem, quæ Græcis communiter ἔποψ, Orus Cucupham, alij σήτην, ἀλεκτρύονα, γέλασον, κυκύφαν, Phylincopteron, Agriopetinon, & ἀγριοκόκορον appellant. Magnitudine *a* paululum Coturnicem excedit. Color in ea cinereus albus & nigricans, quem mutat autumnò inprimis. Unde apud Aeschylum δύο μορφὴς φάνειν dicitur. *Rostrum* ei nigrum, rotundiusculum, falcatum, parumper à lateribus depressum. *Capiti* plicatilem *b* cristam, τριλοφίαν Græci dicunt, ex viginti sex plumis constantem, dedit natura, quæ per medium caput à rostro residet, & per capitis longitudinem pro avis arbitrio, surrigitur & contrahitur. Hinc μακρεσκεφαν, & κορυθαίολος poëtis cognominatur. Fit id beneficio *c* musculi, qui inter verticem capitis & rostri initium in quodam cavo locatus, totus cõtinuus, à verticis extremo, & frontis carnosiore initio nascitur, & utrinq; supra nares, infima parte carnosior, & rubicundus, extima & suprema, cui cristæ plumulæ profundè implantantur, membranosus magis, ac cutaneus, desinit. *Lingua* ipsi parva, trigona, initio lata, extremo, instar æqualium laterum trianguli acuta, in profundo latitat. *Aspera arteria* initio divaricationum, quibus in pulmones utrosque finitur, duo velut oscula, extrinsecus laryngis vicem supplentia exhibet, quibus pellicula tenuissima prætenditur. Annuli semicirculares in utrumque latus terminati, nequaquam internâ parte coeunt, sed tota interior facies hiat, subtilissimâ membrana obtenta tãtummodò cooperta, quæ aëre & spiritu copioso, vocis efformandæ ac edendæ gratia,

a Pausan. V.G.

b Plin. H. N. l. 10. c. 24.

c Aldrov. Ornithol. l. 17. c. 11.

tia, concepto, in amplum distendi potest.

Locus. Montes & sylvas *incolere* Aristoteles *d* testatur. In sepulchris, & humano stercore commorari Isidorus. Rarius arboribus insidere, sæpius in terra, maximè ubi immundicies est, experientia. Plurimo anni tempore, in montium angustis, & arborum cavis locis latitat. Ideò verno tempore deplumis solet conspici.

d H.A.l.9. c.11.

Victus. *Vescitur* myrti baccis, vermibus, formicis, muscis. Uvis sæpè tam immodicè, ut ebria evadat. De *Nido* non convenit inter Authores, nec sibi constat Aristoteles. Gesnerus sub stipitibus arborum. Olaus M. *e* in paludum tuberibus nidificari tradit. Hic *f* modo nidum luti vice stercore humano, seu ut intolerabili odore fœditate homines ab eodem fuget; seu ne venenata ad eundem animalia accedant, circumlinire; modò, stipites arborũ subire, & sine ullo instrumento in cavis parere, scribit. Terna *ova* Perdicum similia, *g* sed minora, duriora, aspectu deformiora, & odoratu graviora, parit.

Genera. *tio.*

e l.29.c.21

f H.A.l.9. c.15.

Ælian.l.6. de Animal. c.1.

g Anglicus l.119.c.112

Volatus. Lentè admodum *volat.*

Vox. Vox ipsi per æstatem alia, alia per hyemem, si Alberto credendum; si Polluci *h* πωπίζει semper, si poëtis, πῦ πῦ semper clamitat. Si gemit, pluviam indicat. Si clamat, vulpem in vepretis hærere innuit. Si ante vitium tempus canit, insignem vini copiam prænunciat.

h l.5.c.13.

Ingeniũ. *Ingenio* non destitui certum, si ex uvarum esu ebria adiantum herbam ori inserere; & circumambulando sibi mederi, gramen adversus βασκανίαν edere; clausum nidum, herba quadam, prodente *i* Ælianio aperire, verum est. Senescentes, inter pullos jam adultos plumas deponunt, & visum amittunt. Ab ijsdem, donec vires recuperent, pascuntur. Visus admota herba, restituitur.

i Ælian de Animalib. l.3.c.26.

Vsus. Invenit & in *Medicina usum.* Cor in lateris doloribus laudatur. Mira in somnijs videbis, si sanguine tempora illeveris. Lingua oblivioso suspensa prodest. Pennarum suffitus vermes expellit. Corium capiti impositum dolorem sedat. Ala dextra cum dente hominis ad caput dormientis suspensa, non expergisci, donec auferatur, fabulam esse credo.

CAP. X.

De Paris in genere, & in specie.

PArus, Aegithalus, Parix, & Parula dicitur. Tria ejus *Genera* agnoscit Aristoteles; plura adjiciũt alij. Omnibus juxta oculos maculæ albæ sunt. Unguibus etiam omnes reptare, & facilè, ubi volant, adhærere possunt, ita ut nucem è filo illis suspensam adhærescentes comedant.

Semper ferè in arboribus *degunt*; rarò terram petunt. Ad Belgas & Anglos quotannis sub initium Octobris accedunt. *Locus.*

Vescuntur muribus cute tantum detracta. Objectis, vermibus, apibus, nucibus, cãnabino semine, quod dum rostro perforant, sonum fabri malleum in asserm adigentis excitant, Sebum eis exhibetur, ut lentore fauces demulceantur, & suavius canant. *Victus.* *& Vox.*

Nidificant in cavis arborum quidam, nonnullæ nidos de arborum ramis miro artificio suspendunt. *Ova* plurima edere scripsit Aristotêles. Gregatim & impetuosè volant. Tinnire per noctem author Philomelę scribit. Veniunt apud Helvetios in cibum, & regium morbum, patientis aspectu in se, si nonnullis credimus, recipiunt. *Genera-tio.* Arist. H.A. l.9.c.15.

Species Parorum sunt, *Major, Palustris, Sylvaticus, Ater, Cæruleus, Caudatus, & Cristatus.*

PARVS major Aristoteli αἰγίθαλος & ἀπιζίτης, Turnero & Longolio Parus Carbonarius, Gazæ Fringillago vocatur. Coloribus quinq; viridi, luteo, albo, nigro, & cæruleo elegantissimè variat. *Caput* integit vitta, præ intenso nigrore instar corvi resplendens. Tempora & oculorum ambitus albẽt. *Lingua* extrema in duas partes fissa est, quarum utraq; denuò in exigua quasi capillamenta subdividitur. *Cauda* est bifida, partim cinerea, partim nigra; cujus extremæ utrinque pennæ duæ, exte-

Aldrov. l. 17. Ornit. c.13.

exteriori parte candent. Propter cantus suavitatem alitur, eumque per totum continuat. Pulverizatus colicos & nephriticos cruciatus tollit.

PARVS INDICVS tribus potissimum coloribus, oculos si excipias, cęruleo, albo, & nigro constabat. Guttur, pectus, & totus venter candicabat. Vertex capitis & collum coloris erant cærulei diluti Pedes nigerrimi.

PARUS PALUSTRIS in agro Bononiensi Paronzino, Bellonio, quartum Pari genus, Turnero Schæniclos Aristotelis dicitur. Capite est prorsus nigro, ut à Gesnero describitur; pectore & ventre albicat. Dorso & cauda frigescit, crura sunt rosea.

SYLVATICVS macula per medium verticem rubente est conspicuus, partibus utrinq; nigris, crusculis fuscis, alis nigricantibus, reliquo corpore viridis, ventre dilutius.

ATER qui & *Carbonarius*, albam maculam infra oculos habet, aliam in occipitio, caput nigrum, ventrem luteum, crura fusca.

CAERVLEVS ab Aristotele tertio loco, & absq; nomine peculiari positus, quod solus cæruleo capite sit insignis, ita dicitur.

CAVDATVS Aristoteli ὀρεινὸς, Bellonio Monticola, alijs, sed male, ἀνώνυμος vocatur. Niger est, parte pronâ, albus supina, in medijs alis rubet, circa imum ventrem dilutius. Vertex ei albus, rostrum fuscum, cauda bifurcata, & tantæ longitudinis, ut retrò per tergus super caput posita, hoc longitudine sua vincat. In fœmina omnia sunt pallidiora, & color tergoris in mare castaneus, in hac fermè fuscescit. *Incolit* montes & sylvas, & rarò, nisi frigido tempore invenitur. *Vescitur* vermibus, araneis, & similibus animalculis. Sed & arborum germina principio veris amputat. Nidum struit inter frutices, duos ferè palmos cum dimidio longum, ex musco & araneorum filis compositum, aditu semper angusto.

Arist. H. A. l. 7. c. 23. Bellon. l. 7. c. 25.

Species quæ *Mourier* Gallis audit, rotundum aditu gemino ad arboris alicujus truncum suspendit, & multa ova parit. Visus ex lanugine illa, quæ in salice vetusta & populo, extra ex lino aut cannabe extructus. Quē Aldrovandus à Presbytero quodam Coloniensi descriptum exhibet, avicula est Wyntepfker, quasi vini promum Colonienses dicunt.

Volant Pari caudati invicem, & modò hāc, modò illam petunt arborem. *Vox* ipsis non ita incondita; altum verò veris inprimis tempore clamant. *CRISTATO* magnitudo est Paro majore minor, montano par. Caput cum paucis punctis albis nigrum, crista retrò extensa, corpus pronum fuscum, pectus album, crura cinerea. Degit circa abietes & Juniperos.

CAPUT XI.

De Motacillis, & Muscicapis.

MOtacilla, Hesychio κίλλος & σεισσουγίς, à motitatione caudæ dicta, à quibusdam cauda tremula vocatur. Commune omnibus muscis vesci; & circa aquas & pecora, ideò versari: combustarum pulverem contra lapidem vesicæ vehementer laudari Faventinus & Massa reliquere. Species ipsarum sunt *Alba* & *Flava*, ad quas *Spipolæ*, Spardæ, & aliæ *Muscicapæ* referri possunt.

Aldrovānd. Ornithol. l. 18. c. 22.

ALBA, quæ & communis Gazę Albicula, Bellonio Aristotelis Cnipologus, sed fortè malè, avicula est oblonga, vertice, collo superiore & pectore nigris, dorso cinereo, rostro lō iusculo, tenui, nigro, gula candida, ventre toto candido. Fœmella vertice est cinereo, gula lutescente, cætera mari similis. Versatur circa aquas: sæpè & aratrum vermium causa sequitur.

FLAVA duplex est. *Alteri* caput proportione parvum, fuscū: rostrum longiusculum, nigricans. Cranium mollissimum, alæ breves, venter cum paucissimo luteo albicans, qui color initio caudæ inferius intensior est. Pennæ in alis nigricantes, in medio per transversum albidæ, extremæ totę nigrę, cauda bifurcata, reliquo corpore longior. Ab Accipitre persequen-

quente si evaserit, egregiè cantare dicitur. *Alteri* rostrum grac le, atrum, in extremo parum recurvum, flavedo à gula ad podicem usque præcedente intensior. Caput & dorsum ferruginei fermè coloris, mentum albicante macula velut ba ba canâ vestitum.

SPIPOLARUM, ut aucupes Bononienses appellant, tres describit Aldrovandus species. *Vna* habebat caput leucophęum, albam sub mento maculam, pectus rubicundum. Dorsum cinereum, ventrem ex rubicundo & albo varium. *Altera* pectus maculis fuscis deorsum descendentibus interstinctum, ventrem albescentem, maculam retrò ad oculos majusculam ad ferrugineum accedẽtem. *Tertia* cui & Boarinæ nomen, tota erat ex albo lutescens, rostro & pedibus fuscescentibus. *l. 18. Orthol. cap. 26.27.*

STOPAROLAS idem exhibet binas; unam pectore & ventre ferè candido; Capite, quod maculis nigris in vertice, conspergitur, collo, tergore, cauda subfuscis: *alteram* rostro oblongo, recto, supra tamen parumper *declivi*, superius nigro, inferius corneo: collo, pectore, & ventre pallidis, oculis exiguis.

MUSCICAPARUM, quæ fortè Oppiano, quòd circa boves volitent βοῦται, plures exponuntur ab eodem species; ex quibus illa quam Pigliamosche aucupibus Italis vocari scribit, in collo maculam albam velut torquem habet, in medio alarum aliam: *Altera*, Magnanima quasi munus fabri obiẽs dicitur, fortè quod rostro sonorè tundat, dum Muscas capit. *Tertia* quæ Gesnero Glarea, cruribus roseis, & ante hyemem avolat. *Quarta quam* Germani **Todtenvogel** vocant, fortè quod imm nente pestilentia sint frequentiores, solitaria est & per arbores irrequieta volitat. *Quinta* Gallis Mouchet olle dicta, quæ passeri adeò similis est, ut non nisi moribus dum vivit; & rostro cum mortua est ab eo distinguatur. In sylvis & dumetis latitat; & crura habet rosacea. Quidam Linarijs eas comparant. Gesnerus eandem cum sua Prunella esse conjicit. *l. 18. Ornithol. c. 28.*

CAPUT XII.

De Rubetra, Rubecula, Pyrrhula, & Phænicuro.

QUæ Aristoteli Græcè βατὶς, illam Gaza Latinè RUBETRAM, Scaliger Rubicolam transtulit. Non convenit de ea inter Authores. Niphus Italorum Baradã esse opinatur. Germani quidam Turdorum minimum genus quod rub fructu victitat: Longolius Linariam seu Miliariam; Turnerus Anglorum Moretetteram, aut Stonchatteram; Bellonius Gallorum Traquetum, quod continuò alas motitet. Si hunc sequimur, fringillâ paulò minor est. Capite supremo nigricat, unde Melanocephalos Cretensibus dicitur. *Collum* & dorsum habet cinerea. *Mas* à fœmina discrepat, quoniam ventre candicat, dorso, capite, & collo albicat, gerit & albam per alas lineam. In Græcia, Creta & Gallia continuò, migratoria enim non est, visitur, & semper dumetorum cacuminibus insidet. Undè fortè ei apud Græcos nomen, nec ad pagos vel vicos propius accedit. Solitudine gaudet, & gregatim duntaxat, dum soboli intenta est, volare conspicitur. *Nidum* tantâ struit industria, ut difficulter quo intret vel exeat invenias. *Aristi. l. 8. H. A. c. 3. Scalig. ad l. 8. H. A.*

RVBECVLA, quæ Græcis ἐρίθακος, ἐρίθευς, ἐρίθυλος, ἐρίθεια, & δάνδαλος, Gazæ etiam Sylvia, pectore est aurantio ad ferrugineum accedente, lingua bifida, cauda duodecim pennis instructa, quam sæpè motitat, post quam submiserit absque tremore statim erigit, & sic ejus pulli à Phænicuri, seu Ruticillæ fœmina, & pullis, quibus ita similes sunt, ut vix ab oculatissimo dignosci possint, quæ simul atque caudam moverint non cessant, donec ter aut quater simul moverint, dignoscuntur. Aestate cum prole ad desertissima quæque loca secedit, cum Ruticilla cõparet. In fine Autumni perfectam in pectora rubedinem nacta, ad oppida & pagos confugit, quo tempore *Hesych. & Phavorin. Lex.*

Ruticilla delitescit. Nunquam ferè in eodem saltu nisi una reperitur; unde Phavorino ὄρνεον μονῆρες καὶ μονότροφον, & natum inde illud, una arbor non capit duos Erithacos. *Voce* homines imitari, prodidit Porphyrius. Si cava terræ subierit, pluviam prædicit. Merulam amore tanto prosequitur, ut noctu ferè in proxima arbore propè eam quiescat. Dicitur & morbo comitiali esse obnoxia.

Porphyr. l. 3 de abstin. ab animal.

Aldrovād. Ornith. l. 17. c. 31. 32. Scalig. ad l. 8. Arist. H. A.

PYRRHVLA seu Rubicilla, Scaligero Byrriola passeris est magnitudine; gula, pectore & ventre, miniaceis seu purpureis (fœminæ pectus totum castaneo cinereo colore diluitur) rostro brevi ac lato, bituminis instar splendente, trigono ferme. Linguâ pro corporis magnitudine latiore & crassiore; cujus pars extrema quæ palatum tangit, & sapores dijudicat carnea est & nuda, reliquæ corneâ pellicula obtèguntur. Degit æstate in montibus & sylvis; sub hyemem ad plana descendit, & facillimè capitur. Colorem per totum annum servat. *Vescitur* vermiculis; sed inprimis semine cannabinò, & primis illis arborum mali præsertim & pyri gemmis, quæ ante folia & flores erumpunt. Sed & nucibus ac acinis rubentibus sambuci aquatici, & solani perpetui, delectatur. *Nidulatur* in sepibus & quatuor ova excludit. *Voce* fistulam imitatur etiam fœmina, & omnes cantus avium canendo & sibilando exprimit: fortè & humanum sermonem.

Arist. l. 9. H. A. c. 49.

PHOENICVRI seu Ruticillę, quā Aristoteles & Plinius cum Erithaco confundunt, plura fortassis sunt *genera*. Turnerus enim caput scribit ei esse nigrum, Gesnerus macula alba insigne. Aldrovandus quatuor diversas observavit, binas ijsdem ex Gesnero adjecit. Tota æstate nobiscum degit, hyeme avolat, aut se abscondit. *Vescitur* muscis, nucleis juglandium concisis, ovis formicarum & araneis. *Nidulatur* in arborum, murorum, & posticarum ædium, ubi hominum minor frequentia, cavis. Bina aut terna *ova* parit. Cuculi pullum, qui aliquando in ejus repertus fuit nido, alit. In sublimi aliquo ædificio, primo inprimis diluculo, idque veris tempore, *canit*. Hyeme & pullis exclusis silet. Inter incubandum prætereunte aliquo clamitat.

CAPVT XIII.

De Antho, Cannevarola Bononiensium, Oenante, & Luściniola.

ANTHI avis, quem Florum Gaza vertit, facit mentionem Aristoteles, eidemque fringillæ magnitudinem, pedes fissos, pulchrum colorem, domicilium circa aquas & pecudes; victum ex herbis & vermiculis facilem, oculorum imbecillitatem, hinnitum equorum, quem herbę pabulo, adventu ipsorum pulsa imitatur, adhunc modum se ulciscēs, odium cum Spino & Aegitho tantum, ut sanguinem eorum credant non coire, multisque ob id veneficijs infament, tribuit. Quænam illa hodiè sit avis, non convenit inter scriptores. Bellonius illam quæ Gallis Bruant dicitur, esse credit, illamque fringilla esse majorem, mares ferè lutescere, cauda flavescere, cruribus & pedibus nonnihil rubescere, circa altas & proceras arbores procul à pratis dissitas versari, plerumque canabino semine vesci, ad minimum quinque pullos excludere, dum volat strepitum edere, scribit. Aldrovandus, qui modo descriptam avem Chloridem esse putat, spipolam esse judicat, cum & pulchra sit, & omnia ferè ea, quæ Antho Aristoteles adscribit, admittat. Circa amnes, inquit, & prata uliginosa degit, & si ab equis ibi pascentibus pellatur, aufugit quodam cum garritu, quo, hinnitum equi quodammodo imitari videtur. Gesnerus denique illam Aviculam quam circa Argentoratum Gaulammer vocant, Aristotelis Anthum esse conjicit.

Plin. H. N. l. 10. c. 42. & 74.

Aldrov. l. 17. c. 33.

CANNEVAROLA Bononiensium, quòd in viridi crescentęq; cannabe & niduletur, & degat sic dicta, Germanorum Crasmuscho, & Anglorum Titlingæ, si Aldrovando credimus, per omnia similis est. Luściniā tam

tam exactè corporis figurâ exprimit, ut nisi paulò esset minor, ne tam ruffesceret, prorsus eadem videretur. Tota parte pronâ, gula nempè, pectore, & ventre ex albo flavescit, supinè capite, collo, dorso, & alis ex luteo fuscescit. Rostrum habet lutescens longiusculum. Caput planum. Caudam breviusculam infra lutescentem, supra ad ferrugineum vergentem.

Arist. H. A. l. 9. c. 49. Plin. H. N. l. 10. c. 29. OENANTHE Aristoteli & Plinio memorata, Gazæ vitiflora seu vitifera, vel à colore simili uvis germinantibus; vel quòd vini tempore appareat, vel quod uvis delectetur, ita dicitur. Abdit se sub caniculæ exortum, eâdem occidente conspicitur. Vitat interdum frigus interdum æstū. Quęnam sit avicula ambigitur. Bellonius illam esse credit, quæ Gallis, Cul blāc, Italis Culo bianco dicitur. Avis est Sittæ magnitudine; rostro, alis, cruribus, & caudæ extremitate nigris; dorso cinereo; linguâ oblonga ac plana, pedib. parvis: cruribus oblongiusculis. Quia quicquid sub ventre, infra, & supra Vropygium, & anteriorem partem caudæ album est, Cul blanc vulgo vocatur. *Versatur* in parvis dumetis, neque in *volatu* perseverat. *Nidulatur* in foraminibus veteris maceriæ, quandoque etiam in lapidicinis, quin & in terra, ubi bos aut aliquod jumentum vestigium impressit. *Vescitur* erucis & vermibus terræ. Plures Couli blanci descriptiones apud Aldrovandum vide.

Aldro. Ornith. l. 17. c. 38.

Quam Bellonius LVSCINIOLAM appellat, avis non est obvia. Pectore, capite, dorso, & collo pecteris est cinerei. Pennæ alarum, & caudæ fuscæ; rostrum acutum, subnigrum, gracile, in extremo & intus aureum, celeriter per terram cursitat. Numerosè quando æstus ingravescit, & potandi gratia in palustria sese conferūt, capiuntur. Huc refer illam, quam aucupes Itali *Giarolam* vocant, magnitudine alaudæ. Rostrum habet fragile, intus rubicundum. *Rictum* admodum amplum. Verticem, collum, dorsum, & alas coloris varij. *Linguam* bifidam, *Caudam* adeò brevem, ut vix ulla appareat, illamque bifidam, variam, angustissimis plumulis compositam. In pedibus posticus digitus admodum longus, paris longitudinis unguem annexum habet, ita ut ambo pollicem expleant, isque primum rectus ferè totus, extremo tantum, admodum exiguo unco modicè inflexo, armatur.

TITVLVS II.

De Insectivoris Canoris.

CAPUT I.

De Luscinia.

INter Insectivoras Canoras primum *Luscinia*, alterum *Hypolaidi*, tertium *Atricapillæ* locum tradimus. Causa in voce patebit. Illa Græcis Ἀηδὼν & Ἀηδὼ: Latinis, seu quod in lucis canat, seu quod ante lucem, seu quod lugens Luscinia; sed & Acredula, volucris Attica, Ales Daulia, Pandionia &c. dicitur. *Nomen.*

Formam non est quod describam, cum ubique sint obviæ. *Linguæ* summo acumine caret, nec tenuitatem illam primam habet, quam cæteræ aves, atque hoc illi cum Atricapilla commune intercedit. *Mari* fœmina corporis habitu similis, aliquando tamen ad cinereum vergens, quod & junioribus competit. Illa quam Schwenkfeldius majorem vocat, tota ferè cinerea est, & parum rubedinis obtinet. *Sexum* malè ex corpore coloris, mole, oculo dextro, qui mari major dicitur, collegeris: *Mares* adulti vere capti, quod tum in venerem ruentibus genitalia turgeant sese produnt; extra id tempus, quæ frequentes, & modulatos edit cantus, qui continuo spiritu in lōgum trahuntur; quę unico sæpè insistit pedi, & diu immobilis permanet, mas est. Cursitat per caveam fœmina, & cantum brevem concisum ac intermissum promit. *Descriptio. Arist. H. A. l. 9. c. 15. Plin. H. N. l. 10. c. 29.*

Locus ipsis diversus. In sylvis quædam vitam agunt, quæ majores sunt fortè, quia se in his tutiores à serpentibus credunt, in sepibus quædam, nonnullæ montana loca amant, palustria nonnullæ; plana aliæ. Hybernia ijs *Locus.*

caret si Botero credendum; Batavia si alijs; imò mori illatæ dicuntur. Athenis tanta ipsarum copia, ut Philomelam Atticam Poëtæ finxerint. Sunt & propè Arduennam sylvam plurimæ. Æstate adulta non diu apparent, & sub autumno usque ad dies vernos conduntur. Maximi væneunt, quę in caveis hyemem pertulere. *Cibus* eis vermiculi, sed inprimis formicæ, & illarum ova. In caveis duris ovis & mica panis vescuntur.

Partus. *Arist. H. A. l. 5. c. 9.* *Nidum* vere mense Majo, vel etiam prima æstate, quandoque humi sub sepibus, & arborum truncis, aliquādo in ipsis fruticibus viridibus, & densis, ex folijs arborum, paleis, & musco oblongiusculum construunt. Cum plurimum sena ova pariunt; & dum incubant, à cātu, si Aristotelem sequimur, cessant; si Albertum & alios, Luscinia pervigil custos, cum ova quodam sinu corporis & gremio fovet, insomnem longę noctis laborem (solam ex omnibus somnum negligere, καὶ διὰ πέλας ἀγρύπνειν Hesiodus apud Aelianum author est) cantilenæ suavitate solatur; quo possit non minus dulcibus modulis quam fotu corporis, ova animare. *Ælia. var. l. 12. c. 20.*

Vox. *Sidon. Epist. l. 2.* *Plin. H. N. l. 10. c. 29.* Cantum & vocem earum, quam εὐφωνεῖν Pollux vocat, Sidonius sibilare dicit, Plinij verbis explico. Luscinijs inquit ille diebus ac noctibus cōtinuis xv. garrulus sine intermissu cantus. Densante se frondium germine, non in novissimum digna miratu ave. Primum tanta vox tanto in corpusculo, tam pertinax spiritus. Deinde in una perfecta Musicæ scientia modulatus editur sonus: & nunc continuò spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso, copulatur intorto; promittitur revocato, infuscatur ex inopinato. Interdum & secum ipse murmurat: plenus, gravis, acutus, creber, extētus, ubi visum est vibrans, summus, medius, imus, breviterque omnia tam parvulis in faucibus, qui tot exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitavit: ut non sit dubium hanc suavitatem prēmonstratam efficaci auspicio, cum in ore Stesichori cecinit infantis. Variant tamen. Nam in palustribus, relaxante instrumenta vocis humiditate nimiâ, tam sonoræ non sunt. In Hispaniola & Insula S. Johannis, Martyre teste, nunquam à cantu cessant. In Scotia non tam suaviter ac in Italia canunt; & circa Orphei † sepulchrum, vocaliores à Thracibus credebantur. *Martyr. in Histor. Occid. Ind.* † *Pausan. in Bœotic.*

Amicitiam & cum Phænicuris colunt, cum quibus etiam coire creduntur, & cum aviculis mollioris rostri, ad quas caveis inclusas advolitant. *Inimicitiam*, cum collurione qui visco implicatas capit; Accipitre qui eisdem insidiatur; & vipera, à cujus suppositæ oculorum fulgore in certissimā perniciem trahuntur, descendentes enim paulatim ex arbore in prædam ipsi cedunt, ut Merula scribit; quod tamen Cardanus negare videtur, exercent. Inter *affectus* corporis præcipua pinguedo. Sæpè adipis mole obrutæ extinguuntur. Si aliquo alio liberos corripi contingat, formicarum ovis sibi ipsis medentur. *Affectus.* *Merula in Mirabil.* *Cardan. l. de var. rer.*

Ingenium singularis in herum cicuratarum fides; sæpè emissa, (tale Alcon Donaci se dono dedisse canit) *Ingeniū.* *Apud Nemesian. Ecloga. 2.*

Scit rursum remeare domum tectumque subire
Viminis, & caveam totis præponere sylvis;

imò multæ venditæ vel dono datæ alijs prioris domini desiderio contabescentes commoriuntur; & obstinatus libertatis amor, (si adultæ caveæ includantur, cantus & cibi abstinentia, pro servitute venatorem teste Aeliano, silentio ulciscuntur) testantur: Cantus maximè, & Docilitas. Simplex ille, si in solitudinibus degunt; varius & multo apparatu compositus, si in auditores inciderint. Non φιλομαθὴς duntaxat, sed & φιλοδόξης cum Charmide Athenienſi agnoscas τὸ κερῶς ἐλίσσῃ τὸ μέλος. Nec minor posteritatis cura. Meditantur aliæ juniores: versusque quos incitentur accipiunt. Audit discipula intentione magna & reddit, vicibusque reticent. Intelligitur emendatæ correctio, & in docēte quędam reprehensio. *Docilitas* mira. Cęsares juvenes habuere Luscinias Græco atq; *Aelian. in variis.*

Plin. H. N. l. 10. c. 42. atque Latino sermone dociles; præterea meditantes in diem & assiduè nova loquentes, longiore etiam contentu. Visum jam sæpè jussas cancre cœpisse, & cum Symphonia alternasse: sicut homines repertos, qui sonum earum, addita in transversas harundines aquâ foramen inspirantes, linguæve parva aliqua opposita mora, indiscreta redderent similitudine. Fuere tres Ratisbonæ, Anno M. D. XLVI. quæ, intra noctis silentiū, quicquid interdiu ab hospitib. colloquentibus inaudierant, Germanico sermone, ita promere solebant, ut ab audientibus optimè intelligerentur.

Gesner. in Ornithol.

Vsus. De ipsarum in *cibo usu* non est quod multum dicam. Plumis nudata vox est præterea que nihil, ut Lacon ille apud Plutarchum dixit. Appositam fuisse in centenaria illa Æsopi Tragici, cui quendam civem Romanum donatione unica XM. aureorum dedisse legimus. Patina, vel exinde colligas, quod centum aviculis, quæ cantu aliquo excellerent, constaret. Arrij etiam filios magno coëmptas esitasse Horatius testis est. *Medicinam* si spectes. Cancrorum oculi cum Luscinia carnibus in cervina pelle alligati vigiliam præstant fugato somno. Fel cum melle illitum visum perfectè acuit, ut vult Kiranides.

Plutarch. in Apopth. Lacon.

Horat. l. 2. Serm. Satyra. 3.

Plin. H. N. l. 32. c. 10.

Ælian. l. 1. H. A. c. 43.

CAP. II.

De Hypolaide & Atricapilla.

Arist. H. A. l. 8. c. 3. HYPOLAIDEM seu Currucam Aristoteli debemus; qui quidem Cuculum in ejus nido parere scripsit; sed cum corporis formam non addiderit, par ferè de ea ac Antho inter scriptores concertatio. Niphus cantu & magnitudine Philomelam imitari, & quod in oculi Equi mortui cōcavitate nidificet, Hyppolaida vocari scribit. Bellonius Luscinias in cantu similem, Gallis Fanette brune, facit. Turnerus, Titlingam seu Lingettam Anglorum, quæ Luscinia minor est, colore subviridi.| Culices & vermiculos in ramis arborum sectatur; rarò humi consistit; hyeme non cernitur, cuculi pullum pro suo educat, & sequitur, esse; & Germanis Passerem gramineum *Grasmusche seu* Grasmūcke vocari reliquit. Gesnerus dictionem Germanicam Grasmusche per metatesin à Latinorum curruca factam esse conjicit, & quatuor ejus *genera* facit. *Majores* vel colore sunt fusco præ cæteris canoræ. Circa lacum Verbanum Piccafigas, id est, Ficedulas, vocant, vel pectore albo, capite cinereo. Ex Lino nidum struunt. Atricapillis, maribus caput prima ætate rubet, deinde nigrescit, fœminis semper rubet. *Minores* ventrem albū, oculos albicantes habent, inter sepes ferè degunt, & hyeme discedunt. Eliota Anglus Passerem sepium esse putat, quem Turnerus Passerem Troglodytem interpretatur, Germanis Zaunschlipffe. Aldrovandus nullam observavit, cui proprie illud nomen convenire existimaret. Shwenkfeldius, Ἀπλαίδα, Græcis, Andothiam Alberto dici opinatur, & supina parte totam cineream, pronâ albidam, partim dilutè cinereo colore respersam, vertice punctulis nigris maculato, describit. Secundum eundem, *nidum* inter gramina rotundum suspendit. *Ova* Majo plærumque quinque, aliquando septem, subviridia, punctis minutissimis varia, parit; eaque si digitis tangantur, non amplius fovet, sed relinquit.

ATRICAPILLA μελαγκόρυφος & μελανοκέφαλος Græcis, falsò Gallinago ab Alberto M., ab aliis Guger Germanorum, qui capite quidem atro est, sed pectore rubet; à nonnullis avis Phœnicuro adeò similis, ut nisi cauda differrent, quę illi rubea, huic cinerea est, vix digni possent, esse putatur. Quam verè Aristoteli & Plinio cum Sycalide, seu Ficedula, vel ut Scaligero placet Ficula & Ficilla eadem sit, & ineunte quidem autumno Ficedula, ab autumno protinus Atricapilla evadat, putetur; cum Schwēkfeldius Atricapillam vere & Autumno deprehenderit, judicandum relinquo. Aliquot earum exhibet Aldrovandus icones. *Vna* capite, dorso, cauda, & remi-

Arist. H. A. l. 9. c. 49. Plin. l. 10. H. N. c. 29. Scalig. ad H. A. Arist. l. 9.

Schwenkfeld. in Avar. Silef.

remigibus alarum pennis tota nigra erat. *Alterius* vertex colorem castaneum gerebat. *Tertia* notabili macula supra rostrum in fronte notabatur. *Quarta* tota ex albo & nigro variabat. Schwenkfeldius Passere paulò minorem, vertice nigerrimo, collo dilutè cæruleo, ventre albicante, podice subflavo, pedibus glaucis, unguiculis fuscis, esse scribit, & summæ linguæ acumine carere addit. In Anglia non habentur, si Turnero credimus. *Nidificant* in caveis arborũ, & plura quam viginti ova ponunt, sed numero semper impari. Non tantum vermiculis, sed & sorbi Alpinæ bacculis, *vescuntur*; imò & uvis inhiant. Unde Ampelides vocantur. *Pullos* tanta sedulitate alunt, ut in nido etiam pinguissimi existant. Optimæ sunt in cibo autumno, propter alimentum tum in ijs abundans. Phavorini tempore negabant ullam avem præter ficedulam totam comedi oportere. Dioscorides frequenter in cibo sumptas, visum acuere testatur. *Gell. Noct. Attic. l.15. c.8.*

* * *

HISTORIÆ NATVRALIS DE AVIBUS:

LIBER IV.

De Avibus Aquaticis. Palmipedibus.

TITULUS I.

De Palmipedibus Piscivoris.

CAPUT I.

De Onocrotalo seu Pelicano, & Ave Diomedea.

ONocrotalus, qui nõnullis falsò Avis Diomedea, Catharacta Jubæ, Butaurus seu Ardea stellaris, Porphyrio dicitur; quẽque diversum à Pellecano Aristotelis Gesnerus facit. Alberto Osina, Kiranidi Ramphius, Verrio Flacco Truo, Isidoro Canopus Ægyptius, Aldrovandus Pelecanus Aristotelis, & Oppiani Pelicinus vocatur; & nomen hoc quod collum mergens & spirans quasi ruditum asini edat, sortitus est. Duo ipsius *Genera* Albertus facit, *sylvestre* nempe & *Aquaticum*; ex quibus hoc duntaxat doctissimi agnoscunt. Videntur tamen & in provincia Manzi in India Orientali esse toti albi, cum osse supra caput, colore sanguineo, nisi nos Odoricus de Foro Julij fallit; imò & avis, quam Ælianus Indis Celam appellari scribit, quæ est magnitudine triplo major Otide, ore permagno, ingluvie maxima, longis cruribus, summis alis pallidis, cæteris pen-

Aldrovan. Ornithol. l.19.c.2.

Ælian. H.A. l.16.c.4.

pennis cinericijs, Onocrotalus Indicus dici potest.

Descriptio. Quantum ad *Magnitudinem* visus Rhodi paulò minor cygno, multò anfere; visus, cujus longitudo ab initio rostri ad pedes ultimos extensæ, hominis proceritatem æquabat ab Aldrovando emptus hominem justę staturæ non adæquabat tantum, sed vincebat etiam: ideò quorundam pōdus ad XXIV. libras duodecim unciarum accedit. *Corpus* habet album. *Rostrum* coloris fusci, rubrum interdum, ut in Machlinienſi Onocrotalo visebatur, validissimum ac planè osseum; cujus superior mandibula, ut Aldrovandus in Ferrariâ allato observavit, tres digitos lata, duas Spithamas longa. Inferior palmi longitudine superiorem excedit, cùm ab interiori parte capitis ortum dūcat; superior in curvū quendam hamum crocei ferè coloris desinit; & intus plantaginis angusti foliæ pentapleuri figuram exactè exprimit, extuberantib. per ejus longitudinem quinque lineis asperis, & ob longa tubercula referentibus. Sub hac insigne quoddam capacissimum mēbranosum, rugosum, & omni fibrarum genere præditum, coloris ferè crocei percurrentibus ubiq; maculis nigris, & facile dilatatu, dependet ceu uter quidam, receptaculum. Ingentis staturæ hominem ocreatum pedem usq; ad genu immittere in fauces & educere potuisse vidit Perottus; parvulum Æthiopem in eodem inventum scribit Sanctus. Crura ipsi Anserina, præ tāti corporis proportione breviuscula. Capitis plumæ albæ, molles q;, in radicibus suis nigræ, in occipitio longiores. *Interiora*, si spectes, in eo, quem Aldrovandus describit, quam fœminam esse ova ciceris magnitudine ad septum conspecta ostendere; *lien* erat rotundus, nucis avellanæ magnitudine, aliquanto crassior. *Ventriculus* ex membranis crassioribus constabat, digitos decem longus, duos latus, materiâ chylosâ luteâ cum quibusdā quisquilijs & capillis, refertus (Gesnerus succum quendam viridem vermiculis scatentem in suo invenit.) *Vesicula fellis* in concavo jecoris hærebat, & ab ea meatus velut canalis ad intestinum duodenum porrigebatur. *Intestina* sex ulnas longa appendices duorum digitorum longitudinis habebant. *Gula* erat longa, crassiuscula, carnosa, quæ subinde latior evadens, ubi ad ventriculum pervenisset, comprimebatur. *Cor* maximum, *ossa* levia, alba, pellucida & sine medulla. *Vlnæ* alarum membrana quadam integebantur insigni, ex qua tendones viginti quatuor oriebantur, tam tenuiter in eas inserti, ut nullo pacto separari possent.

Versatur in aquis piscosis & diffusioribus. Visus in Ægypto à Septentrione versus meridiem tendere. Observatæ & circa Gazanum Ægypti civitatem greges, quæ versus mare volitabant. Mittitur & à Gallia Septentrionali; & Marcellus Onocrotalum Ravennatem cognominat. Reperitur etiam in Hetruriæ maritimis, circa Herodis portum, & Orbitelli stagnū. Circa Lusannam in lacu Lemano semel tantum anno apparere creditur. Gesnerus in lacu ad Tugium captum commemorat. *Locus.*

Victitat inprimis piscibus, eosque dum venatur, non toto corpore mergitur, sed collum subinde demittit. Cicuri si libralem (quinque librarum piscis haud magna ipsi esca est) exhibueris, ita invertit, ut rostro præmisso deglutiat. Devorat & cum testis conchas, easq; calore interno intra ingluviem apertas, revomit, & hiantibus jam testis carnem ab ocreis seligit. Solum scilicet visceris habet ductum; qui ab introitu oris ad naturæ secreta pertingit. Visus dimidiam endromedem, qua miles unus tegebatur, in se projectam absorpsisse integram, quæ ex gutture interfectæ sine jactura educta est. *Victus.* *Gesner. in Ornithol.* *Bellonius de Avibus.* *Petr. Martyr. in Decad.*

Nidum ex ramulis ad ripam fluminis alicujus vel stagni ponit; ibiq; tot ova Anserinis similia, quot cygnus solet, edit, fœtusque enutrit. *Generatio.*

Volant nonnunquam soli, nonnunquam gregatim: & cum volant sonum alarum cient. *Volatus.*

Vox ipsi ruditui Asini similis: sonum cum edit rostrum in aquam vel terræ lutum infigit, si Alberto credendum. *Vox.*

Dicun-

Dicuntur (Bartholomæus Anglicus ex Isidoro author est) erecto ad cœlum rostro, Accipitrum metu, sed fortè falsò, dormire; & in Lycia ad flumen Xanthum, quotannis cum corvis, cornicibus, & alijs carnivoris prælium committere. Si vicerint, abundantiam frugum sibi promittunt incolæ; si vincantur, ovium, boum, & aliarum quadrupedum fœcundum proventum.

Præsagiũ

Vsus. Ingluvie ea parte qua capiti adhæsit colligata, ad quam ejiciendam, Ægyptij piscatores utuntur: qui humiditate corrumpi nequit, multo tempore utilis est.

AVIS DIOMEDEA ab insulis Diomedis sic dicta, de qua multa veteres fabulati sunt, Servio, Stephano Grammatico & Isidoro Ardeæ genus est: quibus Salmasius accedit. A Plinio & Solino cum Fulicis comparatur. Aldrovandus Artennam hodiè nuncupari, & in insula Sanctæ Mariæ de Tremiti duntaxat inveniri, credit. Cui Dalechampius adstipulatur. Hoc an verum sit ex comparatione colligi poterit. *Magnitudine* ista est Gallinæ satis corpulentæ. Color ei fuscus seu cinereus obscurus. Tota ferè pronè candicat. *Rostrum* est luteum prædurum & aduncum. *Oculi* ignei. *Degit* in cavis ut lucem solis declinet; noctu circa scopulos non longè super aquam *volitat*. Piscibus *victitat*, quos noctu tantum venatur. In cavernis scopulorum & terra *nidulatur*, & vocem vagitui infantium similem promit. De Diomedeis verò ita Plinius: Nec Diomedeas præteribo aves: Juba Catuructas vocat, eis esse dentes oculosque igneo colore, cætero candidis tradens. Duo semper ijs duces: alterum ducere agmen, alterũ cogere. Scrobes excavare rostro, inde crate consternere, & operire terra, quæ ante fuerit egesta. In his fœtificare. Fores binas omnium scrobibus. Orientem spectare quibus exeant in pascua. Occasum quibus redeant. Alvum exoneraturas subvolare semper, & contrario flatu. Uno hoc in loco totius orbis visuntur, in insula, quam diximus nobilem Diomedis tumulo atque delubro, contra Apuliæ oram, fulicarum similes. Advenas barbaros clangore infestant, Græcis tantũ adulantur. Miro discrimine, veluti generi Diomedis hoc tribuentes. Ædemque eam quotidie pleno gutture madentibus pennis perlucent atque purificant. Unde origo fabulæ, Diomedis socios in earum effigies mutatos.

Aldro. Ornith. l. 19. c. 3.

Salmas. ad Solin. c. 2.

Plin. H. N. l. 10. c. 44.

Solin. Polyhist. c. 2.

CAPUT II.

De Laris in genere & in specie de Laro albo.

LArus, quem Augustinus Fulicam, alij Mergum, Herodium, Suidas & alij apud Græcos κέπφον, quidam etiam Gaviam vocant; ab Aldrovando describitur, quod sit avis à rostri acie ad alarum ferè finem duas spithamas longa, *capite* maximo & crasso, ex albo & cinereo variegato; *pectore* ejusdem ferè coloris, illoque amplo, *rostro* crasso lutescente, in extremo nigricante & insigniter acuto; in cujus superiore parte narium sunt foramina oblonga, rictu amplissimo. *Oculi* iridem auri instar splendidam niger ambit circulus, hunc albus, album cinereus. *Alæ* ex albo cinereo, & ad castanearum colorem simul commistis tẽdente constant, & caudam palmi longitudine excedunt. *Cauda* cinerea tota. *Pedes* lutei; posterior digitus satis conspicuus, ungue etiam armatus. *Corpore* est levissimo, & multis ac densis plumis induitur.

Aldro. Ornith. l. 19. c. 4.

Descriptio.

Frequentes in locis maritimis stagnis & fluminibus cum ingens aliqua tempestas coorta est *conspiciuntur*.

Ælia. H. A. l. 3. c. 20.

Locus.

Præter pisces lumbricis etiam, cochleis, quas sursum raptas, ad saxa demissas confringunt, Locustis & Phalangijs à quibus Tarentinos agros repurgant, *vescuntur*. Delphinos etiam in littora dejectos devorant. Olivis denique in Liguria perniciem adferunt.

Victus.

Nidulantur in saxis maritimis, à quibus potabilis aqua manat, & bina ternave ova æstate pariunt. *Volant* præcipites & faciles leves quippe. Hinc Laro apud Homerum Mercurius cõfertur. Sed & pennæ per se aliarum avium

Generatio.

Arist. H. A. l. 5. c. 9.

avium leviores putantur. Has enim pelamydum piſcatores, teſte Aeliano, ad hamum lineæ alligant, ut propter earum levitatem ab occurrente aqua ſenſim ac leviter agitetur.

Affectus. *Amicitiam* cum homine utilitatis gratia, quia piſcibus veſcuntur, & Monedula, ut Ælianus prodit, colunt. Malo punico interimuntur. Imminẽtibus ventis ſublimes in aëre volitant, & vento ſeſe obvertunt. Copiæ piſcium capiendæ augurium, ſi ad piſcatores retibus piſcantes advolarint, facere creduntur.

Ælian. H. A. l. 6. c. 6.

Vſus. Cerebrum Lari ſiccatum & conciſum infantibus Epilepticis odorãdum quidam commendant. Pennæ proprietate quadam occultâ, ſimul atque mare intumeſcit, in pulvinaribus etiam eriguntur, & decumbentem ſublevant.

Inter ſpecies Larorum, eſt primus Larus ALBUS fortè Gavia peralba Apuleij, quę ſuperfluctus marinos natat, demergit ſe propè ad Oceani fundum & gremium. Duo ipſius ſunt *genera* prodente Bellonio, *Majus* & *Minus*. *Ille* minor eſt cinereo, pulchritudine corporis ad columbam accedit, quanquam male hanc vincere videatur. Nivis inſtar candidus eſt. *Roſtrum* habet teres, acutum, rubicundum, cujus coloris & cauda eſt. Recta crurib. inſiſtit, poſteriora corporis magis elevata geſtans, ita ut inferiora in arcum quaſi curvari videantur. *Minor* ſummitatem *capitis* nigram habet; ſtatim atque fri ora ingruere incipiunt, in mediterraneis locis ſupra flumina volitans apparet, & cæteris in volando diutius perſeverat. Captus intra biduum ferè cicuratur; facileque nutritur, inteſtinis nempè, carne & piſcibus. Adeò clamoſus eſt, ut aërem clamore ſuo percellat. Videtur eſſe Turneri & Geſneri Cepphus, qui ex illius deſcriptione, eſt avis marina, magnitudine Monedulæ, ſed alis acutioribus, & lon ioribus, colore tota albo, excepto nigro quem in capite gerit cirro: roſtro etiam & pedib. puniceis. Diutino clangore defatigata tandem keph profert. Schvvenkfeld. Lari albi facit mentionem, cum capite rubeo.

In Aviario Sileſiæ.

CAPUT III.

De Laris Cinereis, Piſcatore, Nigro, Sterna & Fidipedibus.

LARORUM CINEREORUM tria ponit inprimis Aldrovandus genera.

Primum columbam magnitudine parum ſuperat, colore undique eſt albo, in dorſo tantum & alis cinereo. *Caput* ſupremum, macula nigra utrinque ad extremum oculi angulum inſigne omninò candicat. *Roſtrum* habet longiuſculum, & aliquantulum velut armatum, introrſum ad inſtar thecæ ejus, in qua novacula reconditur cavum, colore corneo. Os interius totum, & linguam cujus extremitas bifida, rubentia. Ora extrema Palpebrarum rubra inſtar circuli oculos exornat. *Crura* interdum rubent, interdum fuſceſcunt. *Digiti* membranis rubris ſepiuntur. Poſterior *pedis* digitus aciculę caput non excedit. Credunt quidam pennas capitis à Martio menſe per trimeſtre quo tempore ſoboli dãt operam nigreſcere. Reliquis novem menſibus candidas eſſe. *Interiora* ſi ſpectentur, *Gula* ampliſſima, ventriculo longiuſculo, craſſiuſculo, cujus interior tunica craſſa rubra eſt, præponitur. *Hepar* maximum flavicans bilobium, *ventriculum* infra amplexatur, ſupra *cor* mucrone recipit. *Lien* eſt longiuſculus ſanguinei coloris; *Fel* viride. *Veſicula* in hepate continetur, & inteſtino ramulo jungitur. Ad inteſtinum rectum appendiculæ binę graciles, & tenues antrorſum reflexæ ſpectantur. *Veſcitur* piſcibus, inſectis paluſtribus, muſcis & conchulis. *Nidulatur* in denſis piſcinarum & lacuum arundinetis; Maio & Junio mẽſibus *ova* quinque columbinis paulo majora parit.

Schvvenkfeld. in Aviario Sileſiæ.

Alteri quod vix ſpithamam excedit, dorſum & alæ ſunt coloris leucophæi ad cęruleum quodammodo vergẽtis. Roſtrum pro proportione corporis exilius, arcuatum, nigrum, pe-

des, tibiæ membranaque digitos interſepiens coloris crocei.

Tertium eſt capite nigro, roſtro recto, & in fine acuto, coloris miniacei; oculis & pedibus ejusdem coloris; coſtis alarum & remigibus albis, dorſo & in reliqua parte cinereis.

Larus PISCATOR, circa Argentinam privatim Fiſcherlin dictus, circa Oppenheimium Fel, minor eſt, Laro cinereo, vertice nigro, roſtro & cruribus è fuſco pallidis, totus albicans. *Volatus* eſt celerrimi, & dum piſces captat, etiam in aquam ſe mergit.

Larus NIGER, à colore ſic dicitur. Quamvis enim ſit alis cinereis ultra caudam extenſis, cruribus levi rubore notatis; oculis ex fuſco purpuraſcentibus, roſtro tamen capite, collo, pectore, & ventre nigreſcit. Schwenkfeldius ipſi crura & pedes latiuſculos rubentes, nigricantibus transverſim anterius maculis adſcribit: & nidum in arundinibus piſcinarum ſuſpendere, ac menſe Majo parere, addit.

Schvvenckfeld. in Aviario Sileſiæ.

Quam Turnerus STERNAM appellat, marinis Laris ita ſimilem eſſe, ut ſola magnitudine & colore ab illis differre videatur, minorem duntaxat & paulò nigriorem adjicit. Tempore quo parturit improbè clamoſa eſt. Apud Friſios dicitur eſſe vertice nigro, roſtro & cruribus rubidis.

Larorum FIDIPEDUM duo ſunt *genera*. *Vnum* alis longis, utpote quæ trium ferè digitorum lõgitudine caudam exuperant. Cui oculi, caput, collum, roſtrum ſunt nigerrima: Pedum digiti inſignibus mucronibus armantur. *Alterum* brevibus, cui magnitudo Merulæ, caput nigrum, Alarum coſtæ albeſcentes, Pennæ ſub cauda candicantes, pedes rubeſcentes, digiti, mẽbranulæ quodam rudimento interjecto, quatuor.

CAPUT IV.

De Catharracta & Ceppho.

CAtarracta, Ariſtotelis & Oppiani, ex eo quod cum impetu ad prædam capiendam decidat, ex hujus deſcriptione avis eſt inſtar Lari minoris, ſed robuſtior, colore candido, & Accipitri Palumbario ſimilis; ex Ariſtotele, Accipitre minor, gula ampla, & lata. Aldrovandus avem roſtro acuto, craſſo, ſupra non modicè adunco, pronè per alas, dorſum, betico, albo, & luteo mixtis variegatam, ſupinè totam albam maculis beticis diſtinctã, tibijs, pedibus, & membrana eos interſepiente cinereis, ponit. In mari victitat; ſed & ſcopulis, littoribus, & petris, quas chærades vocant, ſupra aquam eminentibus inſidet. Piſces captat exiguos. Ubi verò natantes conſpexerit (perſpicaciſſima enim eſt, & vel ad fundum uſq; maris) altius ſubvolat, & contractis omnibus pennis, quovis telo celerius delapſa, ad cubiti ſpacium immergitur, & piſcem extrahit; nec diutius manet, quàm jugeri ſpacium tranſieris. Mirus *incubandi* mos ovis, ſi Oppiano credimus. Fucum aut algam ijs ſuper petram inſternunt, ſic ventis expoſita relinquunt. Mas illa unde marem procreandum conjicit, fœmina unde fœminam in ſublime per aliquot dies ſublata, in pelagus mittit; motu concalefactis ovis, pulli excluduntur. Pullis luce aſpecta, nulla in nidis mora, parentes volatu ſequi conantur: à parentibus ſuſcepti, in mare demittuntur, mox extrahuntur. Acie oculorum in ſenio obtuſa, dum ad prædam ſe ferri arbitrantur, præcipitijs illuſi intercunt.

Ariſt. H. A. l. 9. c. 12.

CEPPHUS Ariſtotelis, Fulica eſt quibusdam, Aldrovando, avis, habẽs roſtrum colore corneo, ad mandibularum latera ruffo, in extremo quod aduncum eſt, nigro, oculos exiguos ruffos. Caput, collum, pectus, ventrem, coxas, ex albis & fuſcis, intercurrente etiam colore betico & luteo, maculis variegata. Crura & tibias viridefcentes. Pedes & membranam digitos ſecantem fuſca. An ſit Cepphus veterum, ignoratur. Nam de hoc, ſi foramen corporis ſpectas, id dũtaxat habemus, Laro eſſe ſimilem, cum quo deſcripta parum habet ſimilitudinis, plumis abundare, ſed carnis eſſe exiguæ, ideò facilè vento impelli. De cętero, apud mare victitant, cujus & ſpu-

Aldrovãd. Ornith. l. 19. c. 12.

Oppian.

& ſpumam vorant. Thunnos, propter piſciculos, quos dentibus ſuis diſcerpunt, ſequitur. Ad tonitrua adeò perhorreſcit, ut ſonitu exaudito ex aëre in mare decidat. Spuma inſperſa alliciuntur, capiuntur allecti. Cum relicto mari gregatim in terram adverſo vento revolant, imminentis vēti indicium præbent. Carnem habent probi odoris, partem poſteriorem, quæ ſola limum olet, ſi excipias.

Aratus in Phænomen.

CAPUT V.

De Anſere Baſſano, Phalacrocorace, Corvo Sylvatico, Nycticorace Geſneri, & Graculo palmipede.

Geſner. in Ornithol. Hector Boetius in deſcript. Scotiæ.

ANſer BASSANUS ſeu Scoticus, incolis Solendguſe dictus, avis eſt domeſtico Anſere longior, ſed minus lata, Anſerem tamen & forma & voce per omnia referens. Nullibi quam circa Caſtellum Bas, vitib. humanis inexpugnabile reperitur, ad quod incipiente vere appellunt. Tres vel quatuor primo tanquam ſpeculatores advolant; has aliquot poſt dieb. reliqua multitudo inſequitur, quod egregiorum virorum relationi debemus. *Nidulantur* in caſtri prædicti rupibus; & conſtruendis nidis tantam lignorum copiam comportant, ut auferentibus, qui illic habitant, abundè in annum ex ea parte proſpectum ſit. *Ova* in rupibus depoſita, ſuperpoſito pede altero, unde forte nomen à ſolea accepere, excludunt. Pullos delicatiſſimis piſcibus nutricant. Quod ſi avolantes novum videre, illo abjecto, iterum ſe magno impetu immergunt. Tanta autem piſcium ab ipſis evomitur copia, ut & præſidiarijs arcis in cibum cedant. Habent inteſtinū quoddam parvum, oleo ſingularis virtutis refertum. Iſchiadem & arthritim ſanare creditur. Pulli capti & aſſi halecis nidorem emittunt. Caro eſt durior, & vinum exigens, quod aliquoties experti ſumus cum Anno MDCXXIII. in Scotia ageremus.

Ex adipe Unguentum fit, quod cum Comageno Plinij de bonitate certat.

PHALACROCORAX, quem cum corvo Aquatico Plinij eundem eſſe vel exinde conjici poteſt, quod calveat, quænam avis ſit inter Hiſtoricos Naturales non convenit. Geſnerus an ſit illa, quæ in Burgundia Crotpeſcherot ſeu Corvus Piſcator, cui unus pes eſt ad natandum palmipes, alter ad rapinam uncis unguibus armatur; ſic cum piſcē in aqua arripuit, nec facilè propter pondus volare poteſt, piſcem altero pede retinens, altero ad ripam navigat; dubitat. Alij Corvum aquaticum Plinij, Phalacrocoracem, Corvum Sylvaticū, & Graculum palmipedem, easdem eſſe opinantur. Bellonius quidem ſimillimam avem cum ea, cujus hic pro Phalacrocorace ex Aldrovando iconem dedimus, exhibet: ſed corvum aquaticum, Cornicem marinam easdem Ariſtoteli aves eſſe, & Phalacrocoracem, innuit. Gallis dicitur Cormorant, quo nomine Angli avem inſigniunt, quæ anguillas integras edit, per inteſtina elapſas rurſus devorat, & vel novies aliquando unam abſorbet, priuſquam retinuerit. Aldrovandus Phalacrocoracem ſcribit eſſe capi *magnitudine*, roſtro longo acuto & rubeſcente. *Capite* ferè plumis nudo & cute tecto, quę carnem ſubſtantia & colore ęmulatur. Ex collo velut jubæ dependent, quales in capis cernuntur. In pedibus plumas quasdam aureas geſtat. Solus inter palmipedes Fibro excepto in arboribus ſedet, in ijsq; nidulatur, æquè in aqua marina atq; dulci degit. Magnum ſtagnis damnum quod piſces devoret, adfert, interdum Anguillam mediocris magnitudinis ex aqua abrepta in aërem defert, & antequam devoret, diu cum illa colluctatur.

CORVVM SYLVATICVM hiſce adjicio, non quod ſit vel palmipes, vel aquatilis, ſed quod ab aliquibus cum Phalacrocorace confundatur. Magnitudo ipſi eſt Gallinę; color toto corpore niger, ſi eminus videas; ſin propius ad ſolem præſertim, cum viridi permixtus videtur. *Roſtrum* rubicundum, oblongum, & angustis terræ vel arborum foraminibus inſeri

aptum. A capite crista retrò tendit, haud scitur an in omnibus aut semper. *Pedes* habet, ut Gallinæ longiores; *crura* oblonga obscurè rubentia. *Digitos* fissos. *Vescitur* piscibus, ranis, locustis, gryllis. In rupibus, turribus desertis & pylis, unde Claustrapp Germanis, *nidulatur*. Bina aut terna *ova* parit. Altissimè *volat*, & primus ferè omnium, circa initium Junij ni fallor, migrat. Pulli diebus aliquot antequam volare possunt, nidis exemti ita facilè cicurantur, ut in agros evolent, & subinde revertantur. In Istria circa promontorium Polæ homine per funem demisso eximuntur, & inter mēsarum delicias habentur. Aucupes in singulis nidis, singulos relinquere solent, ut anno sequente libentius redeant.

Huc pertinet & NYCTICORAX Gesneri quamvis palmipes non sit, qui juxta aquas & inter arundines versari dicitur. Vescitur pisciculis. *Nidulatur* in altis arboribus, ita vel quaterna ova parit. Inter arundineta absona voce vomiturientis instar clamitat.

Sed nec GRACVLI PALMIPEDIS Aristotelis, seu Corvi Aquatici minoris, hic obliviscendum, quem alij Phalacrocoracem, alij Corvum Sylvaticum vel Mergum magnum nigrum esse judicant. Colore in toto corpore est subnigro, collum si excipias, ubi nonnihil ruffi admisceri videtur. Rostrum aduncum acutum, propè frontem subalbicans, cætero subnigrum. Crura, pedes, & membranæ, fuscæ sunt.

CAP. VI.

De Mergis in genere.

MErgum, quem Græci Poëtæ Dypten, Poingam & Bungam dicunt, Ἀιβύιαν veterum esse; vel ex eo colligitur, quod omnes eādem avem esse tradiderint, & plæraq; de Æthyia à Græcis tradita, Plinius de Mergo interpretatus sit. Bellonius tamen Æthyiam veterum quandam MERGI MARINI speciem; quæ Cretensibus Vultamaria & Calicatizu dicitur, esse judicat.

Bellonius observ. l. 1. c. 11.

Magnitudine est Querquedulæ, albo ventre, capite & dorso nigro, itemque alis & cauda. Pluma ei instar lanuginis, validè cuti inhærens. Rostrum marginibus acutis cavum & planè ferè, lanuginosis plumis bona sui parte obducitur, nigrum superiore, album inferiore parte, vertice lato. Frons tuberositate quadam verrucatur, cui floccus plumarum niger innascitur. Digito pedum posteriore sola inter palmipedes caret. Vtut sit, certè & Salmasium hic consentientem habemus; hoc solo dissentit, quod Mergum & Fulicam easdem esse contendat. *Formam* si spectes, de ea quidem Ovidius

Descriptio.

Salmas. in Solin. c. 2.

Ovid. Metam. l. 12.

Fecit amor maciem, longa internodia crurum
Longa manet cervix. Caput est à tergore longè:

sed quis ille sit, unusquisque conjicere tentet. Nostri contra omne genus avium pedes habent in cauda, ita ut in terra stantes instar hominis corpus erectum proferant, ut author de natura rerum scribit. Ab Anatibus dentibus & cruribus discrevit Gesnerus. Magis enim duri ac rigidi, utrinq; tantum in marginibus, rostri; cæteris, quibus rostrum latum non est, sed in acutum desinit, nulli. Crura vel non æquè absoluta habent, vel breviora, vel non eodem situ, vel posterius, quamobrem incommodè ingrediuntur.

Versantur plærunq; in mari, † fluminibus, stagnis & paludibus: amant tamen & aprica * loca, ut siccescant. Diutissimè in aquis, dū se immergunt, morantur, & summa ac ab Homero allata natandi pollent peritia. Alam namque alteram sæpius ad ventum erigunt, & ejusdem tanquam veli adminiculo navigant, quod Pighius prodidit. Soli inter amphibias inter volandum *piscantur*.

Locus.

† *Arist. H. A. l. 1. c. 1. & l. 8. c. 3.*

† *Virgilius Æneid. l. 5.*

Homer. Odyss. l. 5.

Pighius in Hercule Prodic.

Congros, Angvillas, & alios lubricos pisces deglutiunt, ingestos, interdum etiam vivos, mox alvo, quod eis à ventre mox recto intestino cibi trāseant, egerunt; quod Oppianus & Plinius observavere. Schwenkfeldius in omnium quas secuit ventriculis, plumas avicularum copiosissimas, quasi cum

Victus.

Oppian. in Ixeuticis.

cum piſciculis, & avena compactas invenit.

Partus. *Nidificant* à bruma ineunte vere. Sæpè in maritimis † ſaxis, in arboribus * interdum. Vtrumque ſe juxta oſtium Thinæ fluvij, & in Nortfolcia obſervaſſe Anglus quidam ſcribit. *Ova* ut plurimum bina ternave ponũt. Pullos ab ovis excluſos ſi matrem perdiderint, adeo validos eſſe ajunt, ut ipſi cibum ſibi comparent.

† *Ariſt. H. A. l. 5. c. 9.* * *Plin. H. N. l. 10. c. 37.*

Nullam eas *vocem* emittere, arbitrati ſunt quidam. Lucretius de ijs.

—— Mergiq; marini
Fluctibus in ſalſo victum, vitamque petentes
Longè alias alto jaciunt in tempore voces.

Ingeniũ. Cicurari poſſe, tum ille qui Venetijs ab hero è cymba emiſſus, non ſine ſpectatorum & voluptate & admiratione ſub aquis ſibi cibum capiebat, ſatur redibat ad herum oſtendit; tum illi in Oriente, qui ab hero, poſtquam eis guttur filo, ne piſces captos devorarent, ligaſſet, dimiſſi, & piſces capiebant, & in ciſtas huic negocio deſtinatas injiciebant. Piſcatione heri peractâ, ſoluto gutture, ſibi piſcabantur, paſti ad herum redibant, teſtantur. Alij tempeſtatem præſagire, cum maria fugiunt, & clamorem ad littora ferunt, dicunt; ſeu quod dimiſſo in profundum capite aurarum ſigna ſub fluctibus colligant: ſeu quod vapores ab aquis ad imbriferam nubem erigendam ſurſum attolli ſagaciter ſubodorentur; ſeu quod piſces pleræque per eum cœli ſtatum; è mediis aquis ad littora enatare ſoleant. Alij cum in mare frequentius ſeſe immergũt, ſeu propter aliam aliquam cauſam, ſeu quod trãquillo mari metu belluarum progredi non audeant; in altum ſub tempeſtatem regreſſis, audacter progrediuntur. Plinius pennas roſtro purgantes ventum indicare alicubi innuit. Aelianus geſtu alarum exultantes, idem facere tradit. Huic & Aratus accedit, dum eas ἐν χέρσῳ πτερύγεσι πεπαίσθαι, in ſicco alis plaudere ac ludere, ſcribit.

Scalig. Exercit. 233. *Odoricus è Foro Iulii in itiner.* *Virgil. Georg. l. 1.* *Iſidor. Origin. l. 12. c. 7.* *Perſius Satyra 6.* *Aelian. H. A. l. 7. c. 7.* *Aratus in Phænom.*

Vſus illorum in cibo nullus: quantum ad *Medicinam*, Magi contra quartanas devorari jubent cor Mergi marini ſine ferro exemptum, inveteratumq; conteri, & in aqua calida bibi. Ventriculum in cibo ſumptum ſtomacho mederi falſiſſimum comperit Galenus. Fel cum cedria inunctum evulſos palpebrarum pilos renaſci nõ patitur. Jecur ſale aſſervatum ex hydromelite duobus cochlearibus potum, ſecundinas pellere ſcripſit Dioſcorides.

Galen. de ſimpl. l. 11.

CAPUT VII.

De Variis Mergorum generibus.

MErgorũ varia ſunt genera. Mergus RHENANVS, quibusdam Monialis alba appellat, qui omnium Mergorum Anatiformis maximè eſt, corpore undique albo atro colore diſtincto, prona colli & pectoris parte cum ventre candida, ſed paſſim cinereis punctis aut maculis diſtincta. Frequens eſt apud Sueſſiones & Bellovacos, MAJOR, qui roſtrum denticulatum anguſtius, è fuſco ad cæruleum dilutum vergens, extremitate deorſum incurvata; pectus, collum, & ventrem tota alba: in dorſo ſupremo egregias quasdam plumas alternatim albas nigrasq;, inde etiam ad latera verſus pectus tænias ſimiliter diſcolores utrinq; procedentes habet; & gobiis inprimis atq; troctis veſcitur.

Geſner. in Ornithol.

GLACIALIS, quod per ſumma frigora in aquis capiatur ita dictus, cui magnitudo Querquedulæ, collum digitos octonos longum. Dorſum undique nigrum, alæ nigræ ſed albo diſtinctæ, crura brevia fuſca, membranis inter digitos nigris; quiq; per hyemem apud Helvetios, nõ minus quam Anas fera laudatur.

LONGIROSTRVS, cui roſtrum nonnihil rotundum, digiti longitudine; caput criſtatum, collum ſubrubrum, corpus præter alas totum nigrum. Pedes crocei, membranæ luteæ.

RAVCEDVLVS, cui corpus & alæ cinereæ, gula & venter alba, pedes nigri.

RVBER cui pars superior capitis & colli rubescit. NIGER cui rostrum nigrum, collum spadicis colore, corpus ut in Fuligula, alæ cum transversa linea alba nigræ.

ALBVS, cui rostrum ruffum, caput cum collo nigrum, viridibus aliquot punctis respersum. Crura rubicunda.

CIRRHATVS qui habet caput ruffum vel testacei coloris cirrho retrorsum eminente. Dentes serratos, duros, retrorsum flexos; Crura & digitos pedum, interjectis membranis ex ruffo fuscis, rubentes. Rostrum tres digitos longum, infernè rubicundum, supernè nigricans. Duobus forammibus odoratus causa pervium. Bellonius Fibrum seu Castorē vocat. Asperam arteriam ab aliis aquatilibus diversam habet. Nec enim est rotunda, sed compressa & inæqualis, modo crassior, modo angustior, & in medio duobus velut nodis extuberans. Cum ad ventriculi regionem pervenit, in cavitatem quandam ex membranis & osse grandiusculo inæquali constructam dilatatur. Semper in aquis manet, & in iis se diutissimè omnium cōtinet. Vrinando ad quadraginta aut quinquaginta pedes procedit. Caput inter natandum sublime attollit; & inter arundines nidulatur.

MERGANSER denique ut Gesnerus vocat, cui caput cum tertia colli parte ex viridi nigricat. Collum reliquum cum aliquo pallore album est. Inferior colli pars nigrescit. Plumæ vētris & supinæ caudæ gilvæ sunt. Crura & pedes cum membranis inter digitos minii colorem habent. *Ventriculus* est corneus id est firmissimus. Pondere interdum ad libras duodecim accedit.

Huc pertinet *Mergus* ille, quem Bellonius Gallicè HERLE vocat, anatem magis quam anserem referens, rostro longo, terete, & mucrone reflexo, colore subrubro.

Item GVLO Germanis Seesluder/ magnitudine Anseris, colore gilvo, gregaria, mensis lautioribus contemta.

Necnon SCHELADRACHVS Anate major, varius rostro lato, adunco, dentibus acutissimis pleno, ex gilvo subrufo.

MORFEX, deniq; tota nigra, rostro serrato & valido, quæ sub aqua mergitur, & anguillas capit. Easdemque si se gravari senserit, evomit. Gregatim in arboribus juxta aquas nidificat. Volatura caudam diu in aqua trahit. Saturata ad solem ut siccentur, expandit. Fimus siccat arborum ramos in quos inciderit. *Albertus H. A. l. 5. c. 3.*

NB. *De mergis exoticis vide Mantissam.* Num. 11.

CAP. VIII.

De Colymbis in genere & in specie.

AVis quæ Græcis Colymbus, Colymbis, & Colymbas; Latinis Vrinatrix dicitur. Vnum tantum illius genus Aristoteles commemorat; alij plura; Turnerus tria vidit. *Primum* totum nigrum, si cirrum quem in capite gerit, exceperis; Mergo, quo tamen triplo minus est, quo ad corporis effigiem non dissimile. Angli Doukeram vocant. *Alterum* Turdo non majus, Anati colore & corporis effigie simile. Anglis media Vrinatrix dicitur. *Tertium* adeò nuper ab ovo exclusum refert Anserculum, ut nisi Rostrum hujus paulo tenuius esset, ægrè alterum ab altero discerneres. Non enim pennas, sed lanuginem quādam earum loco obtinet. *Genera.*

Gesnerus, Colymbos facit *Maximos. Majores* & *Minores. Maximus* qui in Acronio lacu rarò capitur, ab inepto per aquæ superficiem motu Fluder dictus, Anfere major est. Rostro oblongo, angusto, acuto. Neq; volare potest rectè, neq; ingredi commodè, nisi simul pedibus alisq; nitatur. Tam profundè urinari dicitur, ut orgiarum viginti spacio, quandoq; reti aut mucrone ferreo sub aqua capiatur. *Major* duorum est generum. *Primus* Anfere paulo minor, collo est oblongo, dorso nigro, collo inferiore & ventre albo, plumis ferè niveis. Digitos pedum habet ternos, adhærentib. membranis *Gesner. in Ornithol.*

branis latos, sed aliquo usque divisos. Ungues latiusculos præsertim mediũ, teretes & in mucronem attenuatos. Crura juxta anum ferè retrorsum porrecta, natationi potius quàm ingressui apta, femora in ventre condita, inæqualem interdum tibiarum situm. *Alter* cristatus seu cornutus est, plumis circa verticem, & collum supremum eminentibus, superius nigris, ad latera russis. Aliquot ejus sunt descriptiones. *Minor* Germanis Succhelin, ut major Succhel, magnitudine est columbæ, digitis latis, adhærentibus membranis fuscis, non continuis tamen sed trifariam dissectis. Inferiore rostri parte tota sanguine colore rubente. In femore multa ossicula tenuia, circa articulum agglutinata, dimidia ossis femoris magnitudine, ab una tantum parte habet.

Bellonius etiam *Majorem* sub nomine Vriæ veterum describit, Anatis magnitudine, rostro longo, rubicundo, ac serrato. Cristam habere videtur. Nam cum nigro sit vertice, plumæ oblongæ ab occipite pendent, quas cum excandescit, aut exhilaratur, attollit aut demittit. Voce est horridâ, sed ad sui tutelam utili. Idem nec *Minoris* obliviscitur, qui adeò aquæ familiaris est, ut ei per terram gradi posse, propter femora in ventre ita recondita, ut nullo modo appareant, & crura, quæ extrorsum protenduntur, ut omninò è lumbis censeri possit, natura negasse videatur. Caudam habet nullam, nullumque Vropygium. Alas pro corporis proportione exiguas. Plumas lanuginosas. Digitos ab invicem separatos, latos tamẽ. Rostrum rotundum exiguum, rubicundum. Crura parte posteriore serræ instar crenatæ. Jecur tenellum; intestina à reliquarum avium intestinis diversa, gracilia & tenuia si in pauca aqua deprehendatur, vix se in aërem attollere potest. Propè terram in cespite aliquo palustri nidificat. Addit & Aldrovandus suas descriptiones, quas hic adferre non est necesse. Addidisse sufficiat, *Colymbos* Athenæo inter omnes Aquaticas aves minimos esse, atro & sordido colore tingi, & acuto rostro instrui; Oppiano Colymbos semper natare, & ne somni quidem vel cibi gratia in continentem exire, nisi partus tempore; eosdem adversis ventis natare, ne illorum vi aliquando inviti in terram extrudantur. Circa medium Augustum propter pennarum mutationem volare non possunt. Et tam celerrimè merguntur, ut bombardæ etiam ictum effugiant. Referri ad colymbos potest, avis Anglis Coote dicta, forma & colore Fulicæ similis, paulò minor, in cujus rostro parvum tuberculum rubeum eminet, quæ subinde ad fundum usque urinatur. Non piscibus tantum, sed algâ, lineo, gramine, parvisq; cochleis victitat. Et vulgo fertur, non posse diutius volare, quam pedis cavo arreptam aquam retineat. *Oppian. Ixeutic. l. 2. cet. Aldrovando.*

Huc pertinet VRIA Anate multo minor, rostro longiore ac tenui, colore sordido testaceo. Gesnerus colore tantum, & magnitudine à Colymbis differre putat. *Athenæus l. 9. Dipn.*

CAP. IX.

De Brentho, Phalaride, Avosetta Italorum & Trochilo.

BRENTHVS quænam sit avis dubitatur. Niphus monticolam esse credit, generis unci. Plinius pro eo Anatem vertit, quod & Gaza secutus est. Albertus Merguli pisces venantis speciem interpretatur. Et fortè est, quia piscibus vivere Aristoteles reliquit. *Arist. H. A. l. 9. c. 1.*

Nec magis notum, quenã sit PHALARIS; Bellonius pro ea Mergum varium majorem substituit. Gesnerus Folægam Italorum eam esse credit. Apud Athenæum habet rostrum angustum; corpus aspectu magis teres quam Anas, colorem in alvo & dorso cinereum. *Athen. Dipnos. l. 9.*

AVOSETTA Italorum, quam Lucarni circa lacum Verbanum Spinzago d'acqua vocant, Recurvirostram verè dixeris, avis est magnitudine columbæ aut paulò gracilior, rostro nigro,

gro, sursum tendente, in extremo acuto, quinq; digitorum ferè longitudine. Corpore supino toto albo; capite & cervice superius ex fusco nigricãte, pedibus coloris cyanei diluti, digitis membranis junctis. Cruribus longis, acideo posteriore digito, qui pro calce est, minuto.

Vox ejus est Crex. Crex.

Aelian. H. A. l. 3. c. 11. & l. 8. c. 25 Arist. H. A. l. 9. c. 6.

TROCHILVS juxta ripas fluviorum oberrat, & tanta sæpius celeritate discurrit, ut cursus volatu ejus velocior sit, Obvia quęque depascitur, hirudines etiam quæ faucibus Crocodili inhærent, Cladorynchos seu potius κλαδαρορύγχης inprimis, legit. Mira de illis Oppianus, nimirum, mares à fœminis, fœminas à maribus pasci. Ineunte vere priores fœminas, sollicitare cantu vel stridore potius peculiari, masculos ad coitum. Fœtu procreato separari, & ad sua pascua redire. Tunc mares omnem fœturę & Veneris curam relinquere, fœminis laborem solum incumbere, eumque eas inter se partiri. Alias ova in nidis fovere, alias foventibus cibum congerere. Pullos adultos ad littus ubi mares versari solent perduci. Ibi fœmellas cum suo sexu remanere, masculos ultrò separari. Gesnerus esse putat generis Gallinularum Aquaticarum; Aldrovandus Corriram seu Tabellariam vulgò dictam. Avis hæc est varia, rostro recto, luteo, in fine nigro. Rictu magno. Oculis nigris albo circulo circumdatis, quem rursus alius spadiceus ambit. Cruribus longis, coxis brevibus, digitis membrana junctis. Si Corrira Trochilus non est, Celeris est.

TITVLVS II.

De Avibus Palmipedibus Herbivoris.

CAPUT I.

De Cygno.

CYgnus, qui & *Olor* quasi ὅλος ἐρᾶος, totus candidus, Græcis modernis Cyprinus, veteribus κύδνος & κύκνος seu ἀπὸ τῆς κυκνᾶν τὴν ἰλύν, quod cibi causa cœnũ scrutetur, & turbet, seu quasi κλύκος quod sit clamosus; seu quod teres collum habeat, dicitur. Totus est candidus. Horatius purpureum, & pulchrum & splendentem, poëtica licentiâ nominasse creditur. *Rostrum* habet parvum turbinatum, in extremitate obtusum, serratum & falcis instar dẽtatum, colore rufo; in cujus summa parte qua capiti committitur, tuberculum rotundum, nigerrimum, & rostrum in se inflectens visitur. *Collum* longissimum, viginti octo vertebris constans, unde δολιχόδειρος Homero & δολιχαύχλω Euripidi dicitur. Et Lineę velut piscatoriæ usum in aqua porrectum præbet. *Pedes* nigris notis partim cæruleis partim rubicundis & albis distinctos. *Membranas* digitis interjectas squamulis minimis rotundis inæquales. *Digitos* verò veluti annuli quidam in latum intersecant; eorum medius omnium & crassissimus & maximus est, longus digitos decem, internus novem, externus septem. Vno pede pro remo, altero pro corporis sui gubernaculo utitur. *Linguam* mediam, quod superius ponendum erat, sulcus denticulis palatum medium secantibus respondens dividit, & ipse propè radicem scaber. *Interna* si spectes, *Intestina* omnia quatuor dodrantes, & palmum longa, multoq; adipe, qui vicem emeriti obit intecta, in illo quem Aldrovandus secari curavit, erant; & cum simplici tantum in se media spira revolutione inflectantur, ne aliquid non planè distributi alimenti præterlaberetur, natura, cœca duo dodrantis spacio inter anum & ipsorum initium interjecto, recto intestino appendit. *Arteria aspera* admirandæ planè est structuræ. Nam Oesophagum subjectum comitata, ad jugulum descendens cum pervenit, non recta, ut in cæteris animantibus, ad pulmones tendit, sed supra claviculas elevata, in costam ossis pectoris seu sterni, quæ ex duobus lateralibus ossibus, & tertio superno his pro operculo incumbente fabricata, vaginæ seu thecæ figuram & usum præbet. Ad huius finem postquam pervenit arteria, in-

Descriptio.

Homer. Iliad. β. Euripid. in Iphig.

ria, infernè in se instar serpentis reflectitur, & S. literam exprimit; moxque sub priore jam dicta portione ipsi superposita, hanc capsulam denuò egreditur, & claviculis mediis conscēsis, harum jugo tanquam fulcro innititur; atque ita sustentata, denuò in morem tubæ revolvitur, thoracisque cavum subiens, antequam ad pulmones fertur, prius quasi laryngem alteram efformat, transversim secta, osliculoq; quantum i sa lata est longo, & quod tenui membrana obtenditur, hiulcam fistulam, seu syringem organorum musicorum, quæ inferiore sui parte simili fissum patulæ sunt, figuram repræsentat. Sub hac larynge arteria in duas canales divaricatur; quorum singuli in medio ampliori capacitate protuberantes, recta in pulmones exiguos costis retro totos affixos abeuntes, distribuuntur. Talem structuram & cantus, de quo postea, & respiratio reposcebat. Ne enim, dum aliquando horæ dimidiæ spacio toto capite & collo pronis, vado alimoniā hausturus immergitur, periculum suffocationis incurrat; ex ea arteriæ, quæ pectoris dictæ vaginæ reclusa est, portione, spiritus quantum satis suppeditatur.

Locus. *Locum* si attendas, est avis amphibia Maximè tamen aquis delectatur. Ælianus greges eorum in Afro mari apparere prodidit. In fluvijs Caystro, Istro, Tanai, Strymone, Mæandro, Eridano, Mintio, Tamesi & quidem magna copia degere, apud Ovidium, Senecam Tragœdum, Theocritum, Lucianum, Statium Papinium. Mantuanum, Polydorum Virgilium, & alios invenies. Innumeris in agro Engolismensi; Francisci primi opera, in fonte Tenario educatos Brujermus testis est: sed stagna vehementer appetunt; seu quòd quietiora nec natatum impediant, quod Ælianoisum, seu quod in illis major herbarum suppetat copia.

Ælian. H. A. l. 10. c. 36. Ovid. Metam. l. 2. & 5. Seneca in Agamem. Theocrit. Eidyl. 19. Stat. l. 14. Theb. Polyd. l. 1. H. Anglor. Ælia. H. A. l. 17. c. 24. l. 15. de re cib. c. 61.

Victus. *Cibus* ipsi herbæ at segetum grana, ova piscium. Rostro cribrat cœnum, & algam inprimis quærit. In Scotiæ lacu Spina, herbæ cujusdam semine, quę ab iisdem nomen sortita est, delectatur. Eâ autem naturâ est, ut agris injecta nunquam putrescat.

Tempore *libidinis* blandientes inter se mas & fœmina, alternatim capita cum suis collis inflectunt, velut amplexandi gratia; colla mares applicant fœminis, deinde mas fœminam conscendit. Vbi *coierint*, mas conscius læsam à se fœminam fugit, illa impatiens fugientem insequitur. At non diutina hęc est eis discordia, noxa cessante reconciliantur; & fœmina maris persecutione relictâ, post coitum frequenti caudæ motu, rostrum in aquis mergens, se purificat. Semel tantum anno initio veris *pariunt*. Quia plures & speciosos fœtus producunt καλλίπαιδες & πολύπαιδες dicuntur. Aristoteles εὐτέκνας dicit. Pariunt *ova* tertio anno, illaque magna, oblonga, testâ durâ obtecta.

Partus. Hector Boetius in descriptione Scot.

Probè natant, velociter sylvestres, tardè ob corporis pondus domesticæ *volant*. Aristoteles longius in pelagus efferri scripsit. Et Hesiodus κύκνους ἀεροπόρους nuncupat.

Volatus. Hesiod. in scuto Hercul.

Cantum quod attinet, scinduntur in sententias Authores, κύκνῳ τῷ ὀρνίθι μουσικὴς εἶναι δόξαν, prodidit Pausanias, cum eo Socrates apud Platonem, Aristoteles, Cicero, & Philosophis, ex Poetis Callimachus, Aeschylus, Theocritus, Antipater, Euripides, Lucretius, Virgilius, Seneca, Ovidius, Martialis, sentiunt. Diluculo ante solis ortum tanquam in aëre vacuo per id tempus audiendi clarius, in maris littoribus, nisi tempestas dissuadeat canere; nec cantus in senecta morti vicinus (remissior is tum) obliviscit. Favonium vel canendum observare, fati certos, ne à quoquam interpellentur secedere, apud Oppianum legitur. Fabulosum id, apud Lucianum, Plinium, Alexandrum Myndium & Scaliger. invenies. Aelianus vacillat, & modò his adstipulari, modò in illos propendere videtur. An funeris sui cantator sit, quod & Brasavolus observasse dicitur, nescio. De Elephanto sanè id proditum. Cantare, nullum ferè dubium. Audivit in lacu Mantuano cantantes Pendasius. Propè Londinum in Tamesi festivis cantib. subeun-

Vox. Pausan. Arist. H. A. l. 9. c. 12. Cicero l. 3. de Orat. Ovid. l. 5. Trist. Eleg. 1. Seneca in Hyppol. Martial. in Xeniis. Oppian. in Ixeutic. cit. Aldrovando. Lucian. in Electro. Plin. H. N. l. 10. c. 23. Myndius apud Athē. l. 9. Scalig. Ex. 232.

Aeliā. H.A. l.20.c.30. l.11 c.1. Idem var. l.1.

euntes classes excipiunt. Canorum quiddam lamentantium in morem quovis tempore obstrepere, observavit Aldrovandus. In hoc deniq; duplex ille flexus, qui ossis pectoris primum capsulæ inseritur, deinde altera revolutione in furculam inclinata recumbens, in pulmones decidit, factus videtur, ut vox in ipso revolutæ arteriæ angulo, repercusso, majori cum clangore erumperet, ac veluti morulæ exiguæ in eo anfractu quiete recreata, vires acquireret eundo.

Plin. H.N. l.10.c.23.

Ingenium in volatu potissimum ostendunt. Liburnicarum more rostrato impetu feruntur, facilius ita findētes aēra, quam si recta fronte incederent. A tergo sensim dilatante se cuneo, porrigitur agmen, largeq; impellenti præbetur auræ. Colla imponunt præcedentibus, fessos duces ad terga recipiunt.

Aetas. †Arist. l.9. H.A.c.1.

Quod de *ætate* apud Aelianum legitur ducentesimum nempe attingere annum incredibile videtur.

Aeliā. H.A. l.14.c.13. † Statius. Homerus Iliad.o.

Inimicitias interdum tantas inter se alunt, ut alter alterū † devoret, vel, ut Aelianus, perimat. Nec pullis, vel ovis parcitur. Ab Aquila † sibi metuāt. Attacti, non iniquo Marte repugnāt: sed nec cum fulgure, serpentib. & draconibus ipsis convenit. Cicutā interiisse non mirum, cum & porci illius esu periisse visi sint.

Præsagiū

Pluvias expectabis, si rorem aquæ inspergunt; si profundos eidē immergunt humeros, serenitatem. Apud Helvetios ingens frigus metuitur, si hyeme in quodam lacu apparuerint.

Vsus.

Vsus in *cibis* laudatus apud veteres. Alexandrides inter aves lautas numerat, & Dipnosophistis apponuntur; nec minore quam Anseres habitos, precio ex Plutarcho potest colligi. Recentiores nigram, & duram, fortè quia annosi adferuntur, carnem accusant. Moscovitarum tamen Duces, quoties carne vescuntur, assos hospitibus apponunt. In *Medicina*, faciem purgat, & erugat adeps. Ova ad ignem sacrum celebrantur. Pellis ventriculo apposita, concoctionem vi peculiari juvare creditur.

Plut. l. de esu carnū. Herberst. in Mosco. legat. Scæn. hammon.

***

CAPVT II.

Anser dux expeditionis Sacræ. Alb. Aqu. l.31. f.m. 196.

De Ansere.

ARTICULUS I.

De Ansere domestico.

Plin. H.N. 10.c.22.

ANser, Plinio alicubi Ganza, Græcis veteribus χλιά, χίνα modernis, avis est vulgo tam nota, ut descriptione non indigeat. Inferum & domesticum distinguitur, quorum ille minor Aristoteli, varius esse à Columella manifesto errore proditur, cum apud nos varij candidos numero exsuperēt. In regno Senegæ colore & pennis multijugis variantur. In Hispania nova capite rubeo, olores candicie superant.

Descriptio.

Visus cum duobus capitibus, totidemque linguis, collo unico, quatuor pedibus, quorum unum par alarum locum occupabat, alterum circa podicem. Alæ duæ circa collum pandebantur. Proditus ab Alberto & alter, dupli collo, quaternis pedibus, & totidem alis, dorso uno, adeo ut duæ aves, altera alterā ferens, viderentur. Frequentissima scilicet in illis ob humorem & stoliditatem monstra sunt.

Arist. H.A.

Interiora si spectes, testes sub diaphragmate lumbis annectuntur, hisce duo ex vena cava rami insident. Duo vasa ex infima utriusq; parte emersa, & deorsum per lumborum regionem rectò delata, prope os sacrum, coeunt, & canalem teretem, qui in plures orbes circumvolvitur, & cujus pars superior, tota carnea, inferior intus cartilaginea conspicitur, efformant. Penis loco extremam portionem datam, quæ in coitu arrigatur, haud malè conjeceris.

Locus.

Locus ipsis ferè ubique, eam Arabię partem quæ Austrum versus assurgit, si excipias. In Blœsia agro aquarum ferè experte greges copiosi spectātur, magnumque ex his plumæ pretium. De *victu* non est quòd dicam. Tenella arborum germina absumit, viridariorum herbas penitus depascitur, & vitium pampinos rodit. Trifolio, fœnugræco, lactuca, & aliis delectatur.

Quan-

Partus. Quantum ad *Generationem* in aqua † coeunt, nec humi insistentes; à coitu * aquis sese ingurgitant. Singulis maribus tres olim † destinabantur fœminæ, sex hodiè. Tempus admittendi aptissimum à bruma, pariunt & * juvenes absque coitu, sed hypenemia. Coitus expertæ si absque eo posuerint, plura quidem, sed sterilia, minora, & minus jucundi, quam fœcunda saporis erunt. De numero & *partus* & ovorum inter scriptores non cõvenit. Ter parere scribit Columella si fœtus non excludunt. Bis Plinius, si primum fœtum gallinæ excludant. Ova plurima sedecim, paucissima septem, huic pariunt. Si quis surripiat, pariunt, dum rumpantur. Illi singulis fœtibus pariunt, primò quina, sequẽti quaterna, novissimo terna. Quintilius ad duodecim, & ultra procedere ait. Carolus Stephanus, si non incubent duodecim, & singulis fœtationibus plura. Recentiorum quidam ad centum & ducenta ascendunt. Tempus pariendi aliis à Calend. Martijs ad solstitium: si bruma coiverint, Plinio post solstitium XL. propè diebus pariunt. Si appropinquant partus, digito tanguntur ova, quę sunt prima parte locorum genitalium. Incubatus à fœmina duntaxat absolvitur, nec recedit, donec pullos excusserit. Commodissimè à Calendis Martijs ad solstitium exercetur, secundum Palladiũ; à principio Novembris ad Decẽbrem exactum secundum recentiores. Pulli intra triginta dierum spacium excluduntur, † intra viginti quinq;, si dies tepidiores sunt. *

† *Varro de Re R. l. 8. c. 3.*
* *Arist. H. A. l. 6. c. 2.*
† *Columella de R. l. 8. c. 13.*
† *Arist. H. A. l. 5. c. 33. l. 6. c. 2. H. lib. 2. c. 1.*
Plin. l. H. N. l. 10. c. 59.
† *Arist. H. A. l. 6. c. 6.*
* *Plin. H. N. l. 10. c. 59.*

Vocem si attendas, παπάζειν & πλαπαγίζειν Græcis; Aratus κλαγγηδὸν adverbio de eadem usus est. Gratitare, gignire, strepere, clangere, Latinis dicuntur.

Vox.

Volatus. Rarò *volatum* domesticę exercent, sed pedibus valent. Mirum in hoc alite, inquit Plinius, à Morinis usque Romam pedibus venire. Fessi proferuntur ad primos, ita cęteri stipatione naturali eos propellunt.

Plin. H. N. l. 10. c. 22.

Affectus De *Affectibus corporis* pauca occurrunt. Solus ex pedestribus à cane rabido morsus, rabie non corripitur, si Nipho credendum. Laborat pituita & phtiriasi; illam pimpinellâ quæ in pratis nascitur avertit. Huic frequenti ablutione & sideritidis usu occurrit. Pullis eorum urtica contacta mortifera; nec minus aviditas, nunc satietate nimia, nunc suamet vi; quando apprehensa radice, morsu sępè conantes evellere, ante colla sua abrumpũt. Discordia cum Aquila, ne morte quidem interrumpitur, pennę commixtę certent, & Anserinæ ab Aquilinis absumuntur.

Plin. H. N. l. 10. c. 59.

Aetas sexaginta annos attingit, si Alberto credendum. Non dedisset fidem Cardanus, nisi carduelem tredecim annis in cavea educatam scivisset, & sylvestris anseris tam duram carnem, ut ne triduum quidem cocta emolliri posset.

Aetas.
Aelia. H. A. l. 5. c. 29.

Quod folia lauri ne in extrema quidem fame attingunt; rhododaphnes ne coacti quidem edunt; quòd humanum longè præsentiunt odorem, & auditu cum apro certant; quod se ab Anfere dejectum Falconem vidisse Scaliger scribit; vigil, cura Capitolio testata defenso, per id tempus canum silentio proditis rebus, & fama amoris, † Argis dilecta forma pueri nomine Oleni & Glauces Ptolomæo Regi cithara canentis, quam eodem tempore & aries adamasse creditur, *ingenio* debetur. Potest & sapientiæ videri intellectus iis esse. Ita comes perpetuò adhæsisse Lacydi Philosopho dicitur, nusquam ab eo non in publico, non in balneis, non noctu non interdiu digressus. Quod semper vociferatur, improbum dixit Virgilius. Si dum ad pastum festinant, jugi clamore obstrepunt, tempestas imminere dicenda est.

Ingeniũ.
Mizald. de Anim. l. 5. c. 29.
† *Plin. H. N. l. 10. c. 22.*
Theophr. de signis Tempest.

Reperere olim in *cibis* æstimium: Regum Ægypti mensis solus cum vitulo apponebatur. Alexander Severus festis tantum diebus ad cõvivium recipiebat. Ab Annibale Numidicis Gallinis præferebantur. Quod si jecur respicias, Romani eos ejusdem bonitate novere inquit Plinius. Fartilib. in magnam amplitudinem crescit: exemtum quoque lacte mulso augetur. Nec sine causa in quæstione est, quis primus tantum bonum invenerit,

Vsus.

nerit, Scipio Metellus vir Consularis, an M. Sestius eadem ætate Eques Romanus. Hodiè in Gallia non minoris fit Anser altilis, quàm Romæ olim Lupus scarus, aut Mulus. Est & Judæis ubiq; terrarũ in delicijs. Nec damnosi interdum, hyeme & juniores in cibum cedant. Aliorum excrementitia & concoctu difficilis caro est. Tenerescunt tamen, si collo per triduum suspendantur, gravi lapide pedibus alligato. Septentrionales sale conditis, & vento siccatis, tum coctis, post æstivale solstitium vescuntur. Messalinus Cotta, quod constat, Messalæ Oratoris F. palmas pedum ex his torrere, atque patinis cum gallinaceorum cristis condire reperit. *Plin. H. A. l. 10. c. 27.*

Quantum ad *Medicinam*, Plumæ ex ventre tritæ & insperſæ, sanguinem sistunt. Lingua peculiariter ad vesicę vitia & involuntariam mictionem facit. Sanguis utilissimè inter Antitoda miscetur. Fel contusis oculis prodest, si hyssopo postea & melle inungãtur. De Adipis usu vide multa in Aldrovãdo. Puerperæ in Bohemia butyro in cibis præparant, si aqua aurem intraverit, præcipuum est remedium. Cum iridis nostratis pulvere permixtus, & umbilico in testa nucis juglandis inditus, alvum infantibus solvit. Aliud reperit Syriæ pars quæ Comagena vocatur; adipem eorum in vase æreo cũ cinnamomo nive multa obrutum ac rigore gelido maceratum, ad usum præclari medicaminis, quod ab gente dicitur Comagenum. Dioscorides Commagenes non meminit. De plumarum olim usu ita Plinius. Candidorum alterum vectigal in plumâ. Velluntur quibusdam locis bis anno. Rursus plumigeri vestiũtur, molliorque quæ corpori quam proxima, & è Germania laudatissima. Pretium plumæ eorum in libras denarij quini. Et inde crimina plærumque auxiliorum præfectis, à vigili statione ad hæc aucupia dimissis cohortibus totis. Eoq; deliciæ processere, ut sine hoc instrumento durare, jam ne virorum quidem cervices possint. *Schvvẽckfel. in Theritroph. Silef.*

ARTICULUS II.

De Anſere Fero in genere, de Vulpanſere, & Bornicla ave.

ANseris sylvestris plures sunt differentiæ. Plin. *Chenolopeces*, & quibus lautiores epulas Britannia nõ novit, *Chenerotes* ponit. Apud Albertum *cinereos*, qui propter corporis levitatem altius volant. *Grandinosos*, seu ob candorem niveos. Qui præter extremas quinque remiges pẽnas albi sunt. Æstate nuspiam conspiciuntur; hyeme ingruente sublimi volatu gregatim migrant: *Arborum* qui ex arboribus nasci creduntur, quibus color capitis ut Pavoni, absque crista tamen, invenies. Schwenckfeldius eos in arborum cavis, cornicum & ciconiarum nidis, ova tredecim vel quatuordecim, illaq; flaventia parere scribit. Apud Oppianum *Linurgi* & *Cenchritæ* reperiuntur. Gesnerus Anseris *stellati*, quem Itali Ciccum vel Ocam Sternam vocant, cui magnitudo inter Anatem & Anserem, pondus leve, pectus maculis versum, dorsum & alæ cinerea, meminit. Scaliger in Oceano Brasiliæ *marinos*, à colore atro, qui nũquam evolent, esse prodit. De *Bassano* seu Scotico superius egimus. Descriptionem non morabimur. *Caput* ferè Anatinum magis quàm Anserinum. Utraque *mandibula* intus oras serratas loco dentium obtinet. *Palatum* quibusdam denticulis acutis instar limæ est scabrum & asperrimum. *Membranæ* quæ digitos connectunt in extremo serræ instar denticulatę videntur. *Descriptio.* *Schvvẽckfeld. in Aviario Silef.*

Locus ipsis maximè circa paludes. In Æthyopia adeò frequentib. agminibus grassantur, ut tum morsu, tum stercoribus omnia demoliantur. In Septentrione cubationis tempore, quo à meridionalibus plagis redeunt, copiosissimè visuntur, circa Aprilis initiũ. In Bataviam, Hannoniam, Artesiam migrationis tempore copiosissimi confluunt: Novam Hispaniam mense Decembri prætervolant. In *India* *Locus.* *Carol. Stephan. de R. R. l. 1. c. 15.*

India pulcherrimi conspiciuntur. Totum ipsis corpus, præter pectus & ventrem, nigrum. Oculos circulus coralli æmulus ambit. Ex minore oculorum Cantha linea ejusdem substantiæ & coloris extuberat, versusque collum deducitur. Inde sex septemve ramuli exigui utrinque ad medium colli usq; descendentis, devaricantur.

Partus. *Coire* post hyemale solstitium incipiunt, initio veris *ova* ad summum sedecim ponunt. Steriles evadunt, si mites redditæ fuerint.

Volatus. Migratoriæ sunt aves. Migratoriæ vociferantur alte volando, forte ne qua earum remaneat. Meridiem petunt cum Septentrio propellit; istum cum Auster, nec cessant, nisi esuric coacti. Ordo ut Gruum cum silentio literatus; nec clangunt nisi rupto ordine. Vide quæ de domesticis ex Plinio diximus. Oppianus nec Ducibus, nec somni tempore custodibus destitui scribit. Taurum montem superaturi Aquilarum metu lapillos rostris ad coërcendam linguam ferunt. Cilicibus id quidem tãtum attribuit Plutarchus: sed feris adscribi apud Aelianum & Marcellinum legimus. Tardius adveniunt quàm Grues. Vidit aliquando Gesnerus sexto Octobris permultas avolantium turbas, quæ ab Oriente in Galliam & Occidentem versus per turmas triangulas volabant.

Author de Natura rerum. *Oppian. Ixent. l. 2. c. Aldrov.* *Aeliã H. A. l. 5. c. 29.*

Vsus. Quantum ad *usum*, caro propter exercitationem minus est excrementitia. Cruda adhuc suaviter olet. Linguæ assæ benè à calculosis in cibo sumuntur.

ARTICVLVS IV.

De Vulpanſere, Capricalca, & Bernicla ave.

AD Feros Anseres referri debet *Vulpanser, Capricalca, & Branta.*

VULPANSER seu Chenalopex quibusdã, est avis pectore ruffescens, aquatica, in cuniculorum foveis, interdum & rupium cavernis nidificãs, quam Angli Bergandram vocant. Gesnerus an Anser Stellatus sit Chenolopex considerandum reliquit. Aldrovandus nihil certi proferre potest. Inter palmipedes quæ circa aquas versantur, ab Aristotele numeratur. Ova hypenemia quandoque parit. In pullis tuendis eandem quam perdix operam collocat. Et ab Aquilæ, felis & cæterorum hostium injuriis sese defendit. In Cupedijs olim apud Britannos fuisse ex Plinio superius diximus.

Arist. H. A. l. 8. c. 3. *Aelian H. A. l. 5. 30. l. 19. c. 16. l. 11. c. 38.*

De CAPRICALCA occurrit. Corvo paulò majorem esse ac in delicijs haberi. Tæniis transversis fuscis per collum pectus & ventrem distingui, caudam nullam habere. BRANTA seu Bernicla & Bernichia, Scotis Clakguse, Gallis Crauant, & Oye Nonnete, Isidoro Barliata, Alberto Barbates, Hollandis Rotganſen dicitur. Bellonius Chenalopecem veterum esse putat. Minor est fero Anſere, Monacharum ornatui, quæ colorem album atro superimponunt, similis. Alis & dorso coloris plumbei, cauda brevi & nigra. Anserum ferarum more volat, strepit, paludes frequentat, & segetem depopulatur. De ortu magna est inter doctos controversia. Quidam coire volunt: alij ex putridis navium ruderibus; nonnulli ex pomis cujusdam arboris in insula Pomonia nascentibus corruptis; alij ex fructu foliis conglomeratis simili, qui cum opportuno tempore decidit in subjectam aquam, reviviscit; convertiturque in vivam, oriri existimant. Isidorus, Alexander ab Alexandro, Olaus Magnus, Hector Boëthius; Scaliger, Mejerus, Gesnerus, & alij, communi famæ adstipulantur. Batavi ex propria inspectione in Grônladia Barniclas, quæ ovis incubarent, pullosque educarent sese invenisse affirmant.

CAP. III.

De Anate.

ARTICVLVS I.

De Anate in genere.

Descriptio. ANas, Græcis antiquis νῆσσα vel νῆττα, recentioribus. χλῶα, vel παπίτζα, vel Pappos, avis est apud nos notissima. Dorsum ipsi & rostrum lata, pedes cartilaginosis membranis intersepientibus, ampli; crura brevia crassa, & retroversus disposita, ut in natatione valentius instantes; aquas propellere possent. Gulam habent amplam; linguam plæræq; interius asperiusculis utrinque eminentijs dentatam & quasi plumatam: Musculos circa corporis superficiem separatos, interiores albidos: quod si exteriores liveãt, quod vi frigoris fieri videtur, bonam secuturam æstatem rustici apud Helvetios conjiciunt.

Locus. *Aquis* tum ut earum frigiditate cõgenitam intemperiem, quę calida est, contemperent; tum ut pabulũ quoq; naturæ suæ & palato conveniens, illic quæritent, gaudent, inq; ijs maximam temporis partem versantur.

Victus. In *cibo* herbarum aquaticarum radicibus & seminibus, vermibus, & animalium aquaticorum ovis, lenticulâ inprimis palustri, quam Crescentiensis Anatinam, alij Pavarinam vocant, delectantur. Sunt qui piscículis & limo vesci, nec à venenatis abstinere, quod Scaligero placet, volunt. *Scalig. in Theophr. de caus. plantar. l. 2.*

Partus. Quantum ad *Generationem* tantæ sunt, Authori de natura rerum, salacitatis, ut plures mares solam fœminam certatim coeundo, occidant. Mense Martio & in sequente concumbunt. *Pariunt* juxta aquas & rigua; pulli exclusi statim reconditâ quadam naturâ aquam prosequuntur; & mox ut ovum exeunt, tanta agilitate vigent, ut etiamsi matrem mori vel alienari contigerit, sine nutrice vivant. Super omnia autem est earum ovis subditis Gallinæ atque exclusis admiratio; primò non planè agnoscentis fœtum, mox incertos incubitus sollicitè convocantis; postremò lamenta circa piscinę stagna, mergentibus se pullis natura duce. *Plin. H. N. l. 10. c. 55.*

Vox. *Vocem* Anatum author philomelæ per tetrinire exprimit. Scaliger quiritatricem appellat. Fœminæ crassior est, maris acutior.

Incessus. Lentè ob crurum brevitatem *incedunt*, ad natandum potius apti.

Ingenium. *Ingenium* ipsis cum Anseribus ferè commune, Aquilarum quomodo declinare soleant ictus Aelianus describit. Merguntur dum involant, & sub aquis natando, ex alio loco extra aquam eminent. Cum sese aquis mergunt, plumas; cum pennas rostro purgant, diuq; & multum alas excutiunt, ventos spondere Theophrastus, Ælianus, & Plinius tradunt. Ventris & intestinarum in bubus dolorem, visu natantium Anatum levari, easdem majore profectu mulos & equinum genus conspectu suo sanare, Columellæ & Vegetio placet. *Aelian. H. A. l. 5. c. 33.* *Theophr. de signis ventor.* *Aeliã. H. A. l. 7. c. 7.* *Plin. H. N. l. 18. c. 25.* *Columel. R. R. l. 6. c. 7.*

Vsus in cibis notus est. Cato Censorinus ægrotis etiam teste Plutarcho prescribi jussit; duram, concoctu difficilem, nec laudati succi esse, apud Hippocratem, Galenum, & alios legere est. Alij Anserinæ præferunt. Alexãder Benedictus in peste damnavit. Fracastorius lue venerea laborantibus prohibuit. Pectus & cervicem laudat Martialis, cætera danda coquo. *Vsus.* *Plutar. in Catone.*

Usum in *Medicina* superius etiam attigimus. Mithridates Ponti Rex solitus earum sanguinem miscere medicamentis quæ digerendis venenis valent; ipse talium medelarum usu ab intestinis epularum insidiis cavebat. Idem, sanguinem à cerebro defluentem infusus † sistit. Adeps per Clysterem injectus dolorem sedat colicum, & emplastro ad pleuritidem apud Myrepsum immiscetur. Fimum, Villanovanus utiliter morsibus venenatis imponi scribit. Chinenses adeò numerosa agmina alunt, ut sæpe XXM. excedant, his in evellendis noxiis oryzæ herbis utuntur. Quæ Campofulgosus, de Anate cũ tredecim pullis, men- *Gell. Noct. Atticar. l. 17. c. 16.* *Plin. H. N. l. 10. c. 6.*

mense Decembri, festo Nicolai, in Gallia propè urbem Redonensem, templum tempore Missę ingrediente, & aram circumeunte, ac unum pullum ibidem relinquēte (nescitur quo is se recipiat,) scribit, an fidem mereantur, penes Lectorem judicium esto.

ARTICULUS II.

De Anate Domestica, Indica, Lybica, & Cairina.

ANAS DOMESTICA Græcis νῆσσα οἰκηρὶς, Arato ματρίδι, interdum alba, aliquando cinerea, sæpè compositi ex utrisque coloris invenitur. Inter marem & fœminam hoc est discriminis, quòd ille plumas in Uropygio versus caput surrectas habeat. Quod tam acutam & magnam vocem edit, & tam diu caput sub aqua tenet, asperæ arteriæ debetur, qua bifariam in pulmones devaricatur, vesicam quandam duram & concavam, quæ ubi major apparet, dextrorsum vergit, habet. Famis aliquando & pestis præsagæ domesticæ, mansuetudinis oblitæ, Sylvas cum Gallinis, Anseribus, & Pavonibus petiisse dicuntur.

ANATIS INDICÆ tres descriptiones habentur. *Primæ* caput quod auctum plumis, in summitate cristam plumeam candidam per totam colli longitudinem, quam cum excandescit, erigit, gerit, sanguinis instar rubescit. Totum *collum*, callosa & incisuris distincta caro est. *Rostrum* totum cæruleum. Collum, qua corpori jungitur, circulo plumeo nigro, rara pluma alba, maculosa, per ima angustiorè, per summa latiore, nitescit: Extremæ alæ atque cauda cum splendore ut in Cantharidibus vilescunt. Fœmina nō ita variegatur, mari alioquin similis. *Alterius* caput albicabat. Rostrum, crura, cauda, & alarum longissimæ pennæ atri coloris erant. Collum supremum angusta linea nigra ambiebat. In *Tertia* nihil singulare apparet, tuberculum rubrum rotundum si exceperis, quod posteriori rostri parti & crurib. insidet. Id ipsi cum Anate maritima Rondeletij; cujus rostrum & crura rosæ sylvestris colore rubent, caput non sine viridibus maculis, nigricat; commune est.

NB. *De anatibus Indicis vide etiam Mantissam.* Num. 10.

LYbICA ut à Bellonio describitur, media est inter Anatem & Anserem magnitudine. *Rostrum* habet breve, latum, & in extremo aduncum. In capite inter duo nasi foramina *tuberculum* cerasi instar rubidum. Tempora sine plumis, cute corium rubrum præ se ferente. Genitale sanguinis instar rubrum, tam magnum, ut digiti unius crassitiem, quatuor vel quinq; longitudinem æquet. Vocem inter ruptam tanquam malè affectos pulmones haberet. Quam Aldrovandus describit, rostrum denticulatum habebat, toto corpore nigrescens, pectore duntaxat paulò albicante, Scaliger Indicam vocat; & nullam emittere vocem; ova, quæ unicoloria, fusca, rotunda penè sunt, si ad solem despicias, eandem in summo nigredinem, quæ in earum rostris est, habere, adjicit. Si duas nostrates singulis maribus destinaveris, magnum numerum ovorum pariunt. Sed pulli geniti nullam sobolem procreabunt, si Augustino Gallo credimus.

Anatem CAIRINAM & marem & fœminam descripsit Aldrovandus. Mas qui fœmellæ major, habet rostrū qua capiti conjungitur valdè crassum & tuberosum, in hamum tandem acutum & curvum desinens, nigricans ferè, sed propè finem rubidum; caput atrum & cirratum; guttur sub rostro punctulis sub candidis interstinctum, Corpus totum ferè atrum. Crura brevia sed robusta. Fœminæ rostrum erat minus tuberosum, qua capite connectitur, linea partim alba, partim rubra satis lata distinctum. Macula illa, quæ in maris rostro rubra, cinerei coloris erat, cui nonnihil rubri admixtum, &c.

* * *

ARTI-

ARTICULUS III.

De Anatibus feris in genere, & in specie de Querquedulis.

Martyr. de ut. Occani l. 1.

ANatum Ferarum multæ sunt differentiæ. Nam ut de illis taceam, de quibus acturi sumus, sunt in Insula S. Johannis in America albissimæ, capite rubeo. In Ancyra aliæ quæ voce cornuum sonitum imitantur, libertatis ita amantes, ut per totum etiam triennium in corte nutritæ, si occasio detur, erumpant. Cæterum latirostris omnibus corneus quasi in extremitate *unguis* est, quo cibos apprehendunt; *dentium* loco striæ circa rostrum asperiusculæ, *membranæ* pedum in extremo serratæ.

Locus. Olaus Magnus H. Sept. l. 19. c. 6.

Videbis ipsas passim; in septentrionalibus tanta copia, ut ferè cunctas aquas operire videantur: in ijs tamen inprimis, quibus subterraneæ venæ calidam exhalationem subministrāt, quas apertas circulari & obliquo natatu servare conantur; si vehementia frigoris vincantur, vastum mare pro statione petunt. Migratorias esse, & ad Xanthum fluvium adversus corvos pugnare, quidam credunt. Hyemis tempore aut in ripis fluviorum aut piscinarum aggeribus, aut paludum frutetis latere, aut sylvarum propinqua, hortorumque præsidia petere, verisimilius esse existimo. Sanè omni alicubi tempore conspiciuntur. Quæ in Tugurino lacu versantur, sæpè ad vicinum fluvium Silum transvolant. Quia minus ibidem à lupis & vulpibus læduntur.

Præsagiū

Si frequentes & conglobatas ferri animadverteris, quanquam cœlo sereno, imminentem expectabis pluviam; si alas in continente cōcutiunt, ventum instare existimes.

Præcipuæ ex illis sunt QUERQUEDULÆ, quæ *Roscades* & *Phascades* dicuntur, quæque in Minores & Majores dividuntur. MINORES quę Querquedulæ propriè dicuntur, Anatibus sunt minores, rostro, pedibus, & cætera similes. Gula ipsis alba atris notata punctis; venter candidus, alæ in cæsio viridantes; pedes cum membranis nigris cinerei. Vivas ventre deplumato in colica malum ad se trahere Abdomini appositas, experientia docuit. Species plures apud Aldrovandum invenies, ex quibus *Iaponicæ* priores quæ ad scapulam sunt pennæ, rosei obsoleti coloris, sed maculis semilunaribus nigris notatæ erant. Sequentes partim albæ partim virides conspiciebantur; omnium longissimæ cæruleo vegetissimo decorabantur colore.

Schvvēckfeld in Avenario Siles.

Ad has *ANAS circia*, *Kernell* circa Argentoratum dicta, *Querquedula cristata*, referuntur. *Circia* mergulo paulò major est, corpore fusco, rostro latiusculo. Calculis & seminibus herbarum aquaticarum victitat. *Kernell*, habet Rostrum Indici coloris, caput ruffum, punctis albis respersum, verticem nigrum, gulam albam, alas cinereas transversis duabus lineis albis distinctas. Pectus ruffum, crura fusca. *Cristatæ* quam Bellonius Colymbim vocat, corpus est rotundum viriditate gemans; occiput Onocrotali instar cristatum, oculi ære polito splēdidiores; sub quibus juxta rictum lata utrinque visitur macula. Crura brevia, pedes lati, pectus cum capite & collo nigrum, venter plumbeus.

Bellon. in Hist. Avium.

BOSCADES MAJORES sunt aspectu cinereæ: Mas in collo radiantes quasi Pavonis pennas colore ex viridi & cæruleo composito habet, torquem circa collum album, & in alis versus ventrē colore splendente sunt, vel *Minores*, quib. caput viride, rostrum subflavum, venter ex albo cinereus & variè maculosus, crura rubentia, Aristophani fortè περιεξεσμέναι dictæ: vel *Majores*, quæ coloribus cum illis magna ex parte conveniunt, & Stertenten quod rostro fundum fodientes victum perscrutantur, dicuntur. Amant glandes & avenam. Congeneres ipsis *Anates* à victu *Gramineæ* seu Junceæ, Schmitentem dictæ, rostro & pedibus nigris, corporis colore dilutiore. Quā Bellonius *Anatem Torquatam* esse credit, & περιεξεσμένην Aristophanis, mediæ est inter Anserem & Anatem magnitu-

gnitudinis, moribus Anserinis, sed voce magis obscura, quæ ex ovis à rusticis inventis & Gallinæ subjectis prodijt, dicit; illam Gesnerus Picam marinam esse, pedibus palmatis rubescentibus, & ad posteriora magis positis quàm cæteris palmipedibus; rostro, tenuiore magis latitudine se demittente, quàm longiore processu se extendente, quatuor incisuris rubris à summa, duabus ab ima parte sulcata, in colore pallentis ochræ, esse asserit.

ARTICULUS IV.

De aliis Anatum ferarum speciebus.

PRæter Boscades, sunt & inter Anatum ferarum genera, *Glaucius, Anas fusca, Muscaria, Platyrynchos, Fistularis, Caudacuta, Nigra, Herle Tadorne, Puffinus & Penelope avis*, de iis quorum Aldrovandus lib. xix. cap. 45. mentionem facit, taceo.

Pro GLAUCIO, quem Athenæus ab oculorum colore ita dici, & Anate minorem esse scribit, Morillanem nobis Gallicum Bellonius obtrudit. Cujus *rostrum* in margine serræ instar incisum est. *Collum* circulus quidam coloris albicantis cingit. *Caput* totum ad mediam colli regionē ferrugineo saturato ornatur. *Linguam* habet adeò carnosam, ut propè radicē gemina videatur. Nullū fel, jecur in duos distinctum lobos, quorum unus ventriculo incumbit, intestinis alter. *Victitat* seminibus herbarum, quæ in ripis nascuntur, astacis tenel is, limacibus, millepedibus aquaticis & alijs. Congenerē ipsi eam, quæ Gallis un Tiers, dicit, medio inter Morillonem & Anatem marem colore.

Bellon. apud Aldrov. Ornith. l. 19. c. 38.

FVSCA à colore dicitur. A media magnitudine, quidam MEDIAM dixere. Gesnerus eandem cum Rothalsa, unde Erythrocephali quoque nomen meruit, & veterū Penelope, quod similiter φοινικόλεγνος, & ποικιλοδειρος sit, hoc est collo puniceo & vario, facit. Triplicem ejus descriptionem apud Aldrovandum invenies. Fœminæ caput non rubet, sed maculas aliquas flavas habet.

MUSCARIARUM (dicuntur ita quod muscas capiant) tria sunt genera. *Vnum* quod laminam rostri superiorem habet planè croceam, dentes utrinque serratos, membranaceos flexiles, eminentes. Colorem plumarum per totum corpus varium. Helvetijs Muggrate. *Alterum* corpore magno, coloris elegātissimi in lacu Podamico circa Constantiam visitur. Murente & Mossente à palustri cœno vocātur. *Tertium* Miscenis Pillente dicitur, rostro longo, molli & cinero. Musci suscis suspenso gradu ingrediens insidiatur, & vocem noctu lamentati similem edit.

Gesner. in Ornithol.

PLATYRYNCHI seu Lati rostrę in plura genera disperguntur. Sunt qui rostrum clypeorum instar convexum & longum nigricans habent. Et quia inter volandum alis suis ita perstrepunt, ut sonus crepitaculorum repræsentetur, Schelenten dicuntur. Quibusdam qui Taschenmaul Helvetis, inferiorem rostri laminam superiorem ita ut tota intra eam includatur, subire, dentes ab utraq; rostri parte molles, flexiles, rectos, & omnium longissimos esse, adjicit Gesnerus, sunt quibus idem duplo ferè quàm in cæteris latius habetur: idque in mare nigrum, in fœmella modò flavescēs modò maculis varium visitur. Dantur & platyrynchi *pedibus rubris: & alii rostro nigro & plano*, quorum descripriones apud Aldrovandum habentur. Pertinet ad eos, *Clangula* cujus mas secundum oculos, qui pulchri sunt, utrinque maculam albam, caput magnum, & in nigro viridans habet; fœmina & v.rore & macula destituitur. *Fuligula* à fuligineo totius corporis colore ita dicta, cujus rostrum breviusculum latumq;, linea alba, alas propè finem transversim secat. *Cirrhata*, Vollente à corpulentia, gallinæ magnitudine, cujus mas apicem in vertice gerit nigris pennarum cirrhis conditum, prope quem pennæ utrinque ex nigro virent.

FISTULARIS, à sono acutiore quem fistulæ modo emittit denominata,

nata, rostrum habet colore isatidis, circa unguē ductus quasi fila nigros; collum nigro rubroq; varium, tergum partim plumeum, partim rubris nigrisq; pennis temperatum. In Fœmellis nihil tale cernitur.

CAVDACVTAE rostrum supernè nigrum, à lateribus isatidis dilutæ imitatur colorem. In fœmella cum maculis nigris cinereum. in alis pennę infimæ transversim albæ; mediæ in nigro gemmantes, viridi, & damasceno, extremæ nonnullæ flavicantes, quæ fœmellæ denegata sunt.

NIGRA à corporis colore ita dicitur. Linea alba per ejus alarum longitudinem excurrit. Rostrum nigro luteo & rubro distinguitur. Pedes rubescunt.

HERLE, ut Galli vocant, rostrum habet rotundum & in extremo recurvum, rubrum, utrinq, striatum, colorem mali aurantij, Linguam serratam, alas candidas, pedes rubeos. Gesnerus eum inter Mergos relegat.

LA TARDONE corpus totum esset candidum, nisi alæ superius nigrescerent, ubi & linea rubra utrinq; conspicitur. Rostrum habet breve, in supe na parte rubicundum, à laterib. ut inq; versus narium foramina macula nigra notatum, extremitate in aliam unguis instar desinens. Crura paulò altiora. Torquem, qui pectus ambit rubrum, cum tota ventriculi regio candicet.

PUFFINUS avis est marina, colore fusca; pennis caret, sed plumis tantum ceu lanugine quadam vestitur. Itaq; subvolare non potest. Si quando ocyus locus mutare instituit; alarum, pedumq; extremitate nixus, aquas celeriter quasi prorepens præterlegit. Alga & cochleis victitat. Sale conditur & tempore quadragesimæ editur in Anglia.

PENELOPEN avem Anati similem, magnitudine columbæ, scholiastes Aristophanis facit. Jon φοινικόλεγνον, id est, phœnicei coloris collum habentem ponit. Gesnerus illam esse putat, quam Germani Rotthalß/ Bellonius Canne à la teste rousse vocat. Capite est rubro, gutture & pectore nigro, reliquo corporis colore plumbeo; rostro, cruribus & pedibus fuscis. Marem descripsit Aldrovandus exactè, quem vide.

CAPUT IV.

De Fulica, Cotta, & Rallo Italorum.

FULICA, quam quidam Phænen, quæ ossifraga est esse credunt; quidā ex veteribus, ut Cicero, Erodion, nonnulli Cepphum Aristotelis; alij nec fortè malè αἴθυιαν, cum à fuligine ita dicatur, putant, quæque Kiranidi Phalaris, Alberto Mergus niger, & pullus aquaticus dicitur, avis est magnitudine Gallinæ; colore per totum corpus nigro, in collo & capite nigerrimo, collo oblongo, syncipite glabro figura ovali, alba pellicula, figura cristæ gallinaceæ respondente, intecto, specie calvitij. Digitis pedum membranæ nigræ latæ, sed divulsæ adhærent, & utrinque aut ab altera saltem parte secantur. Internodia membranarum semicirculos ferè constituunt. Recta pedibus incedit, velocitei que currit. Lingua quàm Gallinæ mollior, ungues grandiusculi ac nigri. Alæ ad reliqui corporis convexum incurvatæ. Ventriculo *lien* adhæret, una ex parte gracilis & tenuis, altera verò in extremo crassior; atque soleæ equi instar inflexus, dimidiæ juglandis latitudine. Lobo *hepatis* dextro folliculus fellis auricularis digiti magnitudine annectitur. *Pulmones* costis adhærent. *Intestinum* rectum appendicibus utrinq; singulis palmi longitudine, extremo sursum reflexo, instructum invenies, si illud in superna parte aspexeris. Ova intus formata & lumbis annexa jam inde ab hyeme etiam obtinent. Nullum *sexus* discrimē, ut in cæteris avibus agnoscitur. Sunt tamen aliæ alijs interdum in ventre colore magis spadiceo.

De la Cerda super Virgil. Georgic l.1. Descriptio.

Bellonius apud Aldrov. l.19. c.13.

Locus & Victus.

Locis palustribus & stagnantib. delectatur; Maro marinas appellavit. Herbis & quovis seminum genere vescitur.

Nidu-

Partus.

Nidulatur humi, & *ova* magnitudine ovorum Gallinaceorum æstate ponit. Cum per serenitatem relictis paludibus in sicco ludunt, vapores ab aquis ad imbriferam nubem erigendam, sursum attolli sagaciter odorantur, & ventos præsagiunt, ut apud Virgilium legimus. Procellas voce testari, Cicero author est. Obscurus quidam, dum alas quatiunt aquam; dum se submergunt, simulq; alas quatiunt, ventum prædicare tradidit.

Arat. in Phænom. Virgil. Georg. l. 1. Cicero in Progn.

Genus illud quod *Marcol* Frisiis audit, cadaveribus pascitur. Ova inter arundines parit; quib. ab incolis, uno relicto ablatis, & nido perforato, reversa alia & alia, fraudes nescia ponit, donec effæta exhauriatur.

Quam Parisiēses *Diabolum marinum* vocant, colore est tā exquisitè nigro, ut penicillo inductus esse videatur, albam capitis maculam latiorē quàm Fulica habet, crura ad se attrahit.

COTTA Anglorum avis est: Fulica paulò minor, forma & colore similis. Rostrum tuberculo quodā rubeo insignitur, crura rubent, nulla syncipitis conspicitur macula. Urinando ad maris usq; fundum, alga, limo, gramine, parvisq; cochleis nutritur: piscibus abstinet. Negant eam diutius posse volare, quam pedis cavo hausta, priusquam volet, aqua, retineatur.

RALLUS Italorum in eo à Fulica differt, quod rostrum habeat nigrum, plus albi in alis & circa oculos coloris, crura subviridia, calvitium nullū, membranas inter digitos non ita dissectas. Mœstris rure non procul Venetiis distante magnis capitur expensis. A famulis, qui venaticorum canum vice cothurnis induti per aquas errant, fustibus exturbantur. Hinc præda Falconum insidiis fiunt.



HISTORIÆ NATVRALIS DE AVIBUS:

LIBER V.

De Avibus Aquaticis, Fissipedibus.

TITULUS I.

De Aquaticis Fissipedibus Carnivoris.

CAPUT I.

De Ciconia.

Descriptio.

Iconia Græcis πελαργὸς, & πελαγὸς, quibusdam κίκυψ, & κεκκφὰ, avis est apud nos notissima, pennis albis & nigris, cruribus albis, rostro Gruino sub rubro & crasso. Tempore Plinij affirmabatur linguam non habere, habere, illāq; sub rubram & brevissimam notum est. Degebant quoq; olim in Italia, nunc nullas esse opinatur Aldrovandus.

Plin. H. N. l. 10. c. 23.

Aldro. Ornith. l. 20. c. 1.

Locus.

In Fiderate agro, nec nidum fecisse apud Plinīū legimus; qui pariter eas-

nata, rostrum habet colore isatidis, circa unguē ductus quasi fila nigros; collum nigro rubroq; varium, tergum partim plumeum, partim rubris nigrisq; pennis temperatum. In Fœmellis nihil tale cernitur.

CAVDACVTAE rostrum supernè nigrum, à lateribus isatidis dilutæ imitatur colorem. In fœmella cum maculis nigris cinereum. in alis pennę infimæ transversim albæ; mediæ in nigro gemmantes, viridi, & damasceno, extremæ nonnullæ flavicantes, quæ fœmellæ denegata sunt.

NIGRA à corporis colore ita dicitur. Linea alba per ejus alarum longitudinem excurrit. Rostrum nigro luteo & rubro distinguitur. Pedes rubescunt.

HERLE, ut Galli vocant, rostrum habet rotundum & in extremo recurvum, rubrum, utrinq; striatum, colorem mali aurantij, Linguam serratam, alas candidas, pedes rubeos. Gesnerus eum inter Mergos relegat.

LA TARDONE corpus totum esset candidum, nisi alæ superius nigrescerent, ubi & linea rubra utrinq; conspicitur. Rostrum habet breve, in supe na parte rubicundum, à laterib. ut inq; versus narium foramina macula nigra notatum, extremitate in aliam unguis instar desinens. Crura paulò altiora. Torquem, qui pectus ambit rubrum, cum tota ventriculi regio candicet.

PUFFINUS avis est marina, colore fusca; pennis caret, sed plumis tantum ceu lanugine quadam vestitur. Itaq; subvolare non potest. Si quando ocyus locus mutare instituit; alarum; pedumq; extremitate nixus, aquas celeriter quasi prorepens præterlegit. Alga & cochleis victitat. Sale conditur & tempore quadragesimæ editur in Anglia.

PENELOPEN avem Anati similem, magnitudine columbæ, scholiastes Aristophanis facit. Jon φοινικόλεγνον, id est, phœnicei coloris collum habentem ponit. Gesnerus illam esse putat, quam Germani Rotthalß/ Bellonius Canne à la teste rousse vocat. Capite est rubro, gutture & pectore nigro, reliquo corporis colore plumbeo; rostro, cruribus & pedibus fuscis. Marem descripsit Aldrovandus exactè, quem vide.

CAPUT IV.

De Fulica, Cotta, & Rallo Italorum.

FULICA, quam quidam Phænen, quæ ossifraga est esse credunt; quidā ex veteribus, ut Cicero, Erodion, nonnulli Cepphum Aristotelis; alij nec fortè malè ἀίθυιαν, cum à fuligine ita dicatur, putant, quæque Kiranidi Phalaris; Alberto Mergus niger, & pullus aquaticus dicitur, avis est magnitudine Gallinæ; colore per totum corpus nigro, in collo & capite nigerrimo, collo oblongo, syncipite glabro figura ovali, alba pellicula, figura cristæ gallinaceæ respondente, intecto, specie calvitij. Digitis pedum membranæ nigræ latæ, sed divulsæ adhærent, & utrinque aut ab altera saltem parte secantur. Internodia membranarum semicirculos ferè constituunt. Recta pedibus incedit, velociterque currit. Lingua quam Gallinæ mollior, ungues grandiusculi ac nigri. Alæ ad reliqui corporis convexum incurvatæ. Ventriculo *lien* adhæret, una ex parte gracilis & tenuis, altera verò in extremo crassior; atque soleæ equi instar inflexus; dimidiæ juglandis latitudine. Lobo *hepatis* dextro folliculus fellis auricularis digiti magnitudine annectitur. *Pulmones* costis adhærent. *Intestinum* rectum appendicibus utrinq; singulis palmi longitudine, extremo sursum reflexo, instructum invenies; si illud in superna parte aspexeris. Ova intus formata & lumbis annexa jam inde ab hyeme etiam obtinent. Nullum *sexus* discrimē, ut in cæteris avibus agnoscitur. Sunt tamen aliæ alijs interdum in ventre colore magis spadiceo.

De la Cerda super Virgil. Georgic l.1. Descriptio.

Bellonius apud Aldrov. l.19. c.13.

Locus & Victus.

Locis palustribus & stagnantib. delectatur; Maro marinas appellavit. Herbis & quovis seminum genere vescitur.

Nidu-

Partus.

Nidulatur humi, & *ova* magnitudine ovorum Gallinaceorum æstate ponit. Cum per serenitatem relictis paludibus in sicco ludunt, vapores ab aquis ad imbriferam nubem erigendam, sursum attolli sagaciter odorantur, & ventos præsagiunt, ut apud Virgilium legimus. Procellas voce testari, Cicero author est. Obscurus quidam, dum alas quatiunt aquam; dum se submergunt, simulq; alas quatiunt, ventum prædicare tradidit.

Arat. in Phænom. Virgil. Georg. l. 1. Cicero in Progn.

Genus illud quod *Marcol* Frisiis audit, cadaveribus pascitur. Ova inter arundines parit; quib. ab incolis, uno relicto ablatis, & nido perforato, reversa alia & alia, fraudes nescia ponit, donec effæta exhauriatur.

Quam Parisiēses *Diabolum marinum* vocant, colore est tā exquisitè nigro, ut penicillo inductus esse videatur, albam capitis maculam latiorē quàm Fulica habet, crura ad se attrahit.

COTTA Anglorum avis est: Fulica paulò minor, forma & colore similis. Rostrum tuberculo quodā rubeo insignitur, crura rubent, nulla syncipitis conspicitur macula. Urinando ad maris usq; fundum, alga, limo, gramine, parvisq; cochleis nutritur: piscibus abstinet. Negant eam diutius posse volare, quam pedis cavo hausta, priusquam volet, aqua, retineatur.

RALLUS Italorum in eo à Fulica differt, quod rostrum habeat nigrum, plus albi in alis & circa oculos coloris, crura subviridia, calvitium nullū, membranas inter digitos non ita dissectas. Mœstris rure non procul Venetiis distante magnis capitur expensis. A famulis, qui venaticorum canum vice cothurnis induti per aquas errant, fustibus exturbantur. Hinc præda Falconum insidiis fiunt.



HISTORIÆ NATVRALIS DE AVIBUS:

LIBER V.

De Avibus Aquaticis, Fissipedibus.

TITULUS I.

De Aquaticis Fissipedibus Carnivoris.

CAPUT I.

De Ciconia.

Descriptio.

Iconia Græcis πελαργὸς, & πελαγὸς, quibusdam κίκυψ, & κεκκφὰ, avis est apud nos notissima, pennis albis & nigris, cruribus albis, rostro Gruino sub rubro & crasso. Tempore Plinij affirmabatur linguam non habere, habere, illāq; sub rubram & brevissimam notum est. Degebant quoq, olim in Italia, nunc nullas esse opinatur Aldrovandus.

Plin. H.N. l. 10. c. 23.

Aldro. Ornith. l. 20. c. 1.

Locus.

In Fiderate agro, nec nidum fecisse apud Pliniū legimus; qui pariter eas-

dem amœnum arbusto locũ in Transpadana Italia non permeare, sicuti nec octavum citra lapidem ab eo, refert. Sed & in Britannia ignotas esse audivimus, creditumque vulgo nonnisi in liberis regnis versari. Migratoriam esse avem certum est, sed quonam è loco venirent, aut quo se referrent, incompertum antiquis erat. Ex longinquo venire non dubium, eodem quo Grues modo, illas hyemis, has æstatis advenas. Extractus ex quodam propè Metim in Lotharingia lacu junctarum globus; quæ thermis excalefactæ revixerunt, si Campofulgoso credimus. Sed & ex Lario lacu eductas (simul rostra in ano inserta habebant) & rite eodem restitutas modo, Gaudentius Merula author est. Bellonius in Ægyptum in Æthiopiam avolare scribit. Septembrique & Octobri mense totam Ægypti planiciem occupare, oculatus testis affirmat. (Cum circa Abydum inquit essem, vicisimoquarto die Augusti, ingentem ciconiarum vim conspexi, quæ ad tria vel quatuor millia accedere videbantur. Volabãt illæ à Russia & Tartaria, & Hellespontum agmine decussato transversum trajiciebant. Et cum supra Tenedum insulam essent. Longo per anfractus tractu se convertebant, donec in circulum omnes collegerentur. Inde priusquam longius à faucibus Propõtidis pergerent, in minores aliquot turmas supra viginti se distribuebant, & se invicem versus meridiem sequebantur) Abituræ congregantur in loco certo, comitatæque sic, ut nulla sui generis relinquatur, nisi captiva aut serva, ceu lege, prędicta die recedunt. Nemo vidit agmen discedentiũ, cum discessurum appareat: nec venire, sed venisse. (De incolis ubi moraturæ sunt, intellige) utrumq; nocturnis fit temporibus. Et quamvis ultra citrave provolent, nunquam tamen advenisse usquam nisi noctu existimantur. Pythomes comen vocant in Asia patentibus campis, ubi congregatæ inter se commurmurant: eam quæ novissimo advenit lacerant, atq; ita abeunt. Notatum post Idus Augusti non temerè visas ibi.

Campofulg. Memorab. l.1.

Plin. H.N. l.10.c.23.

Vescuntur ranis, anguib. & piscibus, bis in ejus ventriculo dissecto aviculæ ossa reperit Schwenkfeldius. Bufonem non nisi summa fame gustant. Hinc nocere ijs, omnibus quidem locis nefas ducunt, sed in Thessalia vel maximè, ubi serpentium immanis copia est, quos dum escandi gratia insectantur, regionibus Thessalibus plurimum mali detrahunt. Capitale itaque occidisse, eademque legibus pœna quæ in homicidam. *Victus.*

Solin. in Polyhist.

Plin. H.N. l.10.c.22.

Nidulari in agro Varro innuit. In summis urbium tectis, ipsis etiam fumariis, certum est, nec dubium aridarum aliquando arborum summitates sectari. Primo adventu veteres nidos repetunt, salvos à sordibus repurgant, tempestate læsos instaurant & constabiliunt. In ijs duntaxat Veneri indulgent. *Ova*, triginta non amplius diebus, fœminam quatuor Anserinorum tum magnitudine tum colore similes ponere, eaque quamprimum variatis utrumq; plumis fovere Encomiastes author est. Incubatus spatio mensis tempestate benignâ absolvitur, & tam impensè nidos fovent, ut incubitus assiduitate plumas exuant. Tam flagranti amore fœtus prosequuntur, ut in incendio Delfensi, cum subtrahere non possent, cum iisdem alis contectis interire, quàm deserere maluerint. *Partus.*

Solin. c.41

Vox carum est apud quosdam *glotterare*. Quia sonus ille ex duabus rostri partibus ad instar crotali vel crepitaculi, quod ex duplici ærea lamina, vel duobus osciculis se invicem collidentibus inter se collisis fit, Crotalistria à P. Syro vocatur. *Vox.*

Nunquam Austro flante *volant*, dum feruntur, pedibus cursum moderantur, porrectisq; in caudam quæ brevior illis contigit pedibus, per aëra contendunt. *Dormientes* uni tãtum pedi innituntur, & caput humero alteri imponunt. *Volatus.*

Cum Cornicibus, Aquilis, Mergis & Vespertilionibus *inimicitias* gerere & Ingeproditum à quibusdam. Præsagam esse avem docuere exempla. Pressa obsidione ab Attila Aquileja, urbem cum pullis deseruit. Inde augurium ab oppugnante sumptum est, & urbs in po- *Affectus & Ingenium.*

Aelia. H.A.

Paul. Diacon.

in potestatem redacta. Cum tempestas imminet, utroque pede innixa, pennas tristior infundit, rostrum in pectus condit, & vultum eo unde tempestas ingruit, obvertit. Ex earum cum carnivoris in Lycia conflictu de proventu judicatur annuo. Si penes has victoria, pecora feliciter succedunt. Si illæ palmam abstulere, frugum fertilitas præsagitur. Quod vulnera origano sanant, & Platoni folijs vespertiliones à nidis arcent; quod rostro cum alvus non dedit, excremēta ejiciunt; quòd deniq; lapidem lychnitem, serpentum averruncam nido imponunt, ut apud Philostratum legimus; *ingenio* debetur. Lapis in mulieris Tarentinæ sinum conjectus, quod ex Aeliano & Oppiano habemus; & recens Zingiberis radix Vesaliensi hospiti allata, in gratitudinis exempla ibunt. Ciconiam fœminam adulterij, postquam hospes prohibuisset aquam, compertam, à maritis alijs discerptam: Alcinoën in Cranone Thessaliæ fœminam, quæ thorum Domini absentis polluerat, excœcatam, tanquam castitatis testimonia legimus. Ciconiarum legum apud Aristophanem nomen, inde originē traxit, quod in senectute parentes & alunt, & humeris gestant.

Aeliā. H. A. l. 6. c. 47.
Philostr. t. in vit Apollon.
Ael. H. A. l. 8. c. 22.
Gesner. in Ornithol.
Aeliā. H. A. l. 8. c. 20.

Usus. *Edebantur* ante Plinij ævum; id Sēpronius Ruffus, quem Horatius tangit, instituisse creditur. Nemo jam attigisse velit, seu quod venenatis vescatur, seu quod flavam duram, & mali succi carnem habeat.

Usum in Medicina si attendas, Assam si semel anno edatur ab arthritidie preservare nugatur Kiranides. Nec capras, nec oves peste infici quidam scribunt, si ex ventriculo aqua intrito singulis cochleare unum infuderis. Fimum ex aqua haustum nonnullorum fide comitialibus prodesse prodidit Dioscorides, refutavit Galenus, cum adipe suillo in Emplastri formam mixtam inveteratam podagram tollere, apud Ætium & Myrepsum invenies.

Dioscorid. Parab. l. 1. Galē. simp. l. 10. c. 17.

Datur & Ciconia, quæ quod dorsum totum nigrum si eminus spectetur, habeat, NIGRA dicitur. Reperitur in montanis & sylvosis Helvetiæ locis. Forma & magnitudine à Ciconiis propriè dictis non differt, qua parte alæ junguntur corpori, oblonga cavitas retrorsum extensa cernitur. Intestina sunt involuta. In femore dissecto nervi quatuordecim magnitudine differentes, quorum duo latissimi in genu partem cartilagineam se inserebant utrinque. Vescitur scarabeis & locustis. Nidulatur in abietibus. In cibo ferinum & piscosum præ se fert odorem. Infestatur pediculis.

Actius l. 12 c. 44.
Gesner. in Ornithol.

CAPUT II.

De Ibide & Phœnicoptero.

IBIS in multis cum ciconia convenit, verè πεχαρχώδες ὄρνεον. In duplici autem sunt apud Ægyptios differentia. *Candidæ*, quæ ad Pelusium tantum non sunt, cum in tota habeantur Ægypto; & *Nigræ*, quas Pelusium duntaxat alit, tota Ægyptus abhorret. Capite ista est corvi aquatici, rostro mucronato, incurvo, fornicato, rubente, & qua capiti jungitur, pollicis crassitiem superante. Abdito in pennas quę sub pectore capite & collo, cordis signaturam exprimit. Simul ac nata est, duas æquè drachmas ponderat, ut Plutarchus prodidit. Majus pro corporis proportione *cor* habere, Gaudentius Merula author est. *Intestinum.* Nonaginta sex cubitorum, ex aliena fide apud Aelianum legimus. Comprimitur id defectione lunæ, donec aucto rursus splendore fulgeat.

Descriptio.
Plin. H. N. l. 10. c. 30.
Arist. H. A. l. 9. c. 27.
Merula. l. 3. Memorab. c. 50.
Aelian. H. A. l. 10. c. 29.

Aegypto est peculiaris, mortem sibi fame exportata † conscisciit. Nullum non Alexandriæ trivium iis plenum est. Dicuntur tamen & circa Licham in extrema Aphrica, ubi lacus quidam dulcis est conspici. Quam se in Alpibus vidisse referente Plinio. M. Egnatius Calvinus prodidit, Nigram fuisse suspicamur.

Locus.
† *Aeliā. l. c.*

Vesciuntur serpentibus, bruchis, & locustis. Illos volucres ex vastitate Lybiæ vento Aphrico invectas interficiunt atque consumunt. Nec hoc intra Aegypti fines tātum. Sagacitate enim

Victus.
Cicero. l. 1. de Nat. Duorum.
Ælian. l. 10. c. 29.
Ammian. Marcellin.

Mela in descript. orbis. Ioseph. l. 2. Antiq. c. 10 Arist. l. 3. de Gener. c. 6.

enim excitatæ, venturis in procinctum eunt universæ, & priusquam terminos proprios externum malum vastet, in aëre occursant catervis pestilentibus. Ibi agmen devorant universum. Moses in Æthiopas per loca serpentibus infessa iturus, papyraceis inclusas secum tulit.

Partus.

Quantum ad *Generationem*, Ægyptij ore coire & parere nugabantur. Nidificant in palmis metu felium. Ex ovo Basiliscus nasci putatur, translato ex venenatis cibis in illud seminio. Vita ipsis longissima adeò ut Hermopolis sacerdotes immortalem jactaverint. Pennâ, Crocodilus, scribente Aeliano, & Ovo immobilis redditur; sed omne serpentum genus ad ejus cõtactum rigere, Philes tradidit. More lautarum mulierum tardo & molli *gradu* ingreditur; cubile petitura se purgat. Rostri aduncitate per eã partem se prodiit (salsugine autem utitur) qua reddi ciborum onera maximè salubre est.

Plin. H. N. l. 8. c. 27.

PHÆNICOPTERUM qui à colore ita dicitur, Lingulacam seu Glottidẽ Aristotelis esse credit Bellonius, si Scaligeri descriptionem sequimur. Rostrum neque rectum planè, sed neque aduncum habet. Scythici arcus potius partem imitatur. Cinereum colorem nobilitant alarum puniceæ pennæ; à quibus & nomen. Earum quoque nonnihil ad caudam, quam hujus generis longi cruris levibus brevissimam habet, ac veluti præcisam. Sub rostri initium ad colli commissuram sinus turgidus est qualis in Ardeola. Crura pedesq; alis habet concolores, sed adeò breves, ut cum in homine Galenus agnoverit longissimos, huic omnium quæ nota sunt nobis animalium, brevissimos attribuere potuerit. Magnitudo ei Ardeę. Flãmant nomen in Provincia. Habet & alterius iconem Aldrovandus, qui ex cinereo phęniceo & albo mistis coloribus spectabatur. Superior mandibula, in medio notabili extuberantia insignis, inferiore longior erat, & in acutissimam aciem desinebat.

Locus. Heliod. l. 6.

De *loco* nihil ferè certi. Nil avem disertissimè facit Heliodorus; ex Flandria hyeme ad Narbonensis Galliæ provinciam volare scribit Gesnerus; in mediis stagnis marinis degere; piscibus & cochleis vesci, reliquit Rondeletius.

Vsus.

Apitium linguam Phœnicopteri præcipui esse saporis pronunciasse, Plinius author est. Heliogabalum verò palatinis suis ingentes dapes extis & cerebellis illorum refertas exhibuisse, tradidit Lampridius.

Lamprid. in Heliogab.

CAP. III.

De Ardeis in genere.

QUam Latini Ardeam seu ab ardendo, quod fimus ejus exurat, seu quasi arduam propter arduos volatus vocant, illam Græci ἐρῳδιὸν, seu quod ἔαρ ἱδρῶι, id est sanguinem in coitu exudet; seu quasi ἐρωτιδιον avem Amori & Veneri propriam, dixere.

Genera.

Genera ipsarum tria Aristoteles & Plinius faciunt, *Leucum*, *Pellum*, & *Asteriam*; Scaliger album, nigrum & subfulvum, quod Pigrum Vasconia vocat. Aldrovandus innumera observavit. Corpus ipsis leve, exile, macilentum. Collum longum. Rostrum longum, crassiusculum, robustum, intus cavum, in extremo acutum. Digiti pedum terni longi, membranis modicè juncti. Quartus retrò pro calce similiter longus est.

Arist. H. A. l. 9. c. 18. l. 10. c. 60. Scalig. Exercit. 233.

Locus.

Degunt numerosæ circa paludes & stagna in Bononiensi, Ferrariensi, Mãtuano, & Ravennate agro; reperiuntur & in Anglia, quòd ibi capitale sit eas occidere. In Gallia Ardearia instituta habentur. Pulli volandi cõpotes ultro citroque commeant, deinde domicilia repetunt. In Insulis novi orbis quæ Ardearum dicuntur, tantam ovorum Hispani invenerunt copiam, ut multos ijs currus onerarẽt. Ab Agricola inter eas aves numerantur, quę calidiora loca quęrunt. Confecta hyeme ad solita revertuntur.

Victus.

Vescuntur piscibus & ostreis. Illos dum capiunt, solis radios ita excipiũt, ut visa ipsorum umbra refugiant. Hos cum testis devorant, quas à colore interno apertas, revomunt. Anguillas quoq;

quoque integras deglutiunt. Ad pedem tanquam ad illicium concurrere pisces creduntur. Si oleo ex ipsis per descensum destillato inungantur manus, pisces ita advolabunt, ut sponte capi possint. Piscatores Hirschbergenses illicium ex farina hordei, carnis cãcrorum ex chelis & caudis, placentæ lini expresso oleo parte una, vitellis ovorum tribus, pinguedine Ardeæ & olei laurini ana unc. III. cum petrolei & Camphoræ ana drachmis duabus conficiunt. Mirificè pisces illiciuntur.

Schvvẽckfeld in Aviar. Silef.

Partus. In *coitu* angi, mares etiam cũ vociferatu sanguinem ex oculis profundere, nec minus ægrè parere gravidas, Aristoteles, sed falsò prodidit. Vidit sæpè coëuntes Albertus, cruribus super dorsum fœminæ flexis; ita ut pedes maris ad caput fœminæ sint, & genua versus excrementi sedem super dorsum. Motu alarum se sustinent & semen infundunt. *Nidificant* in sylvis, locis paludosis; alnis & salicibus consitis ac ferè inaccessis gregatim. Sic & ab aucupibus, & à rapacib. immunes se putant. Cancros ceu fascinationis amuletum nidis suis imponunt, si Aeliano credimus. Carvo adversus infestinantia nidos suos animantia se munire; prodidere nonnulli.

Aeliã. H. A. l. A. c. 35.

Volatus. *Volant* extensis retrò pedibus. Ideò illis Uropygium inutile; collo contracto; tam altè, ut supra nubes transcendant, maximè cum jam futuræ imminent pluviæ.

Ariſt. l. de incessu Animal.

Affectus *Inimicitias* cum Alauda, ovorum suorum hoste, vulpibus, cochleis & Rapacibus exercent. Sæpè cochleæ è nativis egressæ testis, in magna securitate pascuntur; Ardeæ in vacuas involant. A Falcone depressa, rostro sub alis condito ac sursum elato, irruentem excipit. Sæpè ambæ elisis interaneis humi affliguntur enectę. Accipitrem excrementis suis, quæ pennas ejus & pedes faciunt, & exurunt, repellunt. Fertur Falcones, quod Crescentius prodidit, si sanguinem Ardeæ gustaverint, omne desiderium capiendi Grues amittere; si carnem absq; sanguine, videri non teneri.

Aelian. H. A. l. 5. c. 35.

Crescent. de Agricul. l. 18. c. 15.

De *Præsagiis* hoc sufficiat. Ventum vel pluvias innuere, vel cum caput pectori imponit; vel cum notas paludes deserit, & supra nubes attollitur; vel cum terra relicta multo cum clãgore † adfestinat; vel cum obstrepero clangore à mari ad terram avolat; vel cum in mediis arenis tristis residet.

Præsagiũ *Oppian. in Ixentic.* *Aratus in Phænom.* *Plin. H. N. l. 18. c. 31.* † *Aelian. H. A. l. 7. c. 7.*

Mensis in Gallia expetuntur. Sed *Vsus.* cum caro illarum piscolentum quiddam redoleat; & fibrosa sit, salubris esse non potest. Quæ de rostri seu in pelle asinina frõti alligati ad somnum conciliandum, seu cum cancri felle in eadem ad vigilantis collum suspensi, ad vigilias inducendas Plinius vel Kiranides prodire; inter fabulosa reputo.

Plin. H. N. l. 30. c. 15.

CAPUT IV.

De Ardeis in specie.

ARTICVLVS I.

De Ardea Cinerea.

ARdeæ cinereæ tria sunt genera; *Major*, nempè, *Minor*, & *Congener*.

ARDEA CINEREA MAJOR quæ Aristoteli Pella, seu pulla & fusca, cui superius dicta omnia ferè congruunt, Rostrum habet longum, propè frontem crassum, quod ita tenue pedetentim evadit, ut tandem velut in acum aliquam magnam desinat. Capiti cinereus, cirrhus ex tenerioribus pennis insidet, qui à syncipite incipiens sursum supra oculos per verticem erigitur. Dorsus posticus longiusculus est, & ferè anticis longitudine æqualis.

Nidulantur in excelsis arborib. non procul à fluminibus, tam apud Anglos quàm Gallos. Quia piscibus pullos nutriunt, & multi, cum ori inseruntur, in terram decidunt, idem cum pluvia à multis decidisse putantur. Franciscus I. Rex Gallorum tam cicures reddidit, ut à pastu redeuntes ad Ardearia sese reciperent.

MINOR prout à Bellonio describitur, rostrum habet nigrum, concavum,

vum, Lineam in fronte ab uno oculo ad alterum candidam. In capite & dorso pennas coloratas. Alas cinereas inter pennas verticis nigras exoriūtur candidę, exiles, aspectu jucundissimę. Nidificat in rupibus.

CONGENER, Ardea, rostrum habet pollicis crassitudine, digiti minimi juxta nares latitudine, intus cananiculatum, infernè corneum & roseum. Plumas capitis, colli, dorsi, & superiorum alarum ex cinereo fuscescentes, extremas omnes macula ruffa notatas. Ventrem ferè ex cinereo album. Crura subviridia, & pedes in digitos fissos, quos tamen divaricationis initio breviuscula membra cōjungit. Ad hanc refer, quam Gesnerus describit, cui rostrum est subflavi coloris, marginibus acutis, & parte anteriore leviter dentium loco exasperatis, ferratisve. Caput & collum candida. Crista capitis è plumis nigris retrorsum tendit. Dorsum & alas cinereas. Unguem medij digiti ab altera parte denticulatum.

ARTICULUS II.

De Ardea Alba.

Descriptio. *Plin. H. N. l. 10. c. 40. Cic. l. 2. de Nat. Deor.*

ARdea alba, Græcis λευκερόδιος, Ciceroni Platelea, Plinio Platea, Alberto Cochlearia dicitur. *Corpus* habet instar cygni candidum. *Rostrum* nigrum pauculis notis ferrugineis superiori parte respersum, substantiæ coriaceæ duræ, cochlear referens. In quibusdam ad carneum colorem proximè accedit. Fœminæ superius maculis rubeis conspergitur. In maris verò rostri medio, linea quædam qualis etiam in circumferentia conspicitur, à fronte ad rostri apicem usq; conspicua est; propè oculos macula cærulea, quæ in fœmina lutea est, visitur. Quædam maculis in collo & dorso pulcherrimis, colore coccineo consperguntur. *Interiora* si spectes in dissecta apud Aldrovandum fœmella, *Lien* erat exiguus, nigricās, rotundus, dextra parte, propè folliculum bilis non procul à ventriculo. *Intestina* sinuosa, uniformia, novem spithamas longa. *Cor* nullo pericardio vestitum. *Ventriculus* lævis, intus & simplex. *Ingluvici* loco pars ventriculi superiori orificio imminens, ampla capacitas. *Aspera arteria* cygneæ valdè similis, licet contrario modo sita. Nam quemadmodum in Cygno ad sternum ascendens post descendit; ita hæc ad pulmones recta percurrens, suos flexus agit invicem oppositos. *Ossa* tibiæ aperta, medulla rubrā erant plena. *Reperitur* in Gallia, Anglia, Bohemia, nō tantum marinis locis, sed & palustrib. In Holandia non longè à Lugduno infinitos earum nidos vidimus.

Vescuntur piscibus, ranis & serpentibus, ut quidam produnt. Nec vel herbas aquaticas virides, & ramenta radicum geniculata arundinum, vel intestina Gallinarum aspernantur. Facilè *coëunt*, in arboribus nidulantur, & pariunt, ad quatuor fœtus alunt, qui à ferini saporis cultoribus commendantur. Gesnerus sibi gustanti Anseri non dissimilem visam ait; & apud Anglos in deliciis habetur. *Victus.* *Arist. H. A. l. 9. c. 18.*

Huc plurimæ aliæ Ardeæ referuntur.

I. GARLETTA Italorum, ut Gesnerus vocat, avis cum Ardea per omnia, colore excepto, congruens. Quam Gesnerus Ferrariæ vidit, *rostrum* habebat longum acutum; in crista capitis dorsum versus pennæ oblongæ ad duos cum dimidio dodrantes, circiter sex nascebantur, quæ aliquando magno vendebantur precio. *Pedes* nigricabāt: inferius tamen subitò in medio cruris, nigercolor desinebat, & viridis è glauculo suberat ad extremos usque ungues. Minimus *pedis* digitus binis articulis constabat; proximus ab eo ternis, medius quaternis, ultimus quinis. Cum hac eandem illam Aldrovandus facit, quę habebat rostrum supra nigrum, infra cæruleum, oblongum; caudam brevem, rariores aliquot in dorso illasque oblongas pennas, quibus pileos & galeas proceres exornant, tres in capite pinnas, breviores & coloris albi, quæ cristam efficiebant. *Gesner. in Ornithol.* *Aldro. Ornith. l. 20. c. 14.*

II. EGRETTA Gallorum, quæ & Hæmatopus, Phœnicopus, & Cirris

Vir-

Virgilij, ut Scaligeri pater & filius adstruunt, dicitur. Omnibus ferè Ardeis minor est, tota ferè ex croceo, ad colorem castaneæ vergens, pronè intensius, supinè & super alis remissius. *Collo* brevi; *rostro* robusto, longo, acuto, bicolore; qua caput tangit viridi, vel ex viridi ad cæruleum inclinante; *cruribus* & pedibus, rubri saturati coloris; *cauda* tam exigua, ut ea prorsus carere videatur.

III. SQVAIOTTA Italorum. *Cauda* brevi, *pedibus* viridibus, *rostro* luteo in extremo nigricante. Apex *capitis* triginta plumis constat, quarum mediæ albæ sunt, extremæ nigræ, in tergore pinnæ elegantes coloris rubicundi in suis radicibus albæ.

Congener ipsi est & ista *rostro* maximè arcuato, colore prorsus leucophæo. Avis est aspectu non invenusta. Pronè ad collum & pectus, quod nigris maculis, ut in Ardea deorsum descendentibus conspersum cernitur, albicat. Cętera tota est leucophęi coloris, pronè remissioris, supinè intensioris. *Femora* in ea, contra ac in reliquis pennis vestiuntur.

Ex Ardeis quoq; albis sunt, tum ea, quæ *Garzetta bianca* dicitur, rostro longo gracili, acutissimo, digitis postico omnium minimo, anteriorum medio longissimo, inter oculos & rostrum maculata, tum ea quæ vertice est croceo, pedibus pro proportione corporis longissimis, fuscis, albicantibus annulis circumdatis. Vngue medij digiti cæteris longiore, serrato.

ARTICULUS III.

De Ardea Asteria sive stellari.

Descriptio.

ARdeæ stellaris triplex genus est, *Minus*, *Majus* & *cristatum*. MINUS ὀκνὸς Aristoteli, Taurus, Plinio, Botaurus, Butorius & Buttora alijs, dicitur, & quibusdam Ornocrotalus esse putatur. *Collo* est longo & mirè plumoso. *Capite* nigro, corpore reliquo fusco & pallido maculis nigris densissimè asperso. *Pedes* habet longissimos & inter extremos ungues medij digiti pedis unius & calcis ejusdem, spithamæ longitudo intercedit; *ungues* longissimos; & ille qui calcis vicem in avibus gerit longitudine sesquiunciam superat. Medius digitus utriusque pedis qui cæteris longior dentatus & serratus est. *Cauda* illi brevissima; *stomachus*, quo ingluviei loco utitur, capacissimus, canino similis. *Arteria aspera* in eo tota continua est, larynx nulla, nec quod huic analogia quadam respondeat. Damnum hoc compensare voluisse Natura videtur, *canalium duorum* hinc inde in pulmones utrosque abeuntium structura. Ita enim fabricati sunt, ut annuli cartilaginei minimè totum absolvāt circulum, sed exteriori duntaxat parte medium; interiori, ubi alijs avibus hi circuli fissura tantummodo in longum dissecantur, membrana quędam tenuissima, alteram canalis devaricati exactè medietatem absolvens, plana & æquabilis obtenditur; quin & hemicycli latus exterius componentes rari admodum, interjectis subtilissimis membranis sive tunicis, ad faciliorem & majorem distentionem facti sunt, quo nempè largissimus, & hoc facili tumescere meatu conceptus aër, rostro in aquam inserto aliquandiu retentus, tandem per apertum & extractum, qua data porta, maximo impetu erumperet. Prolobo caret, at ejus loco amplissimum œsophagum habet.

Victus. *Victitat* ranis & piscibus, inprimis anguillis.

Partus. *Nidum* ex arundinibus intertextum cum *ovis* duodecim in lacu quodam se vidisse, ipsamque avem colore ita ad arundinem accedere, ut inter arundines sedens vix deprehendatur, reliquit Gesnerus. At eundem ex surculis in celsarum arborū ramis struere, & ita aut quatuor ova excludere, reliquit Bellonius.

Vox. De *Voce* diximus, cui similes illi soni dicuntur, quos βεμικὰς Aristoteles appellavit. Dicitur in Ægypto mansuescere, & adeò præclarè humanam vocem intelligere, ut si quis eam servum appellaverit, vel pigrū (nugantur olim

Aristot. in Problem. 8.

olim è servo in avem transiisse) indignetur. Non facilè hominem refugit; eo proximo, aut arundinibus se abdit, aut aquæ immergitur.

Volatus. Non citius *evolat*, quàm prius salierit. Vbi pisces frequentes novit, adeò quieta cõsistit, ut planè videatur mortua: & ne colli longitudine se prodat, breve id incurvando facit. Capta stat immobilis, & venatorem apprehensurum incautum vulnerat.

MAJOR ex Pella & Stellari prognata esse creditur. Illam enim capite, pectoris maculis, alarum colore, ipsa denique magnitudine refert. Reliquarum partium colore Stellarem minorem, maculas si excipias, quæ in ea non sunt: imò pedibus adeò eãdem exprimit, ut simul positas vix peritissimus etiam auceps discernat. Apicem quoque in vertice habet, ex quo duæ longiusculæ pennę exorientes, totum caput velut galeam, colore nigro exornant. Gesnerus *Elaphin* Oppiani esse conjicit, quæ pennas in dorso varias & maculosas hinnulorum instar habet, & linguam longissimam, quâ in aquam protensâ, sensim ad fauces, pisces ad conspectum adnatantes solet attrahere. Hanc Aldrovandus & CRISTATAM seu Cirrhatam esse opinatur.

Congener est hisce, quam idem *Ardeam Nigram* vocat, colore per *totum*, collo excepto, quod albo torque circumdatur, & *rostro* quod luteum est, nigricante, *collo* longo, longis *cruribus*, digitis pedum longissimis, unguibus acutis, & *cauda* brevi.

CAPVT V.

De quibusdam Avibus ad Ardeas relatis.

AD Ardeas refero Falcinellum sive Falcatam, & Pugnaces, quas Belgæ Kemperkens vocant. FALCINELLVS avis est magnitudine, & tota corporis specie Ardeam referens, eleganti colore, viridi ferè, alicubi puniceo admixto, capite & collo fusco. Superior pars *colli* anterius albicat, maculis nigris intercurrenribus. *Rostrum* ei oblongum tenue & anterius falcatum. *Crura* oblonga, pedes fissi. Nulla magis ad ibidem accedit. PVGNACES quotannis immenso numero, ex Septentrione in Belgium, verno tempore sub Majum advolant, plures mares quam fœminæ. Hinc inter mares tanta contentio, ut sese mutuo occidant, donec cum fœminis numero pares evaserint. Exclusis educatisque fœtibus, una cum his unde venerant, revolant.

Octo ipsorum genera, seu formas potius descripsit, & depingi curavit Aldrovandus.

Prima Perdicis instar toto corpore maculis respergitur. Caput Galeritæ velut apice insigne est. Rostrum exile, in extremo nonnihil recurvum. Lingua longa, acuta, subatra. Caput, cervix, dorsum, alæ, venter, & femora ex luteo ad castaneæ ferè colorem tendunt, & maculis, quę in capite adeò exiguæ sunt, ut exigua punctula potius videantur, respergunturr. *Altera* cristam quoque in vertice gerit. Ventre nigricat, candicat pectore. Mentum macula nigricans ceu barba quædam exornat. In fronte albicat; in occipite, & in reliquis partibus ex albo ad fuscum vergit.

Tertia tota ferè est ruffa, nigris maculis lunam æmulantibus undiq; excepta cervice inspersa; apice caret. Femora & infernum Vropygium colore sunt bætico. Alarum pennæ majores nigræ, in fine, & ad latera ferè croceæ.

Quarta colore ferè cum ista convenit, nisi quod venter sit fuscus, podex albicans; alas subalbicantes maculæ multæ, magnæ, transversales, tortuosæ transcurrunt. Caput nigrum magnæ pennæ velut galeam eleganter exornant, quas proculdubio dimicatura erigit.

Quinta ejusdem ferè est coloris, sed pennas eas, quas erigit dimicatura majores, candidas, & in extremitatibus suis nigras habet.

Sextæ pennæ illæ sunt candidæ, color plurimum diversus. Toto enim corpore fusca est exceptis femorib. & cauda, quæ sunt colore bætico. Ante albas

albas illas in collo surrectas, alias habet in vertice quæ minores sunt, & nigræ. Caput ex cinereo flavescit.

Septima pennis omnibus variat, viridibus, albis, rubris, amethysticis, luteis, & quod observatu dignum est, nulla earum alterius colore permiscetur.

Octavam auritam Natura fecit. Rostro est gracili & oblongo, à capite per collum pennæ undiquaque pendent, magnitudine æquales, sed in quibus varios cernere est colores, qui velut varios torques formant, modo ferrugineos, modo rubros, modo albos. Collum habet longum, valdè gracile, tenue, ad latera candicans, cætera lutescens, lineolis longis undiquaque conspersum. Caput ad latera maculam miniaceam magnam habet, in qua oculi siti sunt. Aures asininis non dissimiles, crura duplo quàm præcedentib. breviora. Digitum posticum admodum brevem.

CAP. VI.

De Porphyrione, & Horione.

Dipnos. l. 9 Descriptio.

PORPHYRION, à colore ita dicta, quam Callimachus apud Athenæum à Porphyride diversam facit, quęque in agro Patavino Telamon vocatur, *avis* est secundum Athenæum Galli magnitudine, colore cæruleo, *rostro* ad caput vehementius obstricto, phœniceo, longis *cruribus*, fissis pedibus, in quibus quinque digitos habet, & maximum illum, qui medius est. Oppianus ei *cristam* in capite qualem sagittarij Persæ gestant, tribuit. Isidorus pedem unum latum ad natandum, alterum fissum ad ambulandum addit. Apud Aldrovandum duplex ejus exhibetur Icon. *Prior* habet rostrū crassum, acutum, purpureum, à fronte ad verticem ferè usque macula ejusdem coloris extenditur. Pars capitis quæ hujusmodi maculæ subjacet, & collum pronum virescunt. Ex remigibus alarum pennis, quædam in extremo albicant, quædam sunt fuscæ. Reliquum totum corpus, cæruleo vegeto colore insignitur. Cauda ferè caret. Digitis tantum quatuor ex purpureo subalbescentibus insistit. *Alter* rostro, cruribus, pedibus, & oculis descripto est similis, nisi quod ungues habet fuscos, & macula in fronte purpurea ornatur; & quod in illius capite & collo viride erat, in hac cæruleum apparet. Cæruleæ pariter sunt alæ. Reliquum caput, cervix, dorsum, pectus, vertex, & femora nigricabant. Laudatissimi sunt in Comagene. Nobiliorem verò Baleares insulæ mittunt. Fert eas & ultima Syria, ut Diodorus prodidit. Athenæus avem Lybicam, Dijs ejus regionis sacram indigitat.

Plin. H.N. l. 10. c. 47.

Athen. Dipnos. l. 9.

Victus.

Vescitur piscibus, & in occulto quidem, ne à quo quam videatur. Non prius autem cibum capit, quam se lavaverit; nec prius se vel in pulverem vel in lavationem dat, quam in ambulationem veniens certa spacia confecerit. Sola hæc mersu bibit, ex proprio genere omnem cibum aqua subinde tingens, deinde pede ad rostrum veluti manu afferens. Polemon apud Athenæum de cibo quem apprehendit, paucas buccellas decerpere, scribit, si παμπέυεσθαι ita sumendum est. Alvi excrementum, ut & reliquæ aves lōgi augustique colli, humidius, quam cæteræ solent, rejicere, Aristoteles autor est.

Athen. Dipnos. l. 9. Plin. H.N. l. 10. c. 46. Arist. H.A. l. 8. c. 6.

Volatus.

Ad *volatum* dirigendum loco Uropygij, quod parum latum habet, pedes protendit; & quia spectaculo saltationis adeò delectatur, ut & ipsa ad saltandum membra componat, haud difficulter eo modo capitur, si Oppiano credimus.

Oppian. in Ixentic.

Affectus.

Incredibilia ferè de ejus castitate Authores. Nunquam in conspectu hominum conjugi misceri, & ne virum quidem uxori concumbentem videri posse, retulit Oppianus. Tantum sensum obtinere stupri, ut si id deprehenderit, vitam seu laqueo seu inedia finiat, apud Ælianum, Athenęum, & Tzetzem legimus. Quędam cum Gallo tantam societatem contraxerat, ut cum iste occideretur, cōvictore privata, inedia sibi mortem conscisceret.

Aelian. H.A. l. 5. c. 28. Athen. Dipnos. l. 9. Tzetz. Chil. 9.

Usus.

Nunquam cibi gratia apposita esse vide-

videtur. Magnificis ædibus, ut Aelianus habet, pro ludicra est delectatione.

Ælia. H.A. l.17.c.22. Cognata est ipsi HORION, avis amatorio affectu flagrans, magnitudine Herodij, cruribus rubris, oculis cęruleis, sic à Musica instructa, ut naturę munere suavissimè canat.

CAPUT VII.

De Helorio, Limosa Venetor. Barge Gallorum, & Hæmatopode Bellonii.

Athen. l.9. HELORIUS Creci, de quo postea, similis esse traditur. Clearchus eum apud Athenæum cum Trochilo & Carulo inter παρευδέσας, seu aves, quæ cœlo sereno in littore pasci solent, meminit.

LIMOSA Venetorum, quæ ad lacum Verbanū Giraldel, circa Neapolim Leversina, Germanis, **ein Meerhun** dicitur, Arquatæ majori, de qua in sequentibus, per dorsum est similis, maculis varia, tota parte prona, capite & collo præsertim.

BARGE Gallorum, quam Ægocephalum Bellonius facit, minor est Helorio, colore verò non absimilis, rostro breviore, recto. *Liene* omninò caret. *Fel* jecori simul & ventri adhærere conspectum est, quod de Aegocæphalo Aristoteles scripsit. *Victum* in saluginosis paludibus frequenter, rarius in remotis à mari, ubiq; noctu, quæritat. *Vocem* hircorum & caprarum edit. Hominis accessum non fert. Et apud Gallos in delicijs habetur.

Arist. H.A. l.2.c.15.

Bellon. in obs. l.1.c.11 HÆMATOPUS Bellonij, rara est in Gallicis littoribus avis. *Corpore* Ardeolæ, *alis* Lari, *capite*, collo, & cauda extrema nigris. Interiore alarum parte & *ventre* albis. *Gula* magna admodum ampla & robusta. Binos habet *digitos* simul cohærentes; interior verò ab alijs sejunctus est. *Calcar* in pedis calce, ut reliquæ aquaticæ aves, non habet. *Pedes* sunt molles & delicatuli. *Digiti* breves, ungulæ ut in Tardis fornicatæ.

CAP. VIII.

De Alcyone.

HAlcyon & Alcedo πορὰ τὸ ἐν ἁλὶ κύειν sic dicta, Avis Posidoonis nonnullis, Ceycis quibusdam, modernis Græcis φασιδυνις; mas, κύξ, κηρύλος & κεῖρις dicitur. Paucissimis, inter mediterraneos inprimis, nota est. Omnium rarissimum est, inquit Aristoteles, vidisse Alcyonem, & ferè circa Vergiliarum occasum, brumamq; apparet, & ubi primum per portum non plus quàm navem circumvolant, statim abit, & nusquam præterea visitur. Duo hujus Avis genera, *Mutum*, & *Vocale*, ex Aristotele quidam faciūt, sed falsò. χελιδονες enim apud eum sunt intelligendæ. Turnerus & illam inter Alcyones reposuit, quæ Sturno paulò minor, corpus totum nigrum habet, ventrem album, caudam breviusculam, rostrum alcedone paulò brevius; quæque ante volatum, Alcedonis more nutat, in volatu gemit. *Alcatraces* quoque, quæ in Peruvia marinis lupis, carabis, piscibusq; insidiantur; & quia cadaveribus delectātur, adeò sunt lethales, ut ad earum usum necessitate redacti, non secus quàm aconito toxicove victi intereāt, inter earundem referuntur genera.

Formam si attendas, non multò amplior est Passere, *colore* cæruleo & luteo, & subpurpureo mixto insignis. Tale corpus totum & alæ. Tum *colli* partes non seorsum positis coloribus. *Rostrum* subluteum, longum, tenue. Mari adeò delectatur, ut pectus aquis aspergat, cauda in terra sicca imposita: non spernit tamen & aquas dulces. *Forma.* Arist. H.A. l.9.c.14. apud Scalig.c.21.

Victitat piscibus, quos ex alto se in mare recta immittens capit. *Victus.*

Quantum ad Generationem senes in coitu extingui creduntur. Aliæ, ut apud Plinium legimus, fœtificant bruma, pariunt ova quinque, qui dies Alcyonides vocantur, placido mari per eos & navigabili, Siculo maximè: (hinc Siculi maris cives Scaliger vocavit) In reliquis partibus est quidem mitius pelagus, Siculum utique tractabile. Faciunt autem septem ante bru- *Partus.* Plin. H.N. l.10. c.32. Lycophron. in Cassandra. Plin.l.c. Arist. H.A. l.5 c.8.

brumam diebus, totidemque postea sternitur mare Halcyonum fœturæ, unde nomen hi dies traxere. Nec tamen de tempore omnes assentiuntur. Columella enim in octavum Calēdas Martij, quibus in Atlantico mari summa notatur tranquillitas eos conjicit. Sed & in numero dierum dissentitur. Quinque statuit Simonides & Aristoteles; septem Samius Demagoras, novem Philochorus, quatuordecim alij. De maris tum temporis tranquillitate, & ventorum quiete molliore cœlo, apud Theocritum, Ovidium, Plautum, Plutarchum, Ælianum, & alios passim invenies. *Nidi* locum Ambrosius arenam; alij littus, quidam undas ipsas, hinc Statio, domus fluctivaga; Silio Italico nidus natans dicitur, ponunt. Saxo cuidam proximè aquam, ita ut aquæ ἐπηχεῖσθαι videatur, agglutinari, credibilius est. Rostro autem suo nec alio nidum fingit Halcedo, imò navis instar fabricat, opus everti mergique fluctibus nescium. Componit devincitque conserens invicem acus pisciculi spinas, ac rectis alijs ceu stamini transversas alias veluti subtegmen implicat; mox consertum recurvat, & in orbem reducit; sic cooptat denique, ut opus navigij specie turbinatum, ac qualo propemodum piscatorio simile evadat. Perfectum littori, quo fluctus extremi pertingūt, applicat. Hic unda molliter feriens, nondum firma satis hiantiaque, procellarum verbere deprehensa, sarcire docet. Solidè verò & jam cohærentia constringit, figitq;, adeò, ut nec saxo, nec ferro dissolvi diffringive facilè queant. Magna comprimis admiratione ostiolum dignum est, sic modificatum figuratumq;, ut hanc unam subeuntem recipiat, cœcum cæteris & abditum, & aliud prorsus nihil admittens, ne undarum quidem quicquam.

Plut. de solert. animal.

Mores. Mores ejus exinde metiare, quod maritum adeò diligit, ut non uno aliquo stato tempore, sed per totum annum consuetudine ejus utatur; senem & ad sectandum tardum, gestat & nutrit, nunquam relinquēs solum. Cum ad tepidum solem pennas in littore expendunt, pluviam denotare dicuntur. Virgilius hoc inter cætera serenitatis signa numerat.

Plutar. l. c.

Mizald. Ephem. l. 1.

Virgil. Georg. l. 5.

CAPUT IX.

De Ispida, & Rousserolle Gallorum.

ISpida, quam nonnulli Alcyonem veterum vel simpliciter vel fluviatilem esse putant, Genuæ Martinus piscator, à nonnullis alijs Italis Avis Paradysi, sed & Piscator Regis dicitur. *Rostrum* ei est nigrum, rectum, in summo acutum, tres digitos longum. *Caput* pronum cum cervice viridis coloris transversis lineis ex albo cæruleis distinctum. Virent & *alæ*, sed interior pars plumarum ad purpureum ferè violaceo dilutum colorem tēdit, asperguntur lucidis aliquot punctis. Per medium dorsum à principio usq; ad finem caudæ, plumæ sunt cærulei coloris diluti, & ad album inclinantis adeò splendidæ, ut oculos etiam visu immorantes offendant. *Pedes* breves, rubicundi, in quibus duo longiores digiti ad mediam usque partem connexi, postea funduntur. *Lingua* perbrevis est latiuscula ac subrubens. *Oesophagus* valdè oblongus. *Ventriculus* in imo corpore juxta anum. *Adeps* ruffa.

Descriptio.

Est & *aliud* Ispidæ *genus*, quod ex India adfertur. Regulum magnitudine vix superans. Rostro oblongo, tenui, nigro, reliquo corpore ad caudam cęruleo viridi & nigro. Cauda pro corporis proportione longiuscula tota ferè nigra. Pedum constitutione cum superiore eadem. Solitaria est, & in agro Bononiensi, Helvetia, & alibi media hyeme circa ripas glacie concretas *reperitur*.

In arena vel scopulo aliquo juxta aquam *nidificat*. Nidum forma rotundum, eminente in angulum foramine exiguo, ex floribus arundinum, mollem construere ajunt. Pullos interdum novem in nido uno reperiri.

Locus & Partus.

Pellis ejus cum pennis asservata peculiari vi adversus *tineas* pollere creditur. Non tangi fulgure domum,

Vsus.

in qua ejus nidus suspensus fuerit, nugantur quidam. Moschi instar cum pullis suis suaviter olere, Tragus prodidit. Suspensam pennas quotannis tanquam in vivo corpore mutare, falsum comperit Aldrovandus.

ROUSSEROLLE seu Roucherole Gallorum, Alcyone vocalis est Bellonio. Rostrum habet serratum Picæ Græcæ seu Collurioni simile. Plumæ capitis longiores cristæ quondam speciem præ se ferunt. *Nidum* si quis inversum aspiciat adarcen primo intuitu referre videtur. Sena ut plurimum *ova* parit, & quinque sexve excludit pullos. *Cantu* adeò valet, ut omnibus canorus à Bellonio præferatur, tamque in eo indefessa, ut dies & noctes absumat; tam seria, ut vacillet, totoque corpore tremat. Inter reliquas voces has inprimis proferre videtur Toro tret, fuis, huy, tret. Aristophanes ejus cantum expressisse creditur.

TITVLVS II.

De Aquaticis fissipedibus Insectivoris.

CAPUT I.

De Arquata, Crece & Totano.

ARquatam ab arcuato rostro sic dictam, Numenium veterum, qui fortè à Neomenia quod rostri figura arcum lunæ recens à novilunio crescentis in cornua repræsentet, ita dicitur, esse Gesnerus credit; Bellonius Elorium Aristotelis conjicit. *Rostrum* habet circiter octo digitos longum, post tres digitos flecti deorsum incipiens, nigrum. *Pennas* coloris fusci varias & maculosas, ex quibus maximè fulgent instar serici villosi, quæ inter alas & dorsum sunt, in medio nigræ, in circuitu per interstitia subruffæ. *Digiti* sunt fissi, sed aliquatenus membrana conjuncti; quæ etiam utrinque juxta digitos descendit, & inferiorem digitorum partem dilatat. *Lingua* pro tanta rostri longitudine brevissima est, & sagittæ effigiem repræsentat. *Fœmina* est aliquanto minor, & maculæ illæ, quibus totum ferè corpus respergitur, in hac magis fuscescunt. Omnium vermium genere *vescitur*, eosque in plantis quibusque quærit. Turmatim *volant*, ova *pariunt* quanta Gallinæ, quaterna, pallida, mense Aprili. Carnem habent siccam, solidam, leporinæ similem. In Gallia in delicijs habentur.

CREX, quæ & κρεκὸς, quænam sit avis, vix à recentioribus observatum est. Athenæus Helorio similem esse dicit; Aristoteles verò crura alba habere, & posteriorem digitum qui pro calce est minutum asserit. Herodotus ei Ibidis nigræ magnitudinem; Scholiastes Aristophanis rostrum acutum & serratum assignat. Bellonius avem circa Nilum visam, cruribus longis, *rostro* longo & nigro, nigris quoq; tibijs & toto capite: *collo* tergore & pectore candidis, quæ è terra *victum* petit, & in muscas debacchatur; & cum *volat* magnum edit strepitum, Crecem veterum esse opinatur. Pugnat cum Galgulo, & Merula, & Vireone, eorumq; pullis nocet. βεβδυπλίξης esse Philes annotavit. *Arist. l. 9. c. 1.*

TOTANUS avis est aquatica, capite nigricante, præsertim anterius; posterius enim & magis anteriori parte ruffum est. Vertex cinereus, ut & reliqua pars prona. Alarum ima pars alba, extima nigra est, reliquæ plumæ in ambitu varię (ϛικτὰι) sunt & albicantes. *Cauda* palmi longitudine transversis lineis albis, nigrisque depicta, ut etiam limosæ. *Pennæ* super caudam ad medium dorsum usque albicant. Pars omnis supina alba est: in collo tamen, & superiore alarum ambitu nigricantes maculæ visuntur. Totius avis longitudo ab extremo (rostro) ad pedis extremum extensæ, dodrantem cum duobus palmis æquat. Rostri longitudo circiter tres digitos, colli totidem. Fidipes est, verum duo majores digiti pedis aliquousq; membrana junguntur ut & limosæ. Pedes duos palmos longi ex pallido rubent, unguiculis muniti nigris. Corpus avis ca fe-

ea fere crassitie est, qua Mergulus noster rostri acuti.

CAPUT II.

De Calidri Bellonij, Nigra, & Himantopode Plinij.

CAlidris Bellonij avicula est columbæ magnitudine, *cruribus* proceris adeo, ut equo insidere videatur, unde Chevalier, id est; equitem nominarunt. Plumis optimè instructa est, ideoque longe minus carnis obtinet, quam appareat. *Rostrum* & crura rubra, longa, manifesto sane argumẽto aquaticam esse volucrem. Superior rostri pars nigricat, venter albus est: *caput*, collum, & pennæ sub alis, & uropygio cinereæ: quare Aristoteli Calidrim dici arbitramur, cujus meminit his verbis: Quin etiam *Calidris*, cui cinereus color distinctus variè. Radices plumarum sicut in Bistarda, & la Cane petiere (Tetracem interpretatur) rubent, sic in hac nigræ sunt. In temporibus utrinque maculæ sunt binæ, nigræ, quæ ceu umbram præbent supercilijs, quæ & ipsa alba macula insignia sunt. Priores digitos membrana conjungit, ut in pica marina, (Pie de mer) Digitus posticus admodum exiguus. Alæ, ut in pluvialium corpori junguntur, magnitudine corpori respondent. Tam parva itaque ales proceris cruribus insistens, alacriter, hilariterque incedit, prata, stagnaque & ripas frequentat, & plerumque aquam ingreditur ad femora usq; Caro nihil ferinum redolet, sed delicatum quid, & aromaticum. In sui generis avibus, in delicijs habetur.

NIGRAM à rubra differre certum est. Nigræ enim ab ipso ortu crura & rostrum atra sunt, excepta superiori rostri parte, quæ subrubra est. Color item huic nigrior: quin amputatis capite, cruribus, atque alis, reliquis corporis partibus Palumbis colorem inter cinereum, & nigrum videbitur referre. Sin sermo sit de Calidribus, quæ jam pennas mutarunt, distinguendusque color ab ijs, quæ prioribus etiamnum vestiuntur, asseremus nos Pluvialem aliquando observasse in autumno nigram, adeo ut post mutationem plumarũ eum non agnosceremus: nihilominus tã huic, quam alteri pedes nigri sunt. Fœtus earum mense Aprili prostant, maculis undiq; Ortygometrę instar (d'un Rasle) consperſi, cum alioqui hyeme tantũ appareant. Ad hanc reducit Aldrovandus *Gambettam* Italis dictam: Quæ est capite, collo & pectore cinereis & maculis fuscis plurimis, undiquaque respersa. Alarum pennæ rectrices nigricant, corporis cinereæ sunt, in dorso & alis ad ruffum vergentes, venter candidus est. Rostrum nigrum: oculorum iridem ex luteo subviridem niger circulus ambit. Pedes ex luteo rutili, quo colore potissimum à nigra Calidri Bellonij discrepat. HIMANTOPUS à flexitate crurum ita dicta, quam alij Hœmotopoda, à rubedine pedum vocant, à Gesnero ita describitur. *Rostrum* digitos fere quatuor longum est, *caput* parvum, *collum* digitorum quinque, reliquum corpus, quod leve, & gracile est, instar avium palustrium fere, quas Gallinulas aquaticas vocamus, digitorũ sex, cauda quatuor, crura quindecim. Color *rostri* nigricat, in capite, & collo prono fuscus: dorso, & alis niger, pauco subviridi admixto, si diligentius intuearis, cauda cinerea. Partes prone omnes, & latera quoque albi coloris sunt. *Crura* sanguinea digitis duntaxat ternis, sicut in Bistarda, Oenade Rondeletij, Morinello Gaii, Struthiocamelo, Pluviali, & Cane Petiere Bellonij, ejusdemque Pica marina: quorum medius lõgiusculus, brevissimus interior: jungitur autem medius cum exteriore brevissima membranula, tanquam palmipedum. Poplitum cavitas insignis est, articulo tam flexili, ut in sceleto etiam tibia ad femur tota reflectatur. Videtur sane non cursu tantum valere, sed etiam volatu hæc avis: quoniam oblongæ ejus alæ sunt, ita ut longissimæ earum pennæ caudam, seu uropygium, duobus, aut amplius digitis excedant. Oppianus hoc

hoc novum in eis, quod maxilla inferiore fixa, superior solum in ipsis moveatur notavit; sed in descripto, nihil ab aliarum avium natura variat.

CAP. III.

De Gallinulis Aquaticis in genere & in specie, de quibusdam.

GAllinulæ aquaticæ hoc commune habent, quod eis sit *corpus* gracile & adductum. *Caput* parvum, pennæ variæ. *Rostrum* longum, modicè inflexum, nigricans. *Ventrem* & supinam eam capitis partem, quæ inter rostrum & collum est candida. *Crura* oblonga, *digitum*, qui pro calce est admodum brevem; quædam etiam eo carent. *Plumas* ad media tantum crura descendentes. Vermiculis potius quàm piscibus *vescuntur*; quamvis & ex his minimos comedant. Circa initia autumni in Helvetiam adveniunt; hyemis exitu denuò avolant. *Aucupium* earum manè ante solis exortum fit; aut vespere, quo incipiente tam sublimi volatu evehuntur, ut non amplius appareant. Ob carnem suavem & teneram, in delicijs mensarum habentur. *Species* ipsarum sunt *Chloropus*, *Erythropus*, *Ralla Anglorum*, *Rhodopus*, *Phæopus*, *Ochropus*, *Melampus*, *Poliopus*, *Erythra*, *Ochra*, Hypoleucus, *Gallinula serica*, & *Scolopax*.

CHLOROPVS est triplex *Major* quarum altera Fulicam & magnitudine & corporis figura refert, tota rostro longiusculo, sursum parumper elevato; altera Italis, *Porzana* dicta, collo & capite nigricantibus, Dorso cum superiore alarum parte castaneo; inferiore ventre toto albido, femoribus plumis cinereis usque ad genua coopertis. *Tertia* Gesneri, quam Glottidem Aristotelis esse credit, colore est fusco, cruribus viridibus. Vocem instar fistulæ argutam edit. Germanis **Glutt** dicitur. Prælongam exerit linguam unde ei nomen. Hanc initio blandita peregrinatione (cum Coturnicibus) avidè profectam, pœnitentia in volatu cum labore scilicet subit. Reverti inconcitatam piget, & sequi; nec unquam plus uno die pergit, in proximo hospitio deserit.

ERYTHROPUS vel est *Major*, vel *Minor*, de utraque nihil singulare occurrit. RALLAM Anglorum aquaticam intellige, cujus rostrum & crura sunt rubra, plumæ undique magis cinereæ, quamque malè volare, sed egregiè pugnacem esse, Bellonius prodidit. *Montana* & sylvestris in Ericeto degere solet. Ortygemetram esse credidit Bellonius; Perdicem rusticam Gesnerus.

RHODOPUS nihil habet singulare. Sed ne de alijs præter descriptionem, quam apud Aldrovādum & Gesnerum invenies, quicquam. In Ochropode *majore* septem distincti colores apparent, nec digitus posterior pedis visitur. Medio lingua in oblongum mucronem desinit. *Minori* collum est quàm cæteris altius.

ERYTHRA, quam Germani **Mattkerca** vocant, vocem & clamorem edit, quo sonus fullonum lanas ferientium repræsentatur.

OCHRA à totius ferè corporis colore subviridi, sed sordido & obscuro sic dicta est.

De HYPOLEUCO, quam Germani **Fysterlin** appellant, nihil habeo quod dicam.

SERICA ideò dicitur, quòd color ater in ea holoserici instar splendeat.

CAPUT IV.

De Scolopace seu Perdice rustica, Rusticula sylvatica, & Scolopace seu Gallinagine minori.

SCOLOPAX avis, à rostri figura, quod instar pali longum & rectum habet ita dicta (palum Græcè σκόλοπα dicunt) Volaterrano Aristotelis Alectoris, sed falsò; vulgò Græcorum ξυλόφνις, Herodiano Sylvestris Perdix, Martiali Perdix rustica, nonnullis Rusticula major, Alberto quod suavis & pin-

pinguis sit Ficedula, plærisque populis Beccassa, Germanis Schnepphun & Rietschnepf/ dicitur. Similes ipsi quasdam in Frisia aves facit Gesnerus. Ea, quæ Vulp nominatur vul o, rostro & pennis colore illi confertur, sed magnitudine vincit. Item Grutte dicta rostro. Magnitudine est Gallinæ, colore Attagenis, ut Aristoteles prodidit. *Rostri*, quod longum, anterius asperiusculum, pars superior ultra inferiorem extenditur. *Linguam* habet gracilem, oblongam, nervosam. *Crura* ferè rosei coloris. *Felle* carere vulgo creditur, quod apud Bellonium legimus.

Arist. H.A. l.9.c.26.

Locus. Nullibi non *invenitur*, in Gallia, Suecia, Helvetia. Non ubique tamen iisdem in locis, nec semper Æstate in altis Pyrenæi, Helvetiæ, Sabaudiæ & Arverniæ montiũ jugis degit. Hyeme cibi gratia ad campos & sylvas cæduas descendit. Circa Brixiam principio Autumni, in Helvetia mense Octobri capitur. A Germania inferiore æstate recedit, in fine Autumni redit. Aquas inprimis tepidas, loca pulverulenta & humida, sepes, & hortos amat. *Cibus* ipsi vermes. Spiritu in cava immisso, unde sonus etiam procul audiatur, eos extrahere, proditum à nonnullis. Visi, qui ex farina fagotritici cum aridis ficubus pascebantur. *Volatus* debilitatem cursus velocitate natura cõpensant. Cum proximam sibi aucupes existimant, longè recessisse inveniunt. *Oculis* est obtusioribus, quamvis grandes habeat; *odoratu* potius cibum quærere creditur. Homine delectari ab Aristotele relictum.

Arist. H.A. l.9.c.26.

Habetur inter ciborum delicias, sed postponitur Perdici. Aliqui deplumatum exenteratumq; in furno torrent & cremant, remedio calculosis futurum.

Gesner. in Ornithol.

RUSTICULA SYLVATICA, Rusticula palustri majore, major est. Gallinam enim ferè æquat. Colore saturiore, rostro minus longo, ventre albicante, cruribus cinereis. Tendiculis seu laqueis capitur.

SCOLOPAX seu Gallinago minor, & Scolopax minor, Molliceps Aristotelis quibusdam, dorsum habet ejusdem ferè cum Alauda coloris. *Rostrum* canaliculatum, maculosum, in extremo nigrum, quatuor digitos æquat longitudine. Alæ extensæ maculam albam in extremitatibus ostendunt. Quæ ab Aldrovando exhibetur, *rostrum* habebat palmi longitudine canaliculatum, latiusculum, nigrum, tuberculis quibusdam asperum, in extremo acutum, cujus superior pars inferiorem aliquantulum longitudine excedebat. *Lingua* longitudine rostro ferè par erat caniculata, in extremo cuspide acus instar acuminata.

Frequentem in locis mediterraneis Gallia videt, nec Batavi eadem carent. In Germaniam circa æquinoctium vernum venit, si Longolio credimus. Nec à marginibus stagnorum & lacuum *recedere* idem affirmat. *Migratoriam* inde colligas. In dissecto ventriculo initio Decembris, scarabæos, & vermes albicantes, tenues, oblongos, quales farinarios appellãt, invenit Gesnerus. Neq; in caveis, neque in aviario vivere dignatur. *Vocem* auditam (hæc talis est, ut si quis cultrum per ferram ducat) pluviæ pronosticon quidam faciunt.

CAPUT V.

De Gallinula terrestri, & alia Chloropode.

HVc & *Gallinulam terrestrẽ* & aliam *Chloropodem* Fulicæ similem Bellonij refero. *Illa* circa Verbanum lacum Polle, à Germanis aucupibus Hoggeschar/ quòd turmatim juxta sepes decurrant, dicitur. Gesnerus Rallum terrenum, seu Trochilum terrestrem dicit. *Corpore* est brevi, crasso. *Digitis* pro sua magnitudine longissimis. Postremus ad anteriores circiter dimidiam longitudinem obtinet. *Vocem* ejus dicunt asperam ger, ger, ger serpentum instar. Capta sciuri vocem, si fides referentibus imitatur. Angli ceu lautissimam inter segetes capiunt.

De GALLINVLA CHLOROPODE alia, ita Bellonius. Necessariò

planè Gallinulam aquaticam (la Poulette d' eau) à Fulica, & Fulica majori(de la Porle, & Macroule) separavimus: quoniam aquæ non innatat,nec palmipes est. Pullettæ autem aquaticæ, sive Gallinulæ nomen à similitudine cum jam dicta impositum est, etsi multo minor sit, major tamen Ralla, adeo ut de utraque hac particeps esse videatur. Aucupes, quibus ostendimus, cum Fulicæ similem esse cernerent, magnitudine tantum differre ajebant, hancque ad perfectam necdum ætatem pervenisse. Unde nos diligentius peculiares aliquas notas discriminantes investigavimus. In quibus ea præcipuè fere est, quòd hæc Gallinula pedibus sit viridibus,& non absimilibus Botauri, neque etiam ita planis, nec denique lata membrana conjunctis,ut in Fulica. Cauda etiam Gallinulæ longior est. Macula frontis item minor. Colore Rallo similis quidem, sed ad Fulicæ colorem tendit: quare ex primo aspectu Rallum esse putabam,sed cum diligentius inspicerem, animadverti, palpebras oculorum candidas esse, quod Rallo non convenit,sed neque Fulicæ. *Caudæ* binæ pennæ albę sunt,utrinq;nempè una. Sub pectore nonnihil ad cyaneum, sive cæruleum vergit. *Dorsum* colore est castaneæ intenso. Aliq; item aliis nigriores sunt, & alarum plicas albas habent, & aliam insuper albam lineam in minori ala, quam primæ plumæ ejus per calami longitudinem constituunt. Idem cibus reperitur in ejus ventriculo, qui in Rallo, & Fulica. *Os sterni* & ischion, sive os coxendicis ab aliis avibus habet diversa, et tiam à Fulica. Caro Gallinulæ coctu facilis, ac tenera est, ossa fractu facilia, inglues ampla, jecur quoque fragile,cæterum intestina,&reliquę partes internæ,ut in Fulica. Assa ejusdem cum Fulica saporis est. Nidificat, & pullos alit,& educat,ut Rallus.

Huc pertinet illa quam CORRIRAM vocant,avis rostro pro corporis proportione crasso, pectore, & alis supernis albicantibus,cætera nigra.

Nec PORZANA MINOR,quæ Mediolani Girardina à Gallinularum aquaticarum censu eximenda est.Rostrum habet breve, qua caput tangit flavum,& in extremitate nigrum, pedes atros, ventrem album, pectus, dorsum, alas, colore fumido, albis maculis consperso, alarum pennas majores nigras,&c.

CAPUT VI.

De Trynga.

DE Trynga, Juncone, & Cinclo hoc duntaxat Aristoteles prodidit, quòd caudam motitent, lacus & flumina petant. *Trynga* Turdo æquiparetur, Cinclus & Junco minores sint. Hinc factum, ut diversæ Aves pro iis ab Authoribus obtrudantur, haud paucæ tanquam congeneres referantur ad easdem. Turnerus eam totam pullam, ea parte, quæ podicem tegit, quæque candida est, exceptâ, facit. Breves volatus facere, in stagnis quæ nobilium ædes obducunt, & in piscinis apud Anglos plærunque degere, si quando periclitatur, ad arundineta densiora confugere, adiicit. Germani quidam Tryngam nigram totam,fidipedem, candido vertice ad rostrum usque demisso, pedibus altis, & nigris, caudam continuè motitantem, & loca aquosa incolentem ponunt,ad eandem Gesnerus avem quæ Claronæ Wasser Trostla/ id est, Turdus aquaticus nominatur, rostro brevi, cruribus altis, fidipedem, refert. Aldrovandus aliquot ad Tryngam reducit, quas alij ad Cinclum retulere.

Prima ei ex illis quas *Giarolos* & *Giaroncellos* in Italia vocant, Turdo magnitudine par. Rostro duos digitos longo, nigro, in extremo nonnihil recurvo. Lingua acuta paris ferè longitudinis. Capite superno, collo, dorso, & alis fuscis ad colorem castaneæ nonnihil vergentibus, oculorum ambitu, mento,pectore, ventre, & Vropygio albicantibus. Digitis tribus anterioribus ad medium ferè palmum exporrectis, posteriore brevissimo. Inter anticorum extimum& medium membranula est divaricationis initio, quæ inter alios desideratur. *Genera.*

Alte-

Altera Pinarolo dicta, huic ferè per omnia similis, nisi quod rostrum habeat nigrius, aliquando brevius, cujus superna pars infernam longitudine nonnihil excedit.

Tertiam Bellonius ad Gallinaginem minorem refert, Gesnerus Samethünle esse putat, uterque Cinclum Aristotelis esse opinatur. Corpulentia est ferè eadem cum Scolopace minore simpliciter dicto: plumarum tamen colore differūt, & rostro, quòd utrinque quidem tenue, longum & acutum est; præcedentis tamen in extremo maculatum est, & crassiusculum. Maculis albis in capite & universo collo maculatur. Pectus verò, totusque venter, femora & plumæ sub cauda nivem candore æquant. Ripas potissimum & *loca*, quæ bono aliquo odore recreant, & moschum redolent, frequentat.

Quartum inter cinclos reposuit Turnerus. Alauda est major, colore in tergo nigro, ventre albo, tibiis longis. Vere circa fluminum ripas *clamosa* est. Breves & crebros facit volatus. Anglis Hirundo Aquatica dicitur.

Quinta ex Motacillis credita, Pilwendegen / & Pilwegichen Germanis in Misnia vocatur. Palmipes quidem non est, sed rostrum longum, molle, cinereum: crura alta habet. Duo ipsius sunt genera, *Majus* & *Minus*. Hoc magnitudine Merulæ, tergo cinereo, ventre albo.

Locus. Flumina colit, & in ripis vagatur. In arenis nidificat & incubat, interdum inter saxa ova ponit. Supra octo pullos uno tempore non excludit.

Victus. Muscis, vermibus, & pisciculis vescitur. Domi, pane & malorum vescitur putaminibus. Singulari in muscis capiendis arte pollet. Lento enim suspensoque gradu accedens, rostro elevato primum designat, tum captam prædam deglutit. Mansuefacta conclavia ab araneis purgat.

Ingressus

Vox. *Vocem* noctu lacrymantis instar edit.

Quartæ congenerem Merulam aquaticam Gesnerus facit, quam Germani Bachamsel / Lucarni & circa Verbanum lacum Folot vel Folum d'acqua nominant: nec non cornicem aquaticam, Sturno paulò minorem, quam in Alcyone describit.

CAPUT VII.

De Iuncone & Cincle.

JUnco χοινίκος & χοινικλος, quod in juncis libenter degat, quæ Græci σχοῖνος nominant, ita dicitur. Aristoteles Trynga minorem, Alaudę amicam facit. Addit, fluvios & lacus petere, ac caudam motitare, Bellonius pro ea quandam ostendit, quæ Gallis Alouette de mer, seu Alauda marina dicitur. Est quidem hæc ejusdem cum Alauda magnitudinis, *rostro* oblongiusculo; *cruribus* nigris gracilibus & oblongiusculis, *linguâ* nigra universum rostrum longitudine æquante; linea alba sub alis insignitur, & dum volat ejusdem ferè est cum Galerita coloris: sed quia maritima est, nescio an pro Juncone sumi vel possit, vel debeat. Aldrovandus aviculam, quæ Passere d'acqua vocatur pro Juncone ponit. Passeris est magnitudine, rostro nigro candiculato, satis duro & in extremo adunco. Lingua candiculatâ, & qua desinit bifida & duriuscula. Cauda tres digitos longa denis pennis constante. *Mas* à fœmina hoc solum differt, quòd in hac colores sint magis obsoleti; in illo magis vegeti.

Congenerem facit eam, cui eadem species, rostri pedumque conformatio, & colore tantum variat. Collum pronum, & pectus albicant, sed venter totus ex cinereo ad fuscum vergit. Cætera fusca est. Turnerus dum Parum sylvestrem pro Juncone obtrudit, vehementer fallitur.

CINCLUS Græcis κιγκλος, Suidæ nisi loca sint corrupta, κιγκλὸς & κιγκίλος, βυκολίνη Hesychio & Varino, quod armenta sequatur, tertia est ex illis avibus, quæ caudam motitant, & circa stagna & flumina versantur. Caudam motitare præter Aristotelem, Aristophanes in Tympanistis prodidit. Volaterranus palmipedem esse scripsit, sed falsò. Suidas gracilem & nullo fermè corpore scribit. Gesnerus cum

rostro recto nigro & longiusculo, ventre albo, pectore cinereo, cauda brevi ita ut eadem alarum longitudo sit, alis, dorsoque fuscis, cruribus ex russo ferè luteis facit. Bellonius secundam Gallinaginis minoris speciem Cinclum Aristotelis esse putat. Idem Gallinaginum minimum genus, Cinclum minorem appellat. *Tertia* inquit Gallinaginis minoris species primo generi magis quàm secundo similis est. Rostrum enim sicut Scolopax major, crassiusculum habet, & in extremo maculatum. Dorsum Sturno simile. Aliquibus Deux pour un appellatur. Duæ enim hujus generis, precio unius majoris væneunt. Aldrovandus de ea quam exhibet, an apud mare etiam degat dubitat. Magnitudine *inquit* Motacillam aliquanto superat. Color totius ferè corporis inter fuscum & cinereum ambigit, sed alarum pennæ majores subnigricant. Venter & femora albicant. Rostrum nigrum tenue, & longiusculū. Crura nigra, brevia & exilia.

Aldro. Ornith. l.20. c.56.

Congeneres ipsi duas alias facit, quarum quoque Icones exhibet. *Prior* sub Cincli minoris nomine describitur. *Altera* iisdem quidem est coloribus, sed caudam albam & lineis nigris transversim secantibus ornatam habet. Rostrum quoque quâ capiti jungitur crassiusculum, & sensim deinde magis magisque attenuatum. Quia posteriore sui parte debilis est, suaptè & per se *nidum* non construit, sed in alienis parit. Apud homines vivere non dedignatur. Captam maximè mitescere tradit Philosophus. Videtur in Cotyis Thracum Regis convivio apud Athenæum apposita, κίγκλος quidem ibi extat, seu κίγκλος legendum esse censetur.

CAP. VIII.

De Vannello & Cercione Ave Indica.

VANNELLUS seu quòd alis instar vanni aut ventilabri commotis strepitum excitet, seu aliā ob causam ita dictus, Fulica quibusdam, Stymphalis veterum aliis, sed falsò; quibusdam à voce, Αἴξ, sive Capella, Bellonio Parrus, Parus, vel Parcus de quo apud Plinium, dicitur. Alcyoni congenerem. Gelenius facit, Pluviali Gesnerus. Candidos reperiri audivit idem, nisi Lari fuerint. Sine crista, iique aliquando colore fusco, & maculis variis observati alibi. An Tremulus avis in provincia Salernitana dicta, quæ minor est Gallinâ, coloris fusci, altè clamans, & velocissimè volans, quæque propè mare teste Villanovano versatur, & cum super terra incedit, cauda tremit, unde ipsi nomen, sit ejusdem generis, disquirendū cum Gesnero relinquo. Exactissimè à Bellonio *describitur*. Magnitudine inquit Plaridem vix excedit. Densis admodum *plumis* contegitur, quæ in radicibus suis quæ corpus attigunt, omninò nigricant. Color enim alius est in parte exteriori. Avis inversa, supinaque collocata, & alis ejus extēsis magna plumarum pars in ventre, & in femoribus nivei sunt candoris. *Alæ* in superiori quoque parte niveæ, in inferiori nigricant. &c. *Hepar* habet magnum, in duas partes utrinq; divisum. *Fel* in ea reperire Bellonius non potuit. *Intestinum* appendices habet.

Bellon. de Av. l.4. c.17. Plin. H N. l.11. c.37.

Circa lacus & amnes versatur: aquas tamen non ingreditur, sed in planis & erica consitis, ut plurimum degit.

Vermibus, muscis, cicadis, bruchis, scarabæis & alijs *vescitur*. Albos lapillos deglutire, certum est. Æstate sola *volat*, hyeme gregatim, & tam frequēti numero, ut prata etiamsi amplissima vix totum agmen capiant. Alis est obtusioribus, & inter volandum magnum strepitum edit. *Victus.*

Vocem videntur Germani & Galli per nomen ipsi inditum expressisse. Illi Kiwitz hi Dixhuict vocant. *Vox.*

Dum *pullos* fovet, ad hominē à quo nidum inquiri suspicatur proximè accedit, & velut deditionem simulat, donec à nido abduxerit, sæpè multæ unum hominem ita persequuntur, ut eo facilius à nidis abducant. *Partus.*

Habetur in ciborum in Gallia delicijs, & eodem quo lepus precio venditur. *Vsus.*

ditur. Adeò pinguescit, ut saginata videatur. Gesnerus boni saporis & probi, sed levis & tenuis alimenti esse comperit.

De CERCIONE quam Capellæ seu Vannello præmittere debuit, caudam enim motitat ita Ælianus. In India avis ad Sturni magnitudinem accedens, varijs colorib. picta nascitur, quæ & humanam vocem effingit, & Psittacis vocalior, & majore est docilitate ac ingenio: non tamen humanum victum æquo animo sustinet, sed libertatis desiderio famem potius quàm servitutem deliciis ciborum refertam amplectitur. Urbes, quas Alexander in India excitavit, & Macedonibus incolendas dedit, ut Bucephala cum adjacente agro, & Cyropolis, aliæque ideo Cercionem appellant, quod similiter caudam, atq; Cinclus movet.

CAPUT IX.

De Pluviali & Charadrio.

PLUVIALIS, Rhintace fortè Plutarchi, quia nihil in ejus intestinis excrementi reperitur, in agro Bononiensi Pivier, Gallis Pluvier, Germanis Pulver & Pulross audit. Quomodo antiquis vocetur, ignorare se fatetur Bellonius.

Genera. Duo ejus *genera*, *flavescens* unum, *cinereum* alterum, quod Itali montanum vocant. *Pulli* Guillemot privatim vocantur. *Illud* Palumbi est magnitudine. Rostro brevi, rotundo, nigro, acuto, & in extremo nonnihil adunco, *lingua* triquetra, totam inferioris rostri canalem implente, prona parte ferè cornea retusa. Pennæ supernè fusco albo luteoque colore ita distinguuntur, ut ferratæ appareant; cauda quoque lineis fuscis luteis intersecatur. Postico digito caret. Interanticos tres membranula interjicitur, major inter medium & extremum, minor inter eundem & internũ. Bellonius plumas ejus lutescere scribit, seu maculis luteis respergi.

Locus. Frequens est in Gallia, in Helvetia rarissima. Bononiæ non rarò in foro venditur.

Rore *victitare* prodidere quidam, quod in ventribus earum nihil inveniatur. Nihil falsius. Ex humidis campis vermes eruit. Scarabæos in dissecta. Invenit Bellonius. Lumbricos edere asserit idem, quia solum *intestinum jejunum* habet. Ideò in eo nihil invenitur. *Migratoria* est. Aestate nulla in Gallia cernitur, vere paucę. Non minore numero, quam quinquagenario volant. *Volaturæ* ventum sequuntur, rarò adverso tendunt, ut Bellonius prodidit. *Victus.*

Vox ipsis huit, huit sibilo qui porrectis labijs edi solet similis. Noctu solæ degunt; summo mane diversis in locis sparsæ conspiciuntur, quartamque aut dimidiam milliarij partem occupant. Imminente die, ut simul conveniant, sibilum, sese mutuo vocantes emittunt. Vni in toto grege tanquam Regi obeditur. Huic vox maximè sonora. Ad auditum undiq; confluitur. Aucupes *Appellatorem* vocant. Inter Cupedias in Gallia ponuntur. Ita ut in hominem delicati cibi nimium apperentem, ne Pluviali quidem opposita contentum fore, alicubi tanquam proverbio dicatur. Apparanda non exenteratur. *Vox.*

Pluvialem Cineream Aristotelis Pardalum esse credit Aldrovandus, tum quod tota ferè sit cinerea, quod de Pardalo prodidit Aristoteles; tũ quod maculata, unde Pardalo nomen. Pluviali simpliciter dicta est aliquãto major. Rostro paulò crassiori & longiori, postico digito admodum exiguo. Tota ferè cinerei est coloris, & multis undique respergitur maculis, quæ inter cinereum, & castaneæ colorem ambigunt. Alæ caudam quæ brevis est, excedunt. Magna ex parte gregatim *volat*, nec singularem videris, quod apud Aristotelem legimus. *Vocem* frequentem nec gravem emittit. *Aldro. Ornith. l. 20. c. 65.*

Huc refer illam, quæ *Pluvialis Major* Aldrovando. Rostro est procero, supina parte per pectus, ventremque candicat. Majores alarum pennæ nigricãt, pedes sunt longi, & ad cęruleũ vergunt. Digito posteriore ferè caret.

CHARADRIUS Gazæ Hiaticula, quòd circa fluminum alveum & rivorum hiatus versetur, qualis Aristoteli avis sit, ignoratur. Nam colore & voce pravum esse, noctu apparere, interdiu aufugere, quod de suo Philosophus reliquit, multis avibus competit. Et cum Aristoteles Icterũ Chloreum seu Galgulum vocet, haud verisimile videtur, eam avem Charadrium esse, quam in Perside & rarò quidem reperiri; atrijs regum requiri, quod multi ei propter auxilium quod ictericis præstare creditur, Albertus ex Heliodoro, Aeliano & alijs asserit. Aldrovandus pro Charadrio aviculam exhibet corpore toto ex cinereo fuscã, Rostro brevi, si cum aquaticis, longo, si cum alijs conferas. Capite toto nigra vitta cinctam, cruribus oblongis & gracilibus, colore ad rutilum accedente, fronte & collo candicantibus, pedore nigrescente. Quia interdiu latet, noctu progreditur, dedit proverbio locum. χαράδριον μιμούμενος, qui rem utilem occultat, dicitur. Ictericos solo aspectu sanare multi produnt. Philes Rubetam spectantem ictericiâ affici, rursus Charadrion, liberari nugatur.

Arist. H.A. l.9.c.11.

Helidor. l. 3. Histor. Aethiop.

TITVLVS III.

De Avibus Fissipedibus Herbivoris.

CAPVT VNICVM

De Grue.

Martialis.

AVis quam Gruem Latini à gruendo, Poëtæ Palamedis avem, quòd is Trojano bello, quatuor literas φ ξ χ & θ, ordinem aciei, & tesseras à Gruibus didicisse dicatur, vocant, Græcis communiter γέρανος, quod colore cinereo & quasi cano tanquam γέρων appareat; Tyrrhenis Tiris, & συρίσης, Polytrrhenis σέρτης appellatur. *Genera* ipsarum apud Tartaros plura Venetus observavit. Sunt quædam alis *nigris*: aliæ *candidæ*, pennas oculis aurei coloris plenas habentes. Nonnullæ parvæ, pennis longis rubro nigroque colore perunctis instructæ; quædam denique magnæ, grisei cinerei coloris, oculos rubros & nigros habentes. In Cuba duplo nostris sunt grandiores. In alia Americæ parte rubras colore coccineo Columbus observavit.

Venet. Rerum Orient. l.1. c.64.

De *descriptione* non est quod simus solliciti. *Collum* ipsi duos dodrantes longum, quod Philoxenus seu os Eurixidis F. seu Cytherius, gulæ circa pisces mancipium, sibi optabat. Anterior ejus pars ad latera nigricat, prona albet. Vertex cum macula rubente niger. Omnia reliqua cinerea præter majores alarum pennas. In alis retrò versus caudam fulvæ & crispæ sunt, quas auro & argento ornatas juvenes pilis affigere solent. *Arteria* aspera penitus in carnem ad os sternon inseritur. Ideò non mirum ex tam longinquo audiri.

Descriptio.

Athen. Dipnos. l.1.

Nulla non in orbis parte visuntur, universum enim ferè, caloris amicæ, peragunt. Circa Hebrum, Strymonem & Cnistrum magna ipsarum copia. Ex Thracia, ubi æstate vivunt, hyeme ingruente trajiciunt in Lybiã: ibi in Ægypto & in Æthiopia hyemem transigere Ælianus prodidit. De Tartaria superius diximus, quę verò de Pygmæis Plinius habet, fabulosa sunt. *Cibus* ipsis fruges, & herbæ.

Locus.

Aelian. H. A. l.3.c.13. Plin. H.N. l.4.c.11.

Illud & Suidas innuit, cum dicit, γέρανοι γεώργε κατένεμον τὸ χώρον ἐσπαρμένον, νεωστὶ πυρίνῳ σίτῳ Grues agricolæ depascebantur agrum noviter tritico satum; & Mantuanus cum scribit.

Victus.

Mantuan. l.1. de colum. temp.

Strymoniæ de more Gruis, quæ semina campi
Iacta legens æquæ tepido sub sydere libra.

Hoc apud Claudianum legitur.

E Nilo Pygmæa Grues post bella remenso
Ore legunt rubri germina caramaris.

Putantur tamen & serpentibus interdum vesci.

Moventur *in Venerem* cum obvio vento ad occidentem fugiunt. Fœmina stante ut Passeres, non sedente ut Gallinæ, coëunt. *Ova* bina, inter quæ lapidem fortuito etiam inventum deponere solitas, Albertus Coloniæ per annos

Partus.

Aelian. H. A. l.5.c.2.

annos aliquot obſervavit, nec plura pariunt. Quomodo *excludant*, à nemine quantum ſciam hactenus proditum eſt.

Vox. *Vocem* ipſarum Græci per κλαγγάζειν vel κλάζειν; Latini per clangere & clamare exprimunt, quod intenſo & magno cum impetu prolata vociferentur. Ariſtophanes γέρανον κρώζουσαν nuncupat. Q. Calaber παντοφθέγγους, id eſt longum & protenſum ſonum edentes dicit.

Virgil. Æneid l.10. Lucret. l.4 Ariſtoph. in Avib.

Aetas. *Aetatem* earum diverſi diverſimodè definiunt. Honorius anno octavo ſeneſcere tradit. Leonicus Tomæus quadraginta continuis annis unam domi aluit. Ariſtoteles pēnas Gruum in ſenectute nigreſcere tradit. Seu quod pennarum earum natura albicet, plusque humoris ſeneſcentibus ijs conſtituatur, quam ut facilè putredini pateant: ſeu quod terreſtris humidi ipſarum natura à calore imminente non ſatis concoquatur. Solinus fulvas reddi ſcribit. Ingrediendo pedes ante ſe jaciunt, & implumes tam celeriter aliquando currunt, ut curſu hominem vincant.

Ariſt. l.5. de gen. c.5.

Volatus. Nec minor *Volatus* velocitas. Cyrus per intervalla locorum ſuos tabellarios ita diſpoſuiſſe legitur, ut fatigatis recentes & nocturni diurnis ſuccederent; ſic volantes Grues ſuperarentur.

De *Migratione* mira ab Autoribus produntur. Ex Græcia Mæmacterione in quem Æquinoctium incidit, diſcedere notavit Plutarchus; ex Helvetia XI. Septembr. audivit Geſnerus. Thraciam relictam ad Hebrum fluvium conveniunt, & in turmas diſponuntur. Maxima nata luſtrato ter exercitu, corruit; ſepultâ ad iter in Ægyptum accinguntur. Volant altè, ſeu ad proſpiciendum, quod Plinio & Iſidoro placuit, ſeu ut, cōſpectis in tempeſtatem nubibus in terram ſeſe referant. Exactè ſecundum ventum ſervant, rarò contra impetum niſi fugiēdo nituntur. Et in tergo præter volantium colla & capita reponunt. In volatu trianguli formam efficere animadverſum ab Ariſtotele. Ejus autem ſummo angulo aër ab iis adverſus pellitur: deinde ſenſim ab utroque latere, tanquam remis ita pennis curſus avium levatur. Baſis trianguli tāquam à puppi ventis adjuvatur. Tempeſtate motâ, vel in triquetram figuram conducto agmine cuſpide ejus circumfluum aëra ſcindunt, vel immixtæ glomerantur in orbes, vel contentæ in ſinum falcataeque feruntur. Literam ypſilon quibusdam exprimere; A vel Α alijs creduntur. Unam ſequi ordine literato, & pennarum notis inſcribi aëra, certum eſt. Ducem quem ſequantur ex robuſtis & ſenioribus eligunt. Ubi eum defatigatio, quia non habet, ubi nitatur, cœperit, proximam ijs quæ acquievere ſubſtituunt; eaque viciſſitudo in omni curſu ſervatur. In extremo agmine per vices qui acclament, diſpoſitos habent, & qui gregem voce contineant. *Excubias* habent nocturnis tēporibus, lapillum pede ſuſtinentes; qui laxatus ſomno & decidens indiligentiam coarguit. Cæteræ dormiunt capite ſubter alam condito, alternis pedibus inſiſtentes, Dux cum alijs erecto providet collo ac prædicit. Lapidem deceſſuras deglutire auri indicem poſtquam deciderit utilem, ſeu ut ita facilius ventorum turbini pondere reſiſtatur, quod Ælianus voluit; ſeu ut de via feſſæ, & quietem parantes, jactu terram & aquas explorent, quod Ariſtophanes Byzantius credidit, prodidere quidam. Roſtro eū ſuſcipere, ne in volatu navis inſtar fluitent, Maximus Tyrius ſcripſit; ut vocem Taurū montem Aquilis plenum cohibeant, alij: Falſum id Ariſtoteles reliquit: lapides pedibus compleſti, cum digitis ijs incurvantur ex Alberto habemus. Certum eſt, inquit Plinius, Pontum transvolaturas, primum omnium anguſtias petere, inter duo promontoria Criu metopon & Carambim; mox ſaburrâ (ſed non ut alantur, quod Ælianus fabulatur) ſtabiliri. Cum medium tranſierint, abjici lapillos è pedibus, cum attigerint continentem è gutture & arenam. Cum ab Aegypto in Europam avolant. Duces non adhibent.

Plutar. in Ariſtotele. Ælian. H. A. l.2.c.1. Tzetzes.

Plut. de ſolert. Animal.

Cicer. 4 de Nat. Deor. l.2. Plutarch. l.c. Lucan. l.5.

Ariſt. H. A. l.9. c.10.

Plin. H. N. l.10. c.23. Solin. Polyhiſt. c.10.

De *Antipathia* hoc duntaxat occurrit,

Affectus.

rit, ab Aquila infestari. Ita inter se interdum ira exardescere, ut dimicantes capiantur. Visus aliquando mas fœminæ ad internecionem usque undecim vulnera inflixisse, quod pullos quo minus se sequerentur, abstraxisset, si Alberto fides est. Quæ de *Pygmæorum* cum Gruibus *pugna* ab Aristotele, Philostrato, Menecle & alijs produntur, fabulosa esse ex Strabone cognosces. Adventus earum, Arationis tempus indicat. Si vel vociferantur, vel per apertum sponte trepidant; nec sese audacius æthræ committunt, vel vespere, & ad multum tempus volant, tempestatem minantur. Si manè & gregatim volent, serenitatem promittunt.

Arist. H. A. l. 8. c. 12. Strabo. l. 1. Geogr. Hesiod. in Die. Theophr. l. de signis tempest.

Vsus. *Vsus* earũ olim *in cibis* expetitus. Indi ovis vescebantur, ut Strabo habet. Varro Grues Melicas apud Gellium inter ἐδύσματα reposuit. Grues oculis consutis in tenebris saginatos Plutarchus testis est. De suis temporibus *Plinius.* Cornelius Nepos qui Divi Augusti principatu obijt, cum scriberet turdos paulo ante saginari cæptos, addidit, ciconias magis placere, quã grues: cùm hæc ales inter primas expetatur: illam nemo velit attigisse. Sed & hodie hybernos apud Gallos cibos nobilitat. Inassant caryophillis per fossas & pipere. Tenerescunt, si ex ficu suspendantur. Galenus, Aegineta, & alij carnem earum inter fibrosas & duras reposuere. Anaxandrides, cum Iphicratis nuptiarum cum Thraciæ Regis filia convivium ridet, Gruem ibi fuisse, quę frontem distenderet. Hiante podice, discissis lateribus, dicit.

Strab. l. 15. Gellius l. 7. c. 16. Plut. l. de esu Carnivor. Plin. l. c. Bruier. l. 15. de re cib. c. 59. Athẽ. l. 12.

Quantum *ad Medicinam*, Torminosis in cibo prosunt. Jus vocem clarificat, & sperma auget. *Caput*, oculi, ventriculus exusta in pulverem fistulis & varicosis ulceribus inspergunt. *Adeps* omnes duritias cum Anserino dissolvit. Pulmonis vulturini dextræ partes venerem excitant viris adalligatæ gruis pelle. Penna serpentes stupidos reddit.

Et hęc de Grue in genere sufficiant. *Speciem* quod attinet, quia BALEARICAM Plinius Cirrhos in capite more Pavonis gerere scribit, Aldrovandus eam substituit, quam Bellonius cuidam Ardeæ generi adscribit. Vulgaris est Gruis magnitudine, & eodem planè corporis habitu, rostro è cinereo fusco, vertice nigro, in quo cirrhus erectus nascitur, plurimis tenuibus & subtilibus aurei coloris pennis. Vtrinq; in temporibus maculam habet oblongam, candidam, ex cujus inferna parte utrinque oriuntur palearia rosei carneive coloris. Collum, pectus, venter, cruraque tota ex cinereo fusca sunt. Circa caput viride invenitur. Alas erigit, & quandoque velocissimè currit. *Vescitur* herbis viridibus, quandoque furfuribus & hordeo. Sub noctem altos parietes aut arbores more Pavonum quærit.

Plin. H. N. l. 30. c. 13.

De JAPPONENSI nihil singulare occurrit. Tota ferè candicat, rostro, collo inferiori, pedibus & alis internis exceptis. Vertex capitis insigniter rubet, ac nigris maculis respergitur. Media pars colli inferior nigricat. Sub alis pennæ dependent satis magnæ, multis insignitæ appendicibus, nigræ; cætera tota avis nigricat.

* * *

HISTORIÆ NATVRALIS DE AVIBUS:

LIBER VI.

De Avibus Exoticis, Americanis inprimis.

TITULUS I.

De Avibus Exoticis Terrestribus.

CAPUT I.

De Manucodiatis in genere & in specie.

POterant & istæ superioribus inseri, nisi accuratā, plerarumq; descriptionem Authores nobis invidissent. Hâc quia destituimur, dicēdū promiscuè de illis erit, ne aliquid in historia Aviū scitu dignum omisisse videamur. Si quid occurret, quod superioribus annecti possit, Additamētis DEO volente inseretur. Incipiemus à MANVCODIATIS sive avibus Dei ut Moluccani vocant. Hæ alijs interdum Apodes Indicæ: interdum Aves Paradysi, seu ob corporis speciem, seu quod ubi locorum nascātur, unde veniant, quo sese recipiant, ignoretur, vocantur; quamvis & ad Physonem fluvium quædam observatæ sint, quibus idem, ob miram corporis speciem, & plurimam colorum diversitatem, nomen inditum erat, & in Ægypto fuscæ & subrutilæ Monedulis minores, sub eodem nomine videantur. Magnitudo certa non potest illis adscribi, quædam hirundine paulò majores visæ sunt. In Java columbarum magnitudine observari, à se Pica maxima non minorem visam, Scaliger reliquit. Omnibus peculiare est, ut pedibus careant (quamvis Aristoteles nullam absq; pedibus avem dari asserit, & Pigaffetta pedes illis palmum unum longos assignet) & in cauda veluti fila quædam vel nervos obtineant. *Caput* ipsis non rotundum, sed pressum, nucis juglandis fermè magnitudine. *Rostrum* non omnibus æquè magnum, neque ejusdem etiam coloris. *Alæ* & cauda expansæ Accipitrinis Milvinisque magnitudine respondent. Pennæ sunt tenuissimæ, & præter tenuitatem pennis Pavonum fœminarum ex toto persimiles. Alæ in arctum contrahi, vel in latum diffundi pro animantis lubitu nequeūt, sed naturaliter uno tantum eodemq; modo perpetuò consistunt. *Dorso* fila gemina annectuntur, tres & amplius palmos longa, neque exactè rotunda, neq; perfectè angulata, sed figurâ inter quadratum & rotundum media. Intus continuata ac perpetuâ, pinguedine totæ expletæ sunt. Faltò perpetuum *volatum* exercere, quod non nisi mortuę in terra vel mari inveniantur;

Scaliger Exerc. 228. l. 2.

traduntur; nec verius affirmatur rore duntaxat *pasci*, & *ova* in masculorum dorsi cavitate incubari & excludi. Sanè quiete necessario indigent, & filis illis in cauda facilè ramis arborum annectuntur, nulla hactenùs in visarum dorsi observata cavitas; & cum tum altè volent, tum animalia sint perfecta, quomodo rure, qui propè terram nascitur, nec solidum alimentum suppeditat, illas ali dixeris? Magni à Moluccarum Regulis fiunt, qui se, si illarum pennas portent, in prælio vulnerari non posse, etiamsi in prima acie collocati fuerint, credunt.

Species. *Species* ipsarum quinque describit Aldrovandus. *Prima* hirundinem magnitudine, & forma, si corpus spectes, pene æquat. Pennarum ambitus discolor est, sed admodum venustus, & visu undique jucundissimus. *Caput* quale Hirundinis, & pro corpore parvitate majusculum: cujus plumæ, quæ superiorem partem à prima cervicis vertebra ad rostri usque initium exornant, breves sunt, crassæ, duræ, spissæ, colore luteo egregiè micantes, & ad instar purissimi auri, radiorumque solarium more respondentes: reliquę, quæ mentum contegunt, molliores, tenuiores, & ex cyaneo mire virides, ut in Anatum masculorum capitibus, dum lucidissimo sideri obvertuntur, conspicimus. *Rostrum* quam Hirundini prolixius. Alarum pennæ forma Ardearum similes sunt, sed tenuiores tantum, ac longiores; fuscæ, inter nigrum, & ruffum fulgentes: quæ una cum cauda in orbem expansæ, rotæ similitudinem exhibent. Etenim planè immobiles sunt, & veluti infixa quædam spicula cuti adhærent. Cæterum minores quoque aliæ pennulæ, eæque profecto haud paucæ juxta singulas majorum pennarum, quæ alas constituunt, origines, exoriuntur, quæ supra majorum principia extensæ, ea obtegunt, dimidio quisquiliatæ, ruffæ, coccineęve, cætera croceæ, & fulvo auri colore splendidæ, multũ mehercule gratiæ ac venustatis aviculæ ob eximiam illam & singularem colorum disparitatem conciliant. Corporis reliqua moles tota pennis fulvis in ruffum vergentibus obducitur, ita tamen ut aliquid adhuc inter eas discriminis advertas. Nam quæ in pectore & ventre collocantur, & frequentissimæ sunt, & pariter latissimæ duorum triumve digitorum amplitudine fulvo sunt colore, & eo quidem nitidissimo, haud sanè alio quam jecur ipsum splendentes. Quæ verò dorso infiguntur, rariores, neque ita frequentes sunt, atque insuper amplis divisuris pennarum omninò Ardearum tergo adhærentium similitudine hiant: neque etiam ad tam insignem latitudinem accedunt: aut præstãtem illum hepatis colorem adæquant, quinimo puniceo potius colore, carni æmulo, obscuriore etiamnum relucent. Fila illa gemina quæ dorso annectuntur, quodammodo nigra sunt.

Altera caput habebat album ferè, maculis luteis, aureisque perfusum, oculos pariter luteos, cilia rubicũda, rostrum inter luteum, & viride medium, duos digitos longum, in supina parte quammodo recurvum; *linguam* rubicundam, longiusculam, acutam, Picorum haud planè dissimilem ad lancinanda animalcula perquam idoneam. In pectore aliquo pacto rubescebat. Venter, dorsum, & alæ candicabant, hæ tamen superius ubique, & in fine erant ferrugineæ. Dorsum primo ad flavum quodammodo tendere videbatur; posteaquam vero uropygium attingit, ad rubicundum, seu ferrugineum colorem vergebat. Alarum longitudine, utpote, quę quinos palmos adæquant, primam speciem superabat. Caudæ pennæ, ubi dorso inseruntur, candicabant: cætera ferrugineæ erant. Ejus duæ pennæ reliquas duorum palmorum longitudine vincebant, & reliquæ etiã quam in prima longiores aderant. Carebat hæc avis geminis illis filis, quæ omnibus è dorso enasci supra dixi: quare vel itineris longitudine, vel temporis vetustate decidisse ea judicandum est, non autem fœminam ideo dicendam, ut perperam vulgus hactenus sibi persuasit. Duarum vero longissimarum illarum pennarum fortassis ad velociorem motum usus fuerit.

Ter-

Tertiam ob corporis longitudinem *Hippomanucodiatam*, quoniam longiorem videre mihi nunquam contigit, appellare placuit, quæ videlicet à principio rostri ad caudæ, & alarum extremitatem tres dodrantes longa erat; & ad duos palmos, cum alæ complicatæ sunt, lata. Rostrum erat satis aduncum, in supina maxima parte, tres digitos longum, in inferna vero paulo brevius. Tota vero avis erat alba præter nempe collum, & ventrem, quorum color est castaneus. Superior capitis pars ferruginea, quem colorem flavus excipit, ut hunc viridis. Propè dorsum pennæ admodum prominebant longitudine duorum, vel trium digitorum. Erat præterea unicum duntaxat Avi filum, idque asperiusculum, & admodum flexibile, quare alterum casu quodam amissum fuisse existimare debemus.

Quarta à rostri principio ad alarum extremitatem usque commensurata duos dodrantes explebat. Rostrum pro corparis exiguitate longissimum, nigrum, & quodammodo aduncum. Capitis, colli, & alarum pennæ nigrescebant, ubi tamen rostro adnectebantur, flavescebant. Cirrhum propè cervicem tres propemodum digitos altum habebat, rigidum, coloris flavi, quiq; ex setis potius, quam pennis constare videbatur, atque eo maxime à subsequenti Manucodiata differebat.

Vltima magnitudine est Turdelæ, miræ levitatis, alis oblongis prædita, teneris & visui perviis, & pennis (si pennæ dici possunt potius quam setæ: deplumes enim sunt) duarum longis, angustis, nigris, duritie cornea; pedes nulli, perpetuo volat, nec usquā quiescit, nisi in arbore aliqua, longis illis setis ramo implicata pendens. Nulla navis tam celeriter pergit, & tā procul à continente, quam nō circumvolet.

Huc RHYNTACE Ctesię pertinere videtur, quæ ovi magnitudine, gallinacei fortè, in Persis nascitur. Hesychio & Phavorino avis est quam ἡλικὸν περιστερὰ id est columbæ magnitudine. Nonnullis Pluvialis avis dicitur, nec solido cibo vescitur.

CAPUT II.

De Avibus Daje, Guitguit, Maja, Xochitenacatl, & Iajauhquitototl. &c.

AMericanis nominibus utimur, quia de Exoticis nos acturos recepimus. Possent & Latina imponi; quod Nierembergius fecit; sed metuimus, ne Lectoris judicium turbetur. Unicuiq; ad sua genera unamquemque revocare licebit. Avis *DAIE* columbam non excebit. Nidum quatuor spithamas altum, locis sabulosis, cauda ac pedibus excavat. In eo *ova* perimbres anserinis majora, & pugnū ferè lata, quinquagena plurave, citra ullum albumen, crassæ & pinguis substantiæ, ponit. Excluduntur hæc citra incubantis parentis opem atque teporem. Exclusi pulli statim evolant. Avis est commodè edulis. Ova assa coctaque boni & pinguis sunt alimenti; frixa mali & concoctu difficilis.

GUIT GUIT minima est avicula, Regulo similis, viridi colore, & suavi nutrimento. Ea est naturæ rerum vis, ut hæc tanta avis ac ferè nulla, audeat persequi corvorum examina, cosque cogat ubilibet latitare, & se adversus illam in arundinetis tueri. Corripetam Nierembergius dixit. *Nieremb. Naturæ Exot. l.10. c.6.*

MAIÆ colore fulvus est, & in colli postica parte caput (dictu admirandum, & nulli alii animali concessum) ventriculus, primumque nutrimenti receptaculum, si Authoribus credendum. Gregatim in Cuba volant, & Oryzæ cujus maximus apud eas gentes proventus, sata devastant. Cedunt mensis, & grati multique nutrimenti esse dicuntur. *Idem lib. c.7.*

XOCHITENACATL columbæ est par, rostro crasso acuminato & nigro, *Oculis* nigris, iride luteâ, alis caudaque albo & nigro colore variatis, tænia nigrâ à rostro ad dextrum usque pectoris procedente, alis verò circa priores partes etiam luteis, ac universim reliquo corpore pallenti, si demas

pedes & crura quæ fusca sunt, & ungues ipsos, qui ex albo nonnihil pallescunt. *Vivit* juxta arbores floridas, quarum melligine *victitat*. Educat sobolem, habeturque à Tototepocensibus apud quos est frequens, maximi.

Idem l.c. c.10. JAIAUQUITOTOTL corpusculo sturnum æquat. Viridi, cyaneo, fulvo & cinereo variegatur. Dum illi ab extrema cauda pennæ prodeunt reliquis longiores, priori parte depiles, in extremitate cyaneis ac nigris ornatæ pilis. Videtur ad Passeres Indicos referri posse.

CAP. III.

De Avibus Tuputa, Tentzon tototl, Tritono, & Hoactzin.

Nieremb. Hist. Nat. Exot. l.10. c.14. INsolens in TVPVTA natura. Viva tota vermibus farcitur. Hos pro carne habet, his singula membra imbuta: præter hos & pellem nihil carneum. Cutem non perforant densis exornatam pennis. In carectosis & herbosis locis versatur, ad proceras arbores nauseat. Hæc ab Hernando habemus, si eximiæ fidei is author est.

QVAPACHTOTOTL octo uncias longa est, ac totidem cauda; Rostrum è cyaneo nigrum, longiusculum incurvumque, oculi nigri, iris alba; pectus cinereum, ac inde ad caudam usque venter niger, cauda ex nigro fulvescens, alæ verò collum atque caput fulva. Risus humani est æmula, hinc Ridibunda quibusdam. Et propterea inauspicati ominis infamiâ Indis erat infensa.

TENTZON TOTOTL appellatur avicula Passere minor, colore fusca, pilis quibusdam ad rostri radicem circumcirca propendentibus, barbæ instar. Inde nomen usurpavit.

Nieremb. l.10. H.N. E.c.34. TRITONVS pulcherrima, & mirifico colorum ornatu variegata proditur, Patria ipsi Hispaniola. Tribus vocibus canit. Scilicet pænè indivisibilibus modulis variat cantum, ab avita voce in alias subitu dilapsa, ut videatur unà omnes edere, unoque spiritu multos formare tonos, tanquam si à tribus gutturibus fabricarentur.

HOACTZIN Gallinæ Indicæ ferè est magnitudine, rostro incurvo, pectore candido in luteum inclinante, alis caudaque maculatis per intervalla pollicis, colore candido & pallenti, dorso ac suprema parte colli fulvis, sed utrisque in fuscum colorem inclinantibus, præterea etiam & temporibus usque ad rostrum & oculos. Vnguibus nigris, ac fuscis cruribus. Gestat cristam è plumis è candido in pallidum colorem vergentibus, sed dorso earum nigro. *Vescitur* anguibus. *Vivit* in calidis regionibus, qualis est Yautepecensis, magnaque ex parte arboribus juxta flumina consitis insidet. Apparet Autumno. *Vox* ei magna, & ululatum quendam repræsentans. Inauspicata ab incolis habetur. *Vsum* in *Medicina* invenit. Ossa dolorem cujusvis particulæ humani corporis lancinatione sedant. Suffitus quoque plumarum, mentem restituit his è morbo aliquo cà parum constantes evasere. Pēnarum cinis intra corpus sumptus, morbo Gallico affectis operâ mirabili medetur.

CAPUT IV.

De Ave Emeu.

AVem Emeu seu Eme Clusij potius verbis, qui eam accuratissimè descripsit, quam meis depingere malo. Hæc, inquit iste, dum surrecto capite incedebat, quatuor pedum, & aliquot unciarum altitudinem excedebat: nam collum à summo capite ad dorsi initium tredecim pænè uncias erat longum, ipsum corpus binos pedes latum, femora cum cruribus usq; ad pedum inflexionem decem & septem uncias longa; corporis autem ipsius longitudo à pectore ad Vropygium trium pedum fermè erat. *Pennæ* seu veriùs plumæ totum avis corpus cum infima parte colli, dorso & pectori proximâ, atq; femora tegentes, perpetuò erant geminæ, ex eodem parvo brevique tubulo prodeuntes, & sibi invicem incumbentes; supernâ quidem paullò crassior, infernâ verò tenuior,

nuior, & delicatior, illæque varię longitudinis, ut in similis avis exuvio, quod Christianus Porretus Leydensis pharmacopæus diligentissimus, habebat, observabam. Quæ enim in infimâ colli parte breviores erant, quæ in medio corpore & lateribus longiores, sex videlicet aut septem unciarũ, quæ autẽ in extremo corpore circa oropygium (nam caudâ carebat) novem uncias longę, & reliquis duriores. Quanquam omnes duræ aut rigidæ, attamen non latæ, sed angustæ, & rarioribus lateralibus pilis ex adverso sitis præditæ, nigri coloris, quæ tamen circum femora ad cinereum ferè tendẽtis, nigro permanente nervo, ut in reliquis: eam verò formam, & situm habebant illæ plumæ, ut à procul aspicientibus non plumis sed villis duntaxat tectum ejus avis corium existimari possit, quale ursinum est, & alis carere, tametsi alas haberet, sed sub plumis latera tegentibus latentes, & quatuor majoribus pennis nigris præditas, ut in exuvio observabam, tametsi illæ abruptæ essent, nec de illarum longitudine certi aliquid pronuntiare possim; caules tamen confracti satis crassi, duriqúe & solidi erant, atq; in extimam alæ partem altè penetrabant. *Alæ* verò pars superior corpori contigua pennas sive plumas vestitrices, illis similes, quæ adhuc in pectore retinebat; adhoc enim datas hujusmodi alas censendum, ut currentem adjuvent, quia hanc avem non esse volucrem, nec à terrâ tolli posse arbitror. *Crura* in ambitu quinque unciarum crassitudinem superabant, crebrisque corticibus seu squamis latis tecta erant, præsertim supra pedis inflexionem. *Pedes* habebat crassos, duros, tribus crassis digitis præditos, pronâ parte velut squamis tectos, supinâ prorsus callosos: quorum medius, qui reliquis longior, tribus articulis constabat, interior uno, exterior binis. Omnium *ungues* valdè magni, binas pænè uncias longi, crassi, duri & cornei: Ejus *caput* exiguum pro avis magnitudine & ferè glabrum, coloris ex atro cærulei cum colli supremâ parte, in quo apparebãt rari pili nigri: oculi paullò supra rostri fissuram magni, ardentes & truces, leonis oculis pænè similes, quos cingebant nigri pili, quemadmodùm & meatus illos aurium parvos & detectos, quos pænè oculos habebat. *Rostri* prona pars quemadmodũ arcuata erat, paulloque supra mucronem binis foraminibus, narium usum præbentibus, prædita: à cujus medio ad capitis usq; verticem porrectum diadema assurgebat corneæ substantiæ, tres ferè uncias altum, coloris ex flavo fusci, quod cùm plumario defluvio cadere, & cum plumæ renascuntur, novum crescere intelligebam. Supina rostri pars, ab ejus scissurâ ad extremum mucronem quinas uncias longa. Anterior colli pars quatuor pænè uncias infra rostrum, bina velut membranacea palearia, seu barbulas, propendentia habebat duas uncias longa, coloris rubri miniati. Postea similiter colli pars deplumis, à capite secundum longitudinem rubri miniati coloris erat; deinde infirma ejus pars aliquot rubris plumulis, quibus nigræ intermixtæ tecta. Cæterùm tametsi hæc avis aliquas notas habere videatur cum struthiocamelo communes, velut exiguum caput, naturâ pænè calvum, quodque sine delectu vorat quidquid objicitur. *Pedes* tamen bifulcos non habet, sed tribus digitis præditos, ut antè diximus, sine calcari, otidis sive tardæ pedum modo: ideoque adeò firmos & robustos, ut in illustrissimi Comitis horto, (quẽ cum ipso Comite ingressus eram ut avem conspicerem) arborem humani femoris crassitudinem ęquãtem prorsus contusam viderim, & ejus corticem sublatum ab hujus avis, comite, id asserente, pedibus & unguibus: etenim non rostro antrorsum, sed oblique se convertens, aversis retrorsum pedibus, eos, cum quibus pugnabat, impetere solebat.

Licet verò quæcumq; objiciebantur voraret, ut aurantia mala integra, & similia: ordinarius tamen ejus *cibus* erat similagineus, sive primarius panis, quem in magna crassaq; fragmenta divisum, objectũ vorabat, maxime *Victus.*

enim recentibus gallinarum ovis delectari intelligebam, quę integra cum ipsa testa gluticbat, si autem parum firma esset valetudine, illa ipsa integra per anum rejiciebat, deinde rursus ea vorans retinebat & concoquebat. Mihi autem affirmabant, hanc avem fuisse marem, & ex posticâ parte penem, cameli instar, interdũ exerere esse conspectum. Audio porrò, illas naves quæ anno à Christi nativitate millesimo sexcentesimo tertio ex Moluccis in Hollandiam redibant, binos simul aves quidem attulisse, sed in itinere mortuas projecisse; tametsi earum exuviæ sive coria, ob raritatẽ, conservari potuissent: illius avis aliquot ova nihilominùs relata certè terna aut quaterna eodem anno Amstelredami conspiciebam à mercatoribus redempta, & paullò etiam antè unum Leydæ apud Porretum videram, omnium, mea opinione, maximum & pulcherrimum: dimensi enim per longitudinem ambitus, quindecim unciarum erat; per transversum autem, duodecim, aut paullò amplior, ut propter amplitudinẽ pro quodam vase non minùs haberi posset, quàm struthiocameli ova, quibus, teste Plinio, veteres nonnunquam utebãtur, & adhuc nostra ætas ejus rei gratia usurpat; nam non semel videri memini struthiocameli ova argento excepta & inclusa, poculorum vicem prębere. Hujus tamen avis *ovi* testa non erat valdè densa, nec alba veluti ovorum struthiocameli, sed extrema parte virescentis ex cinericio coloris, & perpetuis, saltem creberrimis, quasi tuberculis satura viriditate præditis ornata: illorum autem qua Amstelredami conspiciebam, unum ejusdem pænè erat cum illo magnitudinis, formæ & coloris, quædam verò magis orbiculata, aliqua minora, nonnullorum etiam color dilutior, & minus elegãs. Porrò mihi relatum, hujusmodi aves Moluccarum insularum non esse peculiares, sed etiam in Sumatra sive Taprobana, vicinoq; illis insulis continente reperiri.

* * *

CAPVT V.

De Avibus, Xochitototl, & Auris.

XOCHITOTOTL, forma æmulatur passerem nostrum, multicolor est penna, pallet, nigrescit, candet: partim quoque est fusca. Ubique incola. Vermiculis & exiguis seminibus vescitur. Ex arborum ramis nidum construit pendulum. Ibi incubat ovis. *Nieremb. l.10. c.41. Herrera Decade 3 l. 3. c. 9. Historiæ Novi orbis.*

AURA aliis Gallinassa aut Gallinasso, in maritimis locis Zamuro, Peruanis Suguntus, Mexicanis Tropillotl, dicitur. Corvinum est genus, & ad magnitudinem Aquilæ accedit, quibus vix Gallinas superat. Color illi niger, Rostrũ Psittaci instar. Frons depilis plicatili cute obtegitur, circumstant pili rari & nigri similes Æthiopum. Crus habet fuscum. Aduncum unguem & atrum. Hornandes incertæ *originis* esse credit, nec sciri ubi nidificent & educent prolem. Frequentissimas omnibus Hispaniæ novæ angulis hodiè scimus. *Pernoctant* in arboribus & rupibus, manè advolant ad urbes, & ab editioribus locis plateas sęculantur.

Quicquid immundum est aut exanime devorant, nec à stercore humano abstinent, fœda ingluvie famosæ. *Victus.*

Pullos Acosta albos esse scribit; adolescentes in corvinam nigredinem degenerant. *Partus.*

Gregatim *volant*, & sublimipetæ sunt. Nec clamant, nec canunt raro murmure contentæ. Ingratus ab eis odor. Si quis insequatur, exonerant se ut leviores volatui sint, pari festinatione evomendo quicquid gluticerunt. *Volatus.*

Vsum invenere in *Medicina*. Caro si edatur, Gallicum morbum juvat. Pennæ exustæ cinis vetat pilos nasci, æquè ac stercus formicarum, vulnera quoque medicatur. Stercus drachmę unius mensura potatum prodest melancholicis. Cor sole exsiccatum impensè odorum est. In aliquibus Provinciis lege lata pœna infligitur occidenti has aves. Reginam Aurarum. *Vsus.*

COZ.

De Laet. l. 5. Indiæ Occid. c. 4.

COZQUAUKTLI Indi vocant. Accedit magnitudine gnesiis Aquilis, alii gallinæ Ægyptiæ parem faciunt. Corpus universum præter collum & eas partes quæ juxta pectus sunt, ex nigro purpurescens, fulvum est ac pullum. Alæ circa exortum nigræ, cętera cinerea; desuper verò mixtim fulvæ nigræ, & nonnihil in purpureum vergentes. Rostri extrema (quę Psittaci esse judices, tam est indistincta similitudo) alba sunt. Cætera sanguineo colore tincta. Amplum est narium foramen, oculi nigri, iris fulva, rubeæ palpebræ, frons sanguineo colore perfusa, ac plicatilibus rugis torva, quas tamen nonnunquam explicat, qua in re vocatos Gallo-pavos æmulari videtur, & pilis quibusdam veluti retorridis rarisque. Æthiopum pilis haud absimilibus. Cauda est Aquilæ, infernè cinerea, foris verò nigra. Crura rubra, ungues unci.

Nieremb. H. Exot. bel. 10. c. 56.

Lotus & Victus. Volatus.

Indigena est Mexicanæ provinciæ. Anguibus, muribus, lacertis, sed morticinis maximè & humano stercore *victitat*. Sublime *volat* & nimium extensis pansisque alis, vix volatum intermittens. Vi incredibili obsistit ventis, contra nititurque adversantibus, eisdem sedibus perstans immobilis. Unde ipsi apud Mexicanos nomen.

Vsus.

Caro est inutilis, nutrimento, quātum compertum est, à nomine, nisi *Medicinæ* gratia degustato. Audio, inquit Author noster, hujus avis plumis admotis mederi Indos ulceribus, carnibusque elixis durante affectu devoratis; quas etiam ajunt morbo Gallico præsentaneo quodam remedio mederi.

CAP. VI.

De Avibus Garagay, & Quetzaltototl.

Nieremb. H. Ex. l. 10. c. 57.

GARAGAY quæ dicitur, avis est rapax, Milvi magnitudine, capite ex extremitate alarum albo. Crocodilorum & testudinum ovis infensa est. Odoratur illa sub arena in ripis fluminum condita, eruit & vorat. Solivaga est, nisi quòd Auræ aves eam sequantur, ut potiantur furto, auro enim scalpere terram nesciunt, ut effodiant ova.

QUETZALTOTOTL, cristata est picę columbæve magnitudine, pavoninis magna ex parte plumis ornata, rostro incurvo & luteo, & pedibus nonnihil luteis, caudâ tzanatl plumis prælongis vestita, atque virentib. nitidisque pavonini coloris, iridis foliis formâ similibus, opertisque, alis supernè nigricantibus, infernè verò, & quâ parte pavoninas attingunt, quæ in medio sunt, inclinantibus in virorum, quasi cavente natura meliorum pulchritudini. Crista constat plumis splendentibus pulcherrimis; pectus collumque infernè rubris & micantibus, ac pavoninis supernè, qualibus etiam tegitur dorsum, nec non ęę partes quæ subter alas sunt, interque crura, sed dilutis exilibus, & mollibus. Plumæ alarum prælongæ sunt, virore tinctæ diluto, & in acumen desinentes. Pennæ tegentes humeros virescunt, sed subter sunt ni ræ, quæ verò alas interstant, nonnihil incurvæ ac unguium colore.

Descriptio.

Vivunt in provincia Tecolotlan ultra Quauhtemalan versus Honduras. Loca aprica amant, nec compertum cicurari vel ali in domibus voluisse.

Locus. Hernandes in Paralipom.

Vescuntur vermiculis, pineisq; quibusdam sylvestribus, ex his quas Mexicani matzatli vocare consueverunt. Arbores excavare, & in earum cavitatibus sobolem educare dicuntur. *Sonitum* proferunt Psittacis non admodum dissimilem: verum sibila edūt alacria, ter de die, manè, meridie, & sub occasum Solis cecinisse observatum est.

Victus.

Agminatim *volant*, & visco hærentes ne plumis detrimento sint, non contorquentur, quasi naturæ duæ divitiarum suarum cognitionem haberent.

Volatus.

Et sanè maximi plumæ apud indigenas habentur, & aurum precio superant. Longiores ad cristas & cætera corporis ornamenta, cætere ad textilia opera usurpantur. Plumis captas exuere, nudas dimittere dominis, quibus

Vsus.

quibus loco prædiorum sunt, & ad hęredes transeunt, licet, ne quisquam occidat, cavetur. Verè Reginam plumarum dixeris.

CAPUT VII.

De Avibus Tzinitzian, Totoquestal, Ave montana, & Longa.

Nierēberg. H. Exot. l. 10. c. 65.

TZINITZIAN parva est avis, columbæ pænè par. Rostrum habet breve incurvum & pallidum. Columbinum caput & collum, sed quæ plumis virentibus ac nitidis vestiuntur, pectus & ventrem rubeæ, præter partem caudæ proximam, quæ cyaneo candentique colore promiscuè tingitur. Caudam supernè virentem, infernè nigram Alas partim albas partim sub nigro-atras. Crura ac pedes cinereos. Vivit in calidis juxta Oceanum Australem, vescitur fructibus. Alitur in caveis. Ex plumis miræ subtilitatis imagines intexunt indigenæ.

De Læt. Ind. Occid. l. 7. c. 4.

TOTOQUESTAL columbina magnitudine minor est, viridis omninò. Caudæ pennæ longissimæ sunt, magno pretio habitæ & receptæ in commerciis. Depilata dimittebatur. Capitis reus erat qui occidebat.

Avis MONTANA Indis Tepetotl, & Tecnecholi, Hispanis Phasianus, anseris est magnitudine, colore nigro splendenti, plumis tamen nonnullis infernè candentibus, circa caudam in postremis alis, cruribus pedibusque cinereis. Rostro incurvo partim cinereo partim luteo, ac circum radicem velut tumenti, plicatili crista, oculis nigris, sed iride pallenti.

Alitur frumentaceis frugibus aliisque similibus. Mite animal. Nam apprehenso domesticorum pallio cibum exigit, & clausam januam ubi aliquo intrare opus sit, pulsat. Horum si liberum sequitur, reducem cum applausu excipit.

Edulis est ac pinguis caro, nec dissimilis illi chortalium Indicarum.

Avē LONGAM Indi Hoitlallotl dicunt. A rostri acumine ad caudæ usque exortum, quæ spithamam quoq; longa est, dodrantem prolixa conspicitur. Rostrum desuper nigrum, subter verò cinereum, quadrantem longum ac mediocriter crassum. Cauda virens sed pavonino splendore. Plumæ totius corporis ex albo fulvescūt, fulvescuntque propè caudam è nigro: sed quæ corporis vestiunt superiora, nigræ sunt maculis candicantib. conspersæ. Calidis regionib. vivit. Humipeta est, ac modici volatus, sed adeō pernici cursu, ut equorum velocissimorum agilitatem longè excedat.

CAP. VIII.

De Cygno Cucullato Clusii, seu Dodone Lusitanorum.

CYgnum Cucullatum, seu Gallum gallinaceum peregrinum Clusij. (Hollandi Walgh-vogel/seu nauseam moventem avem vocāt) Mauritii insulæ, quam Lusitani Ilha de Cirne, dixere, debemus. Magnitudine cygnum superat aut æquat. Caput habet magnum, membrana cucullum referente tectum. Rostrum crassum, oblongum, parte capiti proxima subflavum, extremo mucrone nigrum. Prona pars adunca est & curva, in supina quę subcærulea, macula mediam partem inter flavam & nigram occupat. Raris & brevibus pennis tegitur. Alarum loco quaternas & quinas duntaxat longiusculas nigras pennas habet, posteriore corporis parte, quæ præpinguis & valdè crassa, pro cauda quaternæ aut quinæ crispæ convolutæque pennulę cineracei coloris conspiciuntur. Crurum quæ crassa potius quàm longa, superna pars genu tenus nigris pennulis tegitur, inferior cum pedibus subflavi est coloris. Pedes in quatuor digitos dividuntur. Terni longiores antrorsum spectant, quartus brevior retrorsum conversus est. Omnes instruuntur unguibus. De Crure ejus genu tenus rescisso, ita Clusius. Erat, inquit, non valdè longum, sed à genu usq; ad pedis inflexionem paulo

Clusius Exot.

paulò plus quam quatuor uncias superabat: ejus verò crassitudo magna, ut cujus ambitus ferè quatuor uncias æquabat, crebrisque corticibus seu squammis tectum erat, pronâ quidem parte latioribus & flavescentibus, vero supina minoribus & fuscis. Pedis etiam digitorum prona pars singularibus iisque latis squammis prædita, supina autem tota callosa. Digiti satis breves pro tam crasso crure. Nam maximi sive medii ad unguem usque longitudo uncias binas non admodum superabat, aliorum duorum illi proximorum vix binas uncias æquabat, posterioris sescunciam: omnium verò ungues crassi, duri, nigri, minus uncia longi, sed posterioris digiti longior reliquis, & unciam superans. In unius ventriculo lapilli inventi sunt, unus planus & orbicularis uncialis magnitudinis, alter inæqualis & angulosus, in maris littore lectos & devoratos verisimile est. Herbertus cũ Lusitanis Dodonem vocat, & unam capitis medietatem ferruginei coloris plumis tegi, alteram nudam esse, addit.

Herbert. in Itinerario.

CAPUT IX.

De Avibus Ceoan, Cenotzqui & Pauxi.

CEoan seu avis nivea turdo viscivoro paullò major est. Circa pectus ventrem atque alarum exortum fulvescit, permixtis ad caudam cinereis plumis. Alarum extrema caudaque ipsa cinerea sunt, supernè verò universum corpus è fusco nigrescit. Rostrum quod parvum est atque exile, cruraq; fulvescunt. Mentum candet, insertis tamen aliquot nigris pennis. Sermonem humanum æmulatur, veluti irridens transeuntes, quos tamen ubi licet, insequitur.

Avi CENOTZQUI seu evocatrici nivium dictæ color illustris variegatione. Pectore fulvus, crure pallidus, ungue niger, ventre notis candidis & atris permixtus, sub finem albis notis conspersus, cauda subtus niger & candidus, super fulvo nigrore maculatus. Caput nigrum est fasciâ cinctum cinerea. Rostrum parvum cinereum supernè atque infernè, sed supernè juxta exortum linea ambitur lutea. Quovis cœlo gaudet, montana colit, & roris tempore sobolem educat. Antequam ningat clamitat, postea silet. Ita convolvit huc & illuc caput, contorto in varias partes collo, ut eodem situ immota perstans, cuncta circumspiciat.

PAUXI gallinaceum æquat aut superat. Nigra est, maculis nonnullis albis & nigris perspersa, collo nonnihil provecto, capite amplo, quod aliis cristatum, aliis pro plumea crista lapis aut globus insurgit, (lapidem vocant, licet non nimis durus) ovo similis aut major, ferruccineo colore, Hernandus tumorem quondam radici rostri affigi, qua parte est tenuior, pici firma, lapidis duritia, & cæruleo colore, scribit. Alitur frumentaceis seminibus & libenter mansuefit. *Nieremb. l. c. cap. 75.*

Huc pertinet alia Avis Ciconiæ magnitudine, colore cinereo. Cristam gestat uncias octo lõgam, è multis subjectis aggeratam plumis ejusdem coloris, & in amplitudinem orbicularem, præcipuè circa summum dilatatis atque excrescentibus. Visam in horto Hispaniarum Regis descripsit Hernandus.

CAPVT X.

De Avibus Picicitli, Polyglotta, & Chicuatli.

PIcicitli avis est parva. Cinerea tota nisi capite & collo, quorum utrumque nigrum; solum oculos nigros candens ambit macula. Est ignobilitate quadam originis nobilis. Nesciunt adhuc Tetzcoquenses ubi satificet. Muta est. Educat domi, brevi perit. Palato & stomacho est acceptabilis.

POLYGLOTTA quam Indi Cõcontlatolli seu quadringentas linguas vocant, sturnum non superat. Subtus albescit, superiore parte fusca, pullis & candentibus intermixtis pennis, maximè ad caudam & caput, quod imagine quadam coronæ argenteæ re-

dimitur. In caveis ad blanditias auditus, ad ostentum naturæ servatur. Vincit omnes aves suavitate & arbitrio gutturis, nullius non imitatur, nullius non superat. Calidas regiones amat, temperatas tolerat. Contenta est quovis cibo. Similis ei est Tzanpan. Aliqui suspicantur fœminam esse ejusdem speciei, paribus magnitudine, cantu, formâ, nisi quòd plumæ infernè albæ sint, cinereæ & nigræ: supernè, pullæ, nigræ, albæ.

CHICUATLI nostratem rusticulam exæquat. Rostro est longo, tenui, & pullo, ac tæniis juxta utrumque oculum luteis & incurvis. Inferiora corporis pallida sunt, nigris quibusdam plumis circa collum intersertis. Iris lutea, ac nigri oculi. Cætera ex fulvo, fusco, & cinereo permixta. In montibus versatur. Calidis frigidisque regionibus capitur. Pane & vermiculis alitur. Humipeta est, & in vimineum alteriusve materiæ conjecta carcerem, haud vulgariter garrit. Pingue & non omninò aspernandum præbet alimentum.

CAPUT XI.

De Avicula Tominejo.

Gomara Hist. general. Indiar. c. 194. Oviedus Histor. general. l. 14. c. 4. Augustin. Cerato Histor. Peruanæ l. 1. c. 5. Lerius in Historia Brasiliæ. Thevet. singul. Franc. Antar. c. 48. Ioseph. Acosta Hist. Natur. & Mor. Ind. l. 4. c. 37.

MIra sunt, quæ de Avicula, quam Hispani Tominejum, Indi Hoitzi tziltototl, ut Hernandes scribit, Huitzitzil ut Ximenes, Vicicilin ut Gomara, Quenti ut de Laet, Brasiliēses Gvonambuah, ut Lerius & Thevetus testantur. Oviedus Passerem mosquitum vocant, produntur. Tam parva est, ut quidam ei magnitudinem crabronis, alii cicadæ, nonnulli extremi pollicis articuli, & evulsis pennis vix dimidiæ ejus partis, alii scarabei Lucani assignent. Oviedus in monetaria trutina qua aurum appendi solet cum nidulo suo positam, bina tantum pondera. Acosta unum duntaxat dicit, Hispanis Tominos dicta, id est XXIV. grana, unde Tomineii nomen, pependisse vidit. *Capitis* & colli plumæ miram elegantissimorum colorum quocunque obvertas varietatem repræsentant. *Pectus* igneum quendam auro splendidiorem inprimis. Reliquum corpus sub cinericium est. Oviedus nigerrimum colorem tribuit. *Rostrum* habet oblongum, illudque acus qua vestes sarciuntur, exilitate. *Linguam* rostro duplo longiorem. *Pedum* & *unguium* exilitate, cum illarum avicularum pictura, quæ ornatus gratia in librorum marginibus interdum adjici solet, comparari potest.

Invenitur in Peruanis montibus & Brasilia. Melle, rore, & florum succo *alitur*. Rosæ tamen non insiseit, at in præalto milio quod Auati ab incolis dicitur, & aliis similis magnitudinis plantis insidet. *Locus.*

Duplex earum proditur *origo*. Nam aliæ quidem ex ovis excluduntur uti reliquæ volucres. (Construunt autem è xyli flocco nidos) aliæ, quod haud dubio fabulosum, ex muscis transformari vulgò creduntur. Sunt qui dicunt visam esse partim muscam partim avem: primum ejus colorem nigrum, mox cineraceum, deinde roseum, tandem rubentem. Nullus Hispanorum cantus mentionem facit. Soli Levius & Theretus Galli valdè canoram esse, & in cantu adeò assiduum ut nemo qui non audiret & cōspiceret, ex tantillo corpusculo tam suavem & sublimem cantum prodire posse sibi persuaderet. *Origo.*

Volat celerrimè, editq; inter volandum quendam instar apiculæ strepitum, ut apis magis quàm avis videatur. Non diutius, quod maximè virum, *vivit*, quàm flores herbarum durant superstites, postquam marcuere, ad pinus aliasve arbores, quadam naturæ providentia sese confert, eiq; se rostro affixo servat appensam, donec sex plus minus quam transactis mensibus, ac decidentibus jam pluviis, vernantibus agris, denuò revirescat, similes vices pluries subitura. Gomara exspirare mense Octobri, pedibus ex aliquo ramo appensam aprico loco; renasci autem Aprili scribit. Hinc *Renati* nomen. Servata est sæpius avis affixa stipiti intra cubiculum, & cum sex menses exanimis jacuisset, quò tempore natura sibi comparatum est, revi- *Volatus.* *Ætas.*

revixit, ac dimissa in agros volitarit.

Quam Clusius describit, & Urusiam ac Tominejum vocat, an eadem cum jam descripta sit, ignoro. Erat, inquit, hæc avicula, ut ex pictura observabam, à rostri mucrone ad pennarum caudæ extremitatem tres uncias longa. Caput verò cum integro rostro uncialis cum semisse erant longitudinis: alæ ad extremam ferè caudam porrectę, parem habebant longitudinem: dorsum vix unciam latum erat, ejus & alarum color ex cineraceo fuscus, ventris cineraceus. Pennæ quę in cauda obscurè rubescentes, earum extrema pars nigra. Capitis, colli gutturis plumæ elegantissimi coloris ex auro rubro & flavo mixti, quæ Soli expositæ, admirabilem varietatem, prout obvertebatur caput, ostendebant: rostellum nigrum tenuissimum & maximè acutum, pedes valdè exiles, nigri, quatuor digitis ut reliquarum avicularum præditi, quorum tres in anteriorem partem porrecti, quartus in posteriorem. &c. Videtur tamen esse ex istis. Diversæ enim speciei sunt istæ parvulę aviculę, & promiscua nomina communicantur invicem. Urusia Solis radium significat.

Vsus. Ajunt pulverem ejus intra corpus sumptum epilepsiæ mederi. Pennæ præsertim quæ in collo & pectore nascuntur, aureis staminibus à phrygionibus intexuntur.

CAPUT XII.

De Avibus Cuntur, & aliis quibusdam Insulæ Maragnanæ.

Iohan. de Laet. India Occid. l. 10. c. 5. CVntur avis est mole vasta. Visæ quæ expansis alis xv. aut xvi. pedes occuparent. Pedes habet gallinis similes, caret aduncis unguibus. Rostro tam valido instruitur, ut eo vaccinum tergus perforet. Plumis albis nigrisque mixtis ornatur. Cristam parilem instar novaculæ, & non servatam instar gallinacei. Inter Carnivoras censeri debent. Duæ illarum vaccam occidere & comedere valent, nec ab hominibus abstinent. Non modò ovem dilaniant, sed & juvencam. Pauciores sunt. Plures si reperirentur, pecus universum in Peruvia destruerent. In Insula Maragnana quatuor inprimis occurrunt.

Prima quam *Ouyra Ovasson* (observa, barberos Toupinambautios universas aves uno & communi nomine appellare Oura sive Ouyra) vocant. Aquila est pænè duplo major. Plumis vestitos elegantissimis, Rostro valido, Unguibus inprimis acutis. Visa penna ex alis hujus avis extracta, quæ ulnam nostratem longè superabat, elegantissimo colore, & rotundis maculis distincta, instar Gallinarum quæ ex Africa advehuntur. Tanti est roboris, ut ovem integram abripiat atque dilaniet, homines facilè prosternat, & nec à cervis abstineat. *De Laet. Ind. Occid. l. 16. c. 13.*

Altera est *Moyton* seu *Mouton* pavonis nostratis magnitudine aut paullò major, præaltâ crista spectabilis, & per universum ferè corpus nigris albisq; plumis eleganter variegata. Carnes illarum cibo sunt opportunæ, & multæ ejus visuntur species. *Lerius in Histor. Brasil.*

Huic *Toucan* accedat, palumbi magnitudine; rostro oblongo atque lato, ingluvie sub pectore tres quatuorve digitos transversos lata, crocei coloris elegantissimi & miniatis plumis circa oras distincta, pectore candido, dorso exquisitè rubente; alis atq; cauda nigris, pulchra aspectu & carne palato admodum grata. Hujus & alia species appellatur à barbaris Ovaycho, cui rostrum est paulò diversum & è rubro flavescens.

Quartum, locum avi *Ouru* dictæ damus, perdicis quidem magnitudine, sed galli gallinacei in modum cristata; plumis rubris, nigris atque candidis insigni varietate. Sunt ibidem & plures ejusce modi rapaces aves Aquilis aut majores aut paullò minores, singularis adhæc formæ, & plumis variorum colorum eleganter distinctæ.

Sunt & quædam Perdicum forma, sed majores paulò, cæruleis plumis ornatæ, & cærulea ova ponentes. Tata Ouyra Ovasson, & Tata Ouyra miri, itemque Arou mara singula sunt

columbarum nostrarum magnitudine, sed singulari plumarum varietate & elegantia.

Iandou struthiocamelorum est species. Proceritate staturam humanam superans. *Salian* denique Turcici Galli magnitudine, rostro & cruribus ciconiæ, licet volare nesciat: tamen tam pertinaciter currit, ut venaticos canes effugiat.

CAPUT XIII.

De quibusdam Brasiliæ Avibus.

INter cæteras Brasiliæ aves, quarum alibi mentio facta & adhuc fiet, censentur *Guranhæ-engera*, *Tangara*, *Quereiva*, *Tucana*, *Guirapanga*, *Macucagua*, & *Mutu*. *de Laet. Indiæ Occid. l.15.c.7.*

GURANHÆ-ENGERA magnitudine est Fringillæ, tergo & alis cæruleis, pectore & ventre flavo, diademate supra caput flavo. Cæterarum ferè omnium cantum imitatur, & mille modis vocem flectit & mutat. Variæ ejus reperiuntur species, quæ omnes aviariis inclusæ summoperè delectant.

TANGARA Passeris est magnitudine, colore nigro, capite subflavo, non canit. Epilepsiæ quia obnoxia creditur, ideò illius carnibus abstinet barbari. Narrant iidem aviculas hasce inter se choreas ducere, & una mortuæ instar humi procumbente, inconditum murmur & strepitum edere. Hac consurgente, & eundem strepitum edente, omnes una avolare.

QUEREIVÆ totum pectus, pulcherrimo colore rubro tectum est, alę nigro, reliquum corpus cyaneo. Propter exquisitam plumarum elegantiam maximi fit à barbaris.

TUCANA, quam Lerius & Thevetus vocant Toucan, picæ magnitudine, flavo pectore, reliquo corpore nigro. Rostro ingenti & minimum palmum longo, extus flavo, intus lætè rubente. Cicuratur ita ut sub tecto pullos suos excludat.

QUIRAPANGA est tota alba, & cum modicæ sit magnitudinis, stentoream habet vocem, & quæ instar tintinnabuli, ad dimidiam pænè leucam exaudiatur.

MACUCAGUA phasianæ avi non absimilis, Gallinas Europeas magnitudine superat, & triplici cute munita est. Ova quotannis bis tredecim aut quindecim ponit. Graditur quidem humi, sed petit ad conspectum hominum arbores. Largam delicatamque carnem habet. Multæ illius species reperiuntur, quæ capiuntur facilè.

MUTU Gallinæ est species admodum domestica. Cristam instar galli, nigris atque albis punctulis interstinctam gerit. *Ova* illius sunt grandia, alba, & ita dura, ut inter se collisa instar ferri tinniant. Quare barbari Maracas suas ex illis conficiunt. *Ossa* illarum canibus sunt lethalia, hominibus nihil nocent. An eadem sit cum Moutone de qua superiore capite actum est, ex comparatione liquebit.

Huc pertinet *quædam ex rapacibus* magnæ molis & tam clamosa, ut ad dimidiam leucam audiatur, tota nigra, pulchris oculis, rostro galli gallinacei, cui cornu impositum palmi pænè longitudine, quod iis qui linguæ vitio laborant, ad collum appensum occulta quadam naturæ vi mederi, experientia comprobatum volunt. Coronidis loco hisce Bambiayæ in Cuba insula frequentes accedunt. Paullum supra solum feruntur magis quàm volant, ita ut incolæ ferarum instar illas venentur. Carnes coctæ jus croceo colore inficiunt, saporis alioquin pergrati, & phasianarum avium æmuli. *de Laet. Indiæ Occid. l.1.c.9.*

TITVLVS II.

De Avibus Exoticis Aquaticis.

CAPUT I.

De Passere stulto, & Anfere Magellanico.

PAsser stultus nomen ex eo accepit, quòd manus apprehendentiũ nec fugiat *Nieremb. Hist. Exot. l.10.c.4.*

fugiat nec timeat, admiratur solū aut stupet. Præter frontis partem rostro adjacentem, quæ cinerea est, palmipes, rostro tres uncias longo, tenui, obrotundo rectoque, sed propè extrema nonnihil incurvo, pedib. quoque qui cęterorum palmipedum sunt, & cruribus nigris, pupillâ etiam nigrâ, & membrana oculos tegente in ambitu cinerea.

Vescitur pisciculis. *Voce* imitatur graculum. Magnitudine picam, formâ Larum. Nobilis est avium insulę Mauritii mansuetudo. Appellentibus nautis perinde insident ac arboribus. Eadem securitas venatus est. Accedunt ac subeunt manus.

ANSER MAGELLANICUS à loco ita dicitur. Batavi fortè à pinguedine Penguinem vocant. Describam cum verbis Clusii. Marina est hæc avis, inquit, & ex Anserum genere, tametsi rostro dissimilis. In mari victitat: pinguis oppidò est, prægrandis anseris magnitudine; nam adultiores in eo genere tredecim, quatuordecim etiam, sedecim interdum, juniores verò octo, decem & duodecim libras pendere observantur. Pronâ parte, nigris pennis tectæ erant. Supinâ & in ventre albis. *Collum*, quod crassum & breve habebant nonnullæ, albis pennis tamquam torque cinctum. Earum *cutis* crassa & densa inter suillæ. *Alarum* erant expertes, sed earum loco binas parvas coriaceas pinnas habebant, & latera tanquam parva brachia propendentes, pronâ parte brevibus, angustis & rigidis pennis confertim tectas, supinâ autem minoribus & rigidioribus, ijsque albis, quibus nonnullis locis intermixtæ nigrę; minimè quidem aptas ad volandum, sed quarum adminiculo velociter natarent. Maximâ enim ex parte in aqua *versari* intelligebam, & terram duntaxat petere fœtificationis vel pullationis tempore, & plerunque quaternas aut quinas in una scrobe latere. *Rostrum* corvino majus habent, non adeò tamen elatum, & valdè brevem caudam, pedes nigros, planos anserinorum pedum formâ, non adeò tamen latos. *Erectæ* & sublimi capite incedunt, demissis in latera pinnis, tanquam brachiis, sic ut procul intuentibus homunculi aut pygmæi appareant. Piscibus duntaxat *vesci*, referebant Diariæ; non ingrati tamen saporis esse illarum carnem, nec piscem sapere: scrobes verò valdè profundas in littore fodere, cuniculorum instar; totum solum adeò cavum interdum efficientes, ut per illud gradientes nautæ, sæpiusculè genutenus in eas scrobes inciderent. Hi sunt fortasse anseres, quos Gomara ait sine pluma esse, nunquam è pelago prodire, plumæque loco villo longo protegi.

Clus. Exot.

CAPUT II.

De Avibus Iochualcuachili, Xochitenacatl, & Tlauquechul.

AVis quam Chillenses *Iochualcuachili* seu caput nocturnum appellant admirandi est opificii. Assurgit illi à rostri exortu corona quędam, aut orbis in tres divisus cuspides, superiori parte mediocriter crassus, & è luteo rubescens: ab anteriori alarum bini aculei contorti exeruntur. His armis avicula imbellis adversus fortiores defenditur. Nullius vitam natura contempsit. Avis est littoris Oceani Septentrionalis alumna, salsorumve lacuum, è quibus victum sumit. Inventa apud flumen Tuspe, vix æquat sturni nostratis magnitudinem, sed collo constat tenui & longo, capite parvo, & in longum producto, prolixo rostro luteoque, prolixisque cruribus, & pedum digitis atque unguibus: ungues autem lutei sunt, digiti & crura cinerea cum inferiorum femorum parte, nam superior fulva est cum anteriori alarum parte, quarum posterior cyanea est. Reliquum corpus nigrum, quibusdam tamen fulvis circa ventrem permixtis pennis.

Nierēberg. Hist. Exot. l. 10. c. 16.

XOCHITENACATL, est columbæ magnitudine, rostro præ corpore mole maximo, superiori parte luteo, inferiori verò subnigro; & in

Nieremb. l. 10. c. 9.

purpureum colorem vergente, oculis nigris, sed iride rubescente ex luteo, ac reliquo corpore cæruleo cinereoque. Vivit circa litora Oceani Australis; piscibus, quos rapit, vesci solet.

TLAUHQUECHUL dicitur avis peregrinæ gulæ: vivis dumtaxat piscibus vescitur, mortuos non attingit; raptu gaudet, specie similis est plateæ aut pellicano, sed coccineo pulcherrimoque universi ferè corporis colore, aut ex albo rubescenti, lato atque obrotundo circa finem rostro, cinereoque pupilla nigra, iride rubrâ rugosâ, fronte galli pavonis, auræve, depili pænè capite, candentique cùm universo ferè collo, & parte pectoris, & fasciâ nigrâ latiusculâ, caput à collo distinguente. Circa littora maris aut fluminum vivit.

CAP. III.

De Avibus Acolin, Quachiltone, & Acacalotl.

Nieremb. Hist. Exot. l.10.c.22. 28.24.

A*Colin*, Coturnicis est magnitudine fusca, prolixo rostro & curvo in inferiora, pedibus longis: juxta aquarum summitatem curritat celerrimè, nunquam ferè volat. Versatur in lacu Mexicano. Vescitur pisciculis & ipsa esca vulgò. Benè Coturnicem aquaticam dixeris.

QUACHILTONEM, seu *Avem siliquastrini capitis*, aliqui Jacacintli vocant. Color illi purpureus, ex nigro intersertis pennis. *Rostrum* initio pallet. Adolescentibus rubet calvities juxta rostri exortum. Fulicam imitatur. Lutea crura in virorem assurgunt, in quatuor desinētia digitos pallidos, citra ullam membranam. Oculi nigri, iris fulva.

Lacustris avis est. Piscibus vescitur, ipsaque non ingrata palato. Intempesta nocte, & sub primo mane gallinaceorum ritu canit.

ACACALOTL mas seu corvus aquaticus à cauda extrema ad rostri usque acumen quatuor ferè spithamas longâ, & mediocris amplitudinis; crura sesquispithamea, *rostrum* arcus instar incurvum, duos palmos longum, ac mediocre tenue: pedes in quaternos finduntur digitos nigerrimis munitos unguibus: crura minus nigrescūt digitis, rostrum cyaneum est, ac caput exiguum. Plumæ internæ fuscæ intertis rubris, superiores verò promiscuè purpureæ, subnigræ, virides atque splendentes: *cervix* est septem digitos longa. Caput collumque pennis fuscis, albis & viridibus teguntur ac paulisper fulvescentibus. *Oculi* sunt nigri, iris verò sanguineo tegitur colore. Cęterum ab externis oculorum angulis usque ad rostrum, uncię unius intervallo deplumis & glabra est, pellis rubescensque in albo. Alæ viridi splendentisque subtus pellucent colore, & qui pro variis solis repercussibus evariet atque mutetur; supernæ verò prope exortum passeæ sunt, deinde verò viridi atque pavonino spectabiles colores. *Indigena* Mexicanæ plagæ avis est: versatur circa lacus, ac piscibus victitat. Masculus fortassis est ejus avis, quam recentiores vocāt Arcuatam, aut illi saltem congener. *Educat* filios veris tempore juxta lacustria loca.

Bonum præstat alimentum, nec valdè injucundum, crassum tamen, atque (ut lacustres aves decet) piscosi odoris.

CAPUT IV.

De Avibus Xomotl, Acototloquichitl, & Acacacahoactli.

X*Omotl* palmipes est, dorso & alis desuper nigris, pectore fusco. Cristatam iracundia facit. Pennas intexebant Indi suis vestibus. *Nieremb. l.10.c.41. 35.36.*

ACOTOTLOQUICHITL seu *Passer aquaticus mas*, passerem similitudine & forma simulat. Rostrum tamen nigrum, crura & pedes fulvi, inferiora corporis plærumque candida. Cætera fulva, candore aliquo & nigrore variegata. *Reperitur* in Mexicanis pla-

nis plagis. Juncetis & carectis insidet, ibique *nidificat*. Non minus occinit quàm Sol pergit. Ab ejus exortu ad occasum contumaci garrit sonitu mures imitante.

ACA CAHOATLI seu *Avis aquatica raucum sonans*. Halcyonum species illa est inquit Nierembergius, quam nostri marinetum Piscatorem vocare solent, circa aquarum fluenta victus gratiâ à congenita quadam versantem naturâ. Anate ferâ paullò minor est, colloque & rostro spithameo: hoc tres digitos latos prominet, medio, cùm sortitur crassitudinem, in aciem desinit, ac mortui est per opportunum. Supernè verò nigrum est, infernè album, & pallescens circa latera. *Oculi* nigri sunt, iris rubra prope pupillam, deindè pallida, ac demum candens. Ab oculis ad rostri usq; exortum fascia procedit viridi pallescẽs. *Crura* pedesq; in digitos fissi virescunt, extrinsecus, intrinsecus verò inclinat ad pallorem, color totius corporis magna ex parte albus est, fulvis pennis insertis, verum superna magis fusca sunt, inferna verò candida. *Alæ* infernæ cinereæ, ac desuper circa extrema nigræ, mox è fulvo rubescentes, deinde pallescentes ex fulvo, ac demum fulvescentes ex fulvo, ac demum fulvescentes circa dorsum. Piscibus *victitat*: mitescit minimo negotio, nec est *cantu* insuavis, indulgenter tamen ac blandè vermiculis & aliis animalibus exiguis, quæ in paludibus gignuntur, est alenda. Carne etiam vescitur, & aliis non paucis, ubi fieri aliter non possit. Crassi est nutrimenti, neq; dissimile ei, quod anates feræ præsentare solent. *Indigena* est Mexicanæ plagæ, & verè educat inter juncta sobolem. Mirum est, cum sit cervix pro ratione reliqui coloris longissima, in quam brevitatem illã. Cum libet contrahat, quod frequentiùs facere solet. *Cauda* pusilla est, nigraque, & nihil præ se ferens splendoris, quæ in majorem procedit amplitudinem. Patrio nomine appellant *tolcomoctli*. Similis omnino esset hæc avis comparari, nisi rostrum desuper nigricaret, subtus rubesceret, velut pedes & crura, nec per universum corpus fulvum, nigrumq; promiscuè cerneretur.

CAPUT V.

De Avibus Iacacintli, Xlepapantototl, & Hoactli.

Iacacintli seu *rostium spicæ mayzii*, tres pænè spithamas est longa, virentibus cruribus, capite ventreq; cyaneis, sed in purpureum vergentibus, alis promiscuè fulvis nigrisque, luscis oculis ac rostro, sed in coccineum prope exortum vergente, quod tres pænè digitos latas lõgum est, anteriori parte capitis depili & calva. Piscibus juxta lacus & flumina vivit. Edulis est ejus caro, sed nec bono, nec grato alimento. *Nieremb. H. Exot. l. 10. c. 43. 44. 45.*

XLEPAPANTOTOTL Anatis ferè species est, importuna Mexicanæ paludi, *rostrum* tamen in acutum finit: nullus illi negatus color. Pulchritudinem varietas dedit, pulchritudo nomen.

Nec contemnendi spectaculi est HOACTLI, sive TOBACTLI, id est, *avis sicca*, lacus Mexicani alumna, ternas spithamas à rostri ipsius acumine ad caudam postremam longa, ac gallinæ nostræ magnitudine. *Crura* prolixa, pedem, *rostrum* cum uncia trientem, crassitudine verò pollicem æquans. Supernè id nigrum est, lateribus autem pallens, ac infernè nigrum & subfuscum. *Oculi* sunt magni, iris lutea, & palpebræ rubeæ: vertex plumis nigris tegitur, itemque crista insigni, similiter nigra: *collum*, *venter*, corpusque universum candet: sed *cauda* cinerea est, velut & desuper alæ, nam infernæ sunt albidiores, superiores alarum partes virore quodam splendent. *Dorsum*, etsi candidis tegatur plumis, pennis tamen nigris in virentem splendorem inclinantibus vestiri solet. *Pedes* qui in digitos fissi sunt, & crura quoque, pallescunt. Alba fascia circumcingitur caput, à rostri exortu ad oculos usque procedente Lacus Mexicani advena est, vocaturque ab

Hispa-

Hispanis indigenis, velut & quædam aliæ aves, martinete piscador, ob piscium quibus alitur capturam. Arundinetis educat sobolem, gravem infert morsum, ac gravem similiter *vocem* edit.

CAP. VI.

De Avibus Heatototl, Achalalactli, & Amalozque.

Nieremb. H.E. l. 10. c. 47. 48.

IDoneum quoq; conspectum HEATOTOTL, seu *avis venti* exhibet. Magna *crista* exornatur, orbiculari, ac coronæ modo eminenti, & paulisper candida. *Pectus* è fusco vergit in cinereum: venter albus est, ac pedes plani: crura fulva, & pennæ circa ea ortę: *cauda* orbicularis, & variata infernè candido, pulloque colore, supernè verò fusca. *Alæ* subdus candentes, cinereæ ac pullæ sunt, desuper nigræ, candidis tamen quibusdam insertis pennis; reliqua verò eadem quę aquaticis est natura.

Similis alteri HEATOTOTL, quæ anate domestica paulò minor est, *rostro* atro, tenui, obrotundo, ac prope extrema contorto, plumis infernè candidis, supernè verò juxta femora fulvis, lineis tamen nigris intercursantibus; circa residuum verò, & caudam fulvis. *Alæ* sunt subtus cinereæ; supernæ verò fuscæ, nigræ atque albæ. *Caput* est nigrum cristatumque, sed ab occipitio teniæ albæ utrimque procedunt ad oculos, qui atri sunt, & lutea constant iride, cum cætera sint similes avibus incolentibus paludes.

Suus quoque torques argenteus honestat ACHALALACTLI, seu *avem piscium vibraticem.* Alij vocant Michalacti. Columbina est *magnitudine*, & forma, *rostro* nigro acuminato, tres digitos longo, & pro corporis proportione crasso; *caput* crista ornatur è colore cyaneo in nigrum tendente, longaque. *Venter* candidis tegitur plumis, & collum torque candenti insignitur: *alæ* infernè albescunt, sed postremis partibus videntur fuscæ, & candicantibus maculis interstinctæ, supernè verò sicut reliquum corpus sunt cyaneæ, extremis partibus nigræ, & albis undique respersæ maculis. *Cauda* partim nigra, partim cyanea est, sed maculis albis per intervalla quoque variata. *Crura* rubea sunt, *pedes* diversi in digitos, in atros ungues desinentes; oculi nigri, & iris candescens. Advena avis est huic Mexicanæ regioni, versaturque juxta fontes & flumina, pisciculis & aliis aquatilibus victitans edulis, sed reliquarum avium palustrium sapore atque nutrimento.

Neque exiguus decor est AMALOZQUE, seu *avi rubescentis colli.* Palustris ea est, nostrati turturi magnitudine par, *cruribus pedibusque* in digitos fissis, atque ex albo rubescentibus, nigris unguibus, *rostro* medio circiter longo, exili & nigro, atris oculis, & iride rubra, pectoris & ventris, & alarum inferna alba sunt; sed cauda, quæ mediocrem magnitudinem nanciscitur, fulvo & nigro colore est inspersa: at collum pectusque torques bini, minimi ferè digiti distantes intervallo, nigrique cingunt, quorum anterior undiquaque circuit, posterior superna deficit ac disparet parte. Ex utroque latere maculæ binæ candentes, pari amplitudine, supra oculos versus collum, illud ferè attingentes, discurrunt. Superna corporis, adeoq; ipsa cauda, albo, nigro, fulvoque sunt colore; alæ verò desuper fulvo & fusco. Indigena est avis, lacus Mexicani alumna, ac veris tempore educans, sobolem. *Estur* caro, quæ eodem quo cęterarum aquaticarum est nutrimento. *Vescitur* ipsa culicibus, pisciculisque & vermibus lacustribus: vehementiùs *perstrepit* quam pro corporis ratione, nec tamen potest garrulis avibus adnumerari.

CAPVT VII.

De Avibus Farrensibus.

INsulæ Farræ à plumarum copia nomen adeptæ videntur. Cum enim avium sint fœtura fœlices, non mirum & plumarum abundare copiâ. Cæterum aves quæ ibidem reperiuntur, in aliquot distinxit classes Hojerus.

Hojerus in Epist. ad Clusium.

In prima CLASSE *Lundam, Alkam,* & *Lomvviam* invenies. *Illa* mole corporis Anate est inferior, rostro rubente & latiusculo, pectus candida, tempus & alas nigra, pedes rubra. Revertitur primo vere. In præcipitibus celsarum rupium cavernis nidificat. Ova gallinaceis tum colore tum magnitudine paria edit. Quo sub autumnum abeat ignotum.

Alka illa aliquanto major est, rostro lato & nigro, itemque corpore, nisi quòd sub pectore & extremis alis albicat. Pedes nigri, caput deniq; fuscum, nisi linea alba ab utroque oculo ad rostri partem proximam duceretur. Nidificat in editissimis scopulis. Ova ex albo & nigro maculata ponit.

Lomvviæ quę illa major, corpus totum est nigrum excepto pectore quod albet. Pedes nigri, rostrum nigrum acutum, oblongumque. Ova in editioribus scopulorum marginibus excludit, cyanei quidem coloris, sed lineamentis undique diversorum colorum mirè variegata ac velut picta.

In altera CLASSE, duas diversas species ponit, quæ quod pedes ad incedendum inutiles habeant, nũquam terram ingrediuntur, & mole corporis minorem æquant Anserem. Prior *Ildbrimel* vocatur. Caput ejus fuscum, sub collo circulus albus, pectus candidum. Tergum & alæ nigricant, maculata passim punctis albis, pedes nigri. Fortè est mergus Farrensis maximus Clusii. Creditur in undis marinis Alcyonis more fœtum producere.

Clus. Exot. l. 5. c. 6.

Altera est *Goifugel* rostro admodum lato & incurvo. Capite oblongo atque nigro. Alis exiguis, pedibus nigris ad incedendum ineptis. Oculorum margines candido circulo tinguntur. Rarissimè & nonnisi aliquibus annis visitur, nec ubi fœturæ operam det, ignotum.

Tertiam CLASSEM tres species forma discrepantur, tempestatum prænunciæ, & quæ in alto tantum Oceano versantur, constituunt. Prima est *Hafflert* seu Equus marinus, ut inconvenienter appellant, quæ magnitudine gallinam mediocrem, forma falconem utcunque æquat. Cinericio est colore, maculis albis passim interstincta, rostro incurvo velut falconis sed breviore. Ad ejus conspectum exhorrescere & littora legere piscatores solent. Certi tempestatem in propinquo esse noxiam.

Altera dicitur *Stormfinck* passere paulo major. Tota est grisea, sive maculis, rostro admodũ exili. Pegasum præ superiore rectius dixeris. Siquidẽ super ipsos fluctus incredibili pedum velocitate transcurrere, ac nimbi instar ferri solet. Videtur illi cognata quam Oviedus Patines à Nautis vocari reliquit. Catervatim si navigantibus appropinquet, deponenda esse subitò vela innuit.

Oried. l. 14 Hist. Ind. c. 1.

Tertię nomen est *Barnfiard.* Magnitudine hæc Passeri par, sub pectore candicans, collo dorsoque nigricans, rostro nigro & nonnihil latiore, pedibus rubris. Tam velocem se natando præstat, quàm Stormfinka currendo.

In *quarta* CLASSE duæ diversæ Anserum species censentur. Prior *Helsingegans* capite & collo nigro, circulo albo cincto, pectore albo, alis gryseis, tergo cyanei coloris, pedibus rubris, magnitudine Anati respondens dici

Altera *Erandgans* ansere sylvestri pænè minor, capite & pectore griseis, collo rubro circulo cincto, alis, collo, pedibus rubris. Rarissime in Farris conspiciuntur, neque ibi fœtificant. Unde veniant, & quo nigrẽt, nemini cognitum. Mutationem magistratus ubi apparuerunt imminere, superstitio ex longa experientia credidit.

Vltimum locum sibi *Skua* vendicat, avis aquilino generi & corporis mole & rapacitate respondens. Rostrum

habet curvum. Sed non admodum latum, pennas corpus tegẽtes griseas, sola alarum extremitate albicante, pedes griseos. Pisce vescitur, sed & in omne genus avium grassatur. Fœtum negligenter ex ovis griseis, grandioribus, anatinis similibus, quæ exilibus nigris maculis notata sunt, in apertis campis producit. Aliter eam describit Clusius, & eandem ferè cùm vulture aquatico Oviedi existimat.

Clusius Exoticor.

CAPUT VIII.

De Avibus Lomsbay, Vulturibus aquaticis, Flamencos dictis, & aliis quibusdam.

Navigat. Holland.

AVes LOMSBAY ab Hollandis dictæ, corpore sunt magno, alis parvis, ut mirum sit, tam gravia corpora attollere posse. Frequentes circa portum Lomsbay in insula Aurangia, *volant*, unde & nomen invenere. *Nidulantur* in præruptis montium locis. Unicum duntaxat ovum pariunt. Ab hominibus nihil metuunt, etiamsi in suis nidis comprehendantur.

Nieremb. H.Exot.l. 10.c.82.

VULTURES AQUATICOS facit Oviedus mole tam grãdes quàm magnus Larus est. *Rostrum* habent Larorum, sed magis mucronatum. *Pedes* diversi generis, sinistrum anatum & anserum instar planum, dextrum curvis unguibus instructum. *Vescuntur* piscibus & avibus, iidemque cum illis qui Astures aquatiles ab Hispanis vocantur, de quibus Hernandes in Paralipomenis agit, esse putantur. Frequentes sunt in Hispaniola & insula quæ à Divo Johanne nomen accepit.

Avis quàm Hispani FLAMENCO vocant, grui est formâ non absimilis. Juniores habent plumas candidas, ubi adoleverunt, mirâ elegantissimorum colorum varietate distinguuntur. Gregatim volant, sed haud altè. Juxta littora insulæ Cubæ atque in ipsis marinis fluctibus *victum* quærunt, salsis undis ita assuetæ, ut quum ab Indis domi aluntur, (nam & cicurantur) sal potui earum necessariò admisceatur. Habent & insulæ *Bermudæ maritimas*, quæ in subterraneis cavernis cuniculorum instar, nidulantur & ova sua ponunt, magnitudine & colore gallinarum ovis paria, ipsæ carne sunt obesâ, & grati nutrimenti.

De Laet. Indiæ Occid.l.1.c.11

Idem l.1. c.20.

Colophonem isti de Exoticis Avibus promiscuæ historiæ imponant illæ in Peruano ciconiis majores. Plumis sine ulla mixtura candidissimis, cruribus altis. Rariores sunt. Binæ ut plurimum incedunt. Et piscib. victitant. De reliquis quæ ad sua genera referri poterant, vide Notas.

Idem l.10. c.5.

TITULUS III.

DE AVIBUS BRASILIANIS:

Ex Georgii Marcgravij Historia Naturali Brasiliæ.

De Avib. Brasilianis in genere notetur: Vix ullibi elegantiores Aves reperiri quàm in Brasilia, si varietatem plumarum & colorum spectes; verùm nulla ferè suave canit, ita ut cantu longè à nostratibus superentur.

CAPUT PRIMUM.

Nhandugvacu. Iacana, varia ejus species. Curicaca.

NHANDUGVACU Brasiliensibus, EMA Lusitanis; Struthio avis. Ingentes hic reperiuntur, minores tamen aliquanto Africanis. Longa illi *crura*, inferiora sesquipedem, superiora pedem circiter longa. Tres habent in pedibus digitos anterius versos, unguibus nigris, crassis, haud acutis præditos; posterius unum digitum, sed rotundum, grossum, unde difficulter in area levi aut tabulato possunt incedere, sed facilè labuntur. *Collum* gestãt incurvatum, ut Cygnus vel Ciconia; Longitudine circiter duorum pedum: *Caput* anserinum; *oculos*

culos nigros habent pulchros; *rostrum* compressum, non admodum latum, duos & semis digitos longum. *Alas* habent parvas, & ad volandum ineptas, quarum tamen unam instar veli erigentes citissimè cursum promovent, ut vix, ac ne vix quidē à cane venatico superari possint. Plumas habet gryseas per totum corpus, ut grus, in dorso longiores & elegantiores, & corpus plumis tectum ferè rotundum apparet. *Caudam* non habet ejusmodi cristis præditam, ut vulgo pingitur, sed plumæ sunt per dorsum expansæ ad anum usque.

Tesseras lusorias, aliaque ferramenta lubenter deglutit, sed non concoquit, at integra per anum reddit: *Vescitur* fructibus & carne.

Frequens in Capitaniæ Serigippo campis, itemque in Capitania Rio Grande. In Pernambuco non visitur. *Caro* illius bona ad comedendum.

IACANA Brasiliensibus, gallina aquatica, Waterhun / diversæ reperiuntur illius species, colore differentes. Hæc elegantissima, magnitudine Columbæ, sed cruribus multo longioribus, flavi coloris, cui viriditas inimixta. *Crura* inferiora plus quàm duos digitos longa, superiora (maximam partem nuda ut aquaticis) paulò minus: quatuor habet in pedibus digitos, quorum medius è tribus antrorsum versis, duos digitos longus, reliqui duo paulò breviores, quartus retrorsum versus, pedem, aut etiam amplius longo: omnes autem unguibus semidigitum longis & flavis armantur. *Cauda* brevis, ut gallinæ sylvestris; *pennæ* in dorso, alis & ventre ex viridi & nigro mixtæ, sub cauda albæ; versus collum, & in toto collo & pectore ejusdem coloris cum plumis quæ in collo pavonum aut columbarum quorundam visuntur. *Caput* habet parvum, ut gallina sylvestris, quod tegitur membranaceo quodam tegumento rotundo, coloris ut gēma Turcois. *Rostrum* rectum gallinaceū, plus uno digito longum; ab initio ad medietatem egregij miniati coloris, reliqua pars eximij flavi, cui aliquid viriditatis admixtum. Frequentissima in palustribus Brasiliæ locis ubiq;. *Caro* illarum edulis, sed haud magni pretij, sunt enim plerumque macræ.

Alia species appellatur à Brasilienbus *Agvapecaca*, priori figura & magnitudine par; verùm colore diversa & inferior. *Pennæ* illius sunt ut in dorso prioris, *alæ* magis brunescentes: Carent autem mitella, at in qualibet ala interius habent corniculū directum, quibus se defendunt.

Tertia species prioribus figura & magnitudine æqualis, colore autem differens, totum *caput*, *collum*, *dorsum*, *cauda*, nigri sunt coloris, initium alarum brunni: reliqua viridis; extremitates remigum brunni: *pectus* & infimus *venter* itidem brunni coloris, uti & crurum superiorum medietas superior. *Rostrum* rectum, crocei coloris, cum cuticula ruffa in exortu illius & parte capitis anteriori. *Crura* nuda, *pedes* cinerei. In qualibet *ala*, antica parte habet corniculum simile flavū.

Quarta species itidem figuræ est ut reliquæ. *Rostrum* illi flavum, mitella cutacea in initio capitis propè rostri exortum rubens, processus habens ad latera extensos more gallinarum Numidicarum. Totum *caput*, *collum*, *pectus* & infimus venter plumis vestiuntur nigri coloris, *dorsum*, *cauda*, & initium alarum ruffum, seu dilutè brunnum; remiges alarum pennæ thalassici coloris cum extremitatibus nigris. Sed hæ remiges teguntur ruffis illis in exortu alarum, nec videri possunt nisi cum avis volat. *Crura* longa, digiti pedum longi, quilibet quatuor internodiis, cinerei coloris. Quælibet *ala* in anteriori parte habet corniculum acutissimum coloris crocei.

CURICACA Brasiliensibus à clamore dicta, *Masarino* Lusitanis, avis Numerio, judicio Clusij, similis: magnitudo illi mediocris Anseris: *capitis* autem magnitudo ut Anatis: *collum* sex digitos longum, tres crassum, aut paulò plus: *Rostrum* sex digitos longum, incurvum planè ut ensis Hungaricus, coloris ex igneo fusci. *Corporis* longitudo à collo ad podicem undecim digitorum, caudæ novem, desinentis cum fine alarum. *Crura*

octo digitos longa, pedes duos & semis; rubri instar anatis sed non plani, quatuor digitis & unguibus nigris, tribus anterius, uno posterius verso. *Caput* & *collum* habet plumas albas flavo mixtas, & in superiore parte paulùm oblongas: *Oculi* illi sunt nigri, circulo ruffo. Circa oculos & sub origine gutturis cutis nigra. Totum corpus nigris pennis vestitum, excepto dorso, capite & ventre, ubi cinereæ obscuræ, & in medio alarum albæ, cano mixtæ, ut in ciconijs. Reliquæ pennæ corporis, initij & finis alarum, & totius caudæ nigræ. *Tibiæ* superiores ad medietatem usque carent pennis, nam aquatica est avis.

Carnem bonam habet; quam sæpè comedi coctam & frixam butyro.

Alia species reperitur huic similis, sed multo minor, & magnitudine ferè gallinæ, quæ vocatur *matui tui*.

Frequens est ad Flumen S. Francisci, in Itapuama & alibi.

CAPUT II.

Tiiepiranga. Iacapu. Iambu. Gallina Africana. Gviratangeima. Iupujuba, Sayacu. Ani. Gvira guainumbi.

TIIEPIRANGA Brasiliensibus, Avis alaudæ magnitudinem paululùm superat, & cantum passeris nostratis æmulatur. Totum *corpus*, collum & caput egregiè rubicundi seu sanguinei est coloris: *alæ* verò & *cauda* splendidè nigri; præterquam in initio alarum, ubi aliquid rubicundi admixtum est. *Crura* nigra, inferiora quidem nuda, superiora autem nigris penis vestita. *Rostrum* instar passeris, superiori parte nigrum, inferiori versùs acumen nigrum, reliqua versùs caput album. *Pennæ* in capite breviores, quas crispare interdum solet more Passerum. Omnes pennæ totius corporis interius sunt nigræ, exterius rubræ, ita tamen complicatæ, ut exterius totæ rubræ appareant. *Cauda* longitudine fermè tres digitos æquat. Digiti pedum quatuor & ut in plerisque avibus dispositi.

Alia hujus species reperitur passeris magnitudine; quæ pennis per totum corpus vestitur ex cinereo cærulescentibus; alæ tamen quodammodo ad thalassinum colorem accedunt. In ventre & inferiori parte colli seu gutture albicat, vel potius argenteo colore nitet. *Crura* cinerei coloris, ut & *rostrum*, quod ipsi simile Fringillæ. Digiti pedum quatuor secundum communem avium modum.

JACAPU, Brasiliensibus; Avis magnitudine Alaudæ, cauda extensa, alis brevioribus: cruribus brevibus & nigris; unguibus acutis ad quatuor digitos: rostro paulum incurvato & nigro, semidigitum longo. Totum *corpus* vestitur pennis nigris splendentibus; sub gutture tamen nigredini illi maculæ coloris cinnabrij sunt admixtæ.

JAMBU Brasiliensibus dicta avis est perdix, nostratibus quidem, magnitudine par, uti & figura. *Pennæ* autem per totum corpus obscurè flavescentes, verùm fusco mixtæ atque maculatæ.

GALLINA Africana ex Insula do Majo, magnitudine nostratium gallinarum, figura corporis ferè ut perdix: *collum* item coronatum portans, & *caudam* perdicis habens inferius dimissam: *pedes* gallinaceos: *rostrum* flavum: & in capite mitellam cutaceam fuscam: ad latera porrò capitis *alba*, ut & ad quodlibet latus propè rostrum cristam rubram ad latus protensam. Totum *corpus* vestitur pennis nigris, quæ elegantissimis maculis albis variegatæ sunt, in alis quidem oblongis, in reliquis autem partibus rotundis; suntque in dorso minores, quàm in reliquis partibus. Huic similes vidi è Sierra Lyona advectas, sed eorum collum circumligatum seu circumvolutum, quasi linteamine membranaceo coloris cinerei cærulescentis. *Caput* tegit crista obrotunda, multiplex, constans pennis elegãter nigris. Punctula albicãtia per totius corporis ambitum,

bitum, quasi umbra thalassina variegantur.

Congensibus hęc avis dicitur *Quetele.*

QUIRATANGEIMA Brasiliensibus; Avis paulò major Alauda, Picæ variæ æqualis. *Corpus* habet circiter tres digitos longum, *collum* sesquidigitum: *Caput* parvum, *rostrum* rectum, acutum, digitum longum, crura pedesque, ut reliquæ aves communiter: *Caudam* longam, rectam, quatuor digitos longam: Color *rostri* niger, excepta inferiori parte, ubi inscritur quæ aliquid fusci habet: *Caput* nigerrimum & collum usque ad initium pectoris. Colli superior pars à capite ferè ad initium dorsi uranica est: per initium dorsi transversam habet maculam nigram usque ad alas extensam: *alæ* autem sunt nigerrimi coloris, verùm in medio secundum longitudinem habent maculam albam sesquidigitum longam: *Cauda* quoque tota nigra: reliquum corpus coloris uranici: *Crura* subcærulea. *Oculorum* pupilla subnigra, albo subflavo.

Nidificat in altis arboribus *Acaya*, idque libenter propè ædes. Nidos egregios exstruunt hæ aves, cylindraceæ figuræ, & appendunt magno numero extremitatibus ramorum; qui constant è virgultis. Clamant ferè ut picæ variæ nostrates.

JUPUIUBA seu JABU Brasiliensibus, ejusdem formæ cum præcedenti, & eodem modo in eadem arbore nidificans (una est fœmina, alter mas) cauda paulum breviori. *Corpus* habet totum nigerrimis pennis vestitum: in utriusque alæ medio maculam flavam digitum longam; in extremitate dorsi, & propè anum tota est flava (vidi quoque totaliter nigras, dorso sanguinei coloris) cauda inferius ab exortu ad medietatem flava, reliqua medietas nigra, superius nigra in totum, solum in ea ad latera utraque usque ad medium pennam habens flavam. *Crura* nigra & pedes. Rostrum sulphurei coloris: *Oculi* Sapphyrini, pupilla nigra: *linguam* cæruleam habet anterius fissam seu duplicatam.

Propè ædes domini Ingenij *Tupucuraj* arbor *Vti* sita, in qua plus quàm quadringenti nidi harum avium pendent, maximoque numero sunt hæ aves, quæ ter quotannis ibi pullos excludunt: nidus autem quilibet ex arido gramine, & pilis equinis aut suillis mixtis est compositus, coloris fusci, figura cucurbitæ angustæ cum suo alembico, longus in totum sesquipedem circiter, & ab infimo ad unum pedem altus, cavus ut bursa, reliquum superius ad semipedem simplum est, & sua extremitate pendet à ramulo extremo: omnes autem nidi ex ramulis minimis extremis arborum dependent.

SAYACU Brasiliensibus, Avis Fringillæ magnitudine: totum *corpus* vestitur pennis, coloris è cinereo & thalassino mixti, in alis autem & dorso thalassinum admiscetur, ita ut Sole illustratæ egregiè splendeant; *rostrillum* nigrum, *oculi* quoque nigri in totum.

ANI Brasiliensibus; Avis Turdelæ magnitudine, totaliter nigra, pennis, rostro, oculis, pedibus *Caudam* longam erectam habet, sex digitos longam: *Rostrum* altum, latum, digitum aut paulò plus longum: inferior pars directa ferè, superior alta, lata, semilunaris figuræ, & compressæ, ita ut acumen ferè superius habeat. *Crura* & *pedes* satis exiles, & in ijs quatuor digiti, duo anterius, duo posterius versi, more psittacorum. Clamat elata voce *yiiiiy* uno tono, in medio elevatiori.

Frequentes sunt in sylvis omnibus, verùm cibo inutiles.

GUIRA GUAINUMBI Brasiliensibus *Tupinambis*; avis magnitudine Columbæ ad visum, quia plurimas pennas habet, sed revera corpus non superat magnitudinem Turdelæ. *Caput* paulò majus habet quàm Turdela: *rostrum* nigrum, duos circiter digitos longum, cujus superior pars paulò longior inferiore. Est autem *rostrum* superius & inferius in latere serratum instar serræ, inservitque dentium loco. *Crura* habet brevia, haud multum digitum excedentia, nigra; quatuor in

pedibus digitos, quorum unus retrorsum vergit, tres antrorsum, sed primus versus interiorem pedis partem brevior, medius longissimus, & tertius iterum brevis, sed non æqualis cum reliquis exortus: primi enim exortus est ad pedem, secundi itidem, tertij verò propè tertium articulum medij, habetque primus tres, secundus quatuor, tertius ibidem tres articulationes, qui retrorsum vergit duas. *Vngues* nigri deorsum incurvati. *Cauda* longissima, directa pennis paucis rectis, digitum circiter lata, sed decem longa: & quidem duæ tantum pennæ extremam caudam constituunt, quæ ad duos digitos plumis carent, in extremitatibus autem rursus plumas habent ad duos digitos. *Corpus* totum sex circiter digitos longum est. *Pennæ* elegantissimę: nimirum in capite quasi mitram gerit ex pennis Sapphyrinis, quæ propè exortum rostri Turcoidis colorem referunt: in medio autem hujus mitræ macula visitur nigra magnitudine grossi Misnici. Infra oculos (qui flavi sunt, pupilla nigra) etiam nigras pennas habet Sapphyrinis mixtas: *guttur* inferius, totum pectus & totus venter obscurè luteum habet colorem; superior colli pars, totum dorsum, alæ & cauda viridis seu graminei est coloris, sed cui (præsertim in alis & cauda) thalassinus admixtus, ut in collis anatum & pavonum; à genibus ad ventrem crura superiora pennis virentibus sunt prædita. In medio collo inferius quasi pro insigni gerit tres vel quatuor pennulas nigras, & circum eas Sapphyrinas, quæ maculam quandam seu notam constituunt.

CAP. III.

Iaguacati gvacu. Mitu. Mituporanga. Ibijau.

IAGUACATI GVACU Brasiliensibus, *Papa Peixe* Lusitanis, nam piscibus victitat. Avis Turdelæ magnitudinem æquat; figura corporis ut Picus major. *Rostrum* habet nigrum, rectum, & in extremitate acutum, tres fermè digitos longum: *Oculos* nigros & *crura* brevissima nigra: superiora crura ex parte carent plumis; in pedibus digitos quatuor, (unum retrorsum) inæqualis longitudinis, duo enim versus exteriora pedis breves sunt, tertius interior longè brevissimus & remotior. *Vngues* nigri. *Cauda* duos digitos longa, excedens alarum fines. *Pennæ* totius corporis superiores, nimirum in capite, collo, alis, cauda sunt ferruginei coloris & splendentis: Circa collum transversim, annulum habet ex albissimis plumis; guttur, inferius collum, pectus, & totus venter pennis vestiuntur albis, propè utrumque oculum etiam maculam habet ex albis pennis: in cauda autem albæ pennæ interseruntur guttatim, ut & in alis, sed quæ vix videntur, nisi cum alas explicant & volant.

MITV vel MYTV Brasiliensibus dicta avis ex Phasianorum est genere, major gallo gallinaceo. *Corporis* longitudo à collo ad exortum caudæ est decem digitorum: colli longitudo sex digitorum, totaliter nigris pennis est vestita, excepto ventre & sub ano, ubi brunni coloris est, ferè ut perdix. Tenuiores sunt pennæ ad collum, caput, & in pectore, & holosericum villosum nigrum pulchritudine æquant. In summo capite habet pennas nigras complicatas in planissimam quasi mitellam, ut nesciens vix possit agnoscere, quas irascens, aut etiam aliàs in cristam erigit. *Rostrum* habet insigne, non crassum, incurvatum, sesquidigitum ferè longum; inferior pars ejus parva, superior fermè quadruplo major. Rostrum autem coloris est egregij incarnati, versus acumen tamen albicat. *Crura* habet gallinacea decem digitos longa, nimirum quatuor à pedibus ad genua, & sex superius, atque hæc vestita pennis nigris: digitos item quatuor gallinaceos, qui in exortu usque ad primam juncturam cuticula sibi invicem annectuntur, ut in alijs quibusdam avibus: *Caudam* habet pedem longam, instar gallo-pavi, quam semper in latum movet, *Kit, Kit*, clamãdo, ut il-

utilli. *Caput* bene formatum, anserini magnitudine: *Collum* sex circiter digitos longum: *Oculos* habet magnos, egregios, nigros, & ponè aures maculam cutaceam albescentem ut gallinæ. Mansuescit facile. Lubenter in alto sedet ut gallo-pavi, scanditque arbores, ut illi. *Carnem* denique habet admodum bonam. *Reperitur* & alia ejusdem species, quam *Mitupo-ranga* vocant Brasilienses, solo rostro & pennis capitis differens, hæc *rostrum* habet haud longum, satis crassum, non tamen ita altum ut *Mitu*, neque sic lunatum: ejus extremitas utrobique nigra, reliquum totum crocea cute vestitum, qualem & circa oculos habet. *Oculi* nigri egressi: collum & caput nigerrimas habet plumas instar holoserici; & in summitate capitis crispates atque cochleatim tortas habet pennas usque ad initium colli; has erigere in cristam crispam potest. Reliquum totius avis nigrum, cui nigredini hinc inde aliquid viridis transplendet. Circa anum albas obtinet pennas. *Crura* cinerea, figura ut *Mitu*. *Cauda* nigra, sed extremitates illius pennarum albæ. Et hæc quoque avis optimè mansuescit.

IBIIAU Brasiliensibus, *Noitibo* Lusitanis: Avicula Hirundinis magnitudine: *Caput* habet latum & compressum: *oculos* magnos, elegantes, nigricantes, pupilla atra splendente ellypticæ figuræ, exterius autem oculos ambit circulus ex albo flavescens. *Rostrillum* minimum habet, quod non excedit crassitiem dentis aranei, nec tam est longum: nares tamen patentes in rostro: *Os* amplissimum, quod clausum non potest videri, at quando rostrillum aperit, os ad oculos diducere potest, ita ut digitum ferè sit amplum; *Linguam* habet minimam. *Crura* alba, & secundum corporis molem parvula, vix semidigitum longa; quatuor in pedibus digitos, tres anterius, quartum retrorsum versum, unguibus incurvatis nigricantibus. Secundum longitudinem in unguiculo digiti medij cujuslibet pedis versus interiora habet pinnam quasi multipliciter sectam, seu dentatam, videturque unguiculus quasi plumatus versus interiora, sed non sunt plumæ, verum cutacea materia & aspera. *Caudam* habet elegantem, quam in latum potest explicare, duos digitos longam, cum ejus extremitate etiam alæ desinunt. *Pennas* in toto inferiori corpore habet ex albis & nigrix mixtas, ut Nisus: In capite, dorso, alis & cauda nigricant, & albedo inspersa grata varietate: nonnihil quoque flavedinis albedini admixtum: uno verbo, nigra est & punctulata subtiliter hinc inde.

Reperitur & species hujus magnitudine Noctuæ, ejusdem coloris & conformationis. *Os* quando aperit, pugnum humanum facilè admittit.

CAPUT IV.

Guainumbi variæ species.

GVAINVMBI quæ & *Guinambi*, item *Aratica* & *Arataratagvacu* vocatur à Brasiliensibus, à Lusitanis *Pegafrol*, à nostratibus potest appellari Blocmen Specht. Hujus autem multæ hic reperiuntur species.

Prima: Totius *corporis* aviculæ longitudo ab initio capitis (ubi rostrum est insertum) ad exortum caudę, duorum digitorum. *Capitis* magnitudo unà cum pennis magnitudinem cerasi dulcis mediocris æquat. *Colli* longitudo tres quartas partes digiti, corporis longitudo unius digiti est & quadrantis. Magnitudo autem corporis cum pennis olivam grandem vix æquat. *Rostellum* habet sesquidigitum longum, subrotundum, æquale, tenuè, & valdè acuminatum, rectum, paululùm tamen versus extremitatem dorsum versum; color hujus niger, excepta inferiori parte prope exortum, ubi rufescit. *Linguam* habet duplicatam, seu bisectam, tenuissimam instar serici fili tenuissima, albam, longam, ita ut illam longè extra rostellum possit exserere: *Ocellos* parvos nigros. *Crura* & *pedes* minimos brevesque, nigri coloris; in pedibus quatuor digitos, tres anterius, unum

poste-

posterius versum, longis, semilunaribus, acutissimisque unguiculis nigris præditos. *Caudam* habet directam, digitum longam, quatuor ut plurimum pennis constantem. *Alæ* autem quæ duorum digitorum longitudinem habent, ad extremitatem caudæ ferè pertingunt, pennæ singulari arte à natura sunt cõpositæ. Ab exortu enim alarũ ad tres quartas partes digiti circiter duplex ordo pennarum est, unus longior altero, & superpositæ sunt sibi invicem pennæ, quasi alæ breves super longas. Hinc post has pennas, alæ pennæ (quarum circiter decem sunt) sequens interior semper longior fit antecedente exteriore, ita ut intima sit omnium longissima finem alæ definiens. His alis expansis volare diu potest, ac in aëre quasi pendula manere; inter volandum strepitum edit instar *bruchi*, seu rectius *hur, hur, hur*, instar rotæ linteariorum quæ circumvolvitur: admodumque tenues apparent & transparentes pennæ alarum expansarum. *Color* plumarum aviculæ per totum caput, collum superius & ad latera, per dorsum totum & initio alarum est resplendens mirificè, nec à pictore bene exprimi potest; nam viriditati, qualis in Pavonum & Anatum collo, aureus, igneus, flavus mirè admixtus est, ita ut Sole illustrante mirificè splendeant. In gutture, inferiori collo, pectore & toto infimo ventre, cruribusque superioribus albæ sunt pennæ, quibus in collo inferiori eximij coloris simul sparsim admixtæ, in ventre albis subjacent nigræ. *Alarum* initium miro colore constare dixi, reliqua pars tota brunna est, seu spadicei coloris splendentis. *Cauda* pennis constat coloris instar chalybis politi cæruleſcentis. *Victitat* floribus solùm, ideò capta viva detineri non potest, sed moritur. Frequentes autem in floribus arboris, quæ Mense Januario potissimùm floret, & potest aliquis vel sexaginta uno die sclopeto figere. Inveniuntur & super alijs arboribus varijs. Toto autem anno, magno numero in silvis inveniuntur, & præsertim matutino tempore ingentem strepitum excitant. Non autem canunt, sed clamant, *Screp, Screp, Screp*, uno sono & continenter, ferè ut passeres. *Volantes* velociter alas movent, & cum vix videantur, & per longum temporis spatium in aëre velut quietæ, vel se moventes hærere possunt alarum ope. *Flores* rostellis carpunt inter volandum. *Nidum* faciunt in ramis arborum solidi Hollandici magnitudine. *Ova* ponunt albissima testa, duo ut plurimum, ovalis figuræ, piso haud majora.

Secunda: Pulchrior priori, ejusdem magnitudinis & figuræ. *Rostellum* tamen brevius, nimirum duas tertias partes digiti longum, ejusdem figuræ & coloris cum priore; *Lingua* eadem, ut & ocelli, crura, pedes, cauda & alarum figura. Plumarum color in capite, collo superiori, dorso, alis, cauda similis priori; at in gutture, seu collo inferiore, toto pectore & infimo ventre usque ad extremum corporis, tam eleganti & splendente viriditate cum aureo colore transplẽdente sunt plumæ, & mirè resplendeant. Propè anum macula est satis magna (respectu aviculæ) constans plumis candidissimis.

Tertia, minor reliquis omnibus. Ab initio capitis, seu exortu rostri ad exortum caudæ duos & semis digitos longa. *Collum* unum ferè digitum longum: *Caput* haud magnum. *Corpus* sesquidigitum longum. *Rostellum* paulò plus digito longum, nigrum, subrotundum, acutum ac ferè rectum. *Crura* & pedes, ut reliquarum. *Pennarum* corporis & alarum etiam eadem dispositio, sed color diversus. *Caudam* longiorem habet reliquis omnibus, paulò plus tribus digitis longam, pennis constantem, quarum ea quæ exortui ejus vicinior, brevior, secũda semper longior; estque cauda furcata, & avicula volans eam in duo amplissima cornua expandit, ita ut extremitates cornuum sesquidigitum à se invicem distent. Totum *Caput* & collum hujus aviculæ ex nigro serico colore elegantissimè cæruleum transplendet, ut in collo Anatum. Totum *dorsum* & pectus viride, aureum, & thalassino

tran-

transplendens, ut in secunda specie, atque etiam propè anum talis macula est è plumulis albis. *Alarum* color cæpaticus est. *Cauda* ex nigricante cœrulenti instar politi ferri cœruleo imbuti.

Quarta, paulò minor tertia: Corporis figura & plumarum dispositio eadem, sed alio colore, nec non differens rostro, & crurum colore. *Rostellum* sesquidigitum longum, deorsum incurvatum instar ensis Polonici, subrotundum, ubique æqualis crassitiei, & in extremitate acuminatum. Superior ejus pars nigra est, inferior flava, excepta extremitate quæ etiam nigricat. *Caput* superius, collum superiori parte, ut & alæ, colore sunt, ut prima species, guttur, collum inferius, totum pectus & infimus venter ex albo rufescentis sunt coloris. *Caudam* habet plus digito longam, desinentem cum fine alarum, constatque pennis ex nigricante virescentibus, quæ in Extremitatibus albæ. *Crura* eodem modo disposita habet, ut cæteræ species, sed haud nigra, verùm alba seu flavescentia, similibus digitis, & unguiculis semilunaribus, acutis, & nigris.

Quinta, magnitudine par tertiæ speciei: *Rostello* nigro, paulò plus quàm digito longo, & paulùm deorsum incurvato, *ocellis* nigris, uti & cruribus & pedibus. *Guttur*, collum inferius, & totus venter nigris holosericis vestiuntur pennis, cui nigredini quasi paulùm cœrulei transplendet. Propè anum macula est albis plumulis. Extremitates autem nigri, nimirum ad latera colli, pectoris & ventris mirè thalassino, aureo & viridi mixti resplendent. Totum *caput* superius, collum superius, & totum dorsum ornantur pennis, aureo, igneo & viridi mixtis, ut & initium alarum. Reliquum alarum ferreum est, seu fuscum. *Cauda* paulò plus digito longa, eleganter brunnis, cui cœruleus transplendet, pennis constat, circa oras autem pennæ illæ habent colorem, qualem chalybs politus cœrulescens.

Sexta, quintæ magnitudine par. *Rostellum* habet paulum curvatum, digitum longum, inferius album, superius nigrum. Totum *caput*, collum, dorsum & venter, ac initium alarum insignis coloris resplendentis pennis vestiuntur, nimirum plurimo aureo, dimidio ferè igneo, & minimo viridi mixtò. In summa, splendet ut Sol. In ventre pennæ albæ paucæ mixtæ. *Crura* nigra sunt. *Alæ* nigricantes. *Cauda* sesquidigitum fermè longa, elegans & lata, constans pennis quibusdam insignis illius coloris, quo reliquum corpus, quædam ex viridi & aureo mixti coloris, & per oras albæ, quædam in uno latere, seu medietate albæ, altero virides, cui transplendet aureus.

Septima, paulò minor quinta & sexta specie. *Rostellum* habet non omninò digitum longum, coloris per totum corpus cinerei ferè, ut passer, cui hinc inde mirè resplendens rubrum instar Rubini perlucet.

Octava: omnium elegantissima. *Rostellum* rectum, nigrum habet, semidigitum longum; *Linguam* longam duplicatam: magnitudo & conformatio est ut secundæ speciei. Totum *caput* superius & collum superius mirò rubini colore fulgent, ac si rubinus radiis solis illustraretur. *Guttur* autem & *collum* inferius merum aurum Hungaricum politum, & radiis solis illustratum exhibent, ita ut impossibile sit perfectè similitudinem horũ colorum reddere, multò minus à pictore repræsentari. Initium *dorsi* holosericà nigredine tectum est, reliquum fuscis pennis, quibus tamen aliquid obscuræ viriditatis admixtum. Totus infimus *venter* ejusdem cum dorso coloris pennis vestitur; *Alæ* fusco ut in reliquis speciebus: propè *anum* maculam habet albam. *Crura* exilia nigra. *Cauda* digitum, & paulò plus longa pennis constat brunnis rufescentibus (*feulemort*) quæ in extremitatibus per oras fuscescunt. *Cauda* lata, quam intervolandum egregiè explicat. *Alarum* extremitas cum cauda desinit.

Nona, figura & magnitudine, ut prima. Rostellum superius nigrum, subtus ruffum. Totum *corpus*, exceptis alis, insigni illa splendet viriditate

cum aureo transplendente, quali secunda species in ventre. *Alæ* fuscæ. *Cauda* digitum longa, latiuscula, pennis constans coloris, ut ferrum politum cœrulescens.

Sortitur autem avis hæc varia apud Brasilienses nomina, præter generale *Guainumbi*, ut *Guaracyaba*, id est, radius Solis, & *Gvaracigaba*, id est, capillus Solis. Fr. Ximenes scribit à Mexicanis appellari *Huitzitzil*. Avicula est, inquit, quæ habet plumas pictas variis coloribus, è quibus mixtis & compositis cum artificio, & admirabili industria faciunt Barbari imagines Sanctorum & aliarum rerum, atque ita conjungunt, ut optimè similitudinem repræsentent. Hujus aviculæ ea natura est & proprietas, quòd non diutius vivat, quàm flores plantarum durant, cujus melle victitat, quibus decidentibus, rostello suo se affigit arborum truncis, & sex mensibus ita immota manet, donec flores renascantur: quod tam multis testimonijs confirmatur, ut de eo dubitari non debeat. Ajunt pulverem hujus aviculæ haustum, curare arthritidem coralloidē. Hæc ille. Vidimus plures ejusmodi icones artificiosè ex hujus aviculæ plumis concinnatas ita dextrè, ut coloribus pictæ viderentur; si autem Soli obvertas, mirabiliter splendent.

CAPUT V.

Iacupema. Iacamacaij. Iacurutu. Soco. Matuitui.

JACUPEMA Brasiliensibus. Phasiani est species; paulò major gallina minore domestica nostrate. *Caput* illi gallinaceum haud magnum; *Rostrum* gallinaceum: *Oculi* nigrescentes, *collum* septem circiter digitos longum; *corporis* autem longitudo ab exortu colli, ad exortum caudæ novem circiter digitorum. *Caudam* habet longam & latam, longam nimirum pedem. *Crura* longa, superiora plumis vestita & qvinque digitos longa, inferiora tres, aut paulò plus. In pedibus quatuor digitos gallinaceos, quorum medius è tribus anterioribus duos digitos longus. *Plumis* tota avis vestitur nigris, quibus brunni aliquid mixtum. Ac capitis quidem plumas in cristam erigere potest. Cinguntur que illæ nigræ alijs albis in ambitu. *Guttur* sub capite, & ad sesquidigiti longitudinem, in collo plumis nudum est, & rubra cute tectum. *Collum* totum inferius plumulis albis in nigris dispersis est variegatum, ut & totus infimus *venter*, ac alarum medietas posterior: superiora crura & cauda solis nigris constant, cui aliquid brunni mixtum. *Crura* inferiora & *pedes* elegantis rubri coloris. Cicurantur. *Carnem* habet bonam. Hæc avis à clamore suo nomen accepit, clamat enim *Iacu, Iacu, Iacu.*

JAMACAII, Brasiliensibus. Avicula Alaudæ magnitudine. *Corpus* tres digitos longum, *collum* plus digito, *crura* duos digitos, *cauda* ferè quatuor. *Caput* habet parvum: *Rostrum* digitum longum, directum, paulum deorsum inclinatum, acutum, nigrum quidem; at inferius prope exortum paululum cœrulescens. *Caput* nigris vestitur pennis, uti & *collum* inferius, superius luteis: totum *dorsum*, *pectus*, & infimus *venter* luteis, *alæ* nigris, in quorum medietate albæ insertæ, quæ maculas albas faciunt, in qualibet ala unam: ad exortum alarum transversim per dorsum tendit nigra macula: *Cauda* etiam nigra. *Crura* & *pedes* fusci. Elegans est avis.

JACURUTU Brasiliensibus. *Bufo* Lusitanis. Noctua est, magnitudine æquat Anseres: *Caput* habet rotundum instar felis. *Rostrum* aduncum, nigrum, superiori parte longius. *Oculos* magnos, elatos, rotundos, & splendentes instar Crystalli; in quibus interius circulus flavus versus extrema apparet. Latitudo oculorum aliquantò major grosso Misnico. Propè aurium foramina plumas habet duos digitos longas, quæ instar aurium in acutum desinunt & attolluntur. *Cauda* lata est; neque alæ pertinguntur ad illius extremitatem. Crura pennis vestita usque ad pedes: in quibus quatuor digiti, tres anterius, unus posterius versus,

sus, atque in quolibet unguis incurvatus niger, plus quam digitum longus, & acutissimus. *Pennæ* totius corporis variegatæ è flavo, albo & nigricante perelegantes.

SOCO Brasiliensibus, avis Aquatica, cujus multæ hic observari possent species; hæc cujus Iconem addimus, magnitudinem habebat Ardeæ minoris. *Rostrum* obtinet rectum, nigrum, & in extremitate acutũ, duos & semis digitos crassum, ubi crassissimum. *Caput* illi instar Ardeæ, uti & *collum* pedem longum. *Oculi* nigri circulo aureo. *Alæ* & *cauda* simul desinunt: Cauda enim brevis, nec supra quinque digitos longa. *Crura* satis longa, superiora quippe quatuor, & inferiora totidem digitos: in pedibus porrò quatuor digitos, videlicet tres anterius, unum posterius versum. *Crura* autem superiora ad medietatem sunt nuda pennis: cætera fusca cute tecta. *Caput* & *collum* brunnis quidem pennis, sed quæ punctulis nigris variegatæ sunt, vestiuntur. Per totum collum inferius ad pectus usq; tendit linea plumis albis, nigris & brũnis mixta. *Dorsum* & *Alæ* nigris quidem, sed quæ minutissimis punctulis flavescentib. variegatæ sunt, vestiuntur; *Venter* quoque ad eundem modum: sub alis denique nigræ, & albo maculatæ sunt pennæ.

MATUITUI Brasiliensibus. Avis Alaudæ magnitudine. *Rostrum* habet rectum, nigrum quidem, at in exortu inferius croceum *Oculos* elegantes nigros. Totum *Caput* superius, collum, dorsum, alæ & cauda superius coloris sunt obscurè grysei, & remiges alarum nigricantes. *Caput* inferius, guttur, pectus, & infimus venter albicant, ut & crura superiora, quæ mediam partem pennis vestita, more avium aquaticarum. Supra exortum rostri in fronte maculam habet albam, & annulum album circa collum, & inferius semiannulum obscurè gryseum, huic contiguum: nam guttur totum album est, collum superius totum obscurè gryseum. *Crura* sunt subluteola; digiti autem pedum aliquid fusci admixtum habent. Tres solummodò digitos habet in pedibus, omnes anterius versos, qui in exortu cute ex parte junguntur: Unguiculi nigri.

Avis hæc ad littora maris & ripas fluviorum fluminum discurrit.

CAPUT VI.

Iabiru. Iabiru gvacu. Manucodiata.

IABIRU Brasiliensibus, Belgis vulgo *Negro*. Avis hæc magnitudine superat cygnum. *Corpus* illius quatuordecim digitos longum: *Collum* totidem, & brachij humani habens crassitiem. *Caput* satis magnum, *Oculi* nigri, *Rostrum* nigrum directè extensum, & superius versùs extremitatem paulum incurvatum; undecim digitos longum, duos & semis latum; versùs exteriora acuminatum; estque superior rostri pars paulò altior, & major inferiori. Caret lingua, & sub gutture ingluviem habet mediocris magnitudinis. *Crura* longissima, duos nimirum pedes: superiora enim unum pedem & digitum longa, & mediam partem pennis nuda; inferiora undecim digitos. Sunt autem crura recta, nigricantia, & quasi squamata, digitum medium crassa. In pedibus digiti quatuor, tres anterius, unus posterius versus; quorum medius quatuor digitos longus, cæteri paulò breviores. Tota avis vestitur albis pennis instar cygni aut anseris. *Collum* fere totum, nimirum octo digitorum, longitudine à capite numerando, caret pennis; ac hujus medietas cum capite tegitur nigra cute, reliqua alba cute: Sed puto in cute hæsisse pinnulas albas, & fuisse abreptas. *Cauda* lata desinit cum extremitate alarum.

JABIRU GUACU Petigvaribus, *Nhandu apoa* Tupinābis: Belgis Deurvogel. *Rostrum* habet magnum, septem & semis digitos longum, in extremitate teres, & inferius incurvatum; caret lingua, & rostrum inferius canum est. In summitate capitis mitram osseam coloris albi, & cinerei mixti gerit. *Oculi* nigri, & ponè eos aurium foramina

ramina ampla. *Collum* decem digitos longum, cujus medietas, uti & caput, plumis, ac cute squamosa cinerea est tecta, cujus squamæ albicant. *Corpore* æquat Ciconiam; *Caudam* habet brevem & nigram, cum qua alę desinunt. *Crura* superiora ex parte albis vestita pennis, cętera tota cinerea, & quidem superiora crura longa sunt digitos octo, inferiora sex, aut paulò plus: digiti pedum quatuor, ut in priore. Totum *corpus* & collum albis vestitur pēnis, & à collo longiusculæ pennæ propendent & circum. *Alæ* albæ, remiges illarum pennæ nigræ, rubini colore transplendente in nigro. *Pellis* detrahitur huic avi, ac caro ejus cocta comeditur; pinguis est & sicca, boni saporis, præsertim si cocta butyro frixetur. Comedi sæpissimè.

MANUCODIATA, & quidem Rex creditus; ad aspectum Columbam, sed revera hirundinem æquabat. *Caput* habet parvum, *Oculos* parvos, rostrum rectū, satis crassum, acuminatum, sesquidigitum longum: *Collum* digitum longum; *Corporis* autem longitudo à collo ad caudæ exortum vix trium digitorum & semis. *Alæ* supra septem longæ; *Cauda* lata & sex digitos longa. *Crura* duo habet, quodlibet inferius duos digitos longū; quatuor digitos in pedibus, tres antrorsum, unum retrorsum versum, more communi; medius anteriorum paulò longior cæteris; posterior etiam satis longus; quilibet ungue lunato, seu adunco accipitrino forti præditus. Suntque crura & pedes satis crassi, ac ad rapinam comparati. Alæ & cauda pennas habent latas & fortes digiti latitudine. Totum *dorsum*, infimus venter, alæ, cauda elegātis sunt brunni coloris; superius ad rostrum pennulas habet holosericum leve referentes, viridi & fusco mixtas; inferius ad rostrum similes nigri coloris. *Collum* superius flavi, seu aurei est coloris, inferius viridis cum aureo transplendente. *Pectus* saturatè brunnum; sub alis in lateribus inter alas & crura, exoriuntur multæ pennæ, pedem plus, vel minus longæ, elegantis structuræ, quæ supra caudam longè extenduntur: sunt autem propè exortum flavi, seu aurei coloris, reliqua ex albo flavescentes, brunno umbratæ, seu dilutè intermixtæ: inter has pennas duo quasi fila extenduntur; quodlibet longum duos pedes & amplius, ac versùs extremum incurvata, obscurè brunni coloris. *Crura* fusca sunt, unguibus magis albicantibus. *Rostrum* coloris est ex viridi & cœruleo mixti, versùs acumen tamen albicans.

Hæc est illa avis, quam alii Paradiseam vocant: cujus aliquod reperiuntur species.

CAPUT VII.

Guirapunga utraque. Guiraquerea. Iacamaçiri. Cariama.

GUIRAPUNGA Brasiliensibus; Avis cujus sonus longè auditur; Turdelæ majoris magnitudinem superat, & columbæ ferè æquat. Rostrum habet digitum longum & latum, anterius acutum, cujus superior pars paulùm prominet super inferiorem, ac deorsum est incurvatum, nigrum, naribus patentibus. *Os* illi amplum, quod aperire potest usque sub oculos, ita ut oris apertura cum rostro triangulum formet. *Linguam* habet brevem. *Oculos* è nigro cœrulescentes. Sub gutture autem, quod latum habet, & in collo inferiori, multas digitum longas propendentes particulas carneas nigras habet, figura spiculi hastæ, vel quasi ligulæ. *Caput* obscurè brunnis pennis vestitur. Totum *collum*, pectus, venter, dorsum & crura superiora leucopæis teguntur pennis, (quibus potissimùm in dorso) nigricantes admixtæ, ac versùs caudam etiam virescentes. *Caudam* habet tres digitos longam, leucopæis ac nigricantibus pennis pauca viriditate admixta. *Ala* (non multum post exortum caudæ desinentes) in initio sunt nigræ, reliquam partem nigricantes, quibus obscurè virescentes pennę admiscentur. *Crura* inferiora nigricant, suntq; plus digito longa; digitos quatuor

tuor habet cum cæteris communes, nigris unguibus: *Pectus* bifidum est, seu convallem habet per medium secundùm lõgitudinem; tracheam amplam, unde etiam fortem clamorem potest edere. Duplicem autem sonum edit promiscuè, una vice quasi quis securi percuteret cuneum ferreum, in silva (*cock, cick*) altera autem quasi quis campanam fissam tangeret *Kur, Kur, Kur*, &c. Clamat autem solùm media ætate, Decembris & Januarij initio per quinq; aut sex septimanas, reliquis mensibus non auditur; unde Lusitanis *Ave de Verano* vocatur.

GUIRA PUNGA, fœmina; Turdelæ nostræ majoris magnitudine est & figura, & eodem modo carnosa. *Caput* habet latiusculum, *rostrum* quoque latum, haud longum, *oris* hiatus amplus quando aperitur. *Rostrum* nigrum. *Oculi* satis magni. *Cauda* tres digitos aut paulò plus longa, nec alæ ad illius finem pertingunt. Tota avis vestitur pennis nigricantibus, quibus fuscæ & dilutè virentes sunt mixtæ: magis tamen fuscus est in dorso color, in gutture, pectore, & ventre magis dilutè virens, & mixtus ut nostræ turdelæ, Avis est pinguis & copiosæ carnis. *Crura* & pedes nigricant, cætera nihil differunt à communi norma.

QUIRAQUEREA Brasiliensibus; Avis Alaudæ, magnitudine, sed quia longas alas, & caudam habet multo longiorem, videtur major. *Caput* latum, compressum, ac satis magnum habet. *Oculos* magnos & nigricantes; *rostellum* parvum, triangulare, compressum, & superiore parte aduncum. *Os* amplum, longè amplius rostro, quod apertum triangulum efformat. Ad utramque autem extremitatem rostri superioris ad latera digiti ferè longitudine, in quolibet decem, aut duodecim circiter setas crassas suillas habet protensas anterius & ad latus. *Corpus* haud longum, sed rotundum ferè est. *Pedes* quatuor digitis more communi constant, quorum medius longior reliquis; & unguiculo suo (quos omnes habet nigros) pectine corneo subtiliter serrato dotatus est. *Alas* longas habet, nimirum semipedem. *Cauda* octo digitos longa, constans in extremitate duabus pennis longioribus reliquis. Tota avis ex fusco cinerei coloris cum maculis obscurè flavis aut albicantibus mixtis, more Nisi. Circa totum collum autem penè caput annulum habet obscurè aureum. *Crura* cinerea seu fusca. *Digiti* exigua pellicula connectuntur, non ita lata, ut in anatibus, nam non est avis aquatica.

JACAMACIRI Brasiliensibus, Avis Alaudæ magnitudine. *Rostrum* rectum, acutum, nigrum habet, duos digitos ferè longum. *Linguam* brevem. *Oculos* cœruleos. *Alas* breves, quæ paulò post exortum caudæ desinunt. *Cauda* autem tres & semis digitos ferè longa, recta, septem aut octo pennis constans. *Crura* superiora pennis vestita, inferiora nuda, cute flava & viridi mixta. *Pedes* itidem. In quolibet pede quatuor habet digitos, duos anterius, duos posterius versos; estque uterq; interior, tam anterius, quàm posterius, dimidiam tantum partem longus præ exterioribus. *Unguiculi* nigri.

Totum caput, collum superius, totum dorsum, alæ, cauda superius coloris sunt viridis cum aureo & igneo mixti, ita ut mirificè resplendeat; ejusdem coloris annulus etiam circumdat collum. Sub gutture autem, in pectore & infimo ventre, & sub cauda obscurè flavi coloris est, ut cera vetusta.

CARIAMA Brasiliensibus, Avis Ardeę majoris magnitudine; ex aquaticarum est genere: In capite super exortu rostri cristam plumatam gerit nigram cinereo mixtam, erectam. *Rostrum* breve, superius paulò aduncum, ex obscuro flavo fuscum. *Oculos* habet elegantes aureos, pupilla nigra, longis supercilijs nigris. *Alæ* desinunt paulò post exortum caudæ. *Crura* habet longa, superius mediam partem pennis vestita, cætera nuda & obscurè flava: *digitos* tres in pedibus, medium longissimum, exteriorem breviorem, interiorem adhuc breviorem. Suntque digiti ad partem cute connexi. In po-

ſtica parte pedis digitum parvum habet, altiori loco positū, & calcaneum rotundum, more Struthionis. *Vngues* digitorum breviusculi, lunati, fusci. Totum *corpus* pennis vestitur gryseis, seu cinereis fusco undatis, ut in falconibus, & obscurè flavo mixto: extremitas alarum & caudæ fusca est, obscurè flavo, & gryseo undata: in pectore & inferiore ventre plus habet gryſei. *Caudam* demissam, collum erectum gerit. *Clamor* ejus instar gallo-pavi fœminæ, & longè auditur. *Carne* est valde probata.

CAPUT VIII.

Gvara. Vrutaurana. Maguari. Gvarauna. Ajaja. Picovi pinima. Pica Cureba. Tuidara. Gvacagvacu. Tapera.

GUARA Brasiliensibus (in Marahoon frequentissima, & Rio de Ieneiro) avis est aquatica & terrestris, Albardcolæ magnitudine. *Rostrum* habet ensis Polonici figura, longum, ex albo subcinerescens. *Oculos* nigros. *Collum* & *corpus* instar Albardcolæ. *Alæ* desinunt cum cauda, quæ brevis & demissa. *Crura* longa, quorum superior medietas pennis vestita, reliqua nuda. *Digiti* pedum quatuor communi modo, longiusculi, brevibus unguibus, prope exortum cute inter se connexi: crura autem nuda cum pedibus coloris ex albo gryſei, uti & rostrum.

Tota avis vestitur pennis elegantis coloris coccinei; remiges tantum alarum nigras habent extremitates. Hæc avis primùm exclusa coloris est nigricantis, hinc evadit cinerei, deinceps albi, sensim autem rubescere incipit, & secundo ætatis anno coloris est in totum, quem *Columbin* vocant, quoque magis senescit, elegantissimum illum colorem coccineum acquirit. *Victitat* piscibus, carne, adjuncta semper aqua.

Brasiliani è plumis hujus avis varia componunt corporis ornamenta.

URUTAURANA Brasiliensibus; & *Vrutaui cuquichu Caririri*, Avis Aquilæ magnitudine. *Rostrum* habet nigrum, cujus superior pars adunca, propè exortum tamen flavum; *Oculos* eleganter aureos, pupilla nigra, quos cuticula cinerea obducere potest, licet palpebras non claudat. *Caput* aquilinum quidem sed superius compressum, seu planum, in cujus summitate duas habent pennas nigras, duos circiter digitos longas, cum duabus parvulis ad latus quodlibet: illas autem quando vult, in altum surrigit, atque iterum componit. *Alæ* paulò post exortum caudæ desinunt. *Cauda* ei lata instar Aquilæ. *caput* superius fuscis tegitur pennis, quarum oræ subflavescunt. Totum *collum* superius, & ad latera brunnis (ut perdix:) totum *guttur* cum collo inferiori est album, ita tamen, ut albedo ad latera pennis nigris sit variegata. Totum *pectus* & infimus *venter*, crura superiora & inferiora usq; ad pedes pennis vestiuntur albis, qnibus nigræ squamatim admixtæ sunt. *Alæ* & *cauda* fusci sunt coloris cum umbra mixti, atque oras habent subtiles albicantes. Remiges alarum pennæ sunt fuscæ & nigris undis variegatæ. In pedibus digitos habet quatuor flavos, unguibus lunatis fuscis. Clamat *Geb*, *Geb*, ut pullus gallinaceus qui matrem perdidit. Rapax avis, crudam comedens carnem. Projectam sibi avem, sive vivam, sive mortuam, unguibus arripit, & rostro egregiè depluma, dein dilacerat, & carnem ossaque deglutit; unam harum diu vivam alui in munimento Mauritij ad Flumen S. Francisci.

ANNOTATIO. Icon hujus avis haud malè convenit cum Icone Nycticoracis Gesneri; non tamen Nycticoracis veterum, sed vulgo sic dicti circa Argentinam, & alibi circa Rhenum, avis piscatoriæ) nisi quod in Capite tres pennas habeat.

MAGUARI Brasiliensibus; Avis Ciconiæ similis figura & magnitudine, atque etiam ex parte colore. *Collum* habet pedem longum. *Rostrum* rectum, acutum, novem digitos longum. *Crura* longa & nuda, ut ciconia.

Cau-

Caudam brevem, cum qua alæ desinunt. *Rostrum* in exortu ad medietatem usque ex viridi flavescens, reliqua medietas extrema ex cœruleo cinerea. *Oculos* habet parvos, argenteos, pupilla nigra, & circa eos cutem cinnabriam, ac similem etiam inferius prope exortum rostri, seu inter rostrū, & guttur: quam more *Senembi*, irascens dependere sinit sub gutture.

Totum *Caput*, collum, & totum *corpus* albissimis vestitur plumis; ac inferiori parte colli pennæ albæ illæ sunt longiusculæ. *Cauda* autem quoque alba, at superius nigris aliquot pennis tegitur. *Alæ* in exortu albis teguntur pennis, sed propè dorsum nigris: nigredini autem persplendet viriditas. *Crura* sunt rubra, ut & pedes, quos cū Ciconia communes habet. Rostro crepitat, ut ciconia nostras. *Caro* illius edulis.

GUARAUNA Brasiliensib., Rusticola aquatica; magnitudine *Iacu*. *Rostrum* habet teres, paulò deorsum inclinatum, flavum, at in extremitate fuscum, quatuor & semis digitos longum; *corporis* autem illius longitudo est totidem. *Crura* superiora mediam partem pennis vestita, sex digitos longa: *Digiti* pedum quatuor ita dispositi, ut communiter; quorum medius tres digitos longus, cæteri breviores.

Tota avis vestitur pennis fuscis, multa umbra mixtis. *Caput* autem & collum totum ejusdem coloris, & præterea albo punctulatum, ut in *Iacu*.

Carnem habet satis bonam, quam sæpius comedi.

AIAIA Brasiliensibus, *Colherado* Lusitanis, Belgis Lepelaer. Avis figura conveniens cum Europæis, solo colore differens. Anseris magnitudine. *Rostro* instar cochlearis lato, albo: *Collo* longo, pedibus latis. Tota alba est, sed in dorso & alis dilutè incarnati coloris persplendentis. *Caro* illius edulis, & sæpè comedi. Frequens est ad Flumen Sancti Francisci, & alibi passim in locis palustribus.

PICUI PINIMA. Brasiliensibus. Columbæ silvestris species, paulò major Alauda, *Rostellum* habet columbinum, fuscum. *Ocellos* nigros, circello aureo. Totum *caput*, collum superius & ad latera, dorsum & alæ pennas habent obscurè cinereas, seu lividas, oris nigricantibus lunatis. Longioris autem alarum pennæ, seu remiges, quæ inter volandum videntur, ruffi sunt coloris, uno latere nigricantes, ut & in extremitatibus. *Cauda* longiuscula ex pennis constat è cinereo fuscis, quarum & quædam nigræ, & medietate exteriore albæ. *Venter* albas pennas habet oris lunatis fuscis. *Crura* & pedes columbini albescentes. *Carnem* habent bonam, & sunt admodum pingues.

PICA CUREBA Brasiliensibus, quoque Columbæ silvestris est species, coloris cinerei cum ruffo mixti; pedibus & cruribus rubris.

Avicula (*cujus nomen Auctor non prodit*) passeris magnitudine & figura, tota nigra, capite tamen albo, & cauda ex multo nigro & gryseo colore mixta. Clamat *zip, zip*.

TUIDARA Brasiliensibus; Ululæ est species; Germanis Schleier-Eulu/ Belgis Kerckuyle. *Capite* rotundo, naso elato, & plumis compexis constrato; sub naso rostrum habet aduncum, album: *oculos* autem nigros. Tota avis faciei superficies, cordis, uti pingitur, habet figuram, plumulis obscurè ex albo flavis, cum pauco nigro mixtis, quasi fimbria circumdata essent. *Plumæ* totius avis mixtæ albo & pallidè flavo ac gryseo: *Alæ* undatæ, uti & cauda. *Corpus* subtiliter punctatum cum fusco. Describitur & à Gesnero.

GUACA GUACU Brasiliensibus, Lusitanis *Gaivota*, Belgis Meeuwe. Avis gallinæ vulgaris magnitudine, rostro recto, longo, crasso, flavo. *Caput* superius nigris tegitur pennis, ut & ultima medietas alarum & Cauda. Guttur, totum collum, pectus & infimus vēter, ac initium alarum sunt alba. *Ova* ponit in arena, gallinaceis figura, magnitudine & colore similia: quæ quidem boni sunt saporis, sed *caro* avis nullius est pretij.

TAPERA Brasiliensibus, *Adorinha* Lusitanis; Hirundinis specie, nostratibus similis, ejusdem magnitudinis, & eodem

eodem modo circumvolitans. *Rostrum* breve, latiusculum habet & nigrum. *Os* amplum, quod aperire ultra oculorum regionem potest, ut *Ibiau* junior. *Oculos* elegantes, nigros. *Alas* longas, desinentes cum fine caudæ, quæ latiuscula est. *Crura* & pedes ut nostratibus. Totum *caput* superius, collum, dorsum, alæ & cauda pennas habent coloris ex fusco cum gryseo mixti; remiges alarum & extremitas caudæ paulò magis fuscescunt reliquis partibus. Sub gutture & in pectore grysei est coloris cum albo mixti. *Venter* est albus, uti & sub cauda albet. Crura & pedes fusci.

CAPUT IX.

Psittacorum majorum & minorum variæ species.

PSITTACORUM in Brasilia maxima est copia & summa varietas; quos Brasilienses communi nomine vocant AIURU. Aristoteles lib. IV. Histor. Anim. cap. X. scribit; *Ea quæ ova pariunt, an somnient incertum est, manifestum verò ea dormire.* Ego utrumque adfirmo cum Jul. Scaligero in Commentar. & quod ille de suo Turdo & Accipitribus, ego de meo Psittaco, quem Lauram vocabam, nam sæpius de nocte seipsum expergiscens semisomnus sublocutus est. Idem Lib. VIII. cap. X. scribit, Psittacum à Græcis etiam ἀνθρωπόγλωσσον vocari. Psittaci nidificant in cavis arboribus, ubi foramen extra rotundum faciunt, ac ova duo aut tria columbinis similia imponunt sine nido aliquo ficto. *Ova* si tangas, nihilominus excluduntur, nec Psittacus ea deserit. Pullos excludunt medio Junio & fine: plumati autem pulli inveniuntur apti ad eximēdum fine Julij, & medietate Augusti. Psittaci juniores primùm exclusi vermes crassiusculos habent, in quolibet narium foramine unum, ac præterea in summitate capitis tuberculum, in quo itidem vermis crassus latet. Omnes autem vermes brevi sponte excidunt, ac locus per se sanatur. Fiunt varij coloris à Tapuyis, deplumando juniores, & cutem varijs coloribus inficiendo, Lusitani vocant *Papagios contrefeitos.* Nullus Psittacorum Brasiliensium, præter Curicos se manibus tangi in corpore permittit.

Prima species AIURUCURAU elegantissima est. Supra *Rostrum* in capite mitellam habet eleganter cœruleam: Guttur, latera capitis & superior illius pars eleganti flavo vestiuntur, totum corpus læto viridi. In alarum extremitatibus pennæ una medietate nigræ, altera croceæ, partim etiam in extremitate cœruleæ, partim hinc inde virides. In summa, eleganter variegatæ. *Cauda* viridis, sed quando illam explicat, fimbriata nigro, rubro, cœruleo. *Crura* & pedes cinerei coloris. *Rostrum* ex cinereo fuscum. *Oculi* nigricantes, circulo aureo. *Lingua* omnibus lata & crassa.

Secunda species priori similis, paululum aliter variegatur coloribus, nimirum in summo capite mitella flava, cui albedo mixta, super oculos & in gutture clarè flavo. Circa rostrum superius macula est thalassina.

Tertia species; AIURUCURUCA. Mitram habet in capite ex cœruleo & pauco nigro mixtam, in medio mitræ maculam flavam. Infra oculos flava, & in gutture cœrulea est macula. Viriditas in pectore, alis & dorso paulò saturatior, in extremitatibus alarum & cauda dilutior. Extremitates pennarum alæ flavæ & rubræ, & Indico colore mixtæ. *Cauda* inferius ex flavo & viridi mixta, superiùs dilutè viridis. *Crura* è cinereo cœrulescentia. *Rostrum* superius cinereum, in extremitatibus nigrum, ungues pedum nigri.

TVI, vulgo *Perroquet.*

Prima species: Magnitudine Hirundinis: in totum viridis coloris: *cauda* longissima, *rostro* nigro, adunco.

Secunda: Tui apute juba, viridis in totum & quidem dilutius in reliquo corpore, in ventre flavescens, in alis obscurè viridis. *Cauda* longissima: magnitudinis ejusdem cum priori; *Oculis* magnis, subnigris, circello ex pennis circa oculos luteo, & supra rostrum, quod nigrum & aduncum, in capite macu-

maculam habet magnam ex pennis Auraici coloris.

Tertia TVI TIRICA, paulò majores sunt Guineensibus, in totum viridis coloris, qui tamen in dorso & alis plerumque saturior, in reliquis partibus dilutior: *rostro* incurvato incarnati coloris. *Oculis* nigris; *Pedibus* cœrulescentibus; *Cauda* paulùm ultra extremitatem alarum protensa. Admodum hi mansuescunt, & cibum ex alicujus ore capiunt, & manibus se tractari sinunt. Item instar Psittacorum garritum addiscunt.

Quarta: Magnitudine Sturni, ejusdem coloris cum secunda specie, sed breviori cauda.

Quinta JENDAYA: Sunt magnitudine Merulæ aut minoris Turdelæ, *rostro* & *cruribus* nigris, oculis nigricantibus, circulo aureo, exterius albo: Dorsum, alæ & cauda, ut & anus, viridibus pennis vestiuntur, quib. thalassinus mixtus: Extremitas alarum quodammodo nigrescit. Totum caput, collum & pectus flavi coloris sunt, cui luteus intermixtus.

Sexta TVI ETE, magnitudine Alaudæ, in totum dilutè viridis coloris. At initium alarum egregiè cœruleum est, & omnium pennarum in alis oræ cœruleæ, ita ut complicatæ, quando quiescit avis, maculam longam cœruleam prope oram lateralem alę ostentent. In dorso ad exortum caudę usq; etiam macula cœrulea est. *Cauda* brevis. *Rostellum* incurvatum, incarnati coloris. *Crura* & pedes cinerei.

Septima: TVI PARA Tupinambis, magnitudine Alaudæ, in totum dilutè viridis coloris, cauda brevior, ita ut cum alis desinat. Rostro incarnato; cruribus gryseis. Prope rostri exortum in fronte, maculam habet semilunarem miniatam, quasi coronam, quæ & inferius est; in cujuslibet alæ medio lutei, seu Vranici coloris. *Nidificant* in cumulis à formicis relictis, qui in arboribus reperiuntur.

Psittaci & *Tui* semper catervatim volant, nimirum bini ac bini juxta se invicem. Sylvæ his plenæ sunt, & sæpè quadringenti & quingenti simul volant, strepitum magnum clamore excitantes. Consident in altissimis arboribus: nidificant potissimum in mediterraneis. *Caro* boni saporis, si assetur, maximè *Perroquet*.

ARARACANGA Brasiliensibus, Psittacus maximus, majores sunt corvis nostratibus. *Caput* magnum, superius planum, & latum habet. *Oculos* pulchros, cæsios, pupilla nigricante: Oculos autem exteriùs ambit membrana alba, ut & maxillas & rostrum inferius: hæc subter oculos semilunari forma est producta. *Rostrum* incurvum, magnum, superius albicans, inferius nigrum. *Linguam* habet ut Psittacus, & eodem modo edit. *Voces* etiam quasdam sonare discit. *Rostrum* superius tres circiter digitos longum, altum seu latum. *Crura* & *pedes*, ut Psittacus, habet nigros. Totum caput, collum, pectus, venter, crura superiora, & cauda inferius, ut & initium alarum superius elegantibus rubris pennis vestiuntur, per medietatem autem alæ tectæ sunt viridibus, extrema autem medietas alarum usque ad finem cœruleis ornatur. Extremitas dorsi prope anum superius, & cauda cœruleis constant, quibus aliquot brunni coloris admiscetur. *Cauda* longa est decem circiter digitos, & longè prominent ultra finem alarum.

ARARAVNA Brasiliensibus. Figura alteri similis, sed alterius coloris. *Rostrum* nigrum, *oculi* cæsij, *pupilla* nigra. *Cutis* circa oculos alba nigris pennulis variegatur quasi acu picta esset. *Crura* & *pedes* fusci coloris. *Caput* anterius supra rostrum mittellam habet viridibus pennis: sub rostro inferiori ambiunt guttur pennæ nigræ: *Colli* autem latera, reliquum guttur, totum pectus & infimum ventrem tegunt pennæ flavi coloris. Extremum caput, collum posterius versùm, totum dorsum & alas exterius cœrulei. Extremitatibus alarum plumæ flavę sunt admixtæ. *Cauda* constat longis pennis cœruleis, quibus aliquot flavæ immiscentur. In genere autem cœruleæ pennæ interius sunt nigræ, & quodammodo etiam nigredinem ad latera de se spargunt.

ANACA Brasilientibus: *Perroquet*,

magnitudine Alaudæ. *Rostrum* fuscum, aduncum. In capitis summitate epatici coloris pennæ, ad latera circa oculos brunni; *guttur* cinereum; *Collum* superius & latera viridia. *Venter* habet pennas ex brunno rufescentes. *Dorsum* viride maculam habet dilutè brunnam. *Cauda* quoque dilutè brunna. In alarum initio sanguinea macula sive fimbria est: reliquum alarum viride, extremitas thalassini coloris. *Crura* superius viridibus vestita pennis, inferius cute cinerea, unguibus nigricantibus. Elegans planè avis.

MARACANA Brasiliensibus, avis Psittaco planè similis (cujus & species) sed major, plumæ totius ex gryseo subcœrulescunt, clamat ut Psittacus. Fructus amat, Murucuja imprimis.

MARACANA Brasiliensibus, itidem Araræ species minor; magnitudine Psittaci, figura Araræ, cauda lõga tali, rostro, & cute circa oculos. *Rostrum* nigrum, cutis circa oculos alba, punctulata plumulis nigris. *Oculi* flavescentis, pupilla nigra. Totum *caput*, collum & alæ saturatè viridis coloris ut in Amurucurica; summitas capitis dilutior & quodammodo cœrulescit. *Cauda* superius viridibus & in extremitate cœrulescentibus, inferius saturatè rubris constat pennis. *Alæ* interius etiam rubræ, exterius virides, & extremitates cœruleæ obscurè. In exortu cujuslibet alæ maculatam habet miniatam. Super rostri exortum, superius maculam habet parvã fuscam. *Crura* & *pedes* fusci. Clamat *Oe, Oe, Oe.*

QUI JUBATUI flavus est totus, magnitudine Tuiapara; *rostro* incurvato gryseo, *Oculis* nigris. Extremitas alarum obscurè viridis est: *cauda* longa flava. *Crura* coloris incarnati. Facile & valde mansuescit.

PARAGUA Psittacus est niger, magnitudine Ajurucariu, pectore, dorso & ventre medietate anteriore insigniter rubro. *Oculis* nigris, circello rubro. *Rostro* fusco, seu obscurè cinereo. *Cruribus* & pedibus obscurè cinereis.

TARABE Brasiliensibus, Psittacus est viridis, major quàm Paragua, *capite* rubro & pectore atque initio alarum. *Rostro* & pedibus obscurè cinereis.

AJURUCATINGA Brasiliensibus, Psittacus magnitudine pulli gallinacei mediocris, totus viridis, *oculis* rubris, & circa oculos cute alba. *Rostro* albo, & cruribus albis. *Caudam* habet longam, viridem.

AJURUAPARA Brasiliensibus, in totum convenit cum præcedenti, sed minor est.

CAPUT X.

Ipecu. Urubu. Tamatia utraque. Gvirajemoja. Gurrarunheengeta.

IPECU Brasiliensibus, *Cortapao* Lusitanis, Avis magnitudine columbę. *Colli* longitudo duorum digitorum, *corporis* autem quatuor, & *caudæ* idem quatuor, crurum ferè sesquidigiti; in pedibus quatuor habet digitos, duos antrorsum, duos retrorsum versos, ut in Psittacis. *Caput* vestitur pennis cinnabrij coloris, in quo & cristam habet instar columbæ: *Collum* ad rostrum usque inferius nigrum, ut & superius; In utroque autem latere linea est alba, crassa, quæ divisim ad dorsum protenditur. *Alæ* exterius totæ nigræ, interius albæ; *Cauda* nigra; in ventre & cruribus superioribus pennæ sunt nigræ, & albæ. *Rostrum* illius rectum, acutum, sesquidigitum longum, quo arborum cortices exscindit, ut Picus.

URUBU Brasiliensibus, vulgo ein Menschencter; Avis rapax, magnitudine Milvi & Nisi, pedibus gallinaceis subalbicantibus, *cauda* longa, & alis ea longioribus. *Pennæ* totius corporis sunt nigræ cum pauxillo ravi coloris hinc inde mixtæ. *Caput* habet parvum, figura penè gallinarum Indicarum, cute tectum paululum rugosa. In summitate autem capitis secundùm longitudinem quasi dividitur cutis, & in sinistro latere capitis infra oculum crocei est coloris, supra oculum cœrulei, in summitate item, reliqua

liqua parte ex ruffo subbrunni. In dextro latere capitis circa oculum supernè & inferne crocei coloris, in summitate itidem, reliqua parte ex croceo albicantis. *Rostrum* habet satis longum, exterius aduncum, acutum, & ad medietatem usque à capite cute obtectum ex croceo cœrulescente. In mediate rostri superius narium foramen unum amplum transversim positum; extremitas rostri, quæ cute caret, est alba. *Oculos* habet elegantes rubini ferè colore, *pupilla* rotunda nigra: *Palpebræ* sunt croceæ: *Linguam* carinatam, in ambitu denticulis acutis præditam. Fœtet ejus *caro* instar cadaveris: nam & cadaverib. vescuntur, & in maxima copia statim advolant in Capitania Sirigippo, & Flumine Sancti Francisci, quando quis bestiam aliquam mactat. Fœda avis, semper macra, nunquam satura.

TAMATIA Brasiliensibus; Avis Alaudæ magnitudine, seu Pici. Tota punctulata, & variegata maculis ut Turdus minor, Germanis vulgò Ein Trostel: in ventre albas habet pennas, maculis fuscis: sub gutture autem flavescit, uti & circa collum.

Rostrum habet longum rubrum, superius paululum fuscum; cujus superior pars paulò longior, quàm inferior. Supra nares subtiles aliquot extant pennulæ instar pilorum. In pedibus quatuor habet digitos unguibus aduncis. Caret *cauda*. *Caput* illius majus quàm proportio corporis requirat, uti & rostrum.

TAMATIA itidem Brasiliensibus dicta, avis aquatica, forsan gallina. Nisi *rostrum* obtinet, magnitudine Yassana asu: *dorso* incurvato incedens & *collo* incurvato. *Caput* habet magnum, *oculos* magnos nigros, prope exortum rostri existentes. *Rostrum* duos digitos longum, plus uno latum, instar anaticis quidem, sed anterius acuminatum: estque superior ejus pars nigra, inferior flavescens. *Crura* superiora pennis nuda, satis autem longa: Digiti in pedibus quatuor, quorum tres anterius, unus posterius versus, more gallinarum, suntque longi ut in Waterhoen. Crura & digiti coloris ex virescenti flavi. *Cauda* brevissima, & non longior quàm in Yassana. *Caput* nigris pennis vestitum, reliquum corpus brunnis; in ventre autem albicantes pennæ intermiscentur.

GVIRAIENOIA Brasiliensibus, Avicula magnitudine Fringillæ. *Rostellum* habet vix semidigitum lõgum & nigricans, *ocellos* nigros. Totum *caput*, collum inferius, pectus, infimus venter & dorsi medietas extima pennis vestiuntur cœruleis: *Collum* superius & dorsi medietas anterior nigris: *Alæ* quoque nigræ, sed quibus in initio illarum insperſæ cœruleæ; reliquæ nigræ sunt, sed oras habent cœruleas. *Cauda* sesquidigitum ferè longa & itidem nigra, desinuntque alæ paulò post initium caudæ. *Crura* fusca; in pedibus quatuor digiti vulgari modo.

GVIRARV NHEENCETA, Brasiliensibus; Merulæ aquaticæ magnitudine, aut paulò major. *Rostrum* habet rectum, compressum, nigrum, plus dimidio digito longum: *Oculos* Sapphyrinos, pupilla nigra. *Crura* quæ superius vestita, sunt pennis cinereis, inferius nigra cute teguntur, uti & pedes, in quibus more vulgari quatuor sunt digiti, unguibus acutis nigris.

Totum *caput* collum, pectus & infimus venter pennis vestiuntur albis ad gryseum dilutum accedentibus, dorsum autem leucopæis sive cinereis. A rostro in utroque latere per oculum usque ad finem laterum capitis, macula oblonga tendit nigra. *Alæ* nigræ, non tamen obscurè. *Cauda* nigerrimas habet pennas, quarum tamen extremitates sunt albæ, & superius quoque aliquot albis teguntur.

CAPUT XI.

Cocoi Ardeæ species: alia species. Gviratinga. Ardeola. Iacarini. Gviratirica. Gviranheemgatu.

COCOI Brasiliensibus, Ardeę species est elegans, Ciconiæ fermè magnitudine. *Rostrum* habet rectum,

acutum, ſex circiter digitos longum, quod in exortu ex flavo vireſcit: *Oculos* cryſtallinos, circello aureo: circum oculos cutem cineream. *Colli* longitudo quindecim digitorum; *corporis* decem; *caudæ*, cum qua *alæ* deſinunt. *Crura* ſuperiora mediam partem plumata, octo digitos longa, inferiora ſex & ſemis, cute tecta cinerea; digitos in pedibus quatuor, vulgari modo: quorum medius digitum longus, cæteri breviores unguibus lunaribus, fuſcis. *Guttur* & totum collũ ſunt alba, ſummitas capitis & latera nigri coloris cum cinereo mixti. Ejusdem coloris criſtam elegantem gerit erectam; atque ab ea duæ elegantes plumæ deorſum poſterius dependent, coloris ex nigro ſubcinerei, quælibet quinque digitos & ſemis longa. Anterius collum ſecundùm longitudinem maculatum eſt plumis è nigro & cinereo mixtis. In colli parte anteriori & inferiori, elegantes habet plumas longas, albas, ſubtiles propendẽtes, quas in pileis geſtare ſolemus. Totum dorſum, alæ & cauda cinerei ſunt coloris diluti cum pauxillo albo mixti; ſuperior medietas crurum ſuperiorum, albis veſtitur pennis. Per dorſi autem longitudinem cinereæ plumæ extenduntur ſubtiles, elegantes, figura ſimiles illis in collo. *Caro* illius bona eſt, & ſæpius comedi.

Reperitur hic & alia *Ardeæ*, Anatis domeſticæ magnitudine, aut paulò major. *Roſtrum* habet rectum, acutum, medietate anteriore, tam ſuperius, quàm inferius, dupliciter ſerratum, quatuor & ſemis digitos longum. *Caput* & collum habet Ardeæ: *Oculos* nigros, circulo aureo; *Collum* pedem longum; *Corpus* quinque digitos & ſemis, *caudam* quatuor, cum qua deſinũt alæ. Crura tota novem & ſemis digitos longa, ſuperiora mediam partem pennis veſtita: quatuor digiti in pedibus vulgari modo. *Roſtrum* ſuperius eſt fuſcum, prope exortum autem vireſcit è flavo. Totum caput & collum ſuperius pennas habent longiuſculas, pallidè flavas, nigro undatas; ſub gutture albicat. Collum inferius, pectus, & infimus venter plumas habent albas fuſco undatas, quod in ambitu flavo eſt fimbriatum. Totum dorſum & alæ teguntur pennis fuſcis flavo undatis, & remiges alarum pennæ ſunt è nigro & cinereo, æquali parte, mixtæ, extremitatibus albis. *Cauda* conſtat ejuſmodi pennis, qualibus extremitas alarum, ſed transverſim albo lineatis. *Crura* & pedes ſunt obſcurè gryſei coloris, ungues fuſci. *Caro* comeditur, ſapit ut aliarum Ardearum.

QUIRATINGA Braſilienſibus, *Garza* Luſitanis, Ardeæ ſpecies, Alberdeolæ magnitudine & corporis figura. Erectè incedit, collo longo, roſtro extenſo, recto, acuto, flavo, quatuor digitos longo, cujus pars ſuperior nigra, inferior alba. *Crura* alta, ut Ardeæ, ſex circiter digitos longa, pedum digiti ad vulgarem modum: crura exterius (ut & digiti) ſunt flava, interius ex viridi & fuſco mixta. Per totum corpus albiſſimis veſtitur pennis: In collo elegantiſſimis plumis albis, quæ ſubtiliores ſunt plumis Struthionum.

Aquatica eſt avis. Crura ſuperiora ſine pennis.

ARDEOLA columbæ magnitudine vix par: *Collum* habet longiſſimum. *Roſtrum* rectum, acutum, ſuperius fuſcum, inferius ex albo flaveſcẽs, duos & ſemis digitos longum, *linguam* brevem, acutam. *Oculos* mediocres, circello aureo, pupilla nigra. *Caput* parvum, *Collum* tenue, ac ſeptem digitos longum, cum corporis longitudo vix ſit quatuor. Crura longa, quodlibet quinq; digitos; ſuperior medietas mediam partem nuda. In pedibus digitos quatuor communi modo diſpoſitos, unguibus lunatis acutis. *Color* talis eſt: prope oculos, ubi roſtrum inſeritur, cutis melini coloris eſt. *Caput* ſuperius veſtitur pennis chalybei coloris pallidè fuſcis inſperſis: totum collum cum pectore & infimo ventre plumas habet alas leucopæis mixtas & pallidis, ut variegatus appareat. *Dorſum* nigrum eſt, ex parte chalybeo fuſcum cum cerei coloris pennis mixtum. Alarum pennæ longæ virentes, in extremitate maculam habent albam, reliqua ſuperficie ex fuſco, cha-

chalybeo, cereo, & leucopæo ele anter variegata. *Cauda* duos digitos longa, quam tegunt alarum extremitates, quæ cum illa desinunt. *Crura* superius leucopæo & cereo mixta. Nuda pars & pedes cute melina tecta sunt. *Vngues* leucopæi. Erecta incedit avis & decenter.

JACARINI Brasiliensibus, Avis carduelis magnitudine. *Rostellum* habet crassum, cinereum. *Crura* & pedes cinereos, cum quatuor digitis more vulgari. Totum *corpus* nigris vestitus pennis, sed in quibus resplendet color instar chalybis politi. *Alæ* interius albicant. *Oculi* cœrulei, & ponè illos amplum foramen loco aurium.

GVIRATIRICA Brasiliensibus, Avis Alaudæ magnitudine. *Rostrum* habet crassum, rectum, superius fuscum, interius album, & paululum incarnatum. *Crura* cinerea cum quatuor digitis more vulgari. Totum *caput* cum gutture, & colli inferiore & media parte egregiè sanguinei sunt coloris: *Oculi* cœrulescunt; aurium foramina ampla. Latera colli, totum pectus & infimus venter albis vestiuntur pennis. *Collum* superius habet nigricantes, quibus paucæ albæ mixtæ. *Dorsum* gryseum est (insperſis nigris paucis) ut & initia alarum: reliquū alarum nigrum, ut & *cauda*, quæ tres circiter digitos longa: Oræ laterales in alis sunt albæ.

GVIRAN HEEMGATU Tupinambis; Avis passeris magnitudine. *Caput* superius luteum, & guttur: *Collum*, pectus, & infimus venter flavi coloris, alæ ex virescenti & flavo mixtæ ac fusco distinctæ, uti & cauda, ocelli & rostrum sunt nigra. *Crura* fusca; hic mas egregiè canens ut Fringilla, vulgo Vincke.

Fœmina ejusdem magnitudinis plumis passeris vestitur, nec ita canit, sed clamat 'tschrip, 'tschrip, ut passer.

CAPUT XII.

Curucui. Caracara. Tijegvacu. Teitei. Guiragvacu beraba. Gviracœreba. Gviraperea. Iapacani. Caburc. Andira aca.

CURUCUI Brasiliensibus; Elegantissima avis, ferè magnitudine Picæ. *Rostrum* habet breve, latiusculum, coloris sulfurei. *Os* amplum, & quando aperit, triangulatum. *Oculos* pulchros cœruleos circulo aureo; & sub quolibet oculo maculam cutaceam albam, ut gallinæ: in palpebris superius & inferius pilos nigros duriusculos. *Collum* haud longum. *Crura* brevia, & ad pedes ferè plumata pennis nigris. *Caudam* habet quinq; & semis digitos longam, latiusculam. Sub rostro inferiori in medio, & ad utrumque latus quasi barbam setis compositam nigris, sed in quib. transplendet cœruleus, ut in Anatum collo: sub gutture autem plumæ tantum nigræ. Totum *pectus* & infimus venter egregiè miniati sunt coloris; totum *dorsum* & cauda superius ex cœruleo & igneo splendidè virescunt. Extremitas *caudæ* oram habet nigram: inferius autem cauda pennas habet albas, nigro transversim eleganter striatas. Initium alarum etiam insigni illa viriditate splendet, media pars canescit, nimirum plumis nigricantibus, minutissimis punctulis canis conspersis, ut anates esse solent. Ultima pars, scilicet longæ alarum pennæ ex fusco nigrescunt. *Crura*, ut dixi, ferè tota vestita, nigris pennis, cætera cum pedibus fusca sunt è cinereo. *Digitos* habet dispositos ut Psittacus. *Pennæ* subter alas sunt canæ.

CARACARA Brasiliensibus, *Gaviaon* Lusitanis, Nisi species, Avis magnitudinis Milvij, *caudam* habet longam novem digitos; *alarum* longitudo quatuordecim digitorum, quæ tamen nondum ad finem caudæ pertingit. *Color* pennarum totus est ravi

coloris cum albis & flavis punctulis. *Cauda* albo & fusco est variegata. *Caput* Accipitrinum, *rostro* adunco, mediocriter magno, nigro. *Crura* habet lutea, pedibus accipitrinis, unguibus semilunaribus nigris acutissimis & longis. Avis gallinis valde infesta.

Habui aliam ejusdem magnitudinis, & colore pennarum ut præcedēs, sed pectus & venter erant alba. *Oculi* aurei, & cutis circum eos flava. *Crura* lutea.

TIIEGUACU Brasiliensibus, Avicula passeris magnitudine, aut paulò major. *Rostellum* habet breve, triangulare, latiusculum, nigrum. *Ocellos* sapphyrinos: *Crura* & pedes cerei coloris, unguiculis fuscis, digiti dispositi more vulgari. Tota avicula vestitur pennis coracinis: at in summitate capitis maculam habet clypeiformem splendentis sanguinei coloris. Totum *dorsum* autem ferè & utramque alam superius ad partem obtendit macula nigro-cœrulea. *Cauda* brevis & nigra.

TEITEI Brasiliensibus; quam etiam vocant *Guiranhemgeta* & *Guraundi*. Avicula Rubeculæ magnitudine. Aviario includitur pro canora ave, sed pipit tantum ut Rubrica, Germanis Gimpel. *Vescitur* paco & mamao. *Rostrum* habet breve, crassiculum, nigrum. *Caput*, collum superius, alæ, & totum dorsum, & cauda nigris vestiūtur pennis, quibus aliquid cœrulei, admixtum, ita ut splendeant instar chalybis. *Guttur*, collum inferius, pectus, totus infimus venter, & crura superiora sunt lutea: ad exortum rostri superioris post nares maculam habet è pennis luteis. *Crura* & pedes fusci sunt coloris; & hic est mas.

Fœmina proportione & magnitudine planè respondet mari, eodem rostro, & ijsdem cruribus; sed color plurimùm differt; est enim viridis, ut Acanthis. Germanis, Zyschen. Alæ ac caput cum collo superius paulum fuscescunt & cœrulescunt mixtim. *Delectantur* hæ aviculæ quinque aut sex conjunctim aviario includi.

GVIRAGVACV BERABA Brasiliensibus. Avis Carduelis magnitudine. *Collum* inferius *dorsum* & ventris extremitas lutei seu aurei est coloris, *caput* superius & collum, dorsi medietas anterior, alæ & cauda dilutè viridis. In alarum extremo fuscæ pennæ mixtæ sunt. Sub gutture ad oculos usque maculam habet magnam, nigram. *Rostellum* habet rectum, acutum, flavum, superna parte paulùm nigricans. *Crura* & pedes fusci coloris.

GVIRACOEREBA Brasiliensibus. Avis Fringillæ magnitudine. *Rostellum* habet nigrum, tres quartas partes digiti longum, acutum, & paululùm deorsum flexum. *Oculos* nigros. *Linguam* multipliciter fissam: In capite superius mitellam thalassinis pennis, reliquum caput, guttur, & totum corpus inferius, pectus, & totus infimus venter, cum dorsi medietate posteriori cœruleis vestiuntur pennis, lactescentibus, & à pectore per initia alarum ad dorsum, ubi incipit cœruleus color, linea lata cœrulea transit transversim per exortum alarum: totum autem collum superius cum medietate dorsi anteriore profundè nigris subtilib. holosericis vestitur plumis. *Cauda* sesquidigitum longa est & nigra. *Alæ* magnæ, quæ ad medietates laterales flavescunt. Flavedo autem illa tegitur, nec videri potest, quando avis considet, quando verò volat, alæ ex nigro & flavo eleganter striatæ videntur. Interius alæ fermè totaliter flavæ sunt. *Crura* superiora pennis nigricant, & cœrulea quodammodo sunt: Inferiora nuda, & cinnabrij coloris una cum pedibus, unguiculi in pedibus nigri. Habent autem pedes digitos quatuor, vulgari modo dispositos.

GVIRAPEREA Brasiliensibus; Avis Alaudæ magnitudine. *Rostrum* habet breve, crassiusculum, nigricans. *Caput* superius & collum, totum dorsum & infimus venter, pennas habent obscurè flavi coloris, ut cera citrina: Caput inferius, guttur & collum inferius cum pectore nigras, quales & paucæ in ventre flavis sunt intermixtæ. *Cauda* duos digitos longa, & præterit alas. Constat autem cauda & alæ pennis fuscis & nigricantibus, quarum

rum quælibet cum laterali extremitate thalassina, ita ut fuscæ alæ thalassino videantur striatæ. Cauda itidem. *Crura* superiora etiam cerei coloris; inferiora cum pedibus obscurè cinerei. Digiti quatuor modo vulgari, unguibus nigricantibus.

JAPACANI Brasiliensis, Avis magnitudine *Bemtere* aut *Schanepue*. *Rostrum* habet nigrum, oblongum, acuminatum, & paulùm deorsum incurvatum. *Oculos* aureos, pupilla nigra. *Caput* vestitur pennis nigricantibus, collum superius, dorsum, alæ ex umbra & nigro mixtis. *Cauda* superius nigricans, inferius albo maculata est. *Pectus*, & totus infimus venter ac crura superiora ex albo & flavo mixta, ac lineis seu strijs transversis nigricantibus intertexta. *Crura* fusca Digiti in pedibus quatuor vulgari modo, unguibus acutis & nigris.

CABVRE Brasiliensibus; Noctuæ species: Avis magnitudine Turdelæ. *Caput* habet rotundum, rostrum breve, aduncum, flavescens, duo foramina narium. *Oculos* pulchros, magnos, rotundos, flavos, pupilla nigra. Sub oculis, & ad latera rostri multos habet pilos, longiusculos, fuscos. *Crura* brevia, totaliter pennis vestita, flava, uti & pedes. In ijs autem quatuor digitos, more vulgari, unguibus semilunaribus, acutis, nigris. *Caudam* latam, prope cujus exortum alæ desinunt. In toto capite, dorso, alis, cauda, coloris est umbræ dilutæ: ac in capite & collo minimis, in alis majoribus maculis albis variegatur. *Cauda* verò albo est undata. *Pectus* & infimus venter albicant, & maculis umbræ dilutæ variegantur. Facilè mansuescit. *Collum* ita circumagere potest, ut rostri acies exactè dorsi medietatem ostendat. *Ludit* cum hominibus instar simiæ, & varios mimos facit ad spectu suo, & crepitus rostello; præterea pennas ad latera capitis erigere potest, ut cornicula, seu auriculas repræsentent. *Victitat* carne cruda.

ANDIRA ACA Brasiliensibus, Vespertilio cornutus. Multi hic reperiuntur in Palmis nuciferis degentes; paulò majores nostratibus, præpingues, cinerei coloris, mollibus & longioribus pilis, auribus latis. In singulis pedibus habent quinque digitos, acutis unguibus armatos. *Dentes* candidi, & supra nasum corpusculum, ejusdem cum auribus longitudinis, satis grande ex materia qualis illius rictus, flexile seu mobile. Alarum longitudo æquat semipedem Rhynlandicum.

CAPUT XIII.

Macuacagua. Columbæ silvestris species. Anas silvestris. Urubitinga. Mareca utraque. Tijeguacu parvara. Tangara utraq;

MACUCAGUA Brasiliensibus: Gallinæ silvestris species, magnitudine Gallinæ nostratis vel etiam major. *Rostrum* habet nigrum, plus sesquidigito longum, anterius paulò incurvum, ut perdicis: In rostri medietate duo narium foramina ampla. *Oculos* nigros, post eos aliquanto spacio aures more gallinarum. *Corpus* crassum, *Alæ* cum eo desinunt, nullam enim habet caudam. Crura inferiora nuda, duos & semis digitos longa. In pedibus tres habet digitos antrorsum versos, crassiusculos, unguibus brevibus, obtusis. *Calcaneus* rotundus, ut in Struthione, & paulùm supra illum breviusculus digitus versus interiora, ungue obtuso. Totum *caput* & collum punctulatum est obscurè flavo & nigro, sub gutture albicat. *Pectus*, venter & dorsum obscurè cinerei sunt coloris. *Alæ* umbræ coloris per totum undatæ nigro, præter remiges pennas, quæ totaliter nigræ. *Crura* superiora pennis vestita, uti vēter, inferiora cœruleſcat cum pedibus, ungues grysei. *Carnosa* admodum est avis, & tantum carnis habet, quantum duæ gallinæ domesticæ vix habeant; estque boni saporis. Sub cute crassa & pingui cuticulam habet, aliam qua caro tegitur. *Victitat* variis fructib. qui ex arboribus silvestribus deci-

decidunt. In ventriculo illius inveni fabas silvestres, semina Araticu. Humi currit, nam pedes inepti ad arbores scandendum. *Ova* ponit Gallinaceis paulo majora, coloris cœruleo-viridis.

COLVMBÆ silvestris species ex Insula S. Thomæ allata, nostratum magnitudine & figura: sed rostro superius adunco, & coloris in medietate anteriori tota cœrulei, cum albo & pauco flavo mixti, in posteritate tota sanguinei. *Oculi* nigri, circulo cœruleo. Pennis tegitur per totum viridibus, ut Psittacus. Remiges alarum ex viridi fuscescunt, ut & extremitas caudæ. Sub ano flavo habet pennas. *Crura* & pedes eleganter crocei coloris, ungues autem fusci.

ANAS Silvestris, magnitudine Anseris. *Rostrum* habet nigrum; *Crura* fusca, uti & pedes. Tota nigra est, exceptis principiis alarum, quę alba; Nigredini tamen illi viridis color transplendet. *Cristam* in capite gerit nigris plumis constantem, & massam carnosam corrugatam, rubram supra rostri superioris exortum. *Cutem* quoq; habet rubram circum oculos. *Caro* bona & copiosa. *Figuntur* plerumq; in altis arboribus considentes; nam post lotionem in aqua frigida altas subeunt arbores, captandi aëris & Solis causa.

VRVBITINGA Brasiliensibus; (sed dubito adhuc de hoc nomine, nam nobilior est hæc avis quàm Urubitinga) Avis Aquilæ similis, Anseris semestris magnitudine. *Rostrum* habet crassum, aduncum, nigrum, & circa nares cutem flavescentem. *Oculos* magnos, splendidè aquilinos. *Caput* grossum. *Crura* & pedes luteos; in pedibus quatuor digitos vulgari modo dispositos; *Vnguibus* lunatis, longis, nigris: *Alas* amplas: *Caudam* latam. Tota vestitur plumis fuscis & nigricantibus; Per alas autem undatim quasi cinereus miscetur. *Cauda* novem digitos longa, ad sex alba, in extremitate ad tres nigricans, in extremitate tamen rursus minimum est albi. Egregiæ staturæ est avis.

MARECA itidem Anatis silvestris species, sed parva. Rostrum habet anatinum fuscum, ad cujus exortum in utroque latere macula rubra. *Caput* superius est leporini grysei coloris, latera capitis sub oculis tota alba. Totum pectus & infimus venter ligni querni secti colorem obscurè æmulatur, variegati præterea punctulis nigris. *Crura* & pedes nigri. *Cauda* grysea. *Alæ* elegantes, in exortu ex grysco subfuscentis coloris, remiges autem sunt in uno latere prioris coloris, tota autem medietas extrema dilutè brunescentis, qualis in pedibus esse solet, in medio autem coloris viridis transplendentis, cum fimbria nigra, qualis in anatum collis. *Caro* valde bona.

MARECA alia species, ejusdem cum antecedente magnitudinis & figuræ. *Rostrum* habet nigrum splendens. Summitas capitis, collum superius, totum dorsum umbræ coloris cum fusco mixti. Sub gutture albicat. *Oculi* nigri, & ante quemlibet macula parva rotunda, plumis ex albo flavescentibus. Totum pectus & infimus venter obscurè grysei coloris cum aureo mixti. *Cauda* nigra. Alarum pennæ fuscæ, quibus viride transplendet: & mediæ pennę alarum eximia viriditate & cœruleo in fusco trāsplendent, hic & undam nigram habent, extremitas autem remigum tota est alba. *Crura* & pedes insigniter rubri seu miniati coloris. Assata avis pedibus apprehensa manus & linteamina tingit colore miniato sanguineo. Boni saporis habent carnem, sed paulùm amaricantem.

TIIEGVACV PAROARA Brasiliensibus; Avis Alaudæ magnitudine. *Rostrum* habet breve, crassum, superius fuscum, inferius albicans. *Caput* superius, latera ejus & guttur ac collum inferius habent pennas flavas, sanguinei coloris pennis punctulatas (& hæc fœmina quidem, mas enim hæc tota habet sanguinea.) *Collum* superius, & totum dorsum cinereas, umbra aliquatenus mixtas. *Alæ* fuscas oris albescentibus præditas, ut & cauda; sed alæ teguntur cinereis, dorsum maximam partem exceptis extremitatibus. Latera colli, pectus & totus venter, & crura superius albis tegūtur pen-

pennis. *Crura* inferiora & pedes fusci sunt coloris; quatuor digiti more vulgari positi. *Ocellos habet nigros.*

TANGARA Brasiliensibus. (Reperiuntur ejus aliquot species colore variantes.) *Prima* elegans, magnitudine Fringillæ. *Rostrum* habet rectum, crassiusculum, nigrum. *Oculos* nigros. *Crura* & pedes ex cinereo fuscos. Supra rostri exortum superne maculam è pennis nigris. Totum *Caput* & collum splendentibus viridibus seu thalassinis pennis vestiuntur. Initium dorsi instar collaris ambiunt nigerrimæ pennæ. *Dorsum* autem sub alis usque ad exortum caudæ vestitur plumis luteis. Totus infimus venter egregiè cœrulescit. Alæ nigræ sunt, & earum extremitates laterales cœruleæ, ita ut totaliter cœruleæ appareat complicatæ, & sola extremitas nigra videatur. Initium alarum exterius etiam thalassinis pennis nitet, & cuique alæ superius in dorso, seu in extremitate superiori laterali flavę pennę sunt mixtæ. *Caudam* habet latam, sesquidigitum circiter longam, nigram pennis, sed quarum extremitates laterales cœruleæ sunt. Extremitas caudæ est nigra. Includitur caveæ, & clamat *zip, zip*, seu ut Rubrica Germanis Gympel. *Vescitur* farina & pane.

Secunda species: figura & magnitudine passeris nostratis. *Rostellum* habet ex flavo fuscum, latiusculum, in extremitate acutum, cujus inferior pars multò brevior superiore. *Ocellos* nigros. Totum *caput*, egregiè miniatis tegitur pennis, totum reliquum corpus cum alis & cauda splendidè nigris. *Crura* superiora albis pennis, & in latere exteriori maculam oblongam miniatam habent, quasi sanguine maculata. *Crura* inferiora & pedes cinerei sunt. In pedibus digiti quatuor more vulgari. *Cauda* brevis digitum longa, & alæ prope illius exortum desinunt.

CAP. XIV.

Anhima. Pitangva gvacu. Attingvacu camacu. Gvira acangatara.

ANHIMA Brasiliensibus: Avis aquatica ex rapacium genere, major cygno. *Caput* habet haud magnum, Gallinaceo simile & rostro nigro: cujus superior pars paulò longior inferiori, & in extremitate deorsum incurvatum. *Oculos* pulchros aureos, pupilla nigra, & exterius nigro circulo. In capite prope exortum rostri cornu gerit erectum, extremitate sua antrorsum versus incurvatum, paulò plus quam duos digitos longum, crassitiei chordæ majoris in Viola majore, rotundum quasi tornatum esset, coloris albicantis, seu ossei. Circùm cornu plumellæ subtiles breves eriguntur albæ & nigræ. *Collum* habet plus septem digitis longum, reliquum corpus ad caudę exortum ferè sesquipedem. Alas amplissimas, utpote quarum plumarum longitudo sesqui edem superet. In cujusque alæ antica parte duo cornua recta triangulata ex ipso osse alæ enata obtinet, crassa minimi digiti apicem, & conicę triangulatæ figuræ. Est autem quodq; anteriorum digitum longum, posteriora paulò breviora coloris fusci. *Caudam* habet decem digitos longam, instar anserinæ latam. Crura superiora quatuor digitos longa, & quoad medietatem inferiorem pennis nuda: Inferiora quinq; digitos longa, ferè duos crassa. In quolibet pede quatuor digitos obtinet more Gallinarum dispositos, quorum medius trium anteriorum quatuor & semis digitos longus, reliqui duo tres & semis: posterior autem ferè duos. Quilibet unguem habet corniculatum nigrum, digitum longum, & in posterioribus digitis paulò longiorem. *Cute* fusca & squamosa teguntur & digiti, & crura nuda. *Capitis* vertex plumulis variegatus est albis & nigris: ad latera, in gutture & colli medietate superiori nigricat, inferior medietas colli & pectus

ctus variegantur albis, cinereis & nigris pennis. *Venter* interior albas in totum habet pennas, ad latera sub alis, & in dorso sunt nigræ, sed quibus albæ hincinde permiscentur. *Cauda* est nigra; *Alæ* etiam nigræ exceptis oris extremis (prope ossa) ubi ex albo flavescentibus pennis variegatæ sunt. Terribilem clamorem edit *vyhu*, *vyhu* vociferando. Nunquam sola invenitur, semper par, mas & fœmina junctim incedunt, & una mortua, altera à sepultura nunquam discedit. *Cornu* quod in capite gerit, remedium est contra venenum, si in vino per noctem infundatur. Idem remedium est contra suffocationem uteri, & in difficili partu. Hæc quam descripsi, fœmina est; mas duplæ magnitudinis. *Nidum* suum facit è luto ad caudices arborum super terram, figura furni.

PITANGVA GVACV Brasiliensibus, *Bemtere* Lusitanis, magnitudine æquat Sturnum. Rostrum habet crassum, latum, pyramidale, paulò plus digito longum, exerius acuminatum. *Collum* breve, quod sedens contrahit. *Corpus* ferè duos & semis digitos longum. *Caudam* latiusculam, tres digitos lōgam, crura & pedes fuscos, quatuor digitos more vulgari. *Caput*, collum superius, totum dorsum, alæ & cauda coloris sunt è fusco nigricantis, pauxillo viridi admixto. *Collum* inferius, pectus, & infimus venter habent flavas pennas, superius autem juxta caput corollam (quasi monachicam) albi coloris. Sub gutture ad exortum rostri albicat. *Clamat* alta voce.

Quædam harum avium in summitate capitis maculam habent flavam, quædam ex parte luteam. Vocatur à Brasiliensibus Cuiriri, alias per omnia Pitanguaguacu similis.

ATINGVACV CAMACV Brasiliensibus: Avis Turdelæ ferè magnitudine. *Caput* habet satis grossum, collum mediocriter longum; Corpus tres digitos longum: *Rostrum* paululum aduncum, coloris ex viridi & flavo mixti. *Oculos* sanguineos, pupilla nigra. *Crura* cinerea mediocris longitudinis, superius pennis vestita. In pedibus digitos quatuor, vulgari modo. *Caudam* longissimam nimirum novem digitos longam, decem circiter pennis constantem, quarum quædam inferiores sunt breviores superioribus. Totum caput, collum, dorsum, alæ, & cauda pennas habent brunnas seu fuligineas, quæ in cauda paulò saturatiores sunt reliquis. Extremitas cujuslibet pennæ caudæ semidigitum longa, alba est, & inter album & ruffum nigro umbrata. Guttur, pectus, & infimus venter ac superiora crura cinereis pennis vestiuntur. In capite longiusculas habet pennas, quas instar duorum cornuum potest surrigere. Elegans avis ob longitudinem caudæ.

GVIRA ACANGATARA Brasiliensibus. Avis picæ variæ magnitudine. *Rostrum* habet digitum longum, cujus superior pars paulùm adunca, totum autem obscurè flavescit. *Oculos* crystallinos, circulo fusco. *Collum* duos digitos longum, *Corpus* tres. *Cauda* longissima, nimirum octo digitos, constans octo pennis rectis. *Crura* superiora pennis vestita, & sesquidigitum longa, ut & inferiora. In pedibus digiti quatuor, more psittacorum, & quidem versùs interiora sunt duo breviores, versùs exteriora duo longiores in quolibet pede. Totum *caput* pennis vestitur, quæ in medio secundum longitudinem (proximè scapum) fuscæ, in lateribus flavescentes, ut crista. Collum & alæ è contrario pennas habent in medio flavescentes, & ad latera fuscas. Extremitas alarum ferè planè fuscescit. Totus *venter*, dorsum, (exceptis alis) crura superiora, & exortus alarum, ad trium & semis digitorum longitudinem pēnis constant ex albo pallidè flavescētibus, reliquum caudæ fuscescit, extremitas autem albas oras habet. *Crura* inferiora, & pedes thalassini sunt coloris. In capite longiores pennæ in cristam eriguntur. Ingentem in silvis excitat clamorem.

CAP.

CAPUT XV.

Matuitui. Aracari. Anhinha. Ipecati apoa. Pullus gallinaceus. Innominatæ tres.

MATVITVI Brasiliensibus, Avis sturni magnitudine. Brevi collo, pectore forti, cruribus brevibus, cauda duos & semis digitos longa. *Rostrum* habet rectum, forte, cujus superior pars paulùm prominet acumine inclinato, cinnabrij coloris. Totum *caput*, collum superius, dorsum, alę, & cauda constat pennis fuscis pallidè flavo maculatis; apparentib. partim punctulatis, ut in Niso. Sub gutture flavas habet pennas. Pectus & venter albis vestiuntur, quę fusco sunt pūctulatæ. Crura obscurè cinerescūt.

ARACARI Brasiliensibus: Avis magnitudine picæ Martiæ. *Rostrum* habet quatuor digitos longum, sesqui latum, seu altum, tres & semis crassum, ubi crassissimum, paulùm deorsum incurvatum, instar gladij Turcici, & in extremitate acutum, instar psittacini; estque superior pars paulò longior inferiori. *Rostrum* superius & inferius plus mediam partem ab extremitate numerando serratum dentibus: superior pars rostri major inferiore; est autem rostrum canum, levissimum, levius spongia, superius album, linea in summitate crassa nigra secundùm longitudinem distinctum: Inferior tota est nigra; totum inseritur in caput triangulatum, & ubi insertio est linea triangulatim alba circumscriptum. *Linguam* habet quatuor digitos lōgam levissimam, aspectu planè pennam referentem, aut etiam plumata est & nigra, (si pennam habere lingua dici possit.) *Caput* non ita magnum habet, latum, compressum. *Oculos* magnos, pupilla nigra, circulo flavo, reliquas extremitates nigras. *Collum* haud longius Psittacino. *Corpus* à colli exortu ad caudam usque quinque circiter digitos longum. *Cauda* instar picę latiuscula, & sex digitos, vel paulò plus longa. *Crura* & pedes nigricantes ex viridi, Psittacorum similes, duos digitos habent anterius, quorum unus lōgior altero, duos retrò, itidē inęqualis longitudinis; ungues incurvati, fusci, seu nigri. Crurū superiorum longitudo duorum digitorū, inferiorum sesqui. Totum caput & collum usque ad initium pectoris nigras habet plumas, & ubi desinunt, circulariter finiuntur. *Pectus* verò & infimus venter totus eleganter flavis vestiuntur pēnis, cum pavonino mixtis: Per Pectus autem transversim linea digitum lata sanguinei coloris ducta est ab uno latere usque ad alterum. Totum dorsum, alę, cauda, & crura super ora vestiuntur pennis ex nigro viridicantibus, uti in nostratibus picis color esse solet. Extremitas dorsi ante initium caudæ etiam sanguinei coloris, plus uno imperiali in circumferentia. *Alæ* desinunt ad exortum caudæ, & interius è cinereo sunt subfusci coloris. *Rostrum* interius est nigrū. Avis hæc quasi suum nomen profert, clamando acuto sono, sed non admodum clangoso *Aracari*.

ANHINGA Brasiliensibus Tupinamb. Mergi aquatici species elegās, *corpus*, excepto collo, anatis domesticæ Europeæ habet magnitudine. *Rostrum* rectum, haud crassum, acutissimum, tres digitos longum, & per rostri medietatem anteriorem tam superius, quàm inferius duplicem ordinem acutissimorum hamulorum retrò versorum. *Caput* parvum, longiusculum, serpentini æmulum, paulò plus sesquidigito longum. *Ocellos* nigros, circulo aureo. *Collum* tenue, teres, pedem longum, corpus autem tātùm septem digitos, crura brevia, superiora duos digitos longa, pennata, inferiora vix sesquidigitum; quatuor digitos, tres anterius versus, membranis junctos more anatum, aut corvi aquatici, quartus digitus brevior ad latus inferius extenditur, itidem membrana reliquis connexus; unguibus lunatis omnes acutissimis. *Caudam* latam, decem digitos longam, duodecim pennis constantem, alæ circa medietatem caudæ desinunt.

Rostrum gryseum est, & post exortum paulùm flavescit. Caput totum & collum plumis subtilissimis tegitur ad tactum holosericum referentibus; Coloris in capite & collo superius ex gryseo subflavescentis: sub gutture, & in collo inferius gryscei coloris, ut pelles illæ (Verchfelle vocant) ex quibus mitræ fiunt muliebres, & ad tactum, & adspectum illius pellis pilos refert. Totum pectus, & infimus venter, & crura superiora plumis mollibus vestiuntur coloris argētei. Initium dorsi pennis fuscis, sed quarum quælibet in sui medio maculam habet oblongam ex albo pallidè flavam, ita ut punctulatim appareat: reliquum dorsi nigras habet pennas. *Alas* obtinet longas, quarum initium totum ejusmodi brevibus pennis tegitur, uti initium dorsi, sequitur ordo mediam partem, id est, uno latere canarum, altero nigrarum: Remiges autem nigræ sunt. *Cauda* nigris splendentibus pennis constat, quarum extremitas gryscea. *Crura* & pedes ex obscurè flavescente gryscei sunt coloris. Solertissima in capiendis piscibus: nam, more serpentum, contracto prius collo, ejaculatur rostrum in pisces, ac unguibus eos præhendit. *Carnem* illius comedi, sed haud melior est, quàm caro Lari.

IPECATI APOA Brasiliensibus: *Pata* Lusitanis, id est, Anser, nobis Anas silvestris magnitudine anseris, octo vel novem mensium, figura plane ut nostrates anates. *Venter* & interior pars caudæ, collum totum cum capite pennas habet albas, dorsum usque ad collum, alæ, & summitas capitis nigras, cui viriditas mixta, ut in nostrarum anatum collis. In collo & ventre albis pennis nigræ passim sunt insparsæ. In his differt à nostratibus, quod sit *primò* major: *secundò* rostrum anatum quidem, sed nigrum, & in extremitate aduncum. Tertiò super rostrum cristam gerit carneam, crassam, latam & rotundam ferè, nigram, albis maculis insignitam. *Crista* altitudo eadem; inter cristam & rostrum (in summitate nimirum rostri) foramen transversum magnitudine pisiest, ab utroque latere conspicuum, quod narium vice fungitur. Quartò pedum & crurum color non ruber, sed è cinereo fuscus. *Carnem* multam & bonam habet, nam sæpissimè comedi. *Reperitur* passim ad fluvios.

Alium habui per omnia similem priori, excepto, quod longiores illæ pennæ in alis, insigni brunno splendebant colore, puto marem hunc esse, alteram fœminam.

ANNOTATIO. Gesnerus pene similem dedit iconem sub nomine Anatis Indicæ, cujus picturam se à Cardano accepisse memorat. Sed color pennarum nonnihil differt ab Auctoris nostri descriptione.

PULLUS gallinaceus monstrosus, magnitudine pulli recens exclusi. *Caput* habebat anaticum, superius tamen magis in acumen desinens, *rostrum* anaticum, latum, cujus superior extremitas deorsum inflexa. *Ocellos* parvos, collum breve; *alas* parvulas juxta priora crura positas: quatuor crura gallinacea, carebat pectore, quippe eo loco, quo pectus esse debebat duo crura habens, quodlibet superius tres quadrantes digiti lōgum, inferius quadrantem; & in singulis quatuor digitos gallinaceos. Posteriora duo crura ejusdem figurę & longitudinis cum anterioribus mirè posita erant, sinistrum quidem more naturali, dextrum verò in exortu suo sinistro erat adnatum, & quasi sursum vergebat, eo modo quasi duo sinistra crura fuissent, & unum dextrum loco sinistri in exortui fuisset adglutinatum: atque ideo urypigio carebat, quia nullum intervallum inter crura hæc posteriora, & caudæ loco ipsi sinistro cruri exterius longiusculi pili canescentes erant adnati. *Pedes* habebat gallinaceos, & digitos eodem modo dispositos: sed quilibet pes totus inverso ordine positus erat, ita, ut inferior pars esset superior, & superior inferior, unguiculique etiam sursum non deorsum vergebant. Totum *caput*, collum, venter, alæ, dorsum, & superiora crura non vestiebantur pēnis, sed pilis nigris semidigitum longis, qui sub ventre & gutture paululum canescebant. In summa, plane monstrosus pul-

pullus. *Crura* inferiora & pedes fusci coloris, uti & rostrum, vitalia viscera habebat gallinacea, sed inordinatè disposita. *Cor magnum.* Vivebat cum excluderetur.

Avis (*cui Auctor nomen non adscripsit*) magnitudine Alaudæ, figura Matuituy. *Rostellum* habet rectum, nirum: *Oculos* nigros, *crura* communia fusca: *Caudam* latiusculam, & alis lõgiorem. Totum *Caput* superius, collum superius, dorsum, alæ, & cauda, rufescentis sunt coloris, ex rubro, umbra & albo mixti. Guttur, collum inferius, & infimus venter albi sunt coloris. Per oculum utrumque à rostro transversim maculam habet oblongam fuscã. Clamat *Gip, Gip*, ut junior gallo-pavus ferè.

Avis (*cujus nomen Auctor non prodit*) magnitudine Pataæ, & ejusdem figuræ. *Rostro* nigro, crassiusculo; *capite* nigro, *pectore* & ventre cano; dorso, alis & cauda fuscescentibus, *cruribus* fuscis. Clamat *Zip, Zip*, ut Passer.

Avis (*quam Auctor non nominat, sed tantum admonet esse speciem Curucui, de qua cap.* 12.) magnitudine Picę ferè. *Rostrum* habet breve, crassiusculum, paulùm deorsum incurvatum, gryseum seu cinereum: *Oculos* nigros, circulo croceo; *Caput*, collum, dorsum superius, & cauda superius coloris nigri cũ viridi cœruleo persplendente, ut in chalybe polito: *Alæ* fuscæ; Totum pectus & infimus venter egregij coloris miniati: *Cauda* inferius albas habet pennas, transversim nigro ordine undatas. *Crura* brevia, fusca sunt; digitis quatuor, more Psittacorũ dispositis. *Reperitur* hic & alia ARDEÆ species: tota alba, rostro croceo, recto, acuto: Oculis nigris, circulo aureo, cruribus & pedibus nigris. *Rostrum* habet quinq; digitos longum, *collum* longissimum, nimirum quinq; digitos supra pedem. *Corpus* septem digitos longum, *caudam* quinq;, cum qua alæ desinunt. *Crura* superiora octo digitos longa, & ex parte pennis vestita, inferiora sex digitos. *Digiti* pedum cõmuni modo se habent, quorum medius anteriorum quatuor digitos longus, reliqui breviores, omnes unguibus lunatis præditi nigris.

DE AVIBVS AQVATICIS Brasilianis.

INter Aves marinas quæ in Brasilia reperiunt, septem sunt notatu digniores.

Prima est QUIRATINGA grui magnitudine par, plumis candidis, rostro prolixo atque acuto, crocei coloris; cruribus oblongis è rubro subflavis. Collum ipsius vestitur plumulis tam subtilibus & elegantibus, ut cum struthionum plumis certent.

Altera est CARIPIRA, quæ quod in binas partes bifurcatam caudam distinguat, interdum explicans interdum contrahens, sartoriæ forcipis instar, Raboforcado ab Hispanis dicitur. Reperitur passim in utraq; India. Plumas ejus quod longo tempore durent, sagittis suis adhibent Barbari. Ximenes *adipem* ad cicatrices faciei delendas, & arthritidis dolores sopiẽdos, singulare esse remedium narrat. Et sibi donati alarum remigium ita ut volant distentum, amplius quam mortalis ullus distento utroque brachii possit complecti, occupasse spacium, addit. Non facilè capitur, nisi fortè in deserta aliqua insula, in qua pullos excludit.

Nieremb. H. Exot. l. 10. c. 38. De Laet. Ind. Occid. l. 15 c. 13.

Tertia CALCAMAR columbę est magnitudine sed volandi nescia. In fluctibus ova ponit & excludit; quos etiam alarum atque pedum remigio secati perveloci ter. Malacia & pluviis imminentibus tanto numero naves circumfluitant, ut à nautis fastidiantur.

Quartam AYAYAM nominant, picæ magnitudine, longo rostro cochlearis instar, plumis candidis rubris maculis eleganter suffusis, singulari in piscibus capiendis industria.

CARACURA est quinta, exili corpore, subcinerei coloris, pulchris oculis, iride elegãter ubẽte, ita vocalis, ut majoris longè molis quis opinaretur. Ante solis fortè ortum & sub occasum auditur, certo, ut volunt, serenitatis futuræ indicio.

Sexta est GUARA, picæ magnitudine, oblongo rostro, & anteriore parte recurvo, longis pedibus. Primum exclusa nigricat, deinde evadit cinerea; ubi autem volare incipit egregiè candicat, sensim autem rubescit, donec ætate plumæ illius colorem induunt purpuræ æmulum, quem ad senectam usq; retinent. Victitant piscibus, carnibus, & aliis eduliis semper aquâ temperatis. Pariunt quoque sub tectis. Gregatim volant, & soli expositæ pulcherrimum præbent spectaculum. Ex plumis diademata & alia ornamenta à barbaris conficiuntur.

Vltima est GUIRATEONTEON quasi dicas avem sæpiùs morientem & rursus resurgentem. Epilepsiæ enim obnoxia est admodum; alioquin candidis & pulcherrimis plumis vestita.

APPENDIX.

De Avibus Fabulosis.

CAPUT I.

De Gryphibus & Harpijs.

PLacet & de Fabulosis aliquid adnectere, ne & in hisce quicquam nobis desideretur. Præcedat Gryps seu GRYPHUS, cujus nomine major fortè Aquila, ut sanè in Oriente & Septentrione majora nostris animalia gigni experientia compertum est; venere potest. Ejus *formam* si spectes, fingitur esse quadrupes, antica parte, seu capite; alis, rostro, & pedibus aquilam referens; posticâ leonem. *Magnitudinem* a alij Leonis, alij lupi tribuunt. Mandevillius octies Leone majorem reliquit. Dorsum *b* pēnis integitur nigris, anterior pars rubris, alę candidis. Montes *Riphæos* seu Hyperboreos, *c* haud procul ab ipso Aquilonis exortu incolunt; sed & apud *d* Indos & Bactrianos inveniuntur.

Nidos ex auro quod effodere construunt, & ova duo Aquilinis majora *e* duriora, calidiora & sicciora, ponunt. *Volatum* avium par viarum ipsis *f* Philostratus tribuit. Non enim pennatæ, inquit, sunt, sed rubrâ pellicula alarum costæ tanquam digiti cōnectuntur. Dicuntur aurum in Scythia *g* Asiatica custodire, ideo inter ipsos & Arimaspos internecinum vigere odium. Tractat de eo *h* Ælianus, & quomodo aurum illud auferant incolæ describit, sed & equis peculiariter infestos esse rumor est. Videtur huc M. Pauli *i* Veneti avis RUC dicta pertinere, aquilæ effigie, sed magnitudine immensa. Visitur certis anni temporibus in insulis ultra Madagascar sitis, tanti roboris ut sola, sine aliquo adminiculo elephātem capiat, & in sublime raptum rursum ad terram labi sinat, quo carnibus ejus vescatur. Plæræque alarum pennæ passus XII. sunt longæ, ea crassitie, quæ longitudinis mensuræ cōveniat. Fides sit penes Authorem. Navigationes & præteriti & hujus seculi, omninò de tali ave tacent.

HARPYIS nomen à rapacitate inditum. Ex Electoo Oceani filia genitas *k* Hesiodus prodit. Ponti & Terræ filiæ aliis dicuntur. Tres fuisse Virgilius dicit, Ocypeten, Aëllo, & Celæno. Hyginus Alopen Acheloën & Ocypeten appellavit; Homerus quartam nomine, Thyellam addidisse creditur. De forma sic *l* Virgilius

Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris
Proluvies, uncæq; manus, & pallida semper
Ora fame &c.

Collocantur in Strophalidibus *m* insulis. Apollonius fugatas conjecisse in specie, qui in Creta sub Arginunte visebantur, tradit. De ipsarum rapacitate, ingluvie, & fœditate vide *n* Valerium Flaccum, *o* Virgilium, & alios.

* * *

a Philostr. l. 3. de vita Apollonii.
b Aelian. l. 4. c. 27.
c Apulei. l. 11. Milesiac.
d Aelian. l. 4. c. 27.
e Barthol. Anglic. l. 19. c. 94.
f l. 3. de vita Apollonii.
g Solin. c. 25. Polyhisto.
h l. 4. c. 27
i l. 3. c. 40.
k In Theogonid.
l 3. Aeneid.
m Ovid. l. l. 13. Metamorph.
n l. 4. Argonaut.
o l. 3. Aeneid.

CAP.

CAP. II.

De Stymphalidibus, Sirenibus & Seleucidibus avibus.

Stymphalidibus, à Stymphala palude nomen datum est. *Magnitudine* grues æquant. *a* Ibibus cætera sunt simillimæ, rostra tamen, ejusdē nempe duritiei, ut hominum scuta perforare, firmiora habent, & non ut Ibes obliqua. Plinius eas cirrhatas facere *b* videtur. Marinas eas *c* Isidorus facit. Apollonius circa Aretiadem insulam collocat. Timagenes & Pisander in Scythiam avolasse tradit. Pausanias Arabiæ quoque deserta incoluisse ait. *Vescebantur* humana carne. Hercules eas ex Stymphalide palude abegit, seu crepitaculi ærei sonitu, sed quod multas sagittis confecisset.

a *Pausan. in Arcad.*
b *l.11.c.37*
c *l.12.Origin.*

SIRENES qua forma fuerint, non convenit inter Authores. Alij eas superiori parte virginis formam intulisse, inferiore in piscis caudam desiisse: alij *d* infera aviciam speciem habuisse fabulantur. Nonnulli in superioribus speciem passerum, in inferioribus mulierum eis tribuunt. Boccatius pedes gallinaceos assignat. Eustathius verò à Venere, quod virgineam sibi delegissent vitam, in aves transformatas tradit. Bina sunt quibusdam, *Aglaopheme* nempe & *Thelxiepeja*: tres alias *Parthenope*, *Leucosia*, & *Ligia*. Sunt qui quatuor & quinque fuisse fingunt. Sed nec de eorum ortu eadem traduntur. Quidam è sanguine è cornu Acheloi destillante natas volant. Nonnulli ex congressu ejus cum Musarum aliqua, de Venere superius diximus. *Habitavere* primum juxta Pelorum Siciliæ promontorium, postea in Capreis. Plinius Surrentum Campaniæ oppidum, una cum promontorio Minervæ, earundem sedem fuisse scribit. Finguntur tam suavem harmoniam voce, tibijs, & lyra edidisse, ut & mare & ventos mulcerent. Cantu verò suo navigantes occidisse passim apud diversos Poetas legere est.

d *Aelian. l.17.de Anim.c.23.*

De eorum cum Ulysse colloquio vide apud Ciceronem *e* carmen.

e *l.5.de finib.*

SELEUCIDES aves vocantur, quarum adventum Casij montis incolæ, locustis fruges eorum vastantibus, à Jove precibus impetrant nec unde veniant, quove abeant, compertum, nunquam conspectæ, nisi cum præsidio earum indigetur. Voracitatem eis antiquitas tribuit. Ingestas locustas nullo negocio per alvum excernebant.

Plin.l.10. c.27.

CAPUT III.

De Phœnice, Cinnamomo & Semenda.

PHOENIX fabulosa est avis. Herodotus *a* nonnisi pictum se vidisse testatur. Plinius *b* unum in toto orbe, nec visum magnopere scribit. In eius descriptione variant Authores. Herodotus non tantum ei Aquilæ magnitudinem tribuit, sed & toto etiam habitu eidem similem facit. Alij Pavone *c* majorem scribunt. Herodoto pennæ rubore perfunduntur. Plinio verò & Solino circa collum auri fulgore micant. Cætera purpureus dicitur, cœruleam roseis maculam pennis distinguentib. cristis, faciem, fauces caputque plumeo apice cohonestante. Idem Claudianus, Baptista Mantuanus & Lactantius produnt.

a *Hist.l.2.*
b *H.N.l.*
c *Ttetz.l.5.Histor. Chil.6.*

Locum ipsi quidam *d* Arabiam assignant: alij *e* Heliopoli civitate Ægypti primò visum reliquere. Quidam sub æquinoctiali ad Orientem & Meridiem reperiri scribunt. Claudianus, & Lactantius inaccessa loca habitare cecinerunt.

Locus.
d *Amb l.5. Hexā c.23. Plin. H.N. l.10.c.2. Solin. Polyh.*
e *Tacit.l.14.Anim.*

Nec de *victu* convenit. Plinius primum atque diligentissimum togatorum. Manilium de eo prodidisse author est, neminem extitisse, qui viderit vescentem, quidam rore victitare dixerant. Ovidius thuris lacrymis & succo amomi vivere scribit. *De Nidificatione* ejus & in parentem amore ita *f* Tacitus. *Confecto annorum numero ubi mors propinquat, suis in terris strucre nidum, cique vim genitalem adfundere, ex qua*

Victus.
Athenæ.l.14.Dipnos.
Partus.
f *l.14.Animal.*

quafœtum oriri, & primam adulto curam sepeliendi patris, neque id temerè, sed sublato myrrhæ pondere, tentatoque perlongum iter ubi par oneri, par meatui sit, subire patrium corpus, inque solis aram perferre atque adolere. Idem Herodotus, ex quo ille desumsisse videtur.

Aetas. *Annorum* illorum numerus variè definitur. Maximè vulgatum quingentorum spacium, sunt qui asseverẽt mille quadringentos sexaginta unum interiici. Plinio sexcenti sexaginta placent; Philostrato sexcenti, Herodoto, Solino, Melę quingenti quadraginta. Alberto trecenti quinquaginta; Chæremoni Ægyptio, sex supra septem mille. *De terris* quoque variatur. Jarchas Indus apud Philostratum prope Nilum assignat. Alij in Æthiopia, ut Chæremon Ægyptius, & Orus Apollo. Alij in Phœnicia, ut Lactantius.

Partus. *Nido* materia aromata, Cinnamonum, Cassia, thurisq; surculi. Ubi illum conscendit, solaribus sese exponit radijs, alarumque continua ventilatione ignem excitare fingitur: sic se cremat. Ex cremato novum oriri pullum convenit inter omnes; quomodo verò id fiat, ambigitur. Plinius ceu vermiculum ex ossibus & medullis veteris Phœnicis primò procreari, ex eo pullum nasci scribit. Philostratus nullâ vel ossium vel medullarum mentione facta, ex cinere vermem ex verme novam alitem generari nugatur. Oppianus ex cinere pullum exoriri refert. Orus ex effuso è patris vulnere, quod sponte sibi nimia ad terram allisione infligit, sanguine procreari affirmat. *Sexum* illi nullum attribuit antiquitas, sed inter vitæ remedia reposuit. Nam Plutarchus cerebrum ejus dulce esse tradit, nescio à quo gustatum; & Plinius inter prima à Magis excinere ejus nidoque medicinas proditas esse scribit. Heliogabalus in cõviviis Phœnicem promittebat, aut M. auri libras pro eo.

Plut. l. de sanit. tuenda.

CINNAMOMUS seu Cinnamologus, avis hactenus nobis incognita est. Herodotus grandem esse dixit. Vincentius Bellunensis passere aliquanto majorem, coloris partim flavi, partim cœrulei, rostri longi ad flavum vergentis scripsit.

Herodot. in Euterpe.

Locus ipsi ab Antiquis in Arabia assignatur. Dyonisius Periegetes terram ignorari una cum Herodoto memorat. Albertus in Æthiopia eum locat.

Albert. l. 23. de Animal.

Nidum ponit seu in excelsissimis arboribus, earumque ramis, seu in montium prẹruptis, illumq; ex cinnamomi surculis exstructum. Aromate hoc cum potiri Arabes volunt, boum, asinorumq; defunctorum membra minutatim concisa, juxta nidos ponunt, & abscedunt. Frustra aves in nidos comportant, quib. sustinendis illi impares decidunt, & ab incolis colliguntur.

De SEMENDA non est quod dicam. Multa quidem sed parum verisimilia de illa, Indica commẽtaria produnt. *Caput* ipsius, quod esse putabat, quod Aldrovandus in Musæo Ducis Florentini vidit, erat curvum, & valde crassum, colore in anteriore parte albicante, in posteriore purpureo obscuro, figura ovali. *Rostrum* habebat palmum longum, admodum acutum, intus quidem cavum, sed sine tribus illis fistulis, quibus musicam harmoniam à Semenda edi, quidam tabulati sunt.

Aldro. Ornithol. l. 12. c. 28.

* * *

MAN-



MANTISSA

De Avibus Exoticis ad nostrates accedentibus.

I. De Aquilis.

Nieremb. Hist. Exot. l.10.cap. 30.31.

AD Aquilas pertinent *Itzquauhtli & Tlacoquauhtli* Indorũ, nec non Leonis Africani *Ners.* Venustum illud aquilæ genus, & insignito capite regium. Rostro est ad radicem luteo, deinde verò nigro, nigris unguibus, pedibus pallidis, cruribus ventreque è nigro & candido permixtis; collo fulvo, dorso & caudâ nigris ac fuscis, coronâ cristâve nigra. Magnitudinem circiter æquat vulgaris arietis, & vel ferocium audaciam animalium, adeo ut homines etiam ipsos, postquam cicurata est, levi ex causa aggrediatur & involet: mitescit tamen, & aucupio non minus ac reliqui accipitres, quorum genus videtur, idonea est, atque inservire solet. Avis digna quæ à Regijs aucupibus alatur ac circumferatur. Vilior est tlacoquauhtli, seu aquila virgæ: frigidas amat plagas: asturis magnitudine, fusca & cinerea, rapax avicularum, murium, lacertarum, colotorum, quibus vescitur. De *Nesir* suo ita Leo Africanus. Avis est omniũ earum, quæ in Africâ reperiuntur, maxima, grue procerior, crassiorq;, prædita rostro, collo & cruribus: adeò sublime volat, ut oculorum aciem effugiat, & conspecto alicujus animalis cadavere, supra terram jacente, illico in illud irruat. Rarò sola, sed gregatim volare solet. Longæva est, nam pleræque conspectæ sunt calvo & deplumi capite, tanquam vulsæ fuissent capitis pennæ: inde colligere licet, præ nimio senio pennarum defluvium pati: eâ de causâ suos nidos veluti recenter natæ repetunt, unde à suis pullis educantur. *Coronatæ* in provincia Chiapæ habentur, ut apud de Laet in Novo orbe habemus.

Leo African. Africæ l.ult.

II. De Noctuis.

EXoticum Oti genus *talchicuatli* videtur. Cornuta avis est sive auriculata, parva corpore, resima, rostro brevi, nigra lumine, luteâ erubescens iride, fusca & cinerea plumis usque ad crura, atra & incurva unguibus. Cetera naturâ similis nostrati Oto. Apud eosdem Americanos *Tecoletl* genus est bubonis auriti, spectaculo dignum, nigro & fusco colore variegatur, huic oculi magni & aurei.

Nieremb. Hist Exot. l.10.c. 39. 40.

III. De Struthio Camelo.

SPecies quædam *Struthiocamelorum* in Insula Maragnana invenitur. Proceritate staturam humanam superant, & maximæ sunt velocitatis. Magis supra terram feruntur quam volant. Barbari *yandeu* vocant.

De Laet Orbis Novi l.16. c. 14.

IV. De Psittacis.

PLacet hic quædam de Psittacis ex *Hernando, Ximene, Clusio & Nierembergio* adjicere. Ille primus ita scribit, de *Tozinene*: Psittaci id genus, viridi & luteo colore micat, oculi rubeo, rostrum verò candenti & nigro, fusco pede, sed in candidum inclinante.

Propensius est, aptiusque ad sermones humanos exprimendos cæteris, ac frequentius apud Hispanos. Alterum genus *Cocho* vocant viridi colore, rubro & candenti capite, ac minoris molis; quod loquax est, nec ad modũ dissimile præcedenti, etsi sono distet. Hos Psittacos vocant Hispani catherinas. Tertium *Quilitoton*, tinctum virore, talandriæ vocatæ, aut galeritæ non cristatæ magnitudine Frontem candidâ maculâ insignitũ, rostro candido & nigris pedibus. Humanas voces imitatur, & gregatim cum congeneribus volat, cum reliqui compares tantum reperiantur. Omnes verò in excelsis arboribus nidificant. Primum de quo diximus genus, certas statasq; arbores, quas nunquam deserat, eligit: quę cum in heredes transeant, dominis illarum haud sunt parum utiles. Sunt & quas Haitini *Quacamayas* vocant, Mexicenses verò *Alo*. Totæ rubeæ, præter humeros & caudam, quæ cyanea sunt, & gallinæ cortalis nostrę circiter magnitudine, rostro magno candenti & resimo, pedibus nigris, ac carne similiter nigrâ, ex quibus nonnullæ offenduntur, quæ sermonem humanum doctæ æmulentur, rusticè tamen & inconditè: filiosq; suos more aliarum avium domesticarum educẽt in domibus ubi aluntur. Offendas & *alios* virore diluto tinctos, nigrante rostro pedibusque, humeris & cauda virore tinctis exaturato, nec præfatis minores. Vivunt hi juxta montium cacumina, excelsasque pinus. Acclamant vehementer, volantq; bini. Sunt & montani inconditâ formâ, qui non cicurantur aut aluntur domi. Nullius eorum caro est edulis, nam & atra est, & gustus injucundi. Omnib. est commune, utramque maxillam movere, quod nulli aliorum contingit animalium. Sunt & alia genera, de quibus alij Auctores latius.

Ximenes sic habet de Hispaniola loquens. Innumeri sunt Psittaci virides cum purpureis maculis, quorum *tria* in hac insula *genera, majores, mediocres, minimi. Majores* ab Indis vocantur Higuaræ. Hi in eo distant ab alijs reliquarum insularum, quod maculam albam supra rostrum gestent, non viridem aut miniatam. Valde locutuleiæ sunt hæ higuaræ, si humanos doceantur sermones. *Minores* vocantur *xaxavis*, & viridiores sunt, à paucisque interstinguuntur miniatis plumis. Hi inquieti & turbulenti, mordaciores, iracundiores, & garruli, licet rudes humanis loqui vocibus, quas nũquam discunt. Decem ex his invadunt & fugant centum higuararum. Nulla inter hos pax. Diversis gregibus pervolant quacunque pervadant, garriunt. Higuarę integriorem & corpulentiorem edunt sonum, xaxavis acutiorem & tenuiorem: & licet ignari humanis vocibus loqui, placent tamen in caulis assiduo garritu & inquietudine. *Tertia species minimorum* est, nec excedunt passeres mole, viridesque sunt. Hi silent, & pacatiores sunt: viror dumtaxat in illis placet.

Clusij Historia hæc est. Inter Neotericos autem, nemo mea opinione exactius & diligentius de hoc avium genere commentatus est quam Vlysses Aldrovandus Bononiensis, qui totum librum 40. Tomi primi Ornithologiæ suæ ei dicavit: Ille enim Philosophica methodo tradidit quicquid ad Psittacorum historiam pertinere potest, & quatuordecim diversas eorum species describit, tredecim vero icones exhibet, quarum duo priores maximæ sunt, & corvum magnitudine superant; tertia & quarta columbæ sunt magnitudine; quinta, sexta, septima, octava, nona, & decima mediocris sunt magnitudinis, caudamq; brevem habent, saltem non adeo longam, ut tres subsequentes, quæ longiore cauda sunt præditæ: decima quarta brevem etiam habet caudam. Priorem illam elegantem, quæ Pectoris & ventris pẽnas flavas habet, tum & eas quæ alas dorsumq; tegunt, tum etiam eas quæ in cauda cœruleas, non semel videre memini, & iconem habeo vivis coloribus expressam, atq; illam ipsam esse arbitror, quam Joannes Lerius cap. XI. Historiæ suæ Americanæ, Canide à Brasilianis appellari scribit. Alteram speciem etiam videre memini in arce Cæsaris Ebersdorfiana ad Danubium

nubium sitâ infra Viennam, tum etiam Lugduni Batavorum apud Sionem Lucium Danistam binas aves ejus generis, quas postea Magno Duci Moscovitarum dono mittebat. Reliquæ vero species, (præter tertiam quæ illi alba cristata est, & decimam quartâ, quæ erythrochloros, etiamque cristata) mihi etiam conspectæ, dum plerumque aliæ ab ipso non descriptæ, tam breviore cauda præditæ, & majuscula corporis mole, quam minoris generis, quæ longiores caudæ pennas habent, & collum velut torque rubro atque atro ornatum. Humana verba exactè exprimere solitæ: quibus similem unam habuit nobilissimus vir Philippus Marnixius Sanct-Aldegõdius, quam sæpe cacchinum humano more extollere audivi, cum ab adstantibus Gallico sermone compellaretur hoc modo. Riez perroquet, riez; id est: Ride psittace, ride. Sed quod magis mirum, Gallico sermone etiam subjiciebat illicò, tanquam ratione prædita, haud dubiè tamen ita edocta. O le grand sot qui me faict rire, hoc est. O magnum fatuum, qui me ad ridẽdum provocat. Illaque verba iterum ac tertio repetere solebat. Sed inter reliquas unam, psittacis primæ speciei magnitudine æqualem, apud Illustrissimam Dominam Mariam de Brimen, Ducem Croyam & Arescholensem felicissimæ memoriæ, priusquam ex Hollandia excederet, cui sane parem in coloris pennarum varietate & elegantia videre non memini. Etenim licet omnes ferè pennę corpus tegentes rubro colore essent infectæ, caudę tamen pennæ, quæ valde prolixæ, partim rubræ erant, partim cœruleæ; at quæ in dorso & alis versicolores ex flavo, rubro & viridi, quibus cœruleus color etiam permixtus. Caput circum oculos albi coloris erat, sinuosisque lineis nigris, quemadmodum caudæ caput, distinctum erat. Psittacum, qui similis esset, apud nullum Auctorem descriptum memini. Eâ porro avis Annam Illustrissimæ Ducis neptem, nunc Comitem Megensem & Dominam de Grosbetee, adeò diligebat, ut quocunque per conclave spatiaretur, illam subsequeretur, nec quemquam vestem ejus attingere conspiceret, quin morsu illum appeteret; ita zelotypia quadam laborare videbatur. Ceterum psittacus ille majoris generis, quem Lerius capite supra memorato à Brasilianis *Arat* vocari scribit, valde elegans etiam esse debet: nam alarum remiges pennas, & caudæ, quæ sesquipedalis longitudinis, media ex parte coccinei coloris esse refert, altera prorsus elegantis cyanei tubo seu nervo, qui medias pennas per longitudinem secat, diversos illos colores distinguente, reliquas vero totius corporis pennas prorsus cœruleo colore tinctas esse. Addit utrumque genus illud majorum psittacorum. Arat videlicet & Canide, magna esse in æstimatione apud Brasilianos, quia illorum pennas ter quaterve in anno vellunt ad vestem, pileos, clypeos & aulæa conficiendum, tametsi domesticum non sit, quia tamen in vastis arboribus medios vicos occupantibus frequentius versari solet quam in silvis. Præter binos illos ingentes, idem Lerius tria aut quatuor Psittacorum genera apud Brasilianos inveniri ait: *Primum* videlicet etiam majusculorum, & crassiore corporis mole præditorum cui *Aicurous* nomen indunt Brasiliani Tououpinamboutij, caput ornatum habens versicoloribus, flavo, rubro, & violaceo extremis alis suaverubentibus, & caudæ pennis oblongis & flavis, reliquo corpore prorsus viridi: hoc genus rarissime ad exteros transferri, nullum tamen facilius & perfectius edoceri ad humana verba pronuntianda, quam istud. Addit etiam, Brasilianam quandam mulierem in pago, binis milliaribus ab Insulâ in qua ipse cum alijs Gallis habitabat, distante, similem psittacum in delicijs habuisse, qui eo intellectu & ratione præditus videbatur, ut comprehendere & discernere posset, quidquid ipsa diceret quę illum educaverat. Nam cum, inquit, animi recreandi gratia, in illum pagum profecti, ante illius mulieris ędes interdum transiremus, cõpellare nos ipsa solebat his verbis: Vultis mihi pectinem

ctinem dare vel speculum, & illico efficiam ut meus psittacus coram vobis cantet & saltet? Si ejus petitioni annuebamus, simul ac quædam verba avi pronunciaverat, psittacus non modo in pertica, cui insidebat, saltare incipiebat, sed etiam garrire, sibilos edere, & Brasiliorum ad pugnam sese parātium vociferationes imitari. Breviter, quando in ejus heræ mentem veniebat ut diceret, Cane, canebat; Salta; saltabat; sin vero ægrè ferens, se quod petierat non impetrasse, paullo acerbius avi diceret, Auge, hoc est. Sile, immobilis silebat, nec ulla ratione eum ad linguam aut pedes movendum excitare poteramus. *Secundum genus Marganas* à Brasilianis appellatur, quale est eorum psittacorum, qui in Europam inferri solent, nec magni apud illos pretij, propter abundātiam: non vero minus istic frequentes sunt, quam apud nos columbæ. *Psittaci tertii generis*, ab ipsis *Touis* appellati, majores non sunt sturno, & universum corpus tectum habent pennis impense virentibus, caudæ verò pennæ, quæ valde longæ, flavum colorem admixtum habent. Illud etiam addebat se observasse, psittacos illius regionis nidos ex arborum ramis propendentes non construere, ut topographicis suis tabellis quidam persuadere conantur: at in arborum cavis, eosque orbiculari forma, satisque duros ac firmos. Ceterum cum sub extremum annum Christi millesimum quingentesimum sexagesimum quartum esse Olyssipone apud Sebaldum Linsium Germanum Ulmensem, memini filium ipsius Rodericum ex Fernambuco Brasilianorum, ubi commorabatur, eò appellere & navem mercibus onustam advehere, in qua etiam aliquod mancipia, & nonnulli psittaci quartæ speciei ab Aldrovando descriptæ, atque alii etiam minores, sturni magnitudinem non excedentes, prorsus viridis coloris pennis tecti, sed omnes brevi cauda præditi, & albo rostro: idque genus valde frugibus noxium referebat. Eos in itinere maizi granis alueret, cujus multas spicas eum adhuc habere observabam. In *secunda navigatione*, quam Batavi in Indiam instituerunt Orientalem, in Javâ vicinisq; quibusdam Insulis psittacos observabant longè illis elegātiores, quos è Brasilia advehere solent, eosq; à Lusitanis, qui in Javâ & Moluccis versabantur, noyras appellari intelligebant: & illos quidem corporis mole non valde magnos, sed adeò elegantis coloris, ut venustiores depingi non posse existimarent. Pectus enim & ventrem pennæ rubri coloris floridi splendentisq; tegebant, dorsum aurei coloris pennæ, alas vero viridis & cœrulei commixtorum colorum pennæ ornabant, sub alis suave rubens color splendebat. Valde autem ingens erat istic illarum aviū pretium, ut non minoris æstimarentur, quam octo aut decem thaleris Germanicis. Linscotius scribit, Lusitanos sæpius periculum fecisse, an Olyssiponem transferre vivum aliquē possent, sed nunquam voti compotes factos fuisse, quod nimis tenelli & delicatuli sint: Batavi tamen eam Industriam adhibuerunt, ut unum vivum Amsteldamum usque retulerint, qui tametsi non esset è selectissimis, centum tamen & septuaginta florenis ejus Provinciæ, hoc est, paulo pluris quam septuaginta thaleris venumdari potuit, quemadmodum in diario illius navigationis adnotatum comperio. Is in itinere pleraq; verba Hollandica, quæ à nautis audiverat, pronunciare didicerat, adeoque cicurem ipsum ejus herus reddiderat, ut rostrū in os & aures ejus insereret sine noxâ, pilosque barbæ ipsius componeret; at si quis alius manum admovere vellet, illico morsu illam appetebat, haud secus quam canis quispiam. Anno porro Christi quinto supra millesimum & sexcentesimum mittebat mihi Jacobus Plateau psittaci cujusdā iconem vivis coloribus expressam, cui cum similem hactenus non viderim, neque apud quempiam adscriptum meminerim, in hoc Auctario ad Exoticorum historiam typis jam expressam adjunctam volui. Eum autem se plus quam biennio aluisse scribebat, columbæque esse magnitudine: caput illud

illud habere pæne instar accipitris, ejuscemodi nempe coloris pennis tectum, ardentes oculos. Collum & pectus versicolores pennæ obsidebant: quas, cum irascebatur, aut molestiam aliquis ipsi crearet, admoto ad caveā, quâ conclusus erat, aliquo animali, surrigebat, ut cristatus quodammodo videretur. Erant autem illę rubescentis coloris, & extima parte cœrulei elegantissimi. Ventris pennæ similis fere erāt coloris, fusco tamen insuper suffusæ colore. Dorsi pennæ virides & alarum remiges pennæ sub cœruleæ: cauda frequentibus pennis viridibus, sed non longis constabat. Prætermittere nequivi, quin psittaci pusillum, genus ex Æthiopia locisque Manicongo vicinis, proximis his annis à Batavis naucleris allatum, simul & maris iconem, (fœmina vero multò est elegantior, utriusq; enim sexus allatus) Lectoris oculis proponerem. Corpusculi moles fringillæ magnitudinem æquabat, hoc est, duarum unciarum cum semisse lōgitudinem habebat ab infimo collo ad uropygium usque. Omnes pennulæ corpusculum tegentes viridis erant coloris, sed in quibus manifestum apparebat discrimen: nam quæ in dorso saturatiores erant, quę in ventre dilutiores. Remiges alarum pennæ trium unciarū longitudinem habebant: & tametsi pronâ parte, eo videlicet latere quo brevioribus villis erant præditæ, quoque sese invicem tegebant, viridi saturo colore essent tinctæ; altero tamen, quod longiores villos habebat, & totâ supinâ parte fusci erant. Caudæ pennæ elegantissimæ erant & pæne binas uncias longæ, paulo minus semiuncia latæ, colore eâ parte, quâ uropygio infixæ, viridi cum flavo permixto tinctę, deinde rubro eleganti, demum nigro, postremo viridi: & tres isti postremi colores ab invicem distincti, veluti in quorumdam psittacorum viridium, majore corporis mole præditorum, caudæ pennis videre est: istæ autē vix conspiciebantur, nisi cum caudam explicaret, quia ab alijs ejusdem longitudinis tegebantur, quæ prorsus virides. Collum breve & crassiusculum: plumulæ caput tegentes breves admodum & virides, præter eas quę verticem supra rostrum, quæque totum guttur tegebant; nam illæ rubrum, elegantem & floridum colorem habebant. De mare loquor, quia fœminæ pennulæ dilutius rubebant, neq; tam amplum spatium occupabant, quàm in mare. Oculi erant nigerrimi: rostrum crassum & firmum, superna pars adunca & mucronata, ut in reliquis psittacorum generib. Ejus color subrubens, crura brevia semunciæ longitudinem vix æquabant, cineraceique coloris squamis erant tecta, ut aliorum vulgarium psittacorum pedes; iique in quatuor digitos divisi, quorum bini anteriores & imparis longitudinis, bini posteriores & illi etiam impares, brevioribus quidem articulis duobus præditi, hi interni; longioribus autem tribus, & hi externi. Ungues albi & satis longi. Valde exilem habere vocem, & dumtaxat pipire observabam. Gaudet consortio. Cum edebat, altero pede cibum non tenebat ut alij psittaci, sed rostro carptim cibum arripiebat. Cibus autem magna ex parte phalaridis semen: illo enim libētius vesci observabam, quam ullo alio seminis genere. Mihi autem quidam conspecti sunt adeò edocti, ut panem aquâ tinctum carptim morsicando ederent. Potus est aqua. Illud prætèrea in hac avicula animadvertebam, quod fœmellæ senescentes vix edere volebant, nisi cibum jam à mare carptum, & aliquamdiu in prolobo retentum, & quasi coctum suo rostro reciperent, ut columbarum pulli à matre ali solent.

Apud Nirembergium de Gvacamayan hæc leges. *Gvacamayan* genus psittaci est pulcherrimi, qui cum pueris ludit. Incompositæ formæ est, solo vestitu in pretio habetur, neque prætermittenda industria & mirificus instinctus hujus alitis. In Potosi quidam psittacus, quem lorum vocant, admirandi ingenij. Vocabat Indos occursantes patriæ suæ nomine Colla, Ieuca, Huayru, Quechua, &c. quasi qui ipsorum mores & vestimenti ritus dignosceret. Dissimulatam In-

Nieremb. Hist. Exot. cap. 63. & 64.

dam nobiliori natu & pænè Regio dignovit. Cum vidisset illam, dixit: Huayru, Huayru, Huayru. Ignobilior ista natio est, quam illa cujus generis se simularet fęmina. Finxerat se Pallam è Regia stirpe. Matrona partim pudens, partim irata, sputo & maledicto avem affecit. Hispali etiam alius psittacus agnovit Medicum indignum nomine & arte; quem, quotiescunque occurrebat, convitijs varijs proscindebat è fenestra, donec lite impetravit Medicus ne suspenderetur ibi. Alius Psittacus tabernarij vinarij solitus audire illum domi querentem vinum non vendi, quod acetum esset. Didicit hæc verba, atq; ad januam suspensus garriebat repetito præconio, Acetum est. Acetum est, quod facile fuit ementibus credere: donec herus madefaciens (aquam enim odio habent hæ aves) & castigans psittacum dictavit, Optimum merũ, Optimum merum, quod psittacus sic animadversus didicit, & postea ad januam idemtidem publicabat, optimum merum esse. Multi psittacorum simplicissimi, ut ad crocitantem psittacum ex arbore, in cujus ramis auceps latet, multitudo ingens convolitet, capique facile patiantur: nil enim viso aucupe terrentur, sed ut laqueo trahantur ad collum conjecto expectant, nec aufugiunt uno captato, & in manticâ, quâ præcinctus est Venator, ipsis cernentibus reposito. Psittaci faciem universim exprimit, quem quoq; cantu ad amussim æmulatur *Noyra*, quæ ex Moluccanis Insulis in Indiam importatur, pennis tamen rubris crebrioribus vestita est. Illarum una viginti aut triginta pardavis in India vænit, quæ postquam cum psittacis & aspectus amœnitatem, & garritus jucunditatem communem habeant, hoc sibi peculiare quoq; vendicant, quòd educatorum suorum, aut aliàs quoque adstantium capita & barbas, ut & aures dentesq; linguis suis blande detricent aut allingant, quas partes studiose quasi ad vivum emungunt, & emundant, adeo ut illarum altoribus ex his gesticulamentis oblectationis emergat haud parum. Taceo, quòd acutius attendenti coloris jucundâ varietate psittacos haud leviter exsuperare videantur.

V. De Picis.

PRæter enumeratas Picorũ species dantur adhuc apud Americanos duo Pici nempe *Salutiferi* & *Imbrifæti*. Ille *Heuhquecholtototl*, seu avis capiti similis dicitur. Nobilis est à capitis dolore levando. Merula major est, rostro longo nigroq;, sed inferna parte longè breviori, vertice ac pænè toto collo desuper rubeo, infernis partibus omninò cinereis; alis vero ac dorso nigris, sed albis transversisque lineis variatis. Degit Pavatlanicis agris provinciæ Totonacapæ. Pici species est arbores perforans, cujus capitis plumæ rubescentes applicatæ & conglutinatæ, capitis feruntur curare dolorem; sive in eam sententiam venerint, quod vertici avis adhęreant, sive id ita se habere experimento aliquo deprehenderint. Hic *Quatotoni* audit. Upupæ magnitudine & fusco colore variatur. Rostrum, quo excavat arbores perforatque, tres digitos longum est, firmum & candens, & inferne brevius. Caput est parvum, ac rubris contectum plumis, crista quoque rubra insignitum, ac tres uncias longa, sed superna parte nigra. Alterutro colli latere fascia candida descendit ad usque circiter pectus. Crura pedesque livida sunt. Vivit non longe à mari Australi. *Nidificat* in arboribus excelsis: *vescitur* cicadis, tlaolli, & vermiculis: imbrium tempore educat, hoc est à mense Majo usque ad Septembrem: edulis tamen non est, nec alium (quod acceperim) præstat usum. Pici Martij datur in Nova Hispania species maxima. Cujus pulvis salutaris est hydropicis. *Nieremb. Hist. Exot. l.10. cap. 48.49.*

In Nova Galacia *Picæ* sunt exiles, nec passeribus multo majores, sed tanto numero, ut integram segetem, ubi semel aristis incubuerint, prosternant atque conculcent, neq; *De Laet. Ind. Occid. l.6. c.1.*

neque clamore aut alijs terriculamentis deterreantur. Est & *Pica Xochitenacatl* dicta columbæ magnitudine, rostro præ corporis mole maximo, superiori parte luteo, inferiori vero subnigro, & in purpureum colorem vergente, oculis nigris, sed iride rubescente ex luteo, ac reliquo corpore cœruleo cinereoque. Vivit circa litora Oceani Australis; piscibus, quos rapit, vesci solet. *Iconem* vide apud Nierembergium Historiæ Exoticæ pag. 209.

VI. De Sturno.

Nieremb. Hist. Exot. li.10.c.59.

AD Sturnos videtur pertinere quæ *Pterophœnicus Indiarum*, & *Acolchi* dicitur, de qua sic Nieremberg. Alarum insigne commendat acolchichi, seu avem humerorum rubeorum, impetravitque ab Hispanis honorificum nomen, qui aves commendadoras illas vocant, quod æmulentur Equitum militarium insignia. Simili rubore ad latus fulgentia. Sturnorum, quos Hispani tordos vocamus, videatur species. Magnitudine, colore, & forma pares sunt, & cum eis ubicumque versantur, quanquam humeri primo fulvi appareant in rubrum vergentes, & cum ætate processere, in fulvum omnino mutentur colorem. In caveas conjecti, voces reddunt humanas, & lepide garriunt. Quavis re oblata vescuntur, sed pane maxime atque Indico frumento. Calidis frigidisque eas aves reperies regionibus, ab Hispanis colonis rubeorum humerorum commendadozas, ut dixi, vocatos, sed numerosis agminibus sunt oppidanis admodum molesti, eosque audacter incursant, præcipue regionibus fervidis & maritimis. Malum insuavemque præstant succum, & in arboribus non procul ab oppidis hominumque commercio nidificant, & sata, in quibus forte consedere, devastant atque depopulantur. Cantant luduntque, seu caveis includantur, seu libere per domos permittantur incedere.

VII. De Coturnicibus.

DE Coturnibus ita idem Nierembergius. Coturnices vocabat Nova Hispania *Colin*, quarum genera ex Francisco Hernando dabo. Nostratibus sunt similes, etsi ad perdicum species sint citra dubium referendæ. Multa *genera* apud Novos Hispanos reperiuntur nonnulla fusca & cristata, quæ *quauhtzonecolim* nuncupant, mediocris magnitudinis; alia fusca quoque, sed cristarum expertia, & paulo minora, alia omnium maxima fulvaque, sed capite albo & nigro, colore variato, extremis vero alis dorsoque candentibus, pedes vero ac rostrum nigra sunt. Hispanis, ut dixi, coturnicibus assimilantur. Omnia & bono & grato constant alimento, si tamen jugules duobus tribusve diebus, antequam assa apponantur mensis. Exhibetur earum caro etiam male habentibus: nec est apud Indos ulla alia post cohortales, quæ illi possit anteferri, aut alimenti salubritate aut gustu. Canunt nostratium instar, etsi aliæ aliis suavius. Caveis includuntur: vescuntur Indico nostrove frumento, & sunt quam plurimis hujus plagæ locis familiares. Alibi idem Auctor de *Coyolcozque* seu colli sonali inquit: species est colin, seu coturnicis Mexicanæ, inter quam-plures alias, de quibus loquemur seorsim. Ergo coturnicibus vocatis à nostris similis hæc est, magnitudine, cantu, nutrimento, volatu & moribus. Sed diverso colore, qui superne est ex fulvo candidoque commixtus, inferne vero tantum fulvus, etsi verticem & collum nigrantes albæque plumæ occupent; & tænias ab utroque latere adeoque à collo ad utrumque collum efforment atq; constituant. Oculi sunt atri, & fulva crura. Indigena avis est, campestribusque locis, velut & nostras, frequens, ac simili etiam alimento, &

quod ad illud perdicis Hispanicæ (est enim ejus species) proxime accedat. *Colcuicuiltic*, seu coturnicis simulacrum, coturnicis quoque nostræ species est, albis, nigris coccineisque variata plumis, & protractis desuper potius lineis quam circumscriptis maculis, subter vero potius maculis frequentibus, quam lineis, pedes cruraque cyanea sunt; sed cantu, magnitudine, moribus, cæterisque cunctis præcedenti omnino similis. Sturno est *Acolin* magnitudine par, cruribus pedibusque viridi pallescentibus, & in quatuor divisis prolixiores digitos. Rostrum est luteum, & longiusculum pro corporis proportione, tenueque & mucronatum, oculi nigri, iris fulva, caputque parvum. Inferna corporis candida sunt, lateribus fusco maculatis colore; superiora vero & cauda, quæ breviuscula est, fulva sunt, sed maculis nigricantibus distincta, & candidis lineis quasvis pennas circumambientibus, ejusdemque coloris punctis nonnunquam conspersis. Lacus incolit, piscosumque est, nec tamen admodum ingratum præstat alimentum. Vermiculis, muscis, & alijs parvis animalibus quæ volitant circa paludem, victitare solet. Indigena est Mexicani lacus. Caput mira colorum varietate micat. Quod medium atra linea secat, ac velut cinereæ aliæ latera, maculæ vero parvæ & candentes canthos externos: collum pectusque cinerea sunt, cætera è fulvo in viride potius inclinant.

VIII. De Perdicibus.

De Laet. Ind. Occid. l. 10. c. 5.

SUnt in Peruvia Perdices quas à sono *Yutu* vocant. Duorum generum. Aliæ majores, quæ mole accedunt ad Gallinas, & tantum in solitudinibus reperiuntur. Aliæ minores quam Hispanienses, sed carne longe optima. Utræque sunt colore pardo, rostris & pedibus albis. Ibidem sunt aviculæ plumis rubicundis, quos Hispani ob similitudinem nominant *Luscinias*, quanquam cantus harum sit adeo ingratus, ut mali augurij olim dixerunt barbari.

IX. De Turdis.

Nieremb. Hist. Exot. l. 10. c. 57.

GEnus Turdorum Chrappam incolit, quos vocant *passeres fabros*. Nigri sunt, solum in pectore & capite rubri. Fructu quercino dumtaxat vescuntur. Rostro perforant corticem pinnum, glandem singulis foraminibus aptissime accommodant, ut manu extrahi nequeat, sic omnem pinum ornatissime cingunt glandibus incisis, Mox pedibus hærentes cortici, tendunt rostro glandem, & vorant. Alia sententia Gomaræ est de Passeribus, quos vocant Hispani *carpinteros*. In Dariene scribit nasci palmas, quarum truncus per extrema attenuatur: in medio nidificare quosdam passeres excavato rostris nidos. Hos passeres vocat ipse *Pitos*, & putat esse quos Plinius Picos dixit, Hispani Fabros. Addit ex Aliquorum sententia, vim recludendi nidos ferro impeditos non esse alicujus herbæ, sed ipsius pici, cujus tactu infringi metallum.

X. De Anatibus.

Nieremb. Hist. Exot. l. 10. c. 35.

GEnus est Anatis quam *Acitli* seu *aquatilem leporem* consueverunt vocare Mexicenses. Hæc cum descripta delineataque à quibusdam recentiorum eadem prorsus esset, nisi caput longe majori insigniretur crista, atraque, venter colore argenteo splenderet, & collum inferne niveo, superne vero è nigro vergente in fuscum. Lacubus innatat, ac juxta eos perpetuo versatur: nam neque volandi potis est, neque per terram commode incedendi; femoribus ita reliquo corpori connexis atque coalitis, ut natatui non incessui queant inser-

inservire. Piscibus quos involat *vesciturr*, indeque victitat. Prolem in juncetis atque arundinetis educat, nec anatum nostratium vulgarem vincit magnitudinem. *Masculus* aliquanto longior est, corpore, collo ac crista ampliori. Rostrum fœminæ brevius est, nigrum & utrimque juxta oculos plumis fulvis rectum, cum mas candentibus tegatur. Hæc est avis illa, quam Indi fabulantur ventos evocare, ubi se peti ab aucupibus sentit, quibus flantibus turbatisque undis evertantur monoxyla, illamque insequentes submergantur, si quinque prius sagittis excussis arcu non contingat attingatque trucidari. In ejus dissecte corde reperiri gemmam arbitrantur ad multa utilissimam, & maximo habitam in pretio, nec alij quam Deo consecrandam. Verum hæ nugę sunt, & mendacia ab horum hominum profecta credulitate. Insuavi parumque salubri, velut & aliæ aves palustres, nutrimento constat, atque ideo à nullo sagacioris palati in cibos admittenda.

Est & apud Indos *genus quoddam anatis ferę* (hirundinem Hispani Indigenæ appellant) *tempatlahoac* domesticæ magnitudine, quare idem usurpavit apud Indos nomen; rostro lato est & longo, undequaque nigrante. Lingua alba, cruribus palmisque ex pallido rubescentibus, collo & capite viridibus, purpureis, & nigro splendentibus colore, adeoque pavonino aut heliotropiæ gemmæ; oculi nigri sunt, & pallens iris, pectus candens, reliquum vero corpus inferre fulvum, & binis maculis juxta caudam utrinque candentibus insignitum, superne vero semicirculus quibusdam in ambitu ex albo, tendentibus in fuscum; intra vero è nigro in viridem splendentem. Alæ initio cyaneæ sunt, mox candidæ, & tandem virenti micantes splendore: earumdem tamen extrema altero latere fulva sunt, altero vero fulgida atque viridia: cauda desuper subtusque per ambitum candescit, ceterum inferne nigra, pavonacea vero superne. Advena est lacui Mexicano, & quale aliæ lacustres aves solent præstare alimentum. In Asia quoddam est genus anatum, quod non immerito quis inter cornicines retulerit, ita voce cornuum sonitum imitantur, quæ inflare solent per dispositos equos iter facientium duces. Est ea avis, quamvis inermis. Audax & strenua: quam etiam malos Dœmones terrere, Turcis persuasum est: certè libertatis adeo retinens, ut etiam per totum triennium in corte nutrita, facultatem nacta, libertatem saginæ anteponat, sedesque naturales & suetos alveos volatu repetat.

XI. De Mergis.

AD Mergorum historiam pertinent Mergus Americanus, & Mergus maximus Farrensis seu Arcticus. Ille exiguis est alis, ideo monstrosa. Hic ita à Clusio describitur. Avis marina est, & palmipes, anfere domestico major, aut certe magnitudine illi æqualis: nam à collo quâ parte pectori coniungitur, usque ad oropygium, binos pedes longa erat: corporis ambitus binorum pedum longitudinem superabat. Alæ quatuordecim uncias longæ; cauda brevis, vix trium unciarum, collum fere octo uncias longum, ejus ambitus paulo major, caput breve, tres uncias latum, rostrum nigrum, mucronatum, quatuor unciarum magnitudinem superabat. Lingua pæne tres uncias longa, nigra, mucronata, cartilanigea, quodammodo carinata, superiore parte qua rostri parti connexa erat, parvis dentibus introrsum recurvis utrimquè prædita, media autem parte aspera: palatum similiter quatuor exiguorum & brevium dentium introrsum spectantium ordinibus constabat, quibus escam retineret & conficeret: nam rostrum dentatum non erat. Totum corpus densis pennis tectum habebat, quæ in pectore, toto ventre, & alarum supina parte breves & candidæ, in dorso autem alarumque prona parte longiores

Nieremb. Hist. Exot. l.10.c.27.

giores & nigræ, singulæ tamen circa extremum, geminis maculis albis insignitæ, quæ in dorsi quidem lateribus longiores, majoribus, quæ vero circa collum in medio dorso alisq; supra caudam, minoribus, sic ut aliæ aliis incumbentes, invicemque tegentes ad maculas illas usque, eam fere varietatem repræsentarent, quæ in meleagride sive Numidica gallina conspicitur. Collum velut torque cinctum erat, è nigris pennis constante: caput etiam similibus pennis tectum: quæ tamen oculos & rostrum ambiebant, parvis maculis albis erant distinctæ; sub gutture etiam aliquas parvas pennas albas nigris permixtas habebat: prona similiter colli pars supra torquem illum nigrarum pennarum, ad unciæ longitudinem parvis pennis nigris, latera tamen alba habentibus, erat ornata, quemadmodum & ea pars quæ infra torquem in pectoris lateribus, infra podicem, nigrarum pennarum transversam lineam habebat, quas albæ subsequebantur, deinde sub cauda aliæ nigræ albis maculis notatæ. Crura habebat in extremo corpore sita, paullò longiora tribus uncijs, plana, nigra; pedes quatuor uncias longos, plusquam tres latos, nigros tribus digitis præditos (quorum interiores tribus articulis constabant, brevioresque erant, medij quatuor, exteriores quinque) nigra membrana simul connexos ad ungues usque, qui plani. Singuli etiam pedes, in posteriore parte paullo supra inflexionem, parvum articulum instar calcaris habebant. Circa Farrensem Insulam, quæ inter Norvegiam & Islandiam sita, captam hanc avem scribebat Hoierus, fœtum in undis educare, nec nisi procelloso mari ac circa Autumnum, hiemisve initium conspici, terram verò nunquam attingere, nec volantem unquam esse conspectam, adeoque nec alarum usum habere ad volandum, nec pedum ad incedendum: quo fit ut nonnisi capite extet (eo referente) quando se conspiciendam præbet. Huic nõ valdè dissimilis videtur mergus ille marinus, cujus meminit Gesnerus in Paralipomenis ad Historiam de Avibus pag. 767. nisi illi in dorso cinereas plumas nigris maculis conspersas tribueret. Huic similis est aqueus lepus, cujus jam meminimus. Iconem vide apud Clusium.

XII. De Hirundine.

CLaudat agmen *Avis cucullata aquatica. Hirundo Exotica aquatica*, & *Gallinago silvestris aquatica.* Quas in suo Gazophylacio rerum Naturalium descripsit, & ære exprimi curavit Nobilissimus D. Doctor *Beslerus*, Amicus noster plurimum honorandus. De *illa* ita scribit. Animal hocce capite monstrosum, in aquis natare ex decubitu naturali conjicere licet. Comam quam in fronte cernis, ferruginei est coloris. Ex parte maxillarum plumæ flavescentes repullulant, quæ in extremitate nigriores, factæ, circulum egregiè repræsentant. Collum cum ventre albicat, dorsum cum aliis cineritii est coloris, extremitas tandem in albas desinit plumas, Pedes cum adnatis membranulis, semicirculis distinctis albicant, ubi in quolibet pede unicum tantum unguem animadvertere licet. *De Hirundine Exotica aquatica* hæc habet. Quis non in volucre palustri summam colorum varietatem miretur. A capite enim inchoando, superior pars, candet, inferior rubro intermixto cœruleo colore splendescit. Venter inferior floccorum nivis instar albicat. In dorsi principio pennæ duæ nigricantes, albis punctis distinctæ exsurgunt. Alias dorsum universum, unà cum cauda ferruginei coloris; alæ quidem nigricant, punctis tamen niveis ornamenti instar distinguuntur. Pedes exporrecti subfusci coloris, rostrum nigricans, ad subulæ formam effigiatum, quo pisces quasi hamo excipere solet.

Besler. in Gazophylacio Rer. Natural.

***

XIII. De

XIII. De Gallinagine.

DE *Gallinagine Sylvestri aquatica*, ita idem paucis. Rara hæc est avis, in locis paludosis victum quæritans, colore atro & rufo, per totum corpus instar holoserici splendescente, rostrum oblongum, quodammodo incurvatum, crura alta & fusca, digitos longos habet.

ET hæc sunt quæ de Avibus dicere volui. Quæ omissa sunt, studiosus harum rerũ Lector, aliunde supplere poterit. CENSORI cujuscunque tandem status & conditionis is fuerit, hoc subsequens inserviat. *Veritatem ad suum arbitrium exigere, & inter mendacia reponere, quicquid palato non arriserit, impudentis nimis, & in DEUM, universam naturam, & humanum genus, injurii hominis est.*

FINIS.

I N D E X

In Hiſtoriam naturalem de AVIBVS, juxta ſeriem Alphabeti concinnatus: in quo prior numerus hiſtoriæ paginam, poſterior tabulam deſignat.

	P.	T.
Ca choatli	183.	
Acacalotl	182.	
Acanthis	97.	43
Accipiter in genere.	18.	7
Aſterias	20.	8
Fringillarius	21.	8
Palumbarius	21.	8
Sacer Ægyptius Bellonio	24.	9
Accipiter major		11
minor		11
Achalalactli	184.	
Acitli ſeu aquatilis lepus	224.	
Acolchis Indiarum	223.	
Acolin	182.	
Acototloquichitl	183.	
Æſalonus accipitris ſpecies	22.	10
Æſalo falconum ſpecies		13
Ajaja	198.	
Ajuru ſpecies	200.	
Alauda	99.	38
criſtatà	100.	38
criſtata ſenex		38
non criſtata	100.	33
maxima ſeu Calandra		38
pratorum	101.	38
Alaudæ congener	101.	38
Albulus aquaticus		47
Alcedo vocalis	156.	52
Alchata ſeu Filacotona	92.	32
Aluco	50.	19
Amalozque	184.	
Ampelides	126.	
Ampelis Aldrovandi ſeu Garrulus Bohemicus Geſneri	44.	
Anas	142.	49
campeſtris Bellonij	64.	
Cairina	143.	49
Domeſtica	143.	49
Indica	143.	49
Lybica	143.	49
Anas fera ſeu ſylveſtris	144. 208.	49
Boſcas major	144.	49
Caudacuta	146.	
Circia, Kernell dicta	144.	
Fiſtularis	145.	
Fuſca major	145.	49
Glaucius	145.	49
Herle	146.	49
Muſcaria	145.	49
Nigra	146.	49
Penelope	146.	49
Platyrinchos major	145.	49
Plyrinchos minor		49
Puffinus	146.	
Querquedula	144.	49
criſtata	144.	
La Tardone	146.	49
Anas marina Meer Endle		49
Anas fera Seevogel		49
Anas fera Spiegel Endle		49
Andira Aca	205.	
Anhima	209.	61
Anbinga	211.	60
Ani	189.	
Anſer Baſſanus	131.	47
Domeſticus	136.	48
Magellanicus	181.	56
Sylveſtris	140.	48
Anthus	122.	45
Apos	118.	
Aquila in genere	9.	
in ſpecie	11.	
Aquila alba ſeu Cygnæa	15.	
anataria ſeu Morphnos	13.	2
anopæa	15.	
Chryſaëtos	11.	1
Bellonij		5
Geſneri		1
Haliætus	12.	2
Heteropos Geſneri	15.	5
Melanætus ſeu Valeria	12.	3
Alius	1.	3
Morphnos Bellonij	13.	4
Morphno congener	14.	5.
Percnopteros	14.	4
alius		4
aliusperegrinus		5
Pygargus	13.	2
alius	13.	3
Aracari	211.	
Araracanga	201.	59
Ardea	150.	50
minor		50

	P.	T.
Cinerea major	151.	50
minor	151.	50
alia seu congener	152.	50
alba	152.	51
Egretta Gallorum	152.	
Garletta Italorum	152.	
Garzetta bianca dicta	153.	
Squajotta Italorum	153.	51
Congener	153.	
Nigra		51
Ardea asteria seu stellaris major	153.	51
altera minor		51
Congener	154.	
Cristata	154.	
Ardeola	204.	61
Arquata	158.	51
Asilus	115.	42
Asio		18
Asio seu Otus Oteeul	48.	18
Asio seu Scops	49.	18
Attagen	62.	26
Atricapilla	125.	45
alia		45
Atinguacu Camacu	210.	60
Aves diurnæ	9.	
nocturnæ	46.	
Aves exoticæ Aquaticæ	180.	
Terrestres	169.	
Aves Farrenses	185.	
Aves Granivoræ canoræ	97.	
Aves terrestres carnivoræ	9.	
Avis cucullata aquatica	226.	
longa	176.	
montana	176.	
Diomedea (radeißvogel	128.	46
Paradisia seu Manucodiata Pa.	169.	55
Pugnax	154.	52
Scythica Mitternächtischer Adler.	15.	5
Stellata s. Stella Sternvogel.	64.	26
Avium natura in genere	4.	
Avosetta seu Spinzago d' acqua	135.	48
Avosettæ species		54
Aura	174.	
Aurivittes carduelis species	97.	43
Ayayam	213.	
B.		
BArge Gallorum	156.	
Boarina	121.	44
Boudree Bellonij	23.	7.11
Branta seu Bernicla	141.	48
Brenthus	135.	
Bubo	47.	18
Bubo Berghu	47.	18
Bubo Nachteule	47.	18
Bubo Kautz dictus		18
Buteones	23.	7.11
C.		
CAbure	205.	
Calcamar	213.	
Calidris Bellonij chevalier, rubra	159.	
nigra	159.	
Canarias Zuckervogel/Canarivogel		36
Cannevarola	122.	45
Capricalea	141.	48
Caprimulgus	55.	20
alius		20
Capella Kynitz		27
Capo	85.	30
Caracara	205.	61
Caracura	213.	
Carduelis Distelfinck	97.	36.37
cilijs albis		36
mas		36
Cariama	197.	59
Caripira	213.	
Catarrhacta	130.	47
Caryocatactes Nußbicker		27.40
Cenotzqui		177
Ceoan		177
Cepphus	130.	47
Cercio	165.	53
Certhia	113.	42
Charadrios	166.	26.53
Chalandra	100.	33.38
Chicuatli	177.	
Chloris Grünfinck	101.	36.37
congener seu chloris Indica	101.	
Chloropos Gallinula aquatica	161.	31
Ciconia	147.	50
nigra		50
Cinclus	163.	53
alius		53
Cincl° Gallinago minima Bellonij		53
Cinnamomus	225.	
Circus	22.	
Citrinella Citenisle	101.	36.38
Cocoi ardeæ species	203.	61
Coccotraustes	108.	37
Indica	108.	37
Columba domestica		32
varij coloris		32
Cypria		32
alia		32
Indica		32
Hirsutis pedibus major		32
Livia	92.	32
Columba	86.	32
Sylvestris	90.	208.32
Columbus	89.	32
Collurio	24.	43
Colymbus major	134.	48
major Bellonij	135.	48
maximus	135.	
minor	135.	48
Coracia	42.	16
Cornix	40.	16
frugivora	41.	17
cinerea	41.	17
cœrulea	41.	17
Corvus	38.	16
Aquaticus	131.	47
Sylvaticus	131.	47
Cotta Anglorum	147.	
Coturnix	69.	27.28

Crex

	P.	T.
Crex	158.	
Cuculus	26.	10
alter	26.	10
Cuntur	179.	
Curicaca	187.	57
Curucui	205.	60
Cygnus	136.	48
cuculatus Nieremb.	176.	56
Cynchramus	72.	
D.		
DAaje	171.	
Diabolus marinus Parisiensiũ	147	
Diomedea avis	128.	46
E.		
EMbriza		35
alba	97.	35
pratensis mas	97.	35
fœmina	97.	35
Embriza pratensis Wisenmertz		36
Emeu Clusij	172.	56
Nieremb.		56
Erythra gallinulæ aquaticę species		35
melana Indica		35
F.		
FAlcinellus seu Falcata	154.	51
alia species		51
Falco	28.	12.13
Albus	32.	12
Alius (Baumfalck		12
Arborarius seu Dendrofalco	33.	10
Cyanopus	33	
Gentilis	31	
Gibbosus	32.	
Italicus	32.	
Lanarius Gallorum	32.	
Falco lapidarius	33.	
Montanus	30.	13
Oenentanus		12
Passagir		12
Peregrinus	29.	13
Rubeus	35.	12
Sacer	29.	
Tunetanus	31	
Ficedula		33
Ficedula, Canabia		33
Flamenco avis Hispanis dicta	186.	
Fringilla Finck	98.	33.36
montana	99.	36
sublutea	101.	36
Fulica Wasserhun		31
Fulica seu Mergus niger	146	
G.		
GAlgulus		27
Gallina	77.	29
Africana	188.	57
Gallinula Aquatica	160.	31
Gallina Corylorum Haselhun	63.	25
Gallinula Erythropus aquatica	160.	
Gallinula Hypoleucos aquatica	160.	31
Gallina Indica cum ovo ejus	84.	24.30
Lanigera		30
Gallinula Ochra aquatica	160.	31
Gallina Patavina	83.	29
Gallina Persica	83.	30
Pumilio seu Nana Kriechhun	83.	29
Quinca	84.	30
Gallinula Rhodopos aquatica	160.	31
Gallina Turcica	83.	30
Gallinarum ova	77	
Gallinago minor scolopax Harschnepff	161.	31
sylvestris aquatica	227	
Gallinula chloropº vide chloropos gallinula.		
Serica Sametthünlein.	160.	23. 31
terrestris	161.	31
Gallo-Pavo mas	59.	24
Gallus gallinaceus	72.	29
Cornutus	83.	29
Iudicus	84.	29.30
Indicus mirabilis		30
Monstrosus caudatus		21
Palustris	84.	30
Patavinus	83.	29
Peregrinus Clusij	176.	56
Persicus	83.	30
Scoticus sylvestris	83.	
Turcicus	83.	30
Gambetta Aldrovandi Italorum	159	
Garagay	175	
Garrulº Bohem. Gesn. vide Ampelis		
Generatio pullorum (Aldrovãdi	79.	
Goyrani seu Boudree Bellonij	25.	7
Graculus	42.	16
Graculº palmipes seu Corvº Aqua-	132.	47
Granivoræ aves (ticus minor	56	
Grigallus major	61	
Grus balearica mas	168.	54
fœmina		54
crispa		54
Japponensis	168.	54
Vulgaris	166.	54
Gryphus	214.	62
Guacuguacu	198.	(58.59
Guara	198.	214.
Guarauna	198.	
Guainumbi variæ species	191.	58
Guira Acangatara	210.	60
Guira coereba	205	
Guira guacuberaba	205.	
Guira guainumbi	189.	57
Guiranheemgatu	203	
Guirancjoa	203.	61
Guiraperea	205	
Guirapunga utraque	197.	59
Guira Querea	197.	59
Guiraranheengeta	203.	59
Guira tangeima	189.	57
Guira teonteon	214.	
Guiratinga	203.	
Guiratirica	203.	
GuitGuit	171.	
Gulo Seeslider	134	
Guranhæ-engera	180.	
H.		
Hæmatopus Bellonij	156.	

	P.	T.
Hæmantopus mas		52
fœmina		52
Halcyon	156.	52
Harpa	26.	
Harpyjs	214.	62
Heatototl	184.	
Helorius Creci	156.	
Herle Bellonij	134.	
Heuhquecholtototl	222	
Himantopus	159.	
Hirundo	115.	42
Apos	118.	42
agrestis	117.	42
exotica aquatica	226.	
marina		46
riparia	117.	42
Hoactli	183.	
Hoactzin	172.	
Horion	156.	
Hortulanus mas	72.	28
fœmina	72.	28
Congener	72.	28
Hortulanus Brach Amsel/Trostel		37
Hypolais seu Curruca	125.	45
Hypotriorchis	23.	
I.		
IAbiru	195.	59
Jabiru guacu	195.	59
Jacacintli	183.	
Jacamacaii	194.	58
Jacamaciri	197.	57
Jacana	187.	57
Jacarini	203.	
Jacapù	188.	
Jacupema	194.	58
Jacurutu	194.	58
Jaguacati guacu	190.	57
Jaia Uquitototl	172.	
Jambu	188.	
Japacani	205.	
Ibijau, Noitibo	191.	57
Ibijau magnitudine noctuæ	191.	58
Ibis	149.	50
Jochualcuachili	181.	
Ipecati Apoa	212.	60
Ipecu	202.	59
Ispida Eyßvogel	157.	31
Itzquauhtli	217.	
Juncus Bellonij	163.	53
Jupujuba	188.	
Iynx seu Torquilla	112.	42
Congener	113.	42
L.		
LAgopus	68.	28
altera species		28
Lanarius prior	24.	9
alter	25.	9
Lanius albus	25.	9
Cinereus	25.	9
minor		10
alius		11
Lanius collurio		11
Milvus		11
Larus	128.	
albus	129.	46
cinereus	129.	46
Fidipes	130.	46
major		46
minor Sterna	130.	46
niger	130.	46
piscator	130.	46
Ligurinus Gazæ	98.	36
alius		36.37
Limosa Venetorum	156.	
Linaria	99.	36.37
marina Aldrovandi	99.	38
rubra	99.	36.38
Lomsbay	186.	
Loxia	46.	
Luscinia	123.	45
Luściniola	123.	45
Lutea mas	101.	38
fœmina	101.	38
M.		
MAcuacagua	207.	
Macucagua	180.	
Maguari	198.	
Maiæ	171.	
Manucodiata Aldrov. prima	170.	55
secunda	170.	55
longa	170.	55
Mareca	208.	
alia species	208.	
Matuitui	159.211.	58.60
Meerganser Gesneri	134.	47
Mergus	132.	
Arcticus Clusij	225.	56
Bellonij		47.48
Albus	134.	
Cirrhatus	134.	47
Glacialis	133.	
Longirostratus	133.	47
Niger	134.	
Raucedulus	133.	
Rhenanus	133.	47
Ruber	134.	
Merops Seeschwalb		27
Merops Imbenfraß	113.	42
Congener		42
Merula	104.	39.40
mas	104.	39
fœmina	104.	39
alba & nigra	104.	39
bicolor	107.	39
brasilica	107.	40
Indica Apos	107.	
aquatica Wasser Amsel		53
montana	106.	
rosea mas	107.	40
Merula saxatilis Stein Amsel	107.	39
torquata mas	106.	39
fœmina	106.	39
Merulæ congener duplex	107.	39
Merulus, passer solitarius	105.	39

Mil-

	P.	T.
Milvus	25.	11
Mituporanga	191.	57
Mitu mutu	190.	58
Monedula	42.	
aliud genus	43.	
Montifringilla	99.	33.36
Congener		38
Morfex	134.	
Moßkow		27
Motacilla		43
mas	120.	44
alba	120.	44
flava	120.	44
Muscipeta	121.	45
Mutu	180.	
N.		
NHanduguacu	186.	
Noctua in specie sic dicta	51.	19
Noctua Käutzlein		19
Noctua saxatilis Steinkautz		19
Numenio Indicus Clus. ardeę species		
Nycticorax (vide Curicaca		20
Gesneri	132.	
O.		
OEdionemus Bellonij	65.	26
Aldrovandi	65.	
Oenanthe	123.	45
Oenas seu Umago (gauß	92.	32
Onocrotalus sive Pelecanus Kropf	126.	46
fœmina		46
Ossifragus	14.	5
alius	14.	4
Otis cum Cicere Arietino		26
Otis sive Tarda		26
Ourissia S. Tomincio. Nieremb.	178.	56
P.		
PAlumbus major	90.	
minor	90.	
Paradisea avis majoris generis Clus.		55
Parus caudatus	120.	44
ater	120.	44
cœruleus minor	120.	44
cristatus	120.	44
Indicus	120.	
major	119.	43
palustris	120.	44
Sylvaticus	120.	43.44
Passer	93.	34
Albus	95.	34
Albicilla	95.	34
Canarius	98.	34
Domesticus		34
Alius		34
flavus	95.	34
Illyricus	95.	
Indicus macrourus duplex	96.	35
Brachyurus Indicus	96.	35
Cyanerij thromelanus	96.	35
Erythromelanus	96.	35
Porphyromelanus	97.	35
Maculatus	95.	34
Montanus	95.	34
alius		34
Solitarius, merulus Steinamsel	105.	34.
Mas		39.(39
fœmina		39
Congener	106.	
Passer stultus Bononiensium	96.	
Torquatus	96.	
Passer Troglodytes Bellonij	115.	42
Armeniacus	115.	42
Passer in juglandibus degens	96.	
Passeris species seu congener	96.	34
Passeres fabri	214.	
Passerculus Brachyurus nostras	96.	34
Passerculus Troglodytes Zaunschlüpferle		42
Pavo	56.	22
fœmina	56.	22
albus	58.	23
sine cauda Chinensis		21
Japonensis mas	59.	23
fœmina	59.	23
Pauxi	177.	
Pelecanus sive Platea Löffelgauß	126.	46.62
Perdix	65.	27
alba seu Lagopus	68.	28
altera		28
Cinerea	68.	28
Damascena	68.	28
Græca Bellonij	68.	27
Rufa	68.	28
Phalacrocorax	131.	47
Phalaris	135.	
Phasianus	60.	24
alius		24
Phœnicurus	121.	45
altera species		45
Phœnicopteros	150.	50
Phœnix	215.	62
Phytivoræ aves	56	
Pica	43.	17
brasilica	46.	56
alia		56
caudata s. varia	44.	17
caudata Indica mas	44.	17
fœmina		17
caudata alia Elster Aßel		27
Garrulus Argentoratensis	44.	17
Glandaria Heger		17.43
species alia		17.43
marina	44.	17
Persica	44.	
Pica Cureba	199.	
Picicitli	177.	
Picui pinima	199.	
Picus Cinereus	111	41.43
Chlorio-Indicus	112.	41
luteus cyanopus	111.	41
Martius	109.	
Maximus niger	110.	41
Major bunter Specht.	111.	41
murarius	111.	41
Nidum suspendens	112.	41

	P.	T.
Varius minor	111.	41
alius		41
Viridis grün Specht	111.	41
major		41
Pitangua Guacu	210.	60
Pluvialis	165	
cinerea	165.	53
flavescens	165.	
major Aldrovandi	165.	53
Polyglotta	177.	
Porphyrion	155.	52
Prunella		36
Psittacus	34.217.	14
Psittacus albus cristallus	36.	15
Cinereus	38.	15
Erythrocyanus	37.	15
Erythroleucus	38.	
Erythrochlorus cristatus	38.	
macrourus	38.	
Erythrocyanus Gesneri	38.	
Erythroxantus Gesn.	38.	
Leucocephalos	37.	15
Major	36.	14
Minor	36.	14
Maximus	36.	15
Maximus alter	36.	15
Poikilorinchus	37.	14
Torquatus macrourus	38.	
Viridis	36.	14
Viridis melanorinchos	37.	15
Pugnaces	154.	52
Pullus gallinaceus monstrosus	212.	60
Pyrrhocorax	42.	16
Pyrrhula	121.	
Q.		
QUachiltone	182.	
Quatotoni	222	
Quauhtzonecolim	223.	
Quereiva	180.	
Quetzaltototl	175.	
Quirapanga	180.	
Quiratinga	213.	
R.		
RAllus	147.	
Regulus	114.	42
non cristatus	114.	
Rex avium paradisearum	196.	55
Rhinoceros	46.	
Rousserolle	158.	
Rubecula	121.	43.45
Rubetra	121.	45
Rubicilla seu pyrrhula	122.	43.45
Ruticilla seu phœnicurus	122.	43.45
Rusticula Schnepff		53
minor		27
sylvatica	161.	31
S.		
SAcer Ægyptius vide Accipiter		
Sayacu	189.	57
Scheladrachus	134.	
Scolopax sive Gallinago	160.	32
Scops	49.	18
Seleucidesaves	215.	
Semenda avis	216.	
Serinus Girlitz	101.	36
Sirenes	215.	
Skua Hojeri	185.	56
Soco	195.	58
Spinus seu Ligurinus, acāthis Zeisel	98.	36
Spipola	121.	44
alba	121.	44
Starda seu Tarda	63.	26
Stoparola	121.	44
alia	121.	44
Strix	52.	19
Struthocamelus	55.	21
Sturnus Staer	107.	40
albo capite		40
Cinereus		40
pullus		40
vulgaris	107.	40
Stymphalides aves	215.	
Subbuteo	23.	9
T.		
TAlchicuatli	217.	
Tamatia	203.	59
alia	203.	59
Tangara	180.209.	60.61
Tapera	198	
Tacoletl	217	
Teitei	205	
Tempatlahoac	225.	
Tentzontototl	172	
Tijeguacu	205.	
TijeguacuParoara	208.	60
Tijepiranga	188.	57
Tinnunculus mas	22.	8
fœmina	22.	8
Canchris Wanenwäher		10
Tlacoquauthli	217.	
Tlauquechul	181.	
Tominejo Nieremb.	178.	56
Totanus	158.	52
Totoquestal	176.	
Triorches seu buteo		11
Tritonus	172.	
Trochilus	136.	48
Trynga	162.	53
alia	162.	53
Tucana	180.	
Tucan		56
Tuidara	198.	
Tuputa	172.	
Turdus	102.	37
viscivorus	103.	39
Turdus leucocephalos	103.	39
Illas		104.
Simpliciter dictus	104.	39
Trichas	103.	
Turtur	92.	32.33
Indicus	92.	32
Tzinitzian		176.
V.		
VAnellus seu capella Kyuitz	164.	53

Vesper-

	P.	T.
Vespertilio	53.	20
lactans	54.	20
pullus		20
Ulula Wel/Huhu/Eule	50.	18.19
Ulula Kircheule		19
alia		19
Upupa	118.	27.42
Uria	135.	
Urogallus major	61.	25
minor	61.	25
alius	61.	25
Urubitinga	208.	
Urubu	202.	61
Urutaurana	198.	59
Vulpanser	141.	
Vulturum differentiæ	17.	6
Vultur alpinus vel aureus	17.	6
boeticus	17.	6
aquaticus	186.	
Cinereus	17.	6
Leporarius	17.	6
X.		
Xlepapantototl	183.	
Xochitenacatl	171.	56
altera	171.	56
Xochitototl	174.	
Xomotl	182.	
Y.		
Yandeu	217.	
Yutu	224.	

F I N I S.

Index :

Quibus paginis Tabulæ avium sint subiungendæ.

Tabula	I.	pag.10.
	II. III.	12.
	IV. V.	14.
	VI.	16.
	VII.	20.
	VIII	22.
	IX. X. XI.	24.
	XII. XIII.	30.
	XIV. XV.	36.
	XVI.	38.
	XVII.	40.
	XVIII. XIX.	48.
	XX.	52.
	XXI.	54.
	XXII. XXIII.	56.
	XXIV.	58.
	XXV.	60.
	XXVI. XXVII.	62.
	XXVIII.	68.
	XXIX. XXX. XXXI.	82.
	XXXII.	pag.88.
	XXXIII.	92.
	XXXIV.	94.
	XXXV. XXXVI.	96.
	XXXVII. XXXVIII.	98.
	XXXIX.	102.
	XL.	104.
	XLI.	110.
	XLII.	114.
	XLIII.	120.
	XLIV. XLV.	122.
	XLVI.	128.
	XLVII.	130.
	XLVIII.	136.
	XLIX.	142.
	L.	148.
	LI.	152.
	LII.	154.
	LIII. LIV.	166.
	LV.	170.
	LVI.	174.
	LVII.	188.
	LVIII.	190.
	LIX.	196.
	LX.	206.
	LXI.	208.
	LXII.	214.

Tab: I

Aquila Gessneri. Adler.



Chrysaetos Aquila. Adler.



Adlers Klauen.

Aquila
Adler. Arn.



Haliæetus.
Adler bastard.
Meer Adler



Pygargus . . .
Weis geschwenzter Adler



Moss Wey Entmstosse.

Anathria seu
Morphnos.

Melanetus uel Melanæetus
Aquila Valeria.
Stock arn.

Melanætus.

Aquila Pygargus. alius.

Morphnos
Sûten Adler
Bellonij
Percnopteros
geijr Adler
Ossifragæ alis Species.
Percnopteros alius.

Ossifragus.
bein brecher.
Morphno congener.
Heteropus. aquilæ
species.
Percnopteros. Aquila peregrinus.
Auis Scythica.
Chrysaetos
Bellonij.
Mitternachtischer
Adler.

Vultur Bäticus, Geÿr.
Vultur cinereus Geÿr.
Vultur Leporarius.
Hasen Geÿr.
Vultur Alpinus uel aureus
Goldgeÿr.

Buteo.
Busant. Busahm
massweyh.
Goyrani seu Boudree Bellonij.
Accipiter.
Hapich.

Accipiter Palumbarius.
Habich Rabenstösser.
Astercias Aern habich.
Accipiter Fringillarius. Nisus
Rötelgeier. Fincken
habicht Sperber
Tinnunculus mas.
Wandwäher Sternschmatz.
Tinnunculus Fœmina.

Acipiter
Ægypio
Subuteo. mosweiber
Lanarius.
Lanarius. Schimmev
Lanius cinereus Femina.
Lanius albus
neintöbler

Tinunculus Cenebris.
Wanen Waher
Cuculus
Guch gauch.
Cuculus
Alter
Baumfalck
Dendrofalcus
Acsalonus
accipitris Species
Lanius Minor
Lanius
Warkengel
neüntöter

Lanius. alius.
Warckengel.
Lanius Collario.
Lanius
Miluus.
Cuculus. Guggauch.
Kukkuck.
Buteo. Triorches
Bushart. Busant.
Accipiter
minor.
Accipiter maior.
Miluus. Weije.

Falco Rubeus
Rother Falcke
Tab: XII
Alies.
Falco Falcken ander art
Falco aliter
Falco Pas: Sagir
Falco. Orientanus

Falco Falck.
Aesalo. . falconom Specier
Gijrfalco. Geijrfalck.
Falco peregrinus.
Falco Montanus.
Bergfalck
Mirle. Smirlin.

Tab XIIII
Psittacus Maior.
Psittacus Minor.
Psittacus Pappengej
Psittacus.
Psittacus Viridis
Psittacus Poikilorinchos.

Psittacus Maximus
pappengej. grosser art
Psittacus Maximus alter.
Psittacus viridis melanoriuhor.
Psittacus albus cristatus.
Psittacus Versicolor siue Erythrocijanos.
Psittacus Leucocephalos.
Psittacus cinereus.

Coruus. Rap. rab.
Corius. Rab.
Altrap.
Cornix. Krae.
Graculus. Tul. Dole
Nebel Krae.
Pÿrrho coraceus.
steinrab.
Coriacias Arist.
Pÿrrhacorax. alius

Cornix cinerea.
graw Kräe.
Cornix Cerula.
holtz Kräe.
Pica Indica
masc.
Cornix Frugilega.
Pica Caudata s. uaria.
Azel Aegerst.
Pica Indica
Fœmina.
Picæ glandariæ species alia.
Pica glandaria garrulus.
heger, herren uogel.
Pica.
Hagerst
aglaster.
Pica marina.
nebel Kräe.

Tab XVIII.
o. Berghu Huru.
Bubo.
Bubo. Nacht Eule.
Bubo. Kauz. dich
Asio.
Bubonis Species
Vlula. Eule.
Asio seu Otus.
Ohreul
Asio alius seu Scops.

Vhula.
Vhula.
Vwel. Huhu. eüle
Vhula. Kirch Eüle.
Noctua.
Aluco.
mas hiuw.
Vhula alia
Noctua Kaüslein.
Noctua
Steinkaüz.
Saxatils
Strix

Nycticorax.
Nachtrab.
Caprimulgus.
nachtrab. Pfaff.
alias. geismelker
Caprimulgus. alius.
Vespertilio.
Vespertilio.
Speckmause. fledermaus.
Iunge Fledermeüse.
Vespertilio. lactans
Fledermaus. mit den Jungen.
Vespertilio.
Fledermaüse.


Struthocamelus
Straus.

Gallus Monstros caudatus
Pauo Sine cauda
chinensis

Pauo Pfaw

Pauo fœmina cum bordeo Spurio

Pfaw

Pauo albus cum tritico multiplici
Weiser Pfaw
Pauo Iaponensis mas Cum locustis
Pauo Iaponènsis foemina cum hordeo distico

Gallopauo. Mas. Cum. Oryza.
Welscher han
Gallina. India. Cum.
Ouo Eius
Phasianus
Gallina Africana
Phasanen
Phasianus


Vrogallus maior.
Aurhan.
Vrogallus seu Tetrao alius.
Vrogallus minor.
Grygallus maior.
Spillhan Gurgelhan.
Gallina Coryloruin.
Haselhun. Rab hun.

Tab XVIII
Bubo. Berghu Huru.
Ziwu
Bubo.
Bubo. Nacht Eüle.
Kauz. dick
Asio.
bubonis Species
Vlula. Eüle.
Asio seu Otus.
Ohreül
Asio alius seu Scops.

Attagen seu Perdix
Rebhun.
Galgulus.
Pica Caudata.
Elster Atzel.
Carjocatactes.
Nusbicker.
Ortijgometra. Wachtel
König
Coturnix. Wachtel.
Rusticula minor.
Graschnepf.
Moskuw.
Capella. Kjnäts.
Vpupa Kothan.
Widhopff
Merops. Seeschwalb.

Otis. Cum. Cicere. Arictino.
Attagen.
haselhun.
Otis. Trada
Trabgans
Charadrios.
Avis Stellata. Stella. Sternvogel
Oedicnemus Triel.

Perdix cinerea.
graw Repphun
Perdix russa.
Lagopus. Schneehun
Steinhun
Perdix Damascena.
Coturnix mas
Lagopus altera
Hortulanus mas.
Brachamsel
Ortygometra.
wachtel König
Hortulanus Congener.
Hortulanus femina.

Gallus Indicus.
Welscher han.
Gallus cornutus.
Gallina Patauina.
Gallus Patauinus.
Pumilio. Kriechhün.
Gallina.
Henne.
Gallus.
Gallus. Han.

Gallus Turcicus.
Gallina Turcica.
Gallus Persicus.
Gallina Persica.
Gallus Indicus.
Gallina Indica.
Gallus Indicus mirabilis.
Gallina Guinea.
Gallina lanigera.
Gallus palustris. murhan.
Capo. Kappaun.

Gallinæ aquaticæ.
Fulica. Wasserhun.
Chloropos Gallinula.
Gallina hijpoleucos.
Ispida.
Eijsuogel.
Scolopax siue Gallinago.
Schnepf.
Erijthropus.
Erijthra.
Gallinula terrestris.
Rusticula sijluatica.
Walfschnepf.
Scolopax seu Gallinago minor.
Harschnepf.
Gallina Ochra.
Gallina Sorica.
Gallina Rhodopes.

Columba Indica rostro.
Columbus.
Columba Cypria
Columba sylluestri.
Turtur Indicus.
Turtur.
Alchata siue Filacotona.
Columba domest:
Columba hirsutis pedibus maior.
Columba Cypria.
Columba Liuia.
Oncas Seu Vmago.
Turtur.
Columba domestica Varijs coloris.
Columba Cypria.

Turtur
Fringilla
Chalandra
Montifringilla
Alauda non christata
Fuedula
Fuedulo Canabia

Passer.
Passer.
Passer montanus.
Passer stultus.
Passer
Canariniogel.
Canarius.
Passer domesticus.
Passer
nmemlus
Steinamsel.
Solitarius.
Passer Sylvestris.
ringelspatz.
Passer domesticus.
alius
Passer saluris.
Passer
maculatus.
Passer montanus.
alius.
P. Albicilla.
Passer albus.
Paserculus.
Brachyuras.
Passeris species.


Carduelis. Distelfinck.
Emberiza pratensis.
Wisemmertz.
Prunella.
Linaria Rubra.
stockhenfling.
Linaria.
Fringilla. Finck.
Henfling
Flachsfinck.
Fringilla montana.
Acantur quem
Gaza Spinum et li
gurinum vocat.
Zeisel.
Citrinella.
Citrinle.
Carduelis mas.
Chloris.
Grünfinck.
Serinus. Girliz.
Fedemlein.
Fringilla. alia.
Ligurinus aliis
Carduelis cilijs albis.
Canarias.
Zuker Vogel. Canarj Vogel
Fringilla
sublutea.

Passeres Indici.
Indianische Sperlinge.
Eritra Hiaira Indica.
Passer Indico.
Passer Indico alius
Embriza alba
Embriza pratens. fœmina.
Emberiza pratensis mas
Emberiza. Embritz wilbling
Gorlgorst.

Coccothraustes
Coccothraustes Indica
Linaria. hänfling. flaxfink
Linaria
Alauda Cristata.
Lerche.
Lerche.
Alauda
Carduelis. distelfinck
ligurinus
Spinus.
Chloris seu frin
gilla Viridis
grim finck
Ligurinus
Turdus
kramets vo
gel.
Hortuianus
Brach amsel
Trostel

Turtur
Fringilla
Chalandra
Montifringilla
Alauda non christata
Fuedula
Fuedulo Canabia

Tab: 38
Montifringilla mas.
Montifringillæ Congener.
Linaria marina.
Linaria rubra.
Linaria alia
Alauda.
Alauda Cristata.
Lerche.
Güntel.
Alauda pratorum.
Alauda Cristata.
Alauda Cristata Senex.
Alaudæ Congener
Cum loto Æthiopica.
Calandra.
alancla maxima
Calander
Chloris sylvestris
Citrinella.
Lutea seu Cirulus
fæmina.
Lutea mas.

Turdus Visciuorus.
Trostel.
Turdus simpliciter.
Krametuogel.
Turdus leucocephalos.
Merula.
Stein Amsel.
Merula mas.
Merula fæmina.
Merula alba et nigra.
Passer solitarius mas.
merulus
Passer solitarius
fæmina.
Merula torquata mas.
Merula torquata
fæmina.
Merulæ Congener.

Merula Rosea mas seu Sturnus marinus.
Merula.
amsel.
Merula Brasilica.
Merula apis Indica.
Sturnus vulgaris.
Caryocatacte. nusbicker
Sturnus.
Staer.
Sturnus Capite albo.
Sturnus pullus.
Sturnus Cinereus.

Picus maximus niger.
Grosser Schwarzer Specht.
Picus Varius minor.
Picus viridis. Grünspöcht.
Picus maior Bündterspecht
Picus murarius. Maurspecht.
Picus Viridis maior.
Grosser Grünspecht.
Picus Luteus Gyanopus.
Picus nidum suspindit.
Widwal Bijnolt, Goldmerle
Picus cinereus.
Blauspecht, Mäusspecht.
Picus varius. Elsterspecht.
Grasspecht.
Picus Chlorio Inducus.


Iijnx seu Troquilla.
Windhals Kriniz.
Iijnx Congener.
Regulus. zimKönig.
Passerculus Troglodijtes.
Zünschlüpffle.
Certhia.
Barchengel.
Merops Congener.
Passer Troglodijtes Armeniacus.
Merops.
Imbenfras.
Asijlus.
Hijrundo riparia.
Wasserschwalb spijr.
Hijrundo agrestis.
spijr schwalb.
Passer Troglodijtes Bellonij.
Hijrundo.
Haüsschwalb.
Vpupa.
Widhopf.
Apus. Geijr schwalb. Kirchenschwalb.


Tab: 43
Pica glandariæ genus.
Picus Cinereus.
Acanthis.
Parus sylvaticus.
Pica glandaria. Häher.
Auriuittis. Carduelis Species golt finck
Rubecula. Roth kälihen Rothbrustle
Rubicilla. pirrliula blutfink
Ruticilla. Roth Schwenzle
Collurio seu Lanarius.
Motacilla. Bachstelz
Pica Glandaria alia. Heer.
Parus maior. Grose meisse.

Parus maior. Spiegelmaes Braudmeiss. Tab: 44
Parus ceruleus minor. Blawmeiss.
Parus ater. Kolmeiss.
Parus palustris. Kolmeiss Aesch-meiss.
Parus sylvaticus. Waldmeiss.
Parus Cristatus.
Motacilla alba Weisser Wasser-stelz.
Parus caudatus sive Montuole.
Kobelmeiss.
Spipolla.
Motacilla flaua. Gelber Wasser-stelz.
Motacilla mas.
Stoparola.
Borin Genua.
Spipola alba.
Stuparola.
Boarina.

Rubemla lyrbola
Phœicurus
Roth schwenzle
Muscipeta.
Rubetra Bellonij.
Pyrrhulas.
Rotschwentzlein.
Rubetra seu Batos.
Rubecula seu
Phœnicurus. rotzägel
rotschwentzelein.
Canneuarola.
Haufrötelein.
Anthus.
Hipolais seu Carruca.
Luscinola.
Phoenicurus. alter.
Nachtgall.
Luscinia.
Nachtigal.
Oenanthe.
Biirstner
Atricapilla. s. ficedula.
Grasmück. Schwark
Kopff
alia
Ficedula sive Atricapilla

Onocrotalus siue Pelecanus.
Tab. 46.
Onocrotalus femina.
Kropfgans.
Larus maior.
Diomedea auis.
Pelecanus siue Platea.
Leffelgans.
Larus cinereus.
Meb. Meew.
Larus albus.
Larus Piscator. Fischerlin.
Larus minor Sterna.
Stein Spyrer Schnarring.
Larus Fidipes.
Hirūnda marina.
See Schwalb.
Larus niger. Brandvogel.

Catharacta.
Cepphus.
Phalacrocorax.
Anser Bassanus.
Schotisch Gans.
Coruus Sijluaticus.
Waldrapp.
Coruus aquaticus.
Scharb.
Graculus palmipes.
Mergus Rheni. Rhein Endte.
Mergus Longirostrus.
Mergus glacialis.
Eijs Endte.
Meerganser Seefluder.
Albulus aquaticus.
Mergus Bellonij.


Colymbus Maior
gros Suckel.
Colymb, Maior.
Bellor.
Trockil,
Coruza
Colymb, Minor
Merg, Bellon
Auosetta Italor.
Cygnus.
Cygnus.
Capricalca.
Bernicla
Brenta
Anser ferus
Wilde gans

Tab. 49.
Anas. Endte.
Anas domesticus. Zame Endte.
Anas Indica.
Anas Libijca.
Anas Cairina.
Anas.
Anas marina. Meer Endte.
Anas fera. Spiegel Endte.
Querquedula. Klein Endtlein.
Glaucion.
Boscas maior.
Anas fusca fera.
Anas Platijrinchos.
Harle.
Anas Plijrinchos.
Penelepe.
Anas muscaria. Ein Leiner.
Anas fera. Seeuogel.

Ciconia.
Ibis Bellon:
Cicoma nigra.
Ardea minor.
Phænicopteros.
Ardea cinerea alia
Ardea Reiger
Ardea cinerea minor
Arlea cinerea maior.

Ardea stellaris maior.
Ardea stellaris altera.
Ardea, Quaiotta.
Fascinellus. Sichler.
Ardea nigra.
Schwartzer Reiger.
Ardea alba.
Weisser Reiger.
Auis pugnax.
Fascinellus Auis falcata.
Auis pugnax.
Arquata seu Numenius.

Auis pugnax.
Auis pugnax.
Auis pugnax.
Auis pugnax.
Hæmantopus fæmina.
Toranus. meerhùn.
Ardea. Reiger.
Porphijrion.
Hæmantopus mas.
Alcedo Vocalis.


Trijnga.
Trijnga alia.
Gallinula serica.
Samethünlein.
Rasticola. Schnepf.
Iunco Bellonij.
Merula aquatica.
Wasseramsel.
Cinclus.
Cinclus Gallinago
minima Bellonij.
Cinchli.
Pluuialis Cinerea.
Vanellus seu Capella.
Kijuitz.
Pluuialis maior.
Charadrios.

Tab: 54
Grus: Kranch
Plu mas
Grus Balearica
Grus Iapponensis
Grus Crispa
Grus Bale
arica fe:
mina
Auoselte Species


Monucodiata Aldr.
Momucodiata 2 Aldr.
Manucodiata longa.
Paradisea auis
Maioris generis
Clus
Rex auium paradiseaꝝ
rum Clus


Pica Brasilica
Toucan Xochi:
tenacatl
Pua Bras.
alia.
Altera Xochi
Tenacatl.
Emeu Nierenb.
Emeu
Clus.
Anser Magella.
nicus
Gallo peregrino
Clu.
Cygno Cucu.
lato Nieren,
berg.
Mergus arti:
o Clus
Ourisia S. Tomineio. Nierenb.
Skua
Hoieri.


Curicaca
Numenius.
Indicus
Clus
Ardeae Species
Jacamaciri
Jacana
Wasserhun.
Jupuiuba
Sjapu
Gallina Africana.
Tyepiranga
Sayacu
Ibiau Noitibo
Guira Guai:
numbi
Guira:
tangeima
Mituporanga
Jaguacati


Mitu Mutu
Guara
Iacupema
Mituporango
Ibiau magnitudine noctue
Matuitui
Guainumbi
Guira quera
Soco
Iacurutu
Iamacay

labiru guacu
labiru
Cariama.
Vrutaurana.
Guirapunga.
Arara canga
Guara
Guirary nheengeta.
Tamatia
Ipecu.
Tamatia alia


Tangara
Curucui
Guiragua cuberab.
Tyegua cuparoará
Atingacucamucu.
Pitangua guacu
Guiraa-
cangatara
Aracari.
Pullus galli
naceus mon-
strosus.
Matutui.
Ipecali Apoa.
Anhinga


Macucagua
Vruhu.
Cocoi. ardea. Spenes.
Caracara
Anhima.
Ardeola
Tangara
Vridbitinga
Guirauenoua.

Tab 62

Pelicanus



Phanix

Harpyca

Gryphus Greiff